FR. PUSTET,
New-York & Cincinnati.
52 Barclay-Str., 204 Vine Str.

moral pro
239.02
Sea. 92

Rev. M. Cannelly

Sept 1872

THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA

THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA

AD MENTEM S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

PIO IX PONTIFICI M.

DICATA

AUCTORE

PETRO SCAVINI THEOLOGO COLLEG. J. U. D.

EQUITE SS. MAURITII ET LAZZARI

Romanæ Academiæ Religionis Catholicæ, Arcadiæ, Catholici Instituti Parisiensis et Societatis Academiæ Augustanæ socio

ECCLESIÆ CATHEDRALIS NOVARIEN. CANONICO PRÆPOSITO URBIS ET DIŒCESIS VICARIO GENERALI EMERITO, ETC.

EDITIO UNDECIMA

Accedit cum nostro Collatio Codicum Civilium Austriaci, Galliarum, Parmensis, Status Ecclesiastici, Mutinensis, Etruriæ ac Reipublicæ Ticinensis.

LIBER SECUNDUS

DE VIRTUTE RELIGIONIS, DE JUSTITIA ET JURE, DE RESTITUTIONE AC DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

ALMA COLLEGE 13962 LIBRARY Sc 92 Alma, California

Property of CLgA Please return to Graduate Theologica Union Library

MEDIOLANI

APUD ERNESTUM OLIVA EDIT.-BIBLIOP.

1869.

2173

Proprietas Literaria

Typ. Patronato.

LIBER SECUNDUS

TRACTATUS QUINTUS

DE VIRTUTE RELIGIONIS

1. Ut homo dicatur bene et honeste vivere, requiritur tum ut declinet a malo, tum ut faciat bonum juxta illud Psalmi XXXVI: *declina a malo et fac bonum*. Jam vero declinabit a malo, si nunquam in agendo se abripi sinat a principiis actum humanum allicientibus ad malum; faciet bonum, si a principiis contrariis, actum nempe allicientibus ad bonum, fortiter suaviterque concussus honestatem amplectatur.

Postquam ergo de primis principiis fuit disputatum, superest ut disseratur de ceteris, quæ actum humanum ad bonum alliciunt, et sunt *Virtutes* et *Sacramenta*.

DISPUTATIO PRÆAMBULA

DE VIRTUTIBUS AC DE RELIGIONIS NATURA ET ACTIBUS.

2. Q. 1. *Quid est virtus, et quotuplex distinguitur?*

R. Ad 1: Virtus in sensu latissimo idem est ac *vis* seu *efficacia*, quo sensu et fortitudo et gratia miraculorum et ipsarum rerum naturalium efficacitas, *virtus* appellatur [1]. — In sensu vero stricto virtus communiter definiri solet cum Augustino: *animi habitus hominem inclinans ad bene recteque operandum* [2]. Est nempe bona qualitas animum constanter et efficaciter disponens ad bonum.

R. Ad 2: Virtutes aliæ sunt *naturales*, quæ per repetitionem actuum bonorum solis naturæ viribus acquiruntur; aliæ sunt *supernaturales*, quæ a Deo nobis infunduntur simul cum gratia sanctificante, ut habeamus principium intrinsecum actuum supernaturalium. Homo utrisque opus habet: virtutibus *naturalibus*, quibus naturalem felicitatem assequatur; *supernaturalibus*, quibus etiam valeat ad felicitatem supernaturalem pervenire.

[1] I, Machab. VI; Matth. VII; Sap. VII, XVII. *Virtutis* nomen a *viro* derivatum est; quia dicta vis et efficacia major est in viro, quam in fœmina.

[2] Lib. I *contra Julian.*, c. III. Etiam actus singulares, qui boni sunt, ex communi usu *virtutes* nuncupantur. — *V.* Stapf, § 97. — Ferraris ; V. *Virtus*.

Virtutes iterum dividuntur in *theologicas* et *morales:* illæ immediate respiciunt Deum et quæ sunt Dei; istæ autem respiciunt directe hominum mores.

2. Virtutes theologicæ tres sunt ex Apostolo: *fides, spes, charitas, tria hæc* [1]: fidem nostram movet Deus ut auctoritas est, quæ nec falli nec fallere potest; spem nostram movet Deus uti nostra suprema beatitudo; charitatem uti bonum in se summum.

Virtutes autem morales duplicis sunt generis: nam si perficiant intellectum, seu hominem in cognitione veri, dicuntur *intellectuales.* Porro virtus intellectualis, si conducit ad consideranda prima principia, dicitur *intelligentia;* si conducit ad considerandas ipsorum principiorum conclusiones, dicitur *scientia;* si conducit ad considerandas altissimas causas, dicitur *sapientia.* Si vero virtutes morales perficiant actus voluntatis, ideoque humanos mores, ad quatuor reduci possunt, spectatis humanis officiis, ad *prudentiam, justitiam, temperantiam* et *fortitudinem* [2]. Quæ propterea *cardinales* vocantur; tum quia super iisdem tanquam porta super cardine suo tota hominis vita verti debet; tum quia ipsæ aliarum virtutum veluti matres et cardines sunt; et in illis, dicente d. Gregorio, *tota boni operis structura consurgit* [3]: 1) in iis tota fundatur vita hominis; nam per *temperantiam* homo moderatur affectus in se ipso: per *justitiam,* moderatur actiones erga alios (si erga Deum, *religio* dicitur; si erga homines, diversa nomina refert, quæ *justitiæ filiæ* nuncupantur): per *prudentiam* omnia hæc secundum rectum ordinem disponit: demum per *fortitudinem* fit aptus ad superanda quæ occurrunt obstacula [4]; 2) in iis ceteræ virtutes continentur et totius bonitatis structura sunt; cum per istas jam benemoratus homo habeatur, ut nihil amplius in eo desideretur in ordine moris.

Non omnes virtutes sunt ejusdem dignitatis; nam aliæ aliis nobilius habent objectum: sic inter Theologicas eminet *charitas,* quæ est omnium complementum. Inter intellectuales eminet *sapientia,* quia altissima scrutatur. Inter morales præeminet *religio,* cum magis ad Deum accedat, nempe in *quantum operatur ea, quæ directe et immediate ordinantur in honorem divinum* [5]: de qua in præsentiarum *(A).*

[1] 1, Corinth. XIII. Virtutes etiam *infusæ* dicuntur: et sunt quæ a Deo nobis infunduntur vel quoad modum tantum, si illæ per actuum frequentiam etiam naturaliter acquiri possunt, uti sunt virtutes humanæ; vel quoad entitatem, si per nos naturaliter acquiri nequeant, sed sunt ordinis supernaturalis, uti virtutes Theologicæ.

[2] S. Thomas, 1, 2, q. 57, a. 2. Prudentia licet sit virtus intellectualis-moralis, quia et mentem perficit in veritatis speculatione, et voluntatem dirigit in boni prosecutione; communiter tamen inter morales virtutes adnumeratur, quia opus et praxim potissimum respicit.

[3] *Moralium,* l. II, c. 36.

[4] S. Thomas, *De Virt. card.,* a. 1. — D. Bernardus, *De Convers. ad Cler.,* c. X.

[5] D. Thomas, 2, 2, q. 81, a. 6.

3. Q. 2. *Quid est Religio?*

R. Religionis nomen a *religando* ducit d. Augustinus: quia nempe hæc virtus *cum Deo nos ligat, eique plane devincit* [1]. Triplici autem sensu nomen Religionis accipi solet: — 1) pro societate hominum Deo cultum exhibentium, et sic dicitur *Religio catholica;* — 2) pro cœtu quorundam, qui per observantiam Consiliorum Evangelii sub certa regula ab Ecclesia approbata Deo specialiter inserviunt, et sic dicitur, v. g., *Religio s. Dominici;* — 3) pro virtute quæ hominem inclinat ad Deum colendum, ut in præsentiarum accipitur. Ea autem a d. Thoma definitur: *Virtus moralis hominem inclinans ad exhibendum cultum Deo debitum tanquam omnium Creatori et Domino* [2].

Dicitur: 1. *Virtus;* nam habitus, qui ad cultum Deo exhibendum inclinat, honestus est et laudabilis, ideo ad virtutem pertinet.

2. *Moralis*, non supernaturalis nec theologica; nam Religio per se spectata neque in divina revelatione fundatur, neque habet Deum pro objecto immediato; sed fundatur in ipsa ratione naturali, cujus lumen satis est ad cognoscendum et Deum existere, et omnia ab ipso pendere, et cuncta illi subjecta esse debere, cum reverentia. Unde Religio recte dicitur virtus moralis; quia in Dei cultu dirigendo ac fovendo tota occupatur: unde patet eam perficere mores.

3. *Ad exhibendum cultum Deo,* ut innotescat Religionem versari circa eos actus, quibus Dei cultus exercetur. Dicitur autem *Deo;* nam per Religionem licet etiam Sancti colantur, adhuc ipse colitur Deus in Sanctis, quibus sanctitatem communicavit. Quo sensu Apostolus: *soli Deo honor et gloria* [3].

4. *Debitum tanquam omnium creatori et Domino:* in quo quidem consistit ratio hujus cultus; illud enim Religionis est proprium Deum contemplari uti rerum omnium ac totius existentiæ nostræ principium et dominum, cujus nutu regimur, et in cujus ditione cuncta nostra sunt posita.

4. Q. 3. *Quid est Religionis objectum?*

R. *Objectum materiale* Religionis sunt actus omnes qui valent significare divinam excellentiam nostramque submissionem; nam objectum materiale alicujus rei est illud circa quod ipsa immediate versatur; atqui Religio versatur circa actus quibus debitus Deo honor et cultus exhiberi potest: qui porro actus plurimi sunt, v. g. oratio, adoratio, votum, juramentum, etc. (nos de præcipuis agemus). *Objectum* vero *formale* est moltiplex: nam possum canere divinas laudes vel quia hoc acceptum est Deo, vel propter ejus infinitam sanctitatem vel ad gratias agendas pro beneficiis, etc. Sane qnid est objectum formale alicujus rei? est speciale illud motivum, propter quod quis objectum materiale prosequitur.

1 *De vera Rel.*, c. v.
2 2, 2, q. 81, a. 2.
3 1, Tim. 1.

5. Ex his patet etiam quid sit cultus Deo debitus: *est complexio illorum actuum, quibus infinitam Dei excellentiam testamur, eidemque famulatum exhibemus.* Quare hæc cultui inhæreant necesse est: 1) testimonium excellentiæ illius, qui colitur; 2) submissio illius, qui colit: nempe cultus est honor cum submissione.

Duplex autem cultus distinguitur: *internus* unus, qui intus in animo perficitur, uti sunt actus interni devotionis ac cordis oratio; *externus* alter, qui interno addit externam corporis habitudinem, ut est genuflexio, cantus, etc. Quæ divisio ex eo deducitur, quod homo sicuti constat anima et corpore; ita animo et corpore Deum suum colere tenetur *(B)*.

DISPUTATIO PRIMA

DE RELIGIONIS ACTIBUS.

CAPUT PRIMUM

DE DEVOTIONE ET ORATIONE.

6. Q. 1. *Quis est devotio?*

R. A verbo *devovere* devotionem deduxit Angelus: *devoti dicuntur qui seipsos quodam modo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant* [1].

Definitur autem devotio: *voluntas prompte faciendi quæcunque pertinet ad Dei famulatum.* Dicitur: — 1) *voluntas*, quia non magis ipsa volendi facultas indicatur, quam ejusdem actus et exercitium; — 2) *prompte;* ea enim est indoles sinceræ devotionis, ut animum faciat alacrem et expeditum in omnibus, quæ sunt ad Deum, juxta illud: *paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* [2]; — 3) *faciendi* etc.; nam *probatio amoris exhibitio est operis.* Ex his deducitur:

a) Licet vera devotio plerumque adjunctam habeat interiorem quandam animi lætitiam; non tamen effectus iste ad devotionis naturam ita pertinet, ut sine illa devotio stare nequeat. Animi promptitudo etiam cum summa sensuum ariditate consistit, ut patet exemplo ipsius Christi, qui *cœpit pavere et tædere* [3]. Sic plures Sancti in summa ariditate fuerunt, ita Deo permittente, vel ad eos in humilitate conservandos, vel ad ipsorum fidem firmandam.

b) Errant qui contendunt, devotionem pertinere tantum ad monachos, moniales et ecclesiasticos, quasi promptitudo in Dei famu-

[1] 2, 2, q. 82, a. 1. [2] Ps. XXXVI.

[3] Marc. XIV. Devotio in simplicibus et mulieribus magis abundare solet; quia qui scientia et ingenio præditus est, nimis confidens de se ipso, non totaliter se subdit Deo. *Si tamen scientiam et quamcumque aliam perfectionem homo perfecte subdat, ex hoc ipso devotio augeretur,* ait Angelicus, 2, 2, q, 82, a. 3.

latu non sit etiam sæcularis hominis. Et ideo fortiter redarguendi qui devotos irridènt, atque de imprudentia accusant confessarios devotionem suis pœnitentibus suadentes, quasi nempe studium et alacritas sit tantum ponenda in iis quæ sunt mundi [1].

7. Finis devotionis in eo situs est, ut anima facilius possit pervenire ad illam perfectionem, quam sic Christus commendat: *estote... perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* [2].

8. Q. 2. *Quid est christiana perfectio et an omnes obliget?*

R. Ad 1: Christiana perfectio est consecutio nostri ultimi finis, *inchoative* in hac vita per gratiam, *complete* in altera per gloriam; res enim quælibet dicitur in genere suo perfecta, quando finem ad quem facta est, consequitur. Jam vero quisnam est, ex christianæ Religionis dictamine, ultimus noster finis? Deus ipse; qui ergo Deum amat, perfectus est: *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* [3]. Hinc charitas vocatur *vinculum perfectionis* [4].

R. Ad 2: Dupliciter potest attendi perfectio; vel prout tantum excludit quod est charitati contrarium, et est solum peccatum mortale: quo sensu omnibus perfectio est de necessitate salutis; quia secus nemo salvari potest. Vel prout etiam excludit quæ impediunt, quominus affectus totaliter dirigantur in Deum (quantum vitæ imfirmitas patitur): et hoc sensu obligat eos solum, qui se totos Deo manciparunt in aliquo peculiaris perfectionis statu; non vero ceteros, quasi nempe ea necessaria sit ad salutem, nam etiam sine illa charitas esse potest [5] *(C)*.

9. Q. 3. *Quid sentiendum est de quibusdam exterioritatibus, quas aliquando videre est in devotis?*

R. Vel exterioritates hujusmodi respiciunt actiones communes et ordinarias, quæ nempe non indicant, nisi pietatem communem et ordinariam, qualem habere omnes christiani deberent: uti sunt Sacramentorum frequentia, modestia in habitu et gressu, peccati odium, Ecclesiæ reverentia, obsequium erga Altaris ministros, studiosa præceptorum Dei et Ecclesiæ observantia, etc. Vel tales exterioritates respiciunt actiones particulares atque extraordinarias, quæ indicant pietatem particularem et extraordinariam, uti sunt ciliciorum usus, jejunia specialia, singultus in Ecclesia, etc.

Si 1, exterioritates illæ permittendæ sunt, imo commendandæ et fortiter injungendæ; de his enim Christus Dominus ait: *videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* [6]. De his sic Philoteam alloquebatur Salesius: « Filotea, fate professione apertamente di voler essere divota, e non vergognatevi delle azioni comuni, e che sono a proposito per condurci all'amor di Dio; confessate ar-

[1] *V.* Il *Cattolico*, Giornale religioso. Lugano, vol. v, art. *Il bigottismo.* — Ségur, *Risposte brevi e familiari alle objezioni più diffuse contro la Religione*, §§ 5, 39, 54; liber propagandus, legendus. — Rodriguez, Scaramelli, etc. [2] Matth. v.
[3] 1, Jo. iv. [4] Col. iii.
[5] S. Thomas, 2, 2, q. 184, a. 2. [6] Matth. v.

ditamente, che voi procurate dt meditare, che voi vorreste piuttosto morire che peccar mortalmente, che voi volete frequentare i Sacramenti, seguire i consigli di colui che vi guida. »

Si 2, tunc si illæ exterioritates particulares et extraordinariæ in publico contingunt, plerumque prohibendæ sunt; tum quia animam exponunt periculo vanitatis propriæ; tum quia spiritum Domini absque ulla causa subjiciunt profanorum irrisionibus. Hæc sunt opera illa, de quibus dixit Christus: *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua... intra in cubiculum tuum, et, clauso ostio, ora Patrem tuum in absconditо* [1]. Si vero contingant in privato, neque noceant corporis sanitati nec officiis propriis (quod maxime attendendum), nihil prohibet quominus concedantur ad devotionem fovendam. At si nocent, ut si caput aggravent, prohiberi debent; siquidem anima fieret minus apta ad ordinaria pietatis ac status exercitia.

10. Q. 4. *Quid est oratio?*

R. Oratio late sumpta est elevatio mentis ad Deum, seu quivis pius animi affectus in Deum. In sensu vero stricto est *quoddam veluti mentis nostræ colloquium cum Deo, in quo rei alicujus obtinendæ desiderium eidem patefacimus eamque flagitamus.*

Communiter autem oratio cum Damasceno solet definiri: *petitio decentium a Deo.* Dicitur: 1) *petitio decentium*, id est eorum quæ honesta sunt, quæque non dedecet neque homines a Deo petere, neque Deum hominibus elargiri; 2) *a Deo*, tum ut pateat orationem verum esse Religionis actum, quatenus homo per eam *Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, et profitetur orando se eo indigere sicut auctore suorum bonorum* [2]; tum ut ostendatur orationem, proprie loquendo, soli Deo faciendam esse: quamvis enim ea dirigatur etiam ad Sanctos, semper tamen directe tendit in Deum, a quo solo quod per Sanctos Dei amicos petimus, consecuturos nos esse speramus.

11. Q. 5. *An oratio sit necessaria ad salutem?*

R. Nullum est dubium, quin oratio adultis sit necessaria de Jure divino ad salutem: illud enim de Jure divino adultis necessarium est ad salutem, quod in Scripturis tum a Christo tum ab Apostolis uti tale præcipitur; atqui ita est de oratione. *Oportet semper orare et nunquam deficere: vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*, ait Christus [3]. *Sine intermissione orate: volo viros orare in omni loco... similiter et mulieres*, ait Apostolus [4]. Adde populorum consensum: vel apud idolorum cultores opinio semper fuit, Divinitatem esse invocandam tum ad mala propulsanda, tum ad felicem rerum suc-

[1] Matth. VI. — *V.* Castelvetere, *Dirett.*, n. 3, l. XI, c. 27; — Liguori, *Homo Apost.*, append. I, n. 27. — Sales, *Filotea* ecc. — Bouix, *De Jure Regularium*, pars 1ª.
[2] S. Thomas, 2, 2, q. 83, a. 3.
[3] Luc. XVIII et XXIV.
[4] I, Tess. V; et I, Tim. II. — Ferraris; V. *Oratio.*

cessum obtinendum. Adde naturæ impulsum, qui nos quasi per vim trahit ad efflagitandum auxilium in necessitate [1]. Hujus autem gravis præcepti duplex est ratio:

1ª Ex parte *Dei;* quia Deus gratias suas, si paucas excipias, v. g. initium fidei, sub ea tantum conditione nobis elargiri ordinarie solet, ut easdem orando expostulemus. Unde Augustinus ait: *Constat Deum alia non orantibus sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque ad finem perseverantiam.* Huc facit illud: *non habetis propter quod non postulatis* [2].

2ª Ex parte *hominis;* quia summa ejusdem est indigentia, ita ut quisque merito cum Propheta debeat exclamare: *Libera me, quia egenus et pauper ego sum.... adjuva me, Domine Deus meus* [3]. Quare sic concludit Angelicus: *Ad orationem quilibet homo tenetur ad bona spiritualia procuranda quæ nonnisi divinitus dantur: unde alio modo procurari non possunt, nisi ab ipso petantur* [4]. Hinc probabilius ac communiter docent, adultis orationem necessariam quoque esse necessitate medii ad salutem; illud enim est de necessitate medii, sine quo, attento divino ordine Providentiæ, salus obtineri non potest: atqui talis est oratio [5].

Ad orationem maxime sunt compellendi studiosi, quorum plures forte nunquam cor suum erigunt ad Deum in cœlum, qui *scientiarum Dominus est* [6]; qui docet *sine strepitu verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine purgatione argumentorum; una vox librorum, sed non omnes æque informat, quia intus est Deus doctor veritatis* [7]. *Omnis ergo qui indiget sapientia postulet a Deo qui dat omnibus affluenter* [8]. D. Thomam imitetur et in castitate et in doctrina Angelum: qui nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem (in difficultatibus ad orationem jejunium adhibens): qui suo fratri Reginaldo dicere solebat, quidquid sciret, non tam studio aut labore suo peperisse, quam divinitus traditum accepisse [9].

12. Q. *Quandonam obligat orationis præceptum?*

R. Obligat orationis præceptum per se, et per accidens:

Obligat *per se:* 1) *initio ipsius vitæ moralis,* quando scilicet homo usum rationis adipiscitur; tunc enim tenetur se ad Deum convertere, eum ut omnium bonorum fontem agnoscere, ac tanquam supremo rerum omnium Domino se eidem subjicere: ad quod mirifice oratio inservit ex s. Thoma [10]; 2) *tempore mortis:* tunc enim maxime necessaria est perseverantia finalis, quæ absque oratione

1 *V.* Tertullianus, *De testim. animæ.* 2 Jac. IV.
3 Ps. CVIII. 4 In 4, d. 15, q. 4, a. 1.
5 S. Thomas, 2, 2, q. 83, a. 1. — Liguori, *Del gran mezzo della preghiera.*
6 1, Reg. II. 7 Kempis, c. XLIII. 8 Jac. *Epist.* c. 1.
9 Orationis necessitas maxime urget ecclesiasticos; vide Libr. IV, *Append.* III.
10 1, 2, q. 89, a. 6.

obtineri nullimode potest; 3) *sæpe in vita*, ut impleatur illud Christi: *vigilate... omni tempore orantes, ut digni habeamini... stare ante Filium hominis: oportet semper orare* [1]. Quæ tamen verba non probant singulis physice momentis orandum esse, quod foret impossibile; sed orandum esse omni tempore opportuno, idest *per certa intervalla horarum et temporum*, ut ait Augustinus [2]. Alii docent orandum sub gravi saltem semel in anno; alii semel in mense; alii semel in hebdomada; alii sæpius. Ceterum notat Concina, quod confessarius magis sollicitus esse debet in declaranda frequenter orandi necessitate, quam in determinanda omissæ orationis gravitate.

Obligat vero *per accidens:* — 1) quoties urget aliquod præceptum, quod impleri nequeat absque oratione, ut si accedendum sit ad Pœnitentiam; qui enim tenentur ad finem, tenentur etiam de mediis ad illum; — 2) quando gravis insurgit tentatio, præsertim contra castitatem: *statim ut libido titillaverit sensum*, ait d. Hieronymus, *erumpamus in vocem: Domine auxiliator meus* [3]. Ait enim Sapiens: *scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det* [4]; — 3) quando imminet gravis calamitas nobis vel proximo, maxime vero Ecclesiæ vel communitati; oratio enim (dicente sancto Laurentio Justiniani) *placat Deum, postulata reportat, immutat homines* [5].

13. Q. 7. *Quinam invocandi oratione nostra?*

R. Deus et Sancti: *Deus* invocandus est uti Auctor bonorum omnium et Dator; cum ipse solus sit eorum causa et fons. *Sancti* autem invocantur tanquam patroni apud Deum ipsum: sane vel inter homines non solum rogamus eum qui nos exaudire valet, sed etiam eos, qui apud illum intercedere possunt; quid ergo prohibere potest, ne Deum per Sanctos nobis propitium reddamus? *Ira Dei*, ait d. Hieronymus, *precibus Sanctorum frangitur* [6]. Id commendant Scripturæ exempla, praxis universalis, ac perpetua et constans Ecclesiæ traditio [7]. Hinc patet, *affirmantes... Sanctorum memorias frustra*

[1] Luc. XVIII et XXI.

[2] Ep. CXXX. Qui tamen suæ salutis sollicitus est, non desinit identidem ad orationem confugere, mane præsertim ac vespere; quod quidem tempus universali piorum consuetudine consecratum est. *Et quæso*, ait Stapf, § 219, *quale judicium de illis ferendum est, qui more pecudum mane de stratu surgunt, illudque repetunt die finita, quin Dei suæque relationis ad illum recordentur? qui demum bonorum operum fructus ex terra tam inculta, et inaquosa expectare possunt?* Ajunt tamen, obligationem orandi mane et vespere esse sub levi, quia sic apprehenditur; at eum absolutione indignum putant qui id non curat omnino, tum quia valde probabiliter magno orandi præcepto non satisfaceret, tum maxime quia talis orationis omissio signum certe esset magni teporis animi.

[3] Ep. XXII *ad Eustach.* — *V.* Ségur, *Risposte brevi e familiari* ecc., §§ 35 et seqq.

[4] Sap. VIII.

[5] *De perfect.*, c. XII. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, in init.

[6] In Ezech. XIII. Intellige etiam Angelos, et maxime Angelum nostrum custodem; cum enim ei specialiter commissa sit nostra persona, ei specialiter cordi sumus.

[7] *V.* Klee, *Storia de' dogmi.* — Orsini, *I fiori del cielo*, c. 1.

frequentari, omnino damnandos esse, prout jam quidem eos damnavit (in Nicæno II) *et nunc etiam damnat Ecclesia* (in Tridentino) [1].

Præstat autem, ut præ ceteris Sanctis B. Virginem invocemus: nam si unus vel alter Sanctus ad hoc vel illud beneficium obtinendum singularis advocatus habetur [2], Maria ad omnia obtinenda est advocata universalis. Adde excellentissimam Virginis dignitatem, sanctitatem, excellentiam, adeo ut pro ea specialis cultus determinatus sit; si enim multæ congregaverunt divitias, ipsa supergressa est universas; at quo quis dignior est, eo efficacior interpellat. Ideo placet concludere verbis Gloriosissimi Pontificis Pii Papæ IX, qui Encyclica *Qui pluribus*, postquam commonuit assiduis orationibus esse insistendum, ut Ecclesia sancta Dei, omnibus adversitatibus et erroribus penitus sublatis, optatissima tranquillitate fruatur, et fiat unum ovile et unus pastor, addit: *Ut autem clementissimus Dominus facilius inclinet aurem suam in preces Nostras et Nostris annuat votis, deprecatricem apud Ipsum semper adhibeamus Sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam, quæ nostrum omnium dulcissima mater, mediatrix, advocata et spes fidissima ac maxima fiducia est, cujus patrocinio nihil apud Deum validius, nihil præstantius* [3].

14. Q. 8. *Quid petere debemus per orationem?*

R. Petere debemus imprimis quæ æternæ saluti expediunt, uti sunt bona spiritualia, nempe victoria in tentationibus, sanctificatio animæ, Dei amor et cœlestis beatitudo: *quærite... primum Regnum Dei et justitiam ejus*, inquit Christus [4]. Quæ bona absolute a Deo petenda sunt; quia certum est, non posse nos iisdem abuti: *Hæc autem sunt, quibus beatificamur*, ait Angelicus, *et quibus beatitudinem meremur, quæ quidem Sancti orando absolute petunt, secundum illud Psalmi* LXXIX: Ostende faciem tuam et salvi erimus [5]. Bona vero temporalia, uti fructus agrorum, sanitas corporis, scientia, non sunt petenda nisi conditionate; quia non semper expedit, ut nobis concedantur, cum illis possimus etiam male uti: *eo tenore*, subdit Angelicus, *a Deo petimus ipsa, ut nobis concedantur secundum quod expediunt ad salutem.*

Etiam mala temporalia, quæ non sint peccata, sed puræ pœnæ, v. g., infirmitas, paupertas, amoris proprii depressio, peti licite possunt ex recto fine, ad merita sibi comparanda, ad peccati pœnas luendas. Inquit enim Angelicus: *hoc licet orare, quod licet desiderare;* atqui hæc mala ex recto fine licet desiderare: ergo et orare. Hinc celebre illud Augustini: *Domine, hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas.*

1 Sess. XXV *de venerat. SS.*
2 *V.* Siniscalchi, *Il giorno santificato*, p. 2ª, c. ult., ubi longum texuit cathalogum Sanctorum qui invocantur vel pro peculiaribus provinciis vel pro peculiaribus hominum conditionibus, vel pro peculiaribus gratiis. It. Riva, *Manuale di Filotea.*
3 *V.* Mazzola, *De B. Virgine*, p. 3ª, disp. 5 et 6.
4 Matth. VI. 5 2, 2, q. 83, a. 5.

15. Q. 9. *Pro quibus orare licet?*

R. Neque pro Sanctis in cœlo, neque pro damnatis in inferno orandum; illi enim beatitudine nunquam defutura jam potiuntur; unde Augustinus ait: *injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre* [1]; istos *æterno deputatos supplicio* novimus, prout scribit Gregorius Magnus; cum in inferno nulla sit redemptio [2]. Est autem bonum orare pro justis, qui in igne purgatorii detinentur, juxta celebre illud Judæ Machabæi: *sancta.. et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* [3].

Item (si de oratione privata agatur [4]) bonum est orare pro omnibus, qui in terris degunt sive amici sive inimici, sive peccatores sive justi, sive excommunicati sive non, sive fideles sive infideles. Hinc Tertullianus in *Apologetico* quoad paganos imperatores ajebat: *Manibus expansis quia innocuis, capite nudo quia non erubescimus, sine monitore quia de pectore oramus; precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quæcunque hominis et Cæsaris vota sunt.* Imo tenemur pro hisce omnibus orare; id enim pertinet ad rationem charitatis. Hinc Jacobus: *Orate pro invicem, ut salvemini.* Et Paulus: *Obsecro...; primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt...; hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore Nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.* Et Christus ipse: *orate pro persequentibus et calumniantibus vos* [5].

16. Q. 10. *Quænam sunt conditiones, ut oratio legitime fiat?*

R. Præcipuæ conditiones ad orationem sunt, ut illa fiat:

1. Cum *attentione*, id est ut orans serio cogitet *quis*, *quid* et *quem* alloquatur; qui enim voluntarie distrahitur actu quo orat, incurrit in illam Dei reprehensionem: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* [6]. *Quomodo tu audiri postulas a Deo*, inquit s. Cyprianus, *cum tu te ipsum non audias* [7]? Et d. Augustinus: *cum oratis, hoc versetur in corde quod profertur in ore* [8].

[1] Serm. XVII *de Verbis Dom.* — Suarez *(De Oratione*, l. II, c, 14), cum aliis arbitratur gloriam accidentalem Sanctorum in cœlis augeri posse, ac licitum esse hoc augmentum pro illis orare.

[2] Ex quo patet quid sentiendum de eo quod refert s. Joannes Damascenus de s. Gregorio, qui oravit pro anima Trajani infidelis et persecutoris jam ante quingentos annos defuncti, et ejus liberationem ab inferis impetravit. *V.* Le-Quien, in Dissert. V. *Damascenica*, n. 3, qui veluti fabellas traducit Trajani et Falconillæ liberationes. — Nat. Alexandri, Dissertatio: *De liberatione commentitia Trajani imperatoris ab inferis;* it. Bellarminus, Baronius, Salzano, etc.

[3] Machab. XII. — V. *Annali religiosi*, t. IX, p. 28, ubi catholico veritas probatur adversariorum testimoniis.

[4] V. *de Censuris*, ubi *de effectibus excommunicationis* quoad orationem publicam.

[5] Jac. V; I, Tim. II; et Matth. V.

[6] Matth. XV.

[7] *In orat. Dom.*

[8] Apud s. Thomam, 2, 2, q. 83, a. 3.

2. Cum *humilitate;* nam *respexit* (Deus) *in orationem humilium, et non sprevit precem eorum. Oratio humiliantis se nubes penetrabit* [1].

3. In *nomine Jesu*, dicente Scriptura: *unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis* [2]. Et d. Augustinus ajebat: *Oratio, quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed ipsa etiam fit in peccato* [3]. Ut tamen nostra oratio sit in nomine Christi, necesse non est, ut nomen Christi ejusve merita semper explicite interponantur; id satis intelligitur, quando oratio fit a christianis, et petuntur ea quæ ad æternam salutem conferunt, propter quam Christus Jesus factus est mediator Dei et hominum.

4. Cum *fiducia* et *firma fide*, qua orans credat se certo assecuturum quod saluti expediat juxta divinas promissiones: *omnia quecunque orantes petitis, credite quia accipietis*, inquit Christus [4]. *Qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur* [5].

5. Cum *desiderio*, scilicet obtinendi quod petitur; irrisorie enim petitur quod non desideratur. Unde Augustinus ajebat: *Deus dare vult, sed nonnisi petenti, ne det non cupienti* [6].

6. Cum *perseverantia*, juxta illud: *oportet semper orare et nunquam deficere.* Etsi enim Deus interdum statim exaudiat preces nostras; sæpius tamen orationis effectum protrahit, volens illum perseverantibus tantum concedere. Idque congruenter; instando enim merita multiplicantur, virtutes exercentur et gratia commendatur, nam, ex Augustino, *diu desiderata dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt* [7].

Hinc versus:

Cum petis, attentæ, demissæ, nomine Christi,
Cum fide, cum voto, sint sine fine preces.

17. *Nonne* (dices) *ad orationem requiritur etiam status gratiæ?* Hæc utique erat Quesnelli sententia: *Oratio impiorum verum est peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.* Sed fuit a Clemente XI damnata: sane præceptum orationis generale est; ergo ad illud tenentur etiam peccatores. Audiatur Augustinus: *Qui dixit: Propitius esto mihi peccatori, verum dixit an falsum? si verum dixit, peccator erat et tamen exauditus est... leva interiorem faciem tuam, et videbis, quia peccatores Deus exaudiet* [8]. Si quando autem peccatores non exaudiuntur, tota causa in ipsis est; quia nempe precantur *secundum peccati desiderium*, ut Cain et Antiochus, idest sine debitis conditionibus: sub quo respectu eorum oratio fit execrabilis coram Deo.

Est commune cum s. Thoma, qui docet bona omnia (iccirco etiam orationem) peracta a fidelibus in statu peccati mortalis valere: 1) *ad assuefactionem bonorum operum;* 2) *ad temporalium consecutionem;* 3) *ad dispositionem ad gratiam* [9].

1 Ps. CI; et Eccli. XXXV. 2 1, Tim. II. 3 *In Ps.* XVIII.
4 Marc. XI. 5 Jacobi, I. 6 Ench. XVIII.
7 Serm. LXI. Non autem in multiloquio orationis perseverantia collocanda; si enim nostra oratio ab affectu disjuncta est, meretur Christi reprehensionem: *orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* Matth. VI. — *V.* Liguori, *Gran mezzo della preghiera.*

S. Ignatius tres Orandi modos edocet in suis *Exercitiis*, de quibus inter ceteros vide Ciccolini, *Raccolta di Meditazioni* ecc., p. II. — Chaignon, *Nuovo corso di Meditazioni*, t. II. — Vegetelli, *Corso di Meditazioni ed Istruzioni* ecc. par. 2ª.

8 Tract. XLIV *In Joann.* — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXII.

9 2, 2, q. 83, a. 7; et Suppl. q. 14, a. 4. — *V.* Liguori, *Glorie di Maria*, par. 3ª: *Breve risposta all'abbate Rolli.*

18. Q. 11. *Quot sunt orationis effectus?*

R. Oratio tres habet effectus, si debitis sit fulta conditionibus;

1. Est *meritoria*, cum sit opus bonum: et quidem meritoria de *condigno*, si orans sit justus; *de congruo*, si sit peccator.

2. Est *satisfactoria*, cum omne opus quamvis bonum in præsenti naturæ lapsæ statu pœnam ac laborem importet: hinc Tridentinum inter opera satisfactoria orationem collocat [1].

3. Est *impetratoria*, juxta illud: *petite et dabitur vobis: omnis qui petit accipit* [2]. Hinc Augustinus: *Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio; licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam* [3]. Quæ miseratio, seu orationis fructus triplex distinguitur, saltem in oratione publica: *generalis* de quo participant omnes; *specialissimus* qui ipsi oranti prodest; et *specialis*, qui ab orante alicui in particulari applicatur.

19. Q. 12. *An oratio infallibiliter effectum sortiatur?*

R. Si sermo est de oratione non rite peracta, certum est hanc effectum non sortiri, dicente Jacobo: *petitis et non accipitis, eo quod male petatis.* Si vero oratio rite sit peracta, et fiat pro aliis, effectus non semper certus est et infallibilis, ut docet Angelicus; Christus enim non dixit absolute: *petite et dabitur*, sed *petite et dabitur vobis.* Adde: etiam fieri potest, ut illi pro quibus ipsa effunditur, obicem ponant, quin pendeat a nobis meliores in ipsis dispositiones procreare [4]. — Si vero talis oratio sit pro nobis ipsis, et petantur quæ ad salutem æternam conducentia sunt, certum est orationem effectum suum infallibiliter sortiri; clara sunt Scripturæ verba: *petite et dabitur vobis: quærite et invenietis: pulsate et aperietur: omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis et venient vobis.*

Diximus: *et petantur quæ ad salutem æternam conducentia sunt:* aliter esset, si quæ nos petimus, nobis dari non expediat: tunc gratia est, si non exaudiamur *(D).*

20. Q. 13. *Quomodo dividitur oratio?*

R. Oratio alia est *mentalis*, quæ nempe fit sola mente, et pertinent ad eam verba Davidica: *meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Vocalis* alia, quæ mente simul et lingua peragitur juxta illud: *voce mea ad Dominum clamavi* [5].

[1] Sess. XIV, can. 13. [2] Luc. II. [3] Serm. XXII *de temp.*

[4] 2, 2, q. 83, a. 7. Tamen multi cum s. Basilio censent orationem valere etiam pro aliis, licet sint peccatores, modo obstinati non sint: quod probant ex illo Joannis, I, c. 5: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* — *V.* Liguori, *Gran mezzo della preghiera*, c. III.

[5] Ps. XVIII. — *V.* Benedictus XIV, *De Canon. SS.*, l. III, c. 26.

ART. UNICUS. — *De meditatione, contemplatione et oratione vocali.*

21. Q. 1. *Quid est meditatio et an necessaria?*

R. Meditatio est *pia consideratio rerum divinarum ad concipiendam animi compunctionem, devotionem, fervorem, et ad mores nostros ad virtutem informandos.* Dupliciter autem meditatio accipi potest: vel prout est rerum divinarum consideratio peracta cum peculiari quadam forma et propria methodo, uti in claustris et aliis religiosis communitatibus fieri solet; vel prout est simpliciter pia animæ consideratio abstrahendo a quacunque peculiari forma ac methodo.

Si primo modo accipiatur meditatio, dici nequit omnibus fidelibus adultis necessaria; cum ad illum terminum multiplex sit via: quanquam melius sit hanc viam aggredi, quam alii commodiorem experti sunt. Si vero accipiatur meditatio alio modo, quamvis hæc oratio, stricte et absolute loquendo, non sit necessaria ad æternam salutem consequendam, sicuti est necessaria petitio, nihilominus videtur valde necessaria animabus, ut in Dei gratia perseverent; cum reliquis pietatis operibus potest peccatum consistere, sed non possunt una simul vivere hæc oratio et peccatum [1]. En medium tutissimum et efficax non solum ad culpas vitandas, sed ad flammam divini amoris accendendam, et sine quo prono veluti alveo anima nostra in omne vitiorum genus prolaberetur.

Hinc de meditatione pure et simpliciter sumpta habet Scriptura: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis: in meditatione mea exardescet ignis: desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde* [2]. Ad rem Stapf: *Quid terribilius inferno, de cujus existentia nulli catholicorum dubitare licet? et nihilominus qui hanc veritatem nunquam considerant, ita plerumque vivunt ac si sibi nihil timendum esset. Fides illorum igni non absimilis est, qui in silice latet quidem, attamen tandiu inefficax manet, donec repetitis ictibus eliciatur.* Hinc piissimus Gerson: *Absque meditationis exercitio nullus, secluso miraculo Dei speciali, ad rectissimam christianæ Religionis normam attingit* [3]. S. Alphonsus hoc habet, nunquam animo delendum effatum: *Si tenga per perduto quel giorno, in cui si lascia l'orazione mentale* [4]. Et Benedictus XIV, Bulla *Quemadmodum*, ad alliciendos fideles ad meditationis exercitium et illud docentibus et eo utentibus, Indulgentias perpetuo concessit.

1 *V.* Liguori, *Praxis Confessarii*, n. 122.
2 Eccli. VII; Ps. XXXVIII; et Jer. XII.
3 Tract. *D meditatione.*
4 *Opere spirituali.* Quæ omnia maxime nos ecclesiasticos urgent, ut gratiam Dei, quæ est in nobis, per impositionem manuum, quotidie resuscitare satagamus etiam ad aliorum salutem. Liguori, *Praxis Confess.*, n. 183 scribit: *In excipiendis sacerdotum Confessionibus, non omittat confessarius insinuare* (pœnitenti ecclesiastico), *ut incumbat orationi mentali, sine qua difficillime bonus erit sacerdos.* — V. *Esame rajionato* ovvero *Decisioni teologiche sui doveri dei sacerdoti*, c. IV. Parma, 1863.

22. Confessarius, si velit suum pœnitentem perseverari et progredi in virtute, curet illum disponere ad bene peragendam orationem mentalem. Quod ut obtineat, videat an pœnitens sit rudis, necne:

1) Si literarum imperitus, ei imponat, ut saltem mane vel vespere, quando domi major est quies, vel (si tempus aliud habere nequeat) in ipsis etiam manualibus occupationibus mentem identidem elevet ad Deum, et meditetur Fidei veritates, præcipue Novissima et Domini passionem. Neque excusationibus facile acquiescat: omnes quantumvis rustici et idiotæ subtiles et diuturnas meditationes agunt de re familiari, de lucro captando, etc.: quod ergo faciunt in pecunia, faciant et in conscientia; 2) si vero pœnitens non sit literarum ignarus, eum doceat ut aliquo libro ad rem idoneo utatur, quo facilius orationem hanc persolvat: *Si spiritus* (ait Salesius) *lassus fuerit, utere libro, id est lege paullulum et tunc meditare; postea lege rursus et aliquantisper et denuo meditare, usque dum horæ dimidium effluxerit; s. Theresia ab initio ita processit, et prospero quidem cum successu.* Moneat ut materia illa seligatur, in qua anima majorem experitur devotionem, atque ut ubi se vehementius affici sentit et commoveri, ibi diutius immoretur.

Hoc modo mentalis oratio a confessario insinuanda est etiam peccatoribus, cum sæpe ob meditationis defectum ad vomitum redeant. Exigat rationem meditationis peractæ de vice in vicem, inquirendo quomodo se gesserint, imponens insuper eis, ut ante omnia sese accusent de meditatione omissa, si omitti contingat. Ubi etiam notamus valde opportunum esse fidelibus hoc salutare exercitium insinuare post habitas Missiones, quia tunc magis sunt dispositi *(E)*.

23. Q. 2. *Quid est contemplatio?*

R. 1: Contemplatio est *elevatio mentis in Deum suspensæ, æterna dulcedinis gaudia in ipso degustantis.* Ex quo patet a meditatione discrimen: 1) in meditatione quæritur Deus labore discursus interioris; in contemplatione sine hoc labore anima Deum contemplatur inventum; 2) in illa anima operatur actibus potentiæ suæ multiplicis; in ista operatur ipse Deus, anima autem patitur tantum, idest recipit in se quæ sibi a gratia infunduntur.

R. 2: Quando Deus vult concedere donum contemplationis, solet, ut plurimum, præmittere: 1) orationem recollectionis naturalis (vulgo *di raccoglimento);* 2) orationem otii contemplavi, ut vocant Mystici; 3) purgationem spiritualem. Ceterum *paucissimæ sunt* (ait s. Theresia) *animæ, quæ dirigantur a Deo per vias supernaturales: et in cælo permultas aspiciemus, quæ sine hujusmodi gratiis supernaturalibus erunt gloriosiores illis, quæ gratias ipsas acceperunt* [1].

1. *Oratio recollectionis naturalis* tunc dicitur animæ concedi, quando intellectui meditationem peragenti opus amplius non est quasi extra se ipsum exire cum discursu, studio ac labore ad considerandum aliquod particulare mysterium, v. g. Incarnationis; vel aliquam particularem veritatem, v. g. Paradisi felicitatem. Sed vix a rebus externis in se ipso collectus, statim cum facultate et quiete, imo et magna cum suavitate, attendit illi mysterio aut veritati [2].

2 *Otium contemplativum* est fere idem ac recollectio, cum discrimine, quod anima in hac attendit alicui mysterio vel veritati particu-

[1] Deus in suis donis liber est et quoad rem et quoad modum et quoad ordinem: ex quo fit, ut non desint exempla animarum, quæ ad ultimum contemplationis gradum immediate evectæ sunt, quin per gradus anteriores pertransierint. Hæc bene cognoscat confessarius, ne animabus damnum sit allaturus, ut ait s. Joannes a Cruce.

[2] Dicitur *naturalis*, non quia anima illam consequatur ex se (cum sit gratuitum Dei donum); sed quia anima adhuc tunc operatur beneficio gratiæ ordinariæ.

lari; in illo innititur generali quadam notitia et cogitatione Dei, in quem quasi vi petrahi, totamque se colligi sentit.

3. *Purgatio* ab imperfectionibus consistit in duplici ariditate. Una est *ariditas sensus*, vel subtractio devotionis sensibilis; cum ea conjungitur tædium quoddam rerum spiritualium et obscuritas quædam profunda, quæ de die in diem incrementum sumit [1]. Hanc animam confessarius confortet ad magna a Deo speranda, eique suadeat, ut minime conetur se exercere in meditatione; sed ut se humiliet, et emittat actus oblationis Deo suo. Altera *ariditas spiritus;* consistit in quadam divina luce, qua Deus efficit, ut anima proprium nihil clare cognoscat. Hic est ubi ipsa se cernit in quadam quasi agonia terribilissima; et licet libentius sit determinata ad singulas difficultates superandas, attamen quo magis videt proprias imperfectiones, eo magis sibi videtur a Deo quasi repulsam tanquam ingrata tot beneficiis collatis. Tunc vel ipsa pietatis exercitia eam contristant; quia credit omnia esse male peracta et æternis suppliciis digna; imo multoties sibi videtur Deum ipsum odisse [2]. Confessarius ne terreatur tot audiendo expressiones timoris ac desperationis; sed animam confortet suadendo tentationes illas non esse consensum, sed pœnas, quæ (si patienter tolerentur) fortius Deo conjungunt: proinde sufficere si se totam projiciat in brachia Misericordiæ divinæ, atque se committat protectioni B. V. M. quæ est *consolatrix afflictorum (F).*

24. Q. 3. *Quotuplex distinguitur oratio vocalis?*

R. Oratio vocalis duplex est, privata et publica: *Publica* est illa, *quæ fit nomine Ecclesiæ ab ejus ministris pro populo. Privata* vero, *propria* et *particularis, quam quis nomine proprio aut alieno facit, non tamen sicut Ecclesiæ minister* [3].

Ad privatam revocatur oratio *Dominica*, quam Christus ipse nos docuit [4]; et oratio *Jaculatoria.* Ad publicam pertinent maxime *Horæ canonicæ.* Circa orationes publicas notat Benedictus XIV: 1) istæ non a privatis, neque a civili, sed ab ecclesiastica auctoritate designandæ sunt (Bulla *Quemadmodum);* 2) in sacris ritibus non sunt adhibendæ, nisi quæ ab Ecclesia sunt receptæ (Bulla *Inter omnigenas).* Quorum præceptorum præstantia patet: sic enim sacra liturgia semper una erit ubique ac tuta.

§ UNICUS. — *De oratione Dominica, Jaculatoria, et Horis canonicis.*

25. Q. 1. *Quid de orationis Dominicæ origine et præstantia?*

R. Hanc precandi formulam nobis tradidit ipsemet Christus Do-

1 Eo in statu anima, licet cogitationem teneat defixam in Deo cum ingenti desiderio et firma determinatione eum perfecte amandi; sentit tamen, se quasi impotentem ob suas imperfectiones. Hoc non obstante, non cessat vel uno temporis puncto recte se gerere in exercitio virtutum. Id durat quousque sensus purificati sint.

2 Has tam funestas desolationes comitantur aliquando etiam molestissimæ tentationes sine fine et motus iracundiæ, blasphemiæ, impuritatis, incredulitatis. Qui status durat quoad anima capax evadat divinæ unionis: quamvis aliquando Deus eundem permittat post ipsam unionem, ne anima seipsam negligat et sui nihili obliviscatur.

3 Verba Benedicti XIV, *De SS. Beatificatione*, l. I, c. 7, n. 5.

4 Non quasi publice haud fiat, sed quia sola non solet nisi a privatis usurpari.

minus, et ideo *Dominica* dicitur. Qua in re immensam ejus bonitatem debemus agnoscere. Videlicet non ei satis fuit nos monere et hortari, ut ad ipsum in omni necessitate nostra confugeremus; sed videns nos ne id quidem perspicere, quod debemus expostulare, occurrit misericors ignorantiæ nostræ, et quod nostro captui deerat, ipse de suo large supplevit inquiens [1]: *sic ergo vos orabitis: Pater noster*, etc.

A Tertulliano oratio Dominica vocatur *Evangelii Breviarium* [2]; a s. Cypriano *Cœlestis doctrinæ compendium* [3]; et d. Thomas habet: *oratio Dominica perfectissima est* [4]. Nil sane perfectius excogitari potest: nam si *auctorem* quæris, Deus est; si *objectum*, nihil prætermissum est; si *modum*, universa eo, quo sunt desideranda, ordine continet; si *facilitatem*, paucis expletur; si *necessitatem*, præceptum habes; si *efficaciam*, ideo nos illam docuit Christus.

26. Q. 2. *Quid dicendum de oratione Jaculatoria?*

R. Oratio Jaculatoria est quidam cordis actus præsertim in Deum, brevis quidem, sed fervidus et ardens ad instar ignis, quem anima in Deum dirigit tanquam jaculum, et ideo dicitur *jaculatoria*, v. g.: *Deus meus, Deus meus!* Actus hujusmodi esse possunt: vel amoris, v. g.: *amo te, dilectissime Jesu mi!* vel laudis, v. g.: *laudetur Jesus Christus!* vel oblationis, v. g.: *offero tibi, Jesu, cor meum!* vel invocationis, v. g.: *Deus in adjutorium meum intende*, etc.

Diximus: *præsertim in Deum;* quia ferri potest et in Angelos et in Sanctos, ac præsertim in B. Virginem. Imo etiam in creaturas irrationales eas invitando ad Deum laudandum, uti in more habebat s. Franciscus Assisiensis [5]. Confessarius enixe debet ejus usum pœnitentibus commendare ostendendo, quam utilis sit, facilis, dulcis et suavis cuicumque personarum conditionis. *Utilis*, siquidem quilibet virtutis actus meretur præmium; *facilis*, nam consummatur unico instanti sine ullo labore; *dulcis* et *suavis*, amor enim amore fovetur, quo quidem nil dulcius et suavius [6].

27. Q. 3. *Quid sunt Horæ canonicæ* [7]*?*

R. Horæ canonicæ sunt *preces vocales ab Ecclesia institutæ juxta ejus præscriptum recitandæ a personis ad id deputatis.*

1 Matth. VI. 2 *De Orat.*, c. IX.
3 *De Orat. Dom.*
4 2. 2, q. 83, a. 19. — *V.* Mons. Gennari, *Considerazioni morali sopra il* Pater noster *e l'*Ave Maria. Bologna, 1699.
5 *V.* Paoli, *Cantici di s. Francesco d'Assisi.* Torino, 1843. — *I poeti Francescani in Italia nel XIII secolo*, opera di Ozanam recata in italiano dal padre Fanfani. Prato, 1854.
6 *V.* Sales, *Filotea;* — Bourdaloue, *Pensieri diversi*, tit. *Orazione;* — Castelvetere, *Direttorio;* — Bona, *Via compendii ad Deum;* — Stapf, *De piis adspirationibus.*
7 *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXIV; — Suarez, *De Religione;* — Gaume, *Catechismo*, p. 4ª, lez. VIII; — Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 140; *Homo Apost.* App. III, n. 60.

1) *Preces vocales;* sic enim habentur ab Ecclesia præscriptæ: unde qui non lingua, sed cordis loquela tantum eas persolvit, suæ obligationi non satisfacit; 2) *ab Ecclesia institutæ*, tum ut distinguantur a precibus iis, quas quilibet fidelium sibi potest eligere; tum etiam ut innuatur præceptum ecclesiasticum; 3) *juxta ejus præscriptum recitandæ*, quia preces publicæ tempore, modo et forma ab Ecclesia designatis recitari debent; 4) *a personis ad id deputatis*, quia totius Ecclesiæ nomine persolvuntur: et ideo *publicæ* appellantur, sive in choro recitentur sive extra chorum.

Dicuntur *Horæ canonicæ*, quia juxta Ecclesiæ canones recitandæ sunt. *Breviarii* etiam vocabulo donantur, quia Scripturarum oracula, Patrum sententias et Beatorum gesta breviter exhibent; et sunt precum longiorum, quæ olim vigebant, compendium. Item nuncupantur Officium *ecclesiasticum* vel *divinum: ecclesiasticum*, quia nomine Ecclesiæ persolvuntur; *divinum*, quia ad cultum Dei sunt institutæ.

28. Q. 4. *Quot numerantur Horæ canonicæ?*

R. Horæ canonicæ septem enumerantur, nempe *Matutinum* cum *Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ* et *Completorium*. Matutinum dividitur in tres partes, quæ appellantur *Nocturni:* Nocturnos sequitur pars quarta, quæ venit nomine *Laudum*. Matutinum cum Laudibus et Vesperæ dicuntur *Horæ majores* vel *magnæ;* ceteræ vero *minores* vel *parvæ* [1]. Horæ canonicæ septenario illo numero videntur distributæ, tum ut septies in die preces publicæ ad Deum effunderentur, juxta illud: *septies in die laudem dixi tibi* [2]; tum ut distinctis illis septem diei horis septem exhiberentur passionis Christi mysteria; quod hisce versiculis exprimitur:

Hæc sunt, septenis, propter quæ psallimus, Horis.
Matutina *ligat Christum, qui crimina purgat;*
Prima *replet sputis; causam dat* Tertia *mortis;*
Sexta *Cruci nectit; latus ejus* Nona *bipartit;*
Vespera *deponit; tumulo* Completa *reponit.*

29. Q. 1. *Quænam Horarum canonicarum origo?*

R. Vel Horæ canonicæ accipiuntur quoad substantiam, uti sunt preces quædam diversis horis nomine Ecclesiæ recitandæ; vel quoad propriam peculiarem formam, qua hodie solent recitari.

Si 1, plures sentiunt earum originem esse Apostolicam; sæpe enim in novo Testamento fit mentio horarum quarundam, quibus Apostoli orationi vacabant. Sic in Actis Apostolorum legitur: *Petrus autem et Joannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam.* Et Spiritus Sanctus dicitur super Apostolos orantes descendisse *hora tertia* [3].

[1] Totum Officium dividitur etiam in *Nocturnum* et *Diurnum:* nocturnum complectitur tres Nocturnos et Laudes, ideo dictum, quia noctu olim recitabatur; diurnum complectitur ceteras partes; recitabatur in die. — *V.* Ferraris; V. *Officium, Psalmus.*
[2] Ps. CXVIII. [3] C. I et II.

Si 2, dicimus in iis conficiendis manum habuisse RR. Pontifices: s. Damasum sæculo IV opera d. Hieronymi, et sæculo V Gelasium in Concilio Romano. Dein vero sæculo VI s. Gregorium M., et Gregorium IX sæculo XIII. Postea s. Pium V sæculo XVI, ut patet ex Bulla *Quod a Nobis*. Tandem Clementem et Urbanum VIII sæculo XVII, ut videre est in Bullis initio Breviarii appositis [1].

30. Q. 2. *Undenam oritur obligatio Horas recitandi?*

R. Obligatio recitandi Horas non oritur ex Jure divino, cum neque ex Scriptura, neque ex Divina traditione colligatur; sed ex immemorabili consuetudine, quæ vim legis obtinuit, prout ait Benedictus XIV [2]. Hanc vero confirmarunt Concilia: inter cetera Concilium Romanum (anno 1216) præcipit expresse Prælatis et Clericis *in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote* [3]: quod quidem firmavit Concilium generale Lateranense anno 1517. Ex quo patet obligationem hanc gravissimam esse, ita ut fateantur omnes, mortaliter eum peccare qui Horas vel notabilem earum partem omittit; quia violat præceptum in re gravissima pertinente ad virtutem Religionis [4].

Nonnulli cum Azorio et Navarro contendunt esse grave, et ideo mortale omittere dimidiam, vel etiam tertiam partem minoris Horæ; quia hæc pars respectu illius Horæ est notabilis. Sed alii cum Continuatore Tournely, Lessio, Pontas et Vanroy probabilius negant: quia pars illa est semper levis in se, et respectu totius Officii: porro, in dijudicanda materiæ gravitate, respicienda est quantitas totius Officii in se, non autem cujuslibet Horæ disjunctive. Ceterum videtur omnino certum unam Horam etsi brevem, vel Officii partem eidem respondentem, uti unum integrum Nocturnum, sufficere ad gravem materiam constituendam, si excipiantur Vesperæ sabbati sancti ob suam parvitatem.

31. Q. 3. *Quid de illo qui dubitet, an Horam integram omiserit?*

R. Si agitur de scrupolosis, generatim non sunt obligandi ad recitandum; cum istorum dubia, ut plurimum (maxime in hisce rebus)

[1] *V.* Maringola, *Antiquitatum christianarum institutiones*, lib. v. Et maxime Roskovány, *Cœlibatus et Breviarium*, toto tomo v.

[2] In *Istruct. Cophtorum.*

[3] C. IX, *dolentes referimus*, t. *De Celebr. Missæ.*

[4] Sententia verior tradit cum Concina, Lessio, Tournely et Sanchez non multiplicem, sed unam esse obligationem, et unum præceptum constans partibus septem. Deducitur ex canone Concilii Romani, ubi Horarum recitatio sub uno præcepto jubetur. Unde si quis petat quot peccata committat qui totum Officium omiserit, respondebimus cum d. Antonino: *Qui omittit omnes Horas unius diei, non propterea committit septem peccata mortalia; sed unum, et tanto gravius quanto plus de Officio omittit, quia totum Officium unius diei cadit sub uno præcepto.*

Si vero plures Horæ omitterentur ex intentionibus moraliter interruptis, tunc haberentur mortalia plura; cum omnes omissiones ex se graves fiant unæ ab aliis independentes, illa intentionum interruptione. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 148.

non tam dubia vera sint, quam inanes quædam apprehensiones. Si vero de ceteris agitur, videndum est, an dubium sit mere negativum, si nempe nullum prudens hinc inde motivum habeas necne, quod dixeris; an vero positivum, si nempe prudenter credas, te Horam illam jam recitasse, v. g., si memineris te incepisse Psalmum vel aliam partem, et soleas de more perficere quod semel incepisti.

In primo casu tenet obligatio, quia in illo dubio possessio stat pro præcepto. In secundo non tenet: et hoc est communissimum cum Lugo, Navarro, Roncaglia, Sanchez et Tournely; quia præsumptio quod soleas perficere quod incepisti, te facit moraliter certum præcepto satisfecisse. Sane res resolvenda est ex communiter contingentibus. Adde: si secus esset, scrupulis lata via aperiretur [1].

32. Q. 4. *Quinam Horas canonicas recitare tenentur?*

R. Horas canonicas recitare tenentur alii vi Ordinis sacri; alii vi Beneficii; alii vi professionis in Religione approbata. Imo quoad omnes obligatos, adest quoque ex ipsa Breviarii præscriptione ac consuetudine grave præceptum recitandi etiam extra chorum Officium Defunctorum die secunda novembris: quod tamen pridie anticipari potest. Item eadem gravis obligatio adest recitandi Litanias Sanctorum tum die s. Marci, tum tribus Rogationum diebus: quæ tamen non possunt pridie recitari, quia illæ dicuntur loco assistentiæ ad processionem: processio autem diebus naturalibus affixa est, uti declaravit S. C. Rituum 15 junii 1776 [2].

33. Q. 5. *Quinam tenentur ad Horas vi Ordinis sacri?*

R. Tenentur sub mortali clerici omnes in Sacris constituti, si Ordines sponte susceperint: idque ex variis textibus juris, ex Concilio Basileensi et ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, quæ vim legis habet [3]. Tenentur licet sint excommunicati, suspensi, degradati et in carceribus inclusi; nam *nemo debet reportare commodum ex propria iniquitate.* Plures tamen excipiunt damnatos ad triremes, quia tunc recitatio esset in dedecus Ordinis, et simul onus valde grave et ferme impossibile. Diximus: *si Ordines sponte susceperint;* qui enim ordinantur inviti tanta obligatione non ligantur, nisi libere utantur suscepto Ordine. Item ad recitationem non tenentur ordinati in infantili ætate ex Benedicto XIV: vel ante pubertatem, si postea non consenserint; habentur enim uti ordinati per metum gravem, qui probabilius ad recitationem non obligantur: nam non censetur Ecclesia velle eos obligare ad tale onus nimis grave, qui sponte omnino Ordinem sacrum non susceperunt [4].

[1] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, App. III, n. 69.

[2] *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXVIII; — Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 161; — P. Vincentius A Massa, *Institutiones Liturgiæ sacræ;* — L. Ferraris; V. *Officium.* — Quoad religiosos vide Lib. I, n. 487, ubi de eorum obligationibus.

[3] Ex c. *Presbyter* 1; c. *Dolentes* IX, h. tit. Apud Græcos nulla est lex expressa, sed quoad illos quoque consuetudo laudabilis invaluit Officium recitandi, uti ait Benedictus XIV, Constitutione *Eo quamvis.*

[4] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 144; l. III, n. 197; l. VI, n. 811.

Subdiaconus quo die ordinatur, sine dubio tenetur recitare Horam quæ respondeat tempori, quo Ordinem suscepit; et si ante recitaverit, probabilius non censetur satisfecisse; quia nemo potest obligationem legitime implere, quæ nondum contracta est. Excipe, si iste sit etiam beneficiatus et recitaverit ante Ordinationem; nam tunc verificatur, quod recitavit nomine et ex præcepto Ecclesiæ, atque ex Religionis motivo.

34. Q. 6. *Quinam tenentur ad Horas vi Beneficii?*

R. Quilibet beneficiatus, semel ecclesiastici Beneficii possessione adepta, etsi nondum in Sacris, tenetur sub gravi Horas quotidie recitare, ut constat tum ex Concilio Lateranensi sub Leone X; tum ex Constitutione *Ex proximo* s. Pii V. Qui vero duo vel plura habet ecclesiastica Beneficia, unius tantum Officii obligationem habet: *talis* [1], ait s. Thomas, *quia laudes Deo debet quasi unus homo, sufficit quod semel Officium dicat;* unde omittens recitationem unum peccatum facit, quamvis etiam vi Ordinis teneatur; quia obligatio ex uno oritur Religionis motivo.

35. Q. 7. *Quid de beneficiato, qui Officium omittit?*

R. Certum est beneficiatum, qui Officium omittit, graviter peccare contra Religionem, licet nondum in Sacris, et intentionem foveat fructus restituendi; quia duplex hic habetur præceptum: unum antiquissimum, quo obligantur beneficiati ad Officii recitationem; aliud recens tum ex Concilio generali Lateranensi sub Leone X, 1517, tum ex Constitutione *Ex proximo* Pii V, 1571: quibus Officium omittentes obligantur sub gravi ad fructuum restitutionem. Qui vero neque intentionem habet restituendi fructus, peccat etiam contra justitiam; quia Ecclesia pensum Officii beneficiato imposuit etiam sub conditione ut fructus Beneficii *non faciat suos*, si illud non recitaverit. Quare qui culpabiliter Officium non recitaverit in materia gravi, elapsis sex primis mensibus a Beneficii possessione, tenetur in posterum pro rata omissionis fructus restituere. *Statuimus*, ait Lateranense, *ut quilibet habens Beneficium, si post sex menses, obtento Beneficio, Officium divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus non faciat suos, pro rata omissionis recitationis Officii atque temporis.*

Diximus: 1. *Qui culpabiliter;* hæc enim restitutio non Jure naturæ, sed ab Ecclesia imposita est ad puniendos non recitantes. At pœna

[1] Quodl. 1, a. 13. Diximus *ecclesiastica;* unde nullum erit Officii onus pro Capellania mere laicali vel mercenaria. Item neque ad Officium tenentur coadjutores beneficiatorum, nisi sint in Sacris, quia Coadjutoria beneficii, beneficium non est; sed simplex facultas officium proprietarii exercendi, ut plures declaravit S. Concilii C. — Item neque tenentur qui pensionem laicalem obtinent, aut Regias Capellanias, quia vera beneficia non sunt.

culpam supponit, et satis colligitur ex verbis: *qui Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus non faciat suos.* Quamvis autem sit pœna, restitutio tamen facienda est ante sententiam; nam est pœna conditionalis, quæ quidem statim incurritur, conditione non impleta. Unde Alexander VII propositionem hanc sub n. 20 damnavit: *Restitutio a Pio V imposita beneficiariis Officium non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis.*

2. *Officium non recitaverit in materia gravi;* nam si partes omissæ materiam gravem non constituant, commune est nullam deberi restitutionem ne sub veniali quidem, etiamsi fructus parti illi respondentes ad magnam quantitatem pertingant. Ratio est tum quia sic fert usus; tum quia Pius V restitutionem imposuit omittentibus tantum aliquam Horam, vel quod ei respondet: qui porro partem Horæ levem omittit uno die, Horam omisisse dici non potest: ita communiter docent Concina, Garcias, Navarrus, Salmanticenses, Suarez, aliique.

3. *Elapsis sex mensibus ab adepta Beneficii possessione;* sic statuitur in dicta Bulla et in Concilio Lateranensi. Quare qui primis sex mensibus Officium omittit, peccat quidem graviter contra Religionem; non tamen contra justitiam, nec tenetur restituere.

4. *Pro rata talis omissionis;* nempe explicat Pius V: *Qui Horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii fructus, qui illi vel illis diebus responderent; qui vero Matutinum, tantum dimidiam; qui ceteras alias Horas, aliam dimidiam; qui autem Horam singulam, sextam partem fructuum ejus diei amittat.*

Cum Pius V dicat *omnes Beneficii fructus,* docet Suarez cum aliis beneficiatum teneri omnes omnino fructus restituere, si totum Officium divinum omittat, etsi alia munia adimpleat. Attamen Lessius, Sanchez, Sotus, Salmanticenses, aliique plures probabiliter dicunt ex benigna interpretatione, ad omnium fructuum restitutionem teneri tantum simplicem beneficiatum, qui præter onus clericandi, alia onera non habet; ceteros vero non teneri eos fructus restituere, qui respondent aliis oneribus quæ sustinent; tum quia Bulla Pii V sic recepta est et sic explicatur usu, tam quia id conformius est æquitati naturali. Quare dicunt Episcopos et Parochos, qui totum Officium culpabiliter omittunt, teneri restituere tertiam vel quartam partem et juxta alios quintam partem fructuum; canonicos vero dimidiam vel quartam partem; capellanos tandem tertiam vel dimidiam, retinendo alios fructus pro aliis oneribus, quibus satisfaciunt.

36. Q. 8. *Quibus facienda restitutio ob omissionem Officii?*

R. Id patet ex hisce Lateranensis verbis: *Quicumque divinum Of-*

ficium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis Officii et temporis suos non faciat; sed eos tanquam injuste perceptos in fabricam ipsorum Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare tenetur. Quare legitima facta censebitur restitutio, si fiat propriæ Ecclesiæ, vel domui Beneficii, vel in augendis proprii Beneficii agris. Non autem potest dari fabricæ alterius Ecclesiæ, nisi fabrica cederet in utilitatem pauperum, aut nisi Ecclesia propria non indigeret restauratione, et aliæ utique in egestate essent, ut ait Concina. Nomine *pauperum* hic intelliguntur pauperes cujuscunque loci: imo ipse beneficiatus poterit sibi fructus illos applicare; modo sit vere (id est non suo facile judicio) pauper, et malitiose Officium non omittat, ut applicet sibi fructus ob paupertatem; sua enim fraus nemini patrocinari debet.

Hæc autem restitutio nullimode *suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit:* quod asserere damnatum est ab Alexandro VII propositione 33 [1] *(G)*.

N. 2. — *De tempore, loco, ordine, forma et modo recitationis.*

37. Q. 1. *Quo tempore Horæ canonicæ recitandæ sunt?*

R. Ad vitandum peccatum mortale sufficit, si Horæ canonicæ persolvantur a media nocte usque ad aliam mediam noctem [2]. Ut autem vitetur etiam veniale, recitatio fieri debet tempore ab Ecclesia assignato, nisi obstet rationabilis causa: quæ quidem communiter esse potest quælibet utilis et honesta, v. g., concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis, iter agendum, major devotio, vel tempus aptius ad studendum. Ceterum hic attendenda est regula s. Antonini: *Quando Officium dici non potest propter occupationes, melius est prævenire, quam tardare; quia prævenire est providentiæ, tardare vero est negligentiæ.*

Porro *extra chorum* Vesperæ et Completorium dici debent a meridie ad mediam noctem. Aliæ vero Horæ recitandæ sunt ab aurora ad meridiem; sed Nona, et juxta alios, etiam Sexta recitari possunt post meridiem, modo non multum protrahantur. Imo ad Matutinum cum Laudibus quod attinet, etiam sine causa ex universali et probata consuetudine pridie recitari potest, videlicet tempore, quo sol incipit esse propior ad occasum quam ad meridiem; inquit enim Angelicus: *Quantum ad ecclesiasticum Officium et Solemnitatum cele-*

[1] Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 672 et seqq. Vide Lib. I, n. 615.
[2] Ex cap. *Dolentes de cel. Missæ.* — *V.* Ferraris; V. *Officium*, art. 3 et 4.

britates incipit dies a Vesperis: unde si aliquis post dictas Vesperas et Complectorium dicat Matutinum, jam hoc pertinet ad diem sequentem [1]: si tamen Vesperæ dicantur *hora propria*, illa nempe quæ subsequitur horam nonam, quæ est media inter meridiem et occasum; estque diversa pro diversis temporibus. Si enim anticipantur Vesperæ, non ideo posset valide anticipari Matutinum, in veriori sententia.

Diximus: *extra chorum;* nam in choro obligatio est, ut Officium recitetur tempore præfixo a jure vel consuetudine, quæ quidem variat a recitatione privata; ita hora Vesperarum pro choro est illa, quæ est media inter meridiem et occasum. Attamen videtur probabilius, quod hæc obligatio non sit sub gravi, eo quod non constet de gravi præcepto.

38. Q. 2. *Quo loco, ordine et forma Horæ recitandæ sunt?*

R. Ad 1: Canonici choro addicti recitare debent publice in Ecclesia seu choro, ut habet eorum institutio. Ceteri possunt Officium recitare per se loquendo in omni loco, modo sit citra distractionis periculum: hinc ex generali etiam piorum praxi Officium in curru, et deambulando recitari solet. Si vero fiat in locis immundis et sine causa juxta alios est veniale, cum id non videatur carere irreverentia; juxta alios nullum esse peccatum, quia cum Deus sit ubique, ubique sane laudari potest. Hinc Apostolus: *volo.... orari in omni loco* [2].

R. Ad 2: Eo ordine Horæ canonicæ recitandæ sunt, quo exponuntur in Breviario; et qui absque justa causa illum inverterit, peccat, quia præceptum violat: hæc tamen inversio non invalidat Officium, neque mortalis est; cum adhuc tota illius substantia habeatur. Justæ autem causæ ordinem invertendi communiter sunt: — 1) si quis ab amico invitetur ad Matutinum secum una recitandum pro die sequenti, nondum persolutis Vesperis; — 2) si quis carens Breviario memoriter recitet Horas ante Matutinum, cum non possit commode earum recitationem differre; — 3) si quis non habeat Lectiones ad manum, potest recitare psalmos Matutini et reliqua, dilatis Lectionibus; — 4) si quis canonicus tarde ad chorum accedat, Officio communi jam incepto. Idem est de alia simili causa rationabili.

R. Ad 3: Quod ad *formam* pertinet, stricte et sub peccato mortali est obligatorium Breviarium Romanum ex Sancto Pio V quoad

[1] Quodl. v, a. 28. Alii dicunt Matutinum recitari posse hora quæ propior est ad occasum, alii hora quæ est media inter meridiem et occasum. Quod idem est, nam incipiendo recitationem illa media hora, jam illa incipit esse propior ad occasum. Ceterum præstat ut recitatio fiat juxta Directorium seu tabellam Diœcesis. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 174.

[2] I, Tim. II. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV. n. 171.

omnes Ecclesias, præter eas quas ipsamet Piana Bulla excipit. Neque Episcopi possunt propria auctoritate alia officia Calendario addere, ut constat ex decreto S. R. Congregationis ab Urbano VIII approbato; idque merito tum ad abusus præcavendos tum ad unum psallendi et orandi modum, quoad potest, tenendum.

30. Q. 3. *An Matutinum possit a Laudibus separari?*

R. Commune est, ait s. Alphonsus, cum Azorio, Bellarmino, Croix, Francolino, Filliucio, Garcia, Lessio, Navarro, Sanchez, Salmanticensibus, Suarez et aliis apud Bonacinam, quod Matutinum potest a Laudibus separari etiam sine causa, sive Matutinum et Laudes sint duæ Horæ, sive una tantum; nam etiam antiquitus separabantur, uti fatentur eruditi [1]. Imo Concina dicit melius esse, si Matutinum recitetur Vespere præcedenti, et Laudes remittantur ad diem sequentem; quia hoc est conformius antiquæ consuetudini. Sed cum separantur, adjici debet in fine *Pater noster,* uti Rubrica præcipit, cum terminatur Officium. Utrum vero sit etiam addenda *Oratio*. alii probabiliter negant, si excipias noctem Nativitatis, ex Rubrica; alii item probabiliter affirmant, prout nempe tenent Matutinum et Laudes vel unam esse Horam vel duas. Præstat autem (etsi non sit de præcepto), ut quando separantur, initio Laudum præmittatur Oratio, *Domine, in unione* etc., vel saltem *Pater* et *Ave.*

Imo non solum Matutinum a Laudibus, sed tres ipsi Nocturni possunt probabiliter licite inter se separari absque ullo peccato, etsi non intercedat causa, saltem si inter eos non intercedat majus temporis spatium, quam trium horarum, quod quidem esset juxta ritum antiquum, prout refert d. Thomas. Neque tunc adest obligatio recitandi *Pater;* siquidem nullum hac de re præceptum adest.

40. *An* (quæres) *Matutinum ante Missam sit persolvendum?*

R. Probabilior et communior sententia cum Anacleto, Bellarmino, Concina, Lessio, Dens, Sanchez, Sylvio aliisque docet: 1) contra Antoine, et Juvenen, non esse mortale Officium matutinale, id est Matutinum cum Laudibus post Missam persolvere; tum quia nulla vera adest connexio inter Officium et Missam; tum quia gravis obligatio non clare exprimitur in Rubrica, neque communiter sub gravi recepta est. Docet: 2) contra Tamburini et Quarti esset veniale id agere sine causa: quia revera a Rubrica id inter defectus habetur [2]: et si non necessaria, est profecto illa recitatio convenientissima dispositio ad celebrandum. In hanc sententiam consentit Benedictus XIV [3].

Ab hujusmodi tamen culpa veniali, ut recte dicunt cum Conti-

[1] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 167. — *V.* Ferraris; V. *Matutinum.*

[2] Si Missa sit *de Requie,* hanc inversionem nullum omnino includere peccatum alii docent; quia tunc nulla vel levis adest connexio inter Missam et Officium.

[3] *De Sacr. Missæ,* l. III, c. 13. — Verius tamen et communiter affirmant esse mortale, nisi adsit vera, publica et gravis causa, canere Missam *conventualem solemnem* antequam Officium matutinale in choro dicatur; cum sit contraria consuetudo; et aliter agendo lædatur graviter publicus Dei cultus, et conveniens regimen Ecclesiæ, præter scandalum populi. Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 348, cum Suarez, Salmanticensibus, Sylvestro, Navarro, Soto, Laymano, Henriquez, Garcia, Merati, etc.

nuatore Tournely, excusabit quælibet mediocris causa rationabilis, v. g., si dans eleemosynam exoptet, ut statim celebretur, si expectet populus aut aliqua persona gravis, si tempus celebrandi transeat, si instet commoditas studii, itineris et cetera similia.

41. Q. 4. *Quid agere debet qui advertit, se errasse in Officio?*

R. Error contingere potest: vel circa Officium diei præteritæ; vel circa Officium diei futuræ; vel circa Officium diei currentis.

1. Qui animadvertit, se omisisse Officium diei præteritæ, non potest illud in aliam diem transferre, etiam non impeditam: ita declaravit S. R. C. 17 junii 1673, referente Bona: sane obligatio Officii unaquaque determinata die absolvitur. Et Rubrica tunc solum Officii translationem præscribit, cum illud impeditum est vel a dominica, vel ab Officio majori; non vero cum fuit omissum.

2. Qui advertit se hodie recitasse Officium diei crastinæ, tenetur illud crastina die repetere; quia per recitationem anticipatam, nequit satisfacere præcepto nondum vigenti.

3. Qui advertit, se errasse in Officio diei currentis postquam multum processerit, v. g. post recitatum Matutinum, si id inculpabiliter evenerit, non tenetur partem recitatam emendare per aliam recitationem; sed sufficit, si recitet quod superest de Officio debito, ne detectum errorem prosequatur. Item qui oblitus est tantum partem Horæ, sufficit illam recitare, quin totum Officium repetat. Diximus: *si id inculpabiliter evenerit*: si enim pars notabilis culpabiliter mutata sit, tota illa Hora probabilius est repetenda saltem sub levi: quia saltem sub levi extat obligatio orationem continuatam persolvendi, et quidem secundum ritum præscriptum [1].

42. Q. 5. *Quomodo Horæ recitandæ sunt?*

R. Concilium Romanum celebratum anno 1216, a quo antiquissima consuetudo Horas recitandi confirmata est et in legem scriptam deducta, modum etiam indicavit, quo illæ recitandæ sunt, inquiens: *Districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent et devote.* Vocabulum *studiose* pertinet ad munus oris, et postulat ut Officium persolvatur vocaliter, absque syncope et abscissione verborum. Vocabulum *devote* pertinet ad munus cordis, et postulat, ut recitatio fiat cum debita intentione et attentione.

Hinc illud:

Dirige cor sursum, bene profer, respice sensum,
Inque choro ne sis corpore, mente foris.

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 667; et l. IV, n. 160, q. 5.

43. Q. 6. *An qui officium recitat, debeat se ipsum audire?*

R. Alii affirmant cum Suarez; oratio enim, inquiunt, ut sit vocalis, exigere videtur, ut qui orat, audire se ipsum debeat. Sed satis probabiliter negant Azorius, Layman, Salmanticenses, Sporer, Tournely et alii plures cum Sylvio, cujus doctrinam magni æstimat Benedictus XIV. Sane ad satisfaciendum huic præcepto non præcipitur auditio, sed tantummodo recitatio, id est vocalis pronuntiatio verborum; atqui hæc haberi potest, licet a recitante verba non audiantur. Ut enim habeatur vera vocalis pronuntiatio, sufficit ut formetur aliquis verborum sonitus, etsi modicus et vix sensibilis; hic porro sonitus semper fit cum verba proferuntur; quia proferri nequeunt, quin per linguam et labia fiat aliqua aeris compressio, ex qua necessario aliqualis sonitus enascatur oportet. Est autem solum per accidens, si sonitus iste audiatur vel non audiatur [1].

44. Q. 7. *An qui recitat Officium cum sociis teneatur repetere quæ non satis auribus perceperit, si agatur de materia notabili?*

R. Commune est illum satisfacere qui audit a socio Lectiones, Responsoria, Capitula, Orationes et Antiphonas: item tenent probabiliter et illos satisfacere, qui dicunt soli Psalmos et Lectiones audiunt: vel soli partem Psalmorum dicunt, et partem cum socio; quia satis communicant ex recepto usu in eo, quod audiunt [2].

Hoc posito: non improbabiliter cum Elbel, Roncaglia, Salmanticensibus, aliisque excusant a repetendo quod non satis auribus perceptum fuit, si id contingat propter strepitum alienum: imo etiamsi id evenerit propter culpam chori vel socii. Quæ sententia innititur auctoritate s Antonini, qui ait: *Siquis Lectionem, vel aliud quod in choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodo conetur intelligere saltem verba.* Et sane recitans cum socio per illam societatem et suam applicationem censetur moraliter communicare cum eo in oratione; cum intendat Deo exhibere omnes laudes et preces, quas socius profert. Accedit: præceptum Officii ex Ecclesiæ humanitate est benigne interpretandum; alioquin innumeris anxietatibus locum faceret.

45. Q. 8. *An in Officii recitatione requiratur intentio et attentio?*

R. Affirmative; recitatio Horarum est vera oratio, id est *elevatio mentis in Deum:* sed hæc nequit fieri ut oportet sine convenienti intentione et attentione. Quid est intentio? est volitio faciendi aliquid: quid attentio? est mentis applicatio ad id, quod agitur. Necessaria est igitur in Horarum recitatione: 1) *intentio*, seu volitio saltem generalis orandi: unde qui Horas eruditionis causa, vel animo sese exercendi in legendo aut Psalmos memoriæ mandandi recitat, tenetur illas repetere; cum talis recitatio non sit oratio; 2) *attentio*, seu animi applicatio ad Officium quod persolvitur; secus recitatio non fieret humano modo, sed materiali omnino.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 162. Etsi tamen præstet, ut recitans se ipsum audiat, ad auferendum periculum syllabas syncopandi.

[2] Valide et licite recitatur Officium alternatim cum socio non obligato ad Horas, et etiam cum laico, ut passim docent; semper tamen per modum orationis seu actus Religionis. Attamen indecorum videtur, ut cum fœmina ecclesiasticus Officium suum persolvat.

Intentio autem alia est expressa, alia implicita. *Expressa*, qua quis ab initio Breviarium sumens dicit actu: *volo orare. Implicita* vero, qua id non dicit quidem actu, sed id virtualiter intendit, dum vult recitare Horas canonicas juxta Ecclesiæ præceptum. Hæc porro sufficit; nam prima non est semper posita in nostra potestate.

Attentio item alia est *externa*, quæ excludit omnem externam actionem physice incompossibilem cum eo, quod agitur; alia *interna* quæ consistit in interiori mentis advertentia ad id quod agitur. Certum est non recitari valide Officium sine attentione externa: uti esset fabulari, scribere, os in risum diu laxare, attentam alienis sermonibus aurem præbere, magna animi applicatione aliquid diversum agere, sibi celeriter vestes accomodare; qui enim hæc agit, Deum potius irridere, quam eum exorare dicitur. Aliter esset, si quis dum recitat, signa quærit, se lavat, flores colligit, ignem fodicat, collem aspicit: vel recitat ubi alii fabulantur vel canunt, modo his animum non serio applicet; hæc enim satis compatibilia sunt cum recitatione. Quanquam hic non una regula est: nam quædam actiones, quæ pro uno sunt distractivæ, tales non sunt pro alio.

Non ita tamen res certa est, si quæratur, an etiam necessaria sit *attentio interna*. Croix, Lugo, Elbel, Tamburini aliique plures cum s. Antonino negant; ratio quia si requireretur de necessitate attentio interna, neque ille satisfaceret qui involuntarie distrahitur; nam destructa etsi inculpabiliter rei essentia, res ipsa destructa est: quod tamen nemo admittit. Alii vero multi cum Azorio, Roncaglia, Sa, Sanchez et Concina qui fuse et perdocte id tuetur, docent etiam attentionem internam requiri; nam sine attentione interna non constituitur oratio, quæ universe definitur: *elevatio mentis ad Deum*. Unde quamvis Ecclesia non imposuerit speciale præceptum positivum attentionis internæ; tamen præcipiendo recitationem Officii per modum orationis ad Deum colendum, veram præcepit orationem, quæ sine attentione interna non est vera oratio; nec Deus colitur per solam recitationem externam ab iis qui voluntarie se distrahunt, imo de his conqueritur: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* [1]. Adde: Tridentinum vult Officium recitari *reverenter, distincte* ac *devote: reverenter*, en intentio; *distincte*, en attentio externa; *devote*, en attentio interna.

Secunda opinio probalilior videtur, saltem ob auctoritatem extrinsecam, et omnino ut tutior consulenda attentio etiam interior; sed

[1] Matth. xv. — *V.* Casati, *De sacram. Pœnit.*, art. *De interrogandis ecclesiasticis*, n. 3; — Liguori, *Homo Apost.*, App. III, n. 75; et fusius in *Op. Mor.*, l. IV, n. 177, et l. III, n. 669; — Ferraris; V. *Officium divinum*, art. 2.

prima sententia tum ob Doctorum auctoritatem, tum ob rationes non levibus fundamentis innixas satis probabilis apparet *(H)* [1].

N. 3. — *De causis a recitatione excusantibus.*

46. Q. *Quot sunt causæ ab Officio excusantes?*

R. Causæ ab Officio excusantes communiter assignari solent:

1. *Inculpata Breviarii carentia* cum impotentia aliud sibi comparandi; quia tunc quoque habetur impotentia physica. Diximus: *inculpata carentia;* si enim quis Breviarium in ignem projiciat vel in flumen, peccat et tenetur retractare perversam illam voluntatem, simulque curam omnem impendere ad aliud sibi Breviarium comparandum, recitando interea quod memoria tenet: alioquin tot peccata committit quot sunt omissiones quas prævidet (nisi eum pœniteat primi peccati); quia perseverat voluntarium in causa [2].

2. *Oculorum cæcitas;* hæc enim constituit veram impotentiam physicam: idem dicatur de oculorum morbo, quo quis laboret. Si tamen Officii pars aliqua notabilis memoriæ teneatur, illa recitari debet; sed non ideo obligatur sub peccato ad Horas ceteras memoriter addiscendas, quia hoc esset medium extraordinarium.

3. *Gravis metus,* cum Ecclesiæ præcepta ex se non obligent cum gravi incomodo; ideo liberatur vel in toto vel in parte ab Officio, qui sibi prudenter timet obventurum esse grave aliquot corporis vel honoris detrimentum, v. g., si quis obligatus inter hæreticos, vel infideles degens ob Officii recitationem tales eorum in se furores excitaret, ut persecutiones graves pertimesceret. Diximus *vel in toto vel in parte;* nam si præcepti materia divisibilis est, qui non potest implere totum, tenetur implere partem quam potest: ea ipsa ratione, qua ære alieno gravatus, cum non potest solvere totum, debet solvere quod potest. Unde damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 54 propositio: *Qui non potest recitare Matutinum cum Laudibus, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.*

[1] Ad attentionem ac devotionem fovendam mire facit Opus s. Alphonsi nostri, *Traduzione de' Salmi e Cantici che si contengono nell' Officio divino*, Opus Clementi XIV dicatum, quod valde a doctis commendatur.

[2] Diximus *recitando interea* etc., qua in re en regula: si potes recitare quantum est parva Hora, teneris sub gravi, secus ad nihil neque sub levi; quia modicissima pars seorsim sumpta non censetur æstimabilis ad finem legis. Quod si habeas Officium commune, non tamen proprium diei, adhuc teneris; quia satis observaretur substantia. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 157; — Ferraris; V. *Officium*, a. 5.

4. *Gravis infirmitas:* hac ratione excusantur ab Officio non solum qui actu laborant morbo gravi [1]; sed etiam qui nequeunt illud recitare absque gravi ejusdem periculo, v. g. si quis prudenter timeat sibi inde obventuram notabilem capitis gravedinem, aut virium lassitudinem. Idque probabiliter tenet, etiamsi infirmus per magnam diei partem legeret libros ad solandum animum; quod enim legere queat libros recreationis causa, non sequitur posse teneri recitare Officium, quod requirit tum intentionem tum attentionem, quibus major profecto inhæret difficultas. Ita Elbel, Holzman, Salmanticenses, Sanchez, et Sporer [2].

Quod de ægrotante, etiam de *convalescente* dicendum cum Concina ac Tournely, saltem per aliquot dies ad judicium viri prudentis, donec viribus reficiatur: et quamvis interim Missam valeat celebrare; quia Missa non ita aggravare solet. In dubio an infirmitas sufficiat, poterit quilibet acquiescere judicio medici aut superioris aut viri prudentis: et regulariter favorabilem partem amplecti, cum possideat jus naturale de propria conservatione [3].

5. *Gravis occupatio:* quæ tunc tantum excusat ab Officio, cum vel non potuit prævenìri, vel non potest omitti sine gravi scandalo aut sine gravi damno alieno aut proprio, neque cum Officio potest conciliari: quæ ubi concurrant, censetur adesse impotentia moralis, ideoque obligationis cessatio. Sic excusantur Parochi, qui occupantur tota die in cura infirmorum; cum eam haud possint differre: item confessarii, qui per totam diem Confessiones excipiunt, quas omnino non possunt ad aliud tempus protrahere (ut evenire potest in sacris Missionibus); item concionatores, si tamen nequeunt omittere concionem sine scandalo aut infamia. Non vero excusantur qui studio vacant; secus actum esset de hac recitatione: hinc contraria propositio sub n. 21 ab Alexandro VII damnata est.

Qui tamen prævidet occupationem sibi in die obventuram, quæ stare nequeat cum recitatione, ut longum iter et asperum, tenetur Officium si ejus jam inceperit obligatio, in antecessum recitare, v. g. summo mane, casu quo nequeat reliquis diei horis; quia jam summo

[1] Communiter docent cum Fagnano, infirmitatem excusare, etsi per gravem culpam contractam, v. g., ebrietatem; quia revera hic et nunc adest impotentia, ad quam unice attendit lex. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 154; — Ferraris; V. *Officium.*

[2] Diximus: *gravis infirmitas;* nam obligatio Officii strictissima est; ideo non excusat quævis causa, ut potest esse levis stomachi, capitis aut ventris dolor; et aliquando nec febris tertiana vel quartana, cum non soleat majori diei parte vehementer affligere; excipe nisi nimium frangat vires. *Sanchez, Tamburini*, etc.

[3] Canonicus potest excusari a recitatione Horarum in choro, non autem a recitatione privata domi, ut si v. g., pedibus ita laboret, ut nequeat Ecclesiam adire, vel si domi morari debeat, quia nondum satis validis viribus, aut ad medicinam sumendam, si morbus non ita sit gravis, etc. *Navarrus, Reginaldus, Bonacina.*

mane contraxit obligationem recitandi totum Officium. Ex quo merito inferunt, rarissime contingere, quod Officium omitti possit propter occupationem. Diximus: *si ejus jam inceperit obligatio;* quia nemo tenetur prævenire illius præcepti implementum, quod nondum existit. Sic valde probabile apparet cum Elbel, Holzman et Sporer, quod ille, qui non potest recitare Matutinum die sequenti, minime teneatur die antecedenti id agere; quia præcepti obligatio nondum incepit: et licet permittatur recitari, id tamen non ex præcepto, cum nondum urgeat, sed ex privilegio inductum est, quo nemo ligatur.

6. *Dispensatio:* supremus Pontifex absolute, et etiam sine causa potest valide dispensare, etsi agatur de beneficiato; quia hæc obligatio (uti docent cum Benedicto XIV) non est de Jure naturali, sed tantum positivo-ecclesiastico, a quo Papa valet dispensare [1]. Episcopus autem dispensare non potest, nisi cum causa, et cum aliquo particulari, ad breve tempus: est recepta ubique consuetudo: causa erit, quando dubitatur de morali clerici impotentia. Hanc facultatem valet Episcopus exercere etiam per Vicarium suum generalem, modo tamen speciale illi mandatum eam in rem elargiatur; nam ex generali commissione non ipsi committuntur, nisi quæ sunt de jure Episcopi ordinario *(I)*. Hinc versus:

Quem Papa dispensat, multus labor opprimit, æger,
Qui timet, aut oculis, Officioque caret.

CAPUT SECUNDUM.

DE ADORATIONE ET VOTO.

47. Q. 1. *Quid est adoratio?*

R. Adoratio est actus, quo quis propriam submissionem alteri exhibet, in testificationem ipsius excellentiæ ipsum reverendo, v. g. genuflectendo ante illum. — Alia est *civilis* seu *politica;* alia *sacra* seu *religiosa*. Illa exhibetur supremis principibus propter excellen-

[1] *Notificatione* XIX. In Bulla *Pastor bonus* idem Pontifex habet, § 30: *Major Pœnitentiarius super recitatione divini Officii seu Horarum canonicarum propter aliquam impossibilitatem seu moralem difficultatem, dispensandi cum commutatione in alias preces vel orationes vel alia pia opera, earumque seu eorum injunctione, habeat facultatem.* Quæ opera si culpabiliter omittantur, adhuc Beneficii fructus sunt restituendi, ac si ipsum Officium omitteretur: nam dispensatio cum commutatione reddidit quidem faciliorem, at non abstulit conditionem faciendi fructus suos; esto etiam quod opera commutationis sint non ita gravis momenti. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 1033; et l. IV, n. 159.

Si a S. Pœnitentiaria obtineatur dispensatio ab Officio pro Canonico habituali infirmitate detento, in rescripto addi solet *citra chori obligationem;* si enim ipse velit ab ipsa chori residentia dispensari, etiam a S. Concilii Congregatione facultatem petere debet et eam Capitulo notificare (imo præstat ut illius votum ante recursum obtineatur). Sacra enim Pœnitentiaria sententiam suam dicit de privata recitatione, non autem de publica et chorali assistentia.

tiam status quam præ aliis habent: hoc sensu Nathan adoravit David regem [1], et sic Cardinales adorant Papam vix electum. Ista alicui exhibetur ob ejus sacram et supernaturalem excellentiam; et talis est adoratio quæ exhibetur Deo, item B. Virgini et Sanctis. Ceterum ut omnis tolleretur æquivocatio, usus invaluit, ut solus cultus Deo debitus, dicatur *adoratio;* cultus vero quæ B. Virgini et Sanctis tribuitur, *veneratio* vocetur. Item cultus distingui cœpit in *latriam*, in *hyperduliam*, in *duliam:* primus qui Deo; alter qui Virgini matri [2]; tertius qui Sanctis tribuitur.

Adoratio secundum se actum corporalem non importat; nam Angeli qui incorporei sunt, adorant Deum; item et nos sola mente illum adorare possumus. Attamen id pro nobis non sufficit; quia cum ex anima et corpore simus compositi, exhibere debemus Deo submissionem tum mentis per actus internos, tum corporis per actus externos, ut ita totum nostrum esse illi submittamus. (Hoc tamen ad Dogmaticam pertinet).

48. Q. 2. *Quid est votum?*

R. Votum prout est actus Religionis externus, definitur a d. Thoma: *promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili* [3].

1. *Promissio*, id est talis actus voluntatis, quo quis erga Deum se obstringit ad aliquid agendum, vel omittendum. Et sic distinguitur votum a simplici proposito; qui enim proponit, intendit quidem facere quod proponit; non intendit tamen in se assumere obligationem illud præstandi ne sub levi quidem.

2. *Deliberata:* votum enim est lex, et per se gravis, quam vovens sibi ipse libenter imponit; atqui nemo censetur citra sufficientem animi deliberationem sese graviter obligare.

3. *Deo facta:* est enim votum actus Religionis, et *latreuticus*, nempe soli Deo debitus. Cum ergo catholici vovent B. Virgini ceterisque Sanctis, id est hoc sensu, quod vota nuncupant B. Virgini et Sanctis uti testibus, patronis et adjutoribus [4].

4. *De bono meliori et possibili. De bono*, alioquin non esset Deo gratum; *meliori*, promissio enim quæ impedit majus bonum, sub hoc respectu de cultu Dei detrahit, nec potest esse illi grata; *possibili*, nam promissio de impossibili est ridicula et stulta.

1 III, Reg. I. — *V.* S. Thomas, 2, 2, q 84, etc. — Ferraris; V. *Cultus Sanctorum;* — Masinelli, *Saggio di agiografia polemica.* Modena, 1866.

2 *V.* Haine, *De Hyperdulia ejusque fundamento*, etc. Lovanii, 1864.

3 2, q. 88, a. 1. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 194.

4 Si enim vota fierent directe et principaliter in honorem Sanctorum, non haberent veram voti rationem, sed tantum promissio aliqui dici posset ad duliam pertinens. *V.* Suarez, *De voto*, l. I, n. 18.

49. Q. 3. *An votum sit res bona, honesta, sancta et meritoria?*

R. Lutherus et Calvinus docuerunt, votum tale quidem esse, si fiat de iis, quæ jam in lege præcepta sunt, atque ex animo illa expeditius exequendi; sed esse rem illicitam, turpem et impiam, si fiat de iis, quæ in lege minime præcepta sunt, et ex solo motivo colendi Deum, uti sunt v. g. vota monachorum.

Sed falluntur: sane Apostolus sic scribit de viduis, quæ postquam continentiam Deo vovissent, nubere iterum cupiebant: *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* [1]. Hic profecto agitur de re, quæ minime præcipiebatur in lege, nempe de continentia perpetua in illo statu viduitatis servanda; atqui tamen voti materiam constituebat, et Apostolus eam habuit uti bonam, honestam, sanctam ac meritoriam, ita ut damnationis sententiam edixerit contra mulieres, quæ votum illud voluissent infrangere. Hinc in ipsa Scriptura, nulla votorum distinctione facta, de omnibus votis generatim dicitur: *redde Altissimo vota tua: si quid vovisti Deo, ne moreris reddere* [2]. Deinde si res ita non esset, cur Ecclesia, columna veritatis, vota non solum semper admisit, sed et plurimum commendavit [3]? Hinc jam a sæculo IV arcebantur in perpetuum a fidelium communione virgines quæ votum castitatis violaverunt, uti constat ex Concilio Eliberitano. — Accedit populorum consensus; neque sane tantum penes gentem Israeliticam, sed etiam apud ethnicos vota nuncupabantur ad cultum divinum spectantia, cujus rei complura exempla refert Livius. Accedit et ratio: per votum enim magis magisque voluntas nostra firmatur in bono et colitur Deus, ad cujus gloriam votum emittitur: quod profecto pertinet ad perfectionem virtutis, ideoque ad meritum.

Dices: *neque Christus neque Apostoli se voto obstrinxerunt; porro expedit, ut quemadmodum ipsi fecerunt et nos faciamus.*

R. Quoad Christum Dominum negatur paritas, cum ipse non indiguerit firmare voluntatem suam in bono. Quod vero spectat ad Apostolos, hi implicite vovisse intelliguntur pertinentia ad perfectionis statum, cum Christum, relictis omnibus, sunt secuti. Imo Paulus votum explicite nuncupavit, ut patet ex Actis Apostolorum [4].

50. Ex disputatis tria corollaria deducuntur:

1. Opus factum ex voto melius esse opere, quod fit sine voto, tum quia quod fit ex voto, procedit e virtute præstantiori, nempe Religione: tum quia sic magis Deo nos submittimus; tum quia operis bonitati superaddit bonitatem voti [5].

[1] 1, Tim. v. — *V.* Ferraris; V. *Votum.* [2] Ps. XLIX; Eccles. v.
[3] *V.* Bergier, *Dizionario* ecc. V. *Voto.* Neque dicant hæretici votum adversari libertati Evangelicæ; nam libertas Evangelii est libertas a peccato, non autem a lege, a præcepto, aut a vinculo quocumque, quod fideles, majoris perfectionis causa, sibi voluntarie possunt imponere.
[4] *V.* A-Lapide in c. XXI *Act. Apost.* — Billuart; et Bellarminus, *De Monachis*, c. 15.
[5] S. Thomas 2, 2, q. 88, a. 6. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 178 et 210.

2. Nullum esse votum de *non vovendo;* quia non est de bono meliori, nisi forte conjunctum sit cum illa conditione: *de consilio confessarii expostulando*, ad vitandum votum præceps. Si tamen hac conditione non obstante, adhuc deliberate quis voveat, valet votum, cum habeat objectum satis validum. Item valet votum de non ludendo etiam ludo honesto; quia actus majoris virtutis est se abstinere etiam ab aliquo actu virtuoso ad majorem perfectionem.

3. Fideles non esse promiscue avertendos a votis nuncupandis: sed potius in iis recte dirigendos, ne imprudenter voveant, v. g., jejunia sanitatem læsura, eleemosynas facultatibus non accomodatas. Hæc generatim regula tenenda, ut facilius permittantur vota ad tempus, v. g., jejunium ad diem, in mense; castitatis ad annum, vel de uno ad aliud Festum.

Art. 1. — *De voti divisione ac requisitis.*

51. Q. 1. *Quænam est voti divisio?*

R. Triplici modo votum spectari potest:

1. Ratione *rei*, quæ promittitur: et votum aliud est *positivum*, aliud *negativum;* aliud *reale*, aliud *personale*, aliud *mixtum;* aliud *liberum*, aliud *necessarium*. — Voto *positivo* promittitur res facienda, v. g. oratio; *negativo* promittitur aliquid omittendum, v. g. jocus. *Reali* promittitur res externa prætio æstimabilis, v. g. calix; *personali* promittitur personæ actio, v. g. Missæ auditio; *mixto*, actio personalis simul et res prætio æstimabilis extra nos posita, ut si voveas peregrinationem cum oblatione calicis. *Libero* res non præcepta promittitur, v. g. Religionis ingressus; tandem voto *necessario* promittitur res jam in præcepto, v. g. a venereis abstinentia. Neque præceptum officit voto; cum nihil obstet quominus ex duplici capite res aliqua sub obligatione cadat.

2. Ratione *formæ*, qua fit promissio: et aliud est votum *absolutum* et *conditionatum*, aliud *solemne* et *simplex*, aliud *reservatum* et *non reservatum*, aliud *expressum* et *implicitum*. — *Absolutum* fit pure et simpliciter, v. g. voveo eleemosynam. *Conditionatum* est quando adjungitur conditio, ita ut promissio non habeat vim obligandi, nisi ponatur conditio illa, v. g., voveo peregrinationem, si a morbo convaluero: huc revocatur votum quod vocant *pœnale*, cui nempe per modum conditionis adnectitur pœna, v. g., voveo eleemosynam, si iterum ad ludum redibo. *Solemne* est, quod fit ritibus ab Ecclesia præscriptis, accedente nempe Ecclesiæ ipsius approbatione, et absoluta in perpetuum acceptatione: tale est Votum castitatis, quod Ordinibus sacris adnectitur ac professioni religiosæ. *Simplex* nullam habet talem solemnitatem [1]. *Reservatum* est quod nequit relaxari, nisi a Pontifice; *non reservatum*, cujus relaxatio haberi potest ab alio superiore. *Expressum*, quod verbis exterius profertur, ut ordinarie contingit. *Implicitum*, quando quis advertenter aliquid vult, cui votum est adnexum: tale est votum, quod emittitur ab eo qui promovetur ad Subdiaconatus Ordinem; nam licet non dicatur *voveo castitatem*, votum tamen hoc fit implicite hoc ipso, quod sciens Ecclesiam adnexuisse tali Ordini istud votum, illum suscipit [2].

[1] *V.* Bouix, *De jure Regularium*, pars 1ª, c. 2; — Dens, Sylvius, Suarez, Billuart.
[2] *V.* dicenda Lib. III, *de cœlibatu.*

3. Ratione *temporis*, quo comprehenditur executio rei voto promissæ; et votum aliud est *temporaneum*, aliud *perpetuum*. — *Temporaneum* limitatur ad tempus determinatum, v. g. voveo jejunium singulis sabbatis per anni spatium. *Perpetuum* extenditur ad totam vitam: tale est votum ingrediendi Religionem approbatam.

52. Q. 2. *Quinam possunt vovere?*

R. Omnes possunt vovere, qui sufficientem habent rationis usum, nec legitime sunt impediti; isti enim et voti naturam cognoscere et cultum Deo exhibere queunt. Cum autem usus rationis præsumatur post septennium; iccirco vota ante septennium emissa censentur invalida, nisi ex circumstantiis constet usum rationis abfuisse.

Diximus: *nec legitime sunt impediti;* nam potest quis a voti nuncupatione legitime impediri, etiam post sufficientem usum rationis: 1) *auctoritate Ecclesiæ*, quando Ecclesia quasdam voventibus imponit conditiones, quibus non servatis, votum est nullum. Sic Tridentinum præscripsit decimumsextum annum completum pro emittenda professione religiosa: ideo esset prorsus invalida, si ante id temporis fieret; 2) *ratione materiæ*, si nempe res voto promissa ad dominium alterius pertineat, uti si tutor voveret de substantia minoris: nemo enim firmiter donat nisi de rebus propriis; 3) voluntate illius a quo fortasse vovens dependeat; uti est de religioso relate ad Prælatum suum; de minore relate ad suum tutorem, licet probabilius in hoc ultimo casu votum non sit irritum; sed tantum irritari possit [1].

53. Q. 3. *Quænam voluntas ad voti valorem requiritur?*

R. Ad voti valorem requiritur in vovente vera et deliberata voluntas votum emittendi, seu vera et deliberata promissio Deo facta, obligationem inducens.

1. *Vera;* est enim votum lex quædam privata, quam vovens sibi sponte imponit; atqui sine vera et positiva obligationis inducendæ voluntate lex nulla esse potest. Hinc simplex et nudum propositum, quamvis firmissimum, ad voti naturam non sufficit [2]. Hinc etiam si vovens hic et nunc non attendit ad voti obligationem, nec conscius est obligationis, quæ voto inhæret, nullum est votum; nemo enim dici potest velle obligationem quam ignorat, cum voluntas non feratur in incognitum. Excipe si iste voluerit modo illo ordinario vovere, quo vovent alii; tunc implicite obligationem ipsam voluisse dicendus esset.

2. *Deliberata voluntas*, seu cum plena advertentia; nemo enim præsumitur obligationem ex genere suo gravem imponere sibi velle,

[1] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 231.

[2] Notandum votum tenere, licet quis dum vovet, velit quidem se obligare, sed neutiquam votum implere; nam votum non facit intentio implendi, sed se obligandi.

nisi eam plene cognoverit atque in se ipsa elegerit. Hinc votum cum advertentia semiplena, v. g. ex repentino animi motu vel ex contracta loquendi consuetudine, lingua mentem præveniente, non tenet. Item vota emissa in ebrietate, etiam ante prævisa, et sic volita in causa, non sunt valida; quia non sunt volita in se ipsis atque directe; ideo deficit prudens deliberatio, et perfecta cognitio oneris quod suscipitur.

54. *An* (quæres) *quis possit vovere rem gravem, sed cum voluntate se obligandi tantum sub levi?* Utique potest; vovens enim habetur in voto uti legislator: atqui communis opinio est legislatorem præcipere posse rem gravem sub levi. Si quis tamen rem gravem voveat, quin intentioni suæ limites expresse apponat, censetur se obligare secundum rei naturam et materiæ capacitatem, ac proinde sub gravi [1].

55. Q. 4. *Quid de voto ex errore emisso?*

R. Error in voto versari potest:

1) Circa voti substantiam, ut si quis voveat ingressum in tale Monasterium putans esse S. Dominici, cum sit S. Francisci; vel dare Ecclesiæ calicem, quem credebas argenteum, et dein cognoscas esse aureum; 2) circa causam voti finalem: ut si quis voveat eleemosynam Titio pauperi elargiendam eo quod sibi sit consanguineus, cum non sit [2]; 3) circa substantiales circumstantias, circa adjuncta videlicet, quæ substantiam voti ingrediantur, v. g. si quis voveat peregrinationem ad Domum Lauretanam putans illam non distare, nisi triginta leucarum itinere, cum distet tercentum; 4) circa circumstantias voti accidentales, v. g. si quis voveat dare eleemosynam Titio pauperi, quem putabat probum; cum tamen probus non sit. Iisce positis, dicimus:

Ad *tres* primos casus quod attinet, votum in iis emissum nullum est; quia voluntas voventis, quæ est principium obligationis in votis, ferri non potest in incognitum. Quod valet, etsi error sit concomitans, si nempe errore cognito, tu adhuc vovisses; imo etiamsi error sit crassus, quia ad votum requiritur perfecta cognitio. Ad *quartum* vero quod spectat, si circumstantiæ illæ accidentales sunt magni momenti, ita ut, iis prævisis, votum non fuisset emissum, votum non tenet; quia tales circumstantiæ tunc pertinent ad rationem causæ finalis. Secus tenet votum [3].

[1] At nemo potest se obligare per votum ad rem omni parte levem sub gravi; quia materia undequaque levis est capax levis tantum obligationis. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 196, 211.

[2] Valet votum si error sit tantum circa causam impulsivam; quia hæc cum sit secundaria, etiam ipsa seposita actus est sufficienter voluntarius quoad substantiam; v. g. vovit aliquis peregrinationem Romam studio colendi Deum, et simul etiam habuit causam secundariam impulsivam, ut inviseret fratrem quem putat esse Romæ; non desinit votum, si postea intelligat fratrem non esse Romæ.

[3] Si tamen error circa conditionem substantialem sit de re parvi momenti, non ir-

56. Q. 5. *Quænam libertas requiritur ad votum?*

R. Requiritur libertas perfecta, talis nempe, ut in nostra potestate sit votum elicere, vel non; nam votum est actus humanus ac gravissimus ab hominis arbitrio omnino dependens. Cum ideo fortis hæc obligatio sit omnino gratuita, absque plena libertate ipsa contrahi nequit.

Quid ergo dicendum de votis factis ex metu?

R. Si agitur de metu levi, probabilius validum est votum; quia metus levis non potest censeri causa rei tam gravis, quale est per se votum. Item valet, sit metus sit gravis, sed juste incussus; tunc vovens non est rationabiliter invitus. Item valet, si metus gravis non sit ad extorquendum votum incussus: uti si quis timens latronis minas mortem minantis, votum Deo faciat cum sufficienti advertentia, ut liberetur. Idem est, si metus gravis proveniat a principio intrinseco: hinc valide vovet qui ad evitandam mortem, quæ sibi imminet ex morbo, naufragio, peste, votum deliberate emittit; tunc voluntas non necessario determinatur ad votum, sed libere illud eligit uti medium ad periculum superandum.

Tota ergo quæstio est de metu gravi ex causa extrinseca injusta. Alii stant pro voti valore; quia est adhuc satis voluntarium; alii certant probabilius pro illius nullitate, cum tota ratio voti in omnimoda libertate sita sit. Ceterum certum est, vota solemnia per metum gravem injuste incussum esse invalida Jure saltem positivo ecclesiastico; cum ista indigeant maxima libertate [1].

57. Q. 6. *Quid requiritur ad votum ex parte rei promissæ?*

R. Ad votum ex parte rei promissæ tria requiruntur, ut res voto promissa sit *de bono*, *de bono meliori* et *de bono possibili*.

1. *De bono*, secus votum detraheret Deo: ex his patet votum de re *indifferenti* esse invalidum, nisi res illa ex circumstantiis vel fine evadat bona; quia tale votum non potest a Deo acceptari, cum ei displiceat *stulta promissio*. Votum autem de re *mala* non solum est irritum, sed etiam peccatum mortale; et quidem probabilius, etiamsi res illa sit tantum venialiter mala, ut si quis voveat dicere mendacium jocosum; irrogatur enim injuria Deo gravis, cum sit velle, ut malum cedat in honorem Dei: excipe nisi id contingat ob ignorantiam voventis [2].

ritatur votum; ut si iter peregrinationis quam quis vovit, sit paulo longius quam putabatur; quia parum reputatur pro nihilo. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 198.

[1] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. V, n. 23; et *Op. Mor.*, l. III, n. 197.

[2] Eccl. v. Plerumque excusantur matres, quæ vovent Deo, ut earum filii continuo ægrotantes ex hac vita commigrent et secum Deus eos in cœlum suscipiat: cum id agant potius ex simplicitate et compassionis impulsu, quam ex animo malevolo et mortis filiorum desiderio. — *V.* Valentia, *Disput.* VI, q. 6, pun. 11.

2. *De bono meliori;* quia promissio, quæ impedit majus bonum, sub hoc respectu de cultu Dei detrahit: unde non potest esse illi grata. Hoc tamen non est intelligendum comparate ad bonum quodcumque; alioquin oporteret nos Deo promittere debere rem omnium nobis possibilium præstantissimam. Sed intelligendum est de bono, quod melius sit ejus opposito; sic non esset verum et proprium votum promissio Deo facta de matrimonio contrahendo, licet agatur de ducenda paupere, vel de tollendo peccato alieno, v. g. ducendo meretricem; quia cœlibatus semper est Deo gratior. Excipe casum peculiaris circumstantiæ, quæ relate ad personam determinatam reddat matrimonium melius quam continentiam, v. g. ad scandalum aut honorem puellæ contaminatæ reparandum; vel ad bonum publicum, uti si interest reipublicæ quod princeps nubat, etc.

An vero valeat votum, si quis voveat nubere ob expertam sui fragilitatem, negat Lessius, Fagnanus, Palaus et alii. Verum supposito quod talis nolit uti aliis melioribus remediis, certe et longe probabilius docent Bellarminus, Cajetanus, Navarrus, Salmanticenses, Sanchez, Trullenchus, Dens, Viva, aliique tale votum validum esse; quia in hoc casu matrimonium est majus bonum respective; cum ad concupiscentiam sedandam eis, qui remedia meliora suscipere nolunt, matrimonium a Deo concessum sit, juxta illud Apostoli: *melius est... nubere quam uri* [1].

3. Tandem *de bono possibili;* promissio enim de re impossibili, v. g. manu cœlum tangendi, esset omnino ridicula, illusoria et stulta; *displicet enim ei* (Deo) *infidelis et stulta promissio* [2]. Adde, hanc promissionem non posse efficaciter intendi: hinc nullum erit ex hac parte votum emissum tam de facto alieno, v. g., si pater voveat filii sui ingressum in Religionem, quia liberum factum alterius non est in potestate voventis; quam etiam de facto proprio moraliter vel physice impossibili, v. g., si quis votum faciat *nunquam peccandi in genere;* tanta enim est nostra fragilitas, ut moraliter impossibile sit omnia in genere peccata, etiam levissima, evitare absque speciali Deo auxilio [3].

Diximus: *nunquam peccandi in genere;* nam verius valeret votum, si esset de vitando omnia mortalia; imo etiam omnia venialia ex perfecta advertentia, quia ordinario Dei auxilio id obtinere potest

[1] 1, Cor. VII. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 209. Dices: *ergo subdiaconus vovens castitatem, posset nubere si non posset se continere, cum tunc nubere sit illi melius bonum.* Sed respondetur, quod hic ob bonum commune expedit magis votum in suo robore manere quam illum sic consulere suæ fragilitati. Est certum.
[2] Eccles. V. — *V.* Bellarminus, *De amiss. grat.*, l. VI, c. 10.
[3] Tridentinum, sess. VI, c. 23. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 203.

perfectionis amans. Votum item abstinendi a venialibus absolute in aliqua materia determinata communiter valet, maxime in personis magnæ virtutis, seu in solida virtute diu exercitatis, ut est votum non mentiendi. In aliis vero modicæ virtutis erit materia impossibilis; imo in aliquibus materiis, v. g. cogitationum inhonestarum, otiosarum, etc. cum sint inevitabiles, si fiat sine speciali Dei instinctu, quoad omnes votum est nullum.

58. Q. 7. *An valeat votum ob pravum finem emissum?*

R. Si opus in se bonum dirigatur per votum ad malum finem, uti si ideo voveas jejunium, ut ex illo plausum captes, si voveas centum florenos dare pauperibus, ideo ut litem injustam vincas, votum est invalidum; quia tunc sumitur uti medium ad malum [1]. Idem est dicendum, si finis sit *indifferens*, ut si quis, v. g. ideo tantum voveat jejunium, ut parcat sumptibus.

Secus tamen dicendum si opus pravum ponatur uti mera conditio, v. g., si quis voveat jejunium, si inimicum occidet, si furtum faciet; tunc valet votum, quia impleta conditione posita, honestum est in se votum illud implere. Item valet votum emissum ab obtinendam a Deo sanitatem, vel alia bona temporalia; cum per se bonum sit a Deo illa sperare. Idem est, si non ipsum opus voto promissum, sed vovendi actus, seu modus tantummodo dirigitur ad finem pravum, ut si quis ex corde jejunium voveat, sed id faciat elata voce, ut ab aliis commendetur; cum substantiam voti non inficiat, illud validum est: ideo sic voventem pœniteat de modo, et substantiam retineat.

Item valet votum Religionis ingrediendæ cum intentione emissum, ut ingressus fiat abbas, commode vivat, etc.; cum enim Religionis ingressus bonum sit, supponitur vovens non elegisse illum tanquam purum medium ad malum finem, sed tanquam præsuppositum simpliciter acceptasse. Validum item est votum, si quis, v. g., voveat tribuere eleemosynam, si ex duello evaserit salvus, si non capiatur in furto, si filius sibi nascatur ex adulterio, etc.; licet enim duellum, furtum, adulterium velle malum sit; tamen his positis, non lædi, non infamari, prolem gigni mala non sunt, sed Dei dona; et votum non cadit super ista mala: sed super hæc bona considerata (ut suppono) non quatenus media ad malum, sed quatenus in se bona sunt, etsi aliunde conjuncta cum causa mala [2] *(J)*.

Art. II. — *De voti obligatione et interpretatione.*

59. Q. 1. *An votum sit obligatorium?*

R. Affirmative, votum obligat sub peccato. Probant: 1) Scripturæ, ubi legitur: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus tuus; et si moratus fueris, re-*

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 206. Hoc valet etsi agatur de votis solemnibus; attamen qui sic solemniter vovit, tenetur votum suum legitimare; nec enim audiretur in foro externo ob commune bonum: *Se fosse lecito al religioso, alla religiosa ritornarsene al secolo per la ragione che avessero emessi voti a cattivo fine, si aprirebbe l'adito a mille frodi ed inganni.* Frassinetti.

[2] V. *Bibbia de Vence:* Dissertazioni; vol. II: *Sul voto di Jefte.*

putabitur tibi in peccatum. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis et stulta promissio [1]; 2) Patres; d. Augustinus ait: *quia vovisti, jam te obstrinxisti; aliud tibi facere non licet.* Iterum idem Sanctus: *vovere est voluntatis, sed reddere necessitatis* [2]. Et d. Thomas: *hæreticum est asserere votum non obligare* [3]; 3) Ratio: promissio enim facta homini certe obligat; quanto magis facta Deo? Hinc vulgare illud: *verba ligant homines.*

Obligatio autem voti gravis est in materia gravi; levis in materia levi: votum enim legem imitatur, quæ quidem obligat juxta materiæ capacitatem [4]. Neque dicas, juramentum assertorium obligare sub gravi etiam in materia levi: disparitas est, quod in juramento Deus ipse inducitur testis, cui semper fit gravis injuria, si veritas desit; at in voto homo se libere sua lege obstringit. Porro materia gravis existimatur, si ad honorem Dei, vel ad proximi aut ipsius voventis utilitatem notabiliter influat; vel si ab Ecclesia præciperetur, obligaret utique sub gravi. Si quis, v. g., jejunium, Missæ auditionem et Confessionem vovisset, hoc votum diceretur obligatorium sub mortali; quia revera sub mortali obligat Lex ecclesiastica illas ipsas res jubens, et in se materia gravis est.

69. *An* (quæres) *materiæ leves in votis possint secum coalescere, et peccatum mortale constituere?*

R. Affirmative: si diversæ materiæ leves voto promissæ fuerint per modum unius, ita ut dies assignetur uti terminus, sed ne ultra illum differatur executio: tunc una materia cum materia alterius diei continuatur. Aliter dicendum esset, si illa parva materia sit affixa diei: tunc transacto die, transit etiam promissum, neque cum alio unitur et coalescit.

Ut autem dignoscatur, an materiæ voti sint per modum rerum complurium vel unius, interroganda est ipsa voventis intentio, quæ est suprema lex voti. Quæ si dubia sit, resolutio fit juxta communem sensum Doctorum, qui tenent diversas materias esse per modum unius et coalescere in votis realibus, non in personalibus: sic esset votum *reale*, si quis voveat dare unam monetulam quotidie per annum; esset *personale*, si voveat recitare unum *Pater* singulis

1 Deut XXIII; Eccl. V. 2 Ep. XLV et CXXVII.

3 Quodl. 3, a. 2. Obligatio voti causatur a fidelitate in Deum; ideo est major quam obligatio juramenti, quæ est ex reverentia Dei. Idem Angelicus, 2, 2, q. 89, a. 8.

4 « Hinc infertur (ait s. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. III, n. 211), quod votum vitandi peccatum non obligat, nisi juxta illius gravitatem: puta si voves vitare mendacium, mentiendo peccas tantum leviter, sed dupliciter, contra veracitatem et contra votum: Salmanticenses cum Sanchez, Trullenchio, Navarro, etc. Nisi tamen vitatio illius peccati ob causas sit res magni momenti, prout mendacium valde indecens esset personæ in dignitate constitutæ; vel nisi per illud peccatum multum quis impediatur a profectu in virtutibus. Salmanticenses. »

anni diebus. Quod si adhuc res dubia maneat, votum censetur affixum diei, adeo ut ejus materiæ non coalescant, sed quælibet terminetur in die; quisque enim, ordinarie loquendo, minoris quo potest, censetur voluisse se obligare [1].

61. Q. 2. *Quotuplex peccatum committit qui votum violat?*

R. Vel votum est de re jam præcepta, vel de re nullimode præcepta. Si 1, duplex erit peccatum in voti violatione: unum contra virtutem ad quam pertinet res voto promissa; aliud contra virtutem Religionis: nam duplex præceptum violatur. Si 2, unum erit peccatum contra Religionem; quia vovens hoc casu non aliam sibi vult obligationem imponere, quam quæ exoritur vi voti. Hinc vovens vitare mendacium, si mentiatur, peccat et contra fidelitatem et contra veracitatem. At vovens ingredi Religionem, si non ingrediatur, committit tantum peccatum infidelitatis; quia per se religiosus status non est præceptus [2].

62. Q. 3. *Quid sentiendum de voto dubio?*

R. Vel dubitatur, an votum fuerit emissum; vel an votum emissum fuerit validum; vel an votum valide emissum fuerit impletum.

Si dubitatur, utrum votum fuerit emissum, vovens ad nihil tenetur, si adhuc dubium perseveret post sufficientem diligentiam ad dubium vincendum. Ita communiter Anacletus, Cabassutius, Ferraris, Gousset, Salmanticenses, Sanchez, Sporer, Suarez, cum aliis innumeris. Idem dicendum in dubio, an materia fuerit honesta, vel possibilis; quia tunc votum nondum possidet; et in dubio odia *sunt restringenda, et melior est conditio possidentis.* Idem dicendum si dubites, an voto comprehendatur aliquid: non teneris quoad partem de qua dubitas. Sic in jure cum aliqui vota quædam certo emisissent, et postea dubitarent, an tenerentur ad majus vel ad minus promissionis factæ, sancitum fuit eos teneri ad minus; nam *in dubiis liberum est sequi quod magis placuerit* [3].

Si dubitatur, utrum votum certe emissum, fuerit validum, vovens ad votum obligatur: esset si voverit et dubitet, an habuerit animum

[1] Ait Sporer: vota orandi quotidie quinque *Pater* et *Ave*, vel Litanias B. V., etc., censentur esse de re levi, et sub veniali tantum obligare; quia etiam respectu legum publicarum censerentur esse de materia levi, et eorum executio non multum cónfert, nec eorum omissio multum derogat honori divino. Ad prudentiam porro confessarii et Parochi pertinet hac de re monere fideles qui sponte voverint; ne scilicet ex conscientia erronea graviter peccent, ubi voti materia levis est. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 212, 220.

[2] An violatio cujuscumque voti induat etiam malitiam sacrilegii, negant alii cum Suarez; quia peccatur tantum contra fidelitatem Deo debitam, ideo est perfidia. Alii affirmant cum Angelico, quia per votum res fit sacra Deo; at in quonam consistit sacrilegium, nisi in hoc, quod quis irreverenter se habeat ad rem sacram? — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 47.

[3] Cap. *Ex parte* XVIII *de censib.*; et Glossa in loco cit.

se obligandi; nam *præsumitur recte factum quod erat de jure faciendum :* neque quis censeri debet voluisse inaniter vovere. Hinc ad rem habet d. Thomas: *Si autem dubitet, quomodo in vovendo se habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat* [1], scilicet violandi votum, quod certo supponitur emissum, ut patet ex toto illius contextu. — Item est si dubitetur de advertentia sufficienti, paritate rationis (nisi ante septennium fuerit votum emissum, nam tunc vovens in dubio non censetur sufficienti rationis usu donatus ; res enim ex communiter contingentibus resolvenda est). Item valet votum in dubio, an illud fuerit emissum ante, an vero post septennium ; nam omnis actus præsumitur factus tempore habili et rite, donec contrarium non constet.

Si tandem prudenter dubitatur, an votum certe emissum fuerit impletum, votum implendum est ; quia votum est in possessione, et dubitanti incumbit probare, se illud jam certo implevisse.

63. Q. 4. *Quid de voto disjunctivis vocabulis nuncupato?*

R. Votum disjunctivum nullum est, si unum de duobus sit impossibile, vel inutile aut vanum et ineptum, ut si voveas aut orare, aut ludere; nam ex una parte promissio fit tantum sub disjunctione, ex alia rem ineptam eligere est peccaminosum.

Si vero utraque pars voti est materia apta, votum validum est; cum vera sit promissio, et satis res designatæ sint. Id unum remanet, ut electio fiat a vovente, cum eam sibi reservavit: unde si promisisti unum ex tuis calicibus, ex tuis animalibus, tuum est eligere ex illis [2]; at facta electione, rem electam præstare debes, etsi postea altera pars pereat; nam votum determinasti per electionem.

Imo adhuc ad partem superstitem teneris, licet alia pars ante determinationem perierit, si tu fuisti in mora culpabili in determinando; tunc ex modo te habendi tacite censeris voluisse obligationem indeterminatam ad illam partem determinare. Aliter esset, si res una totaliter perierit absque tua culpa ante electionem ; votum tunc corruit, quia non amplius habes potestatem eligendi, sub qua te tantummodo obligasti ad votum. Item est, si facta electione, pereat res electa, et non alia, v. g., vovisti dare bovem vel equum; postea statuisti dare bovem, et equum vendidisti ; si ante traditionem absque tua culpa bos penitus pereat, ad nihil teneris. Cum enim votum evaserit absolutum per determinationem, res semel determinata debetur (non alia aut ejus pretium) : porro res determinata, ut supponitur, omnino et totaliter periit.

[1] In 4, d. 38, q. 1, a. 3, quæst. 3, solut. 1, ad 6. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 196; et *Homo Apost.*, tract. V, n. 25.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 203 et 224.

64. Q. 5. *Quid de voto conditionato?*

R. 1: Cum Stapf: « Aliqui vota conditionata de superstitione accusant, eo quod homo cum Deo quasi transigere et pacisci videatur, dum quidpiam nonnisi sub certa conditione spondet. Verum præterquamquod hæc votorum species ab ipsis sacris Paginis suffragium accipiat, v. g. ab exemplo Jacobi [1], eadem de illa obtinent quæ generatim de piis petitionibus dicimus: scilicet etiam per hæc vota fidem, fiduciam, nostramque erga Deum devotionem exhibemus: et Deus ipse de ordine stabilito nihil immutare cogitur, utpote qui ab æterno omnia sibi præsentia intuetur. » Hoc posito:

R. 2: Votum conditionatum potest esse vel de conditione impossibili et turpi; vel de conditione possibili et honesta: et quidem præsenti, præterita aut futura:

1. Votum de *conditione impossibili* et *turpi*, si hæc ponatur ut causa finalis, est nullum, imo est impium; quia sic Deus ludibrio aperte haberetur.

2. Votum de *conditione possibili* et *honesta* tam præsenti quam præterita, statim validum est vel invalidum, prout conditio existit vel non: neque vere dici potest conditionatum, cum conditionis effectus sit suspendere actum in eventum futurum et incertum.

3. Votum de *conditione futura*, si est de futuro necessario, statim obligat; sed ejus executio suspenditur usque ad conditionis eventum, cum talis præcise sit ipsa voventis voluntas; conditio enim ex se obligationem non infirmat, sed tantum modum imponit. Si vero est de futuro contingenti, votum non obligat ante conditionis eventum; talis enim est voventis mens. Hinc legitur: *facies sicut promisisti Domino;* nota illud *sicut* [2].

Hic tamen notandum: 1) conditiones implendas esse non tantum æquivalenter, sed etiam specifice; nam cum votum sit lex ligans, non ita facile extendi debet. Sic si vovisti jejunium casu quo pejeraveris, non teneris ad jejunium, si blasphemes; si vovisti Religionem, si soror tua nupserit, non sufficit, si illa moriatur; 2) conditionem valere, licet sit de bonis temporalibus, ut si quis voveat aliquid, si convaluerit; quia melior est sanitas, quam ejus oppositum, ut nempe ea utamur ad serviendum Deo. Item valet si conditio sit in pœnam, ut si voveas Religionem ingredi, si blasphemaveris; nam est ad bonum, nempe ad abstinendum a peccatis. Qui vero vovit dare unum aureum si omittat festo die audire Sacrum, si non audiat ob infirmitatem, non tenetur dare, quia illud votum censetur pœnale, nec datur pœna sine culpa.

Tenetur e contra ad votum qui promisit sub voto dare aureum singulis vicibus quibus juraverit, etsi inadvertenter juret; quia iste cen-

[1] Gen. XXVIII: Jacob *votum vovit dicens: Si fuerit Deus mecum et custodierit me in via mea... erit mihi Dominus in Deum et lapis iste quem erexi in titulum vocabitur domus Dei; cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

[2] Deut. cap. XXIII. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 219.

setur vovisse non mere in pœnam, sed etiam in sui medicinam, ut ita eradicet malam consuetudinem. *Billuart.*

65. Q. 6. *Quandonam votum implendum est?*

R. Si votum est *negativum* obligat semper, uti legis negativæ proprium est: tale esset votum non ludendi. Si *positivum*, tunc si vovens designavit certum tempus, v. g. jejunandi in tali vigilia, obligatio erit pro tempore illo, ita ut peccet eo tempore minime implendo; faceret enim contra promissum: at illa vigilia elapsa, votum cessat, si revera illud ad tale tempus tantummodo alligaverit. Quod si nullum fuerit determinatum tempus, votum impleri debebit quamprimum moraliter et commode poterit, habita ratione circumstantiarum. Est regula juris: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, res præsenti die debetur.* Hinc Scriptura: *Si quid vovisti Domino Deo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum* [1].

66. Quænam autem censetur gravis dilatio voti, si tempus sit indeterminatum, videndum est, an votum respiciat Dei obsequium temporaneum, v. g. tot recitandi Rosaria, tot peragendi jejunia, tot donandi Ecclesiæ libellas: vel an respiciat obsequium Dei perpetuum, v. g. ingrediendi Religionem.

Si 1, dilatio erit mortalis, si fiat absque gravi causa per longa tempora, nempe ad duos, vel tres annos, ut recte dicunt: nam quisque censetur sic obligationem suam accipere, ut eam non nimium differat. Et si quælibet difficultas satis foret ad licite expectandum, vix unquam tempus opportunum inveniri poterit.

Si 2, peccat mortaliter qui diu differt voti implementum, nempe in plurium sensu, si ad sex menses: nisi causa satis rationabilis excuset, uti si vovens speret dilatione illa parentes emolliendos, vel si gravis necessitas spiritualis adversatur aut temporalis sororum vel fratrum; si tamen dilatio non sit nimis diuturna, neque det locum periculo nunquam implendi votum, ut solet aliquando contingere, opere profecto dæmonis, cui vota invisa sunt [2].

67. Q. 7. *Quomodo fieri debet interpretatio votorum?*

R. Prima ratio interpretandi vota est ipsa voventis voluntas, a qua votum vim suam habet: quæ si non satis percipiatur, en regulæ, quas communiter admittunt cum Sporer.

1 Deut. XXIII. « Paolo promette a Dio puramente e semplicemente (ad rem Gousset) di dare una certa somma ai poveri: potrebbe facilmente darla subito; ma prevede che differendo qualche mese, la limosina sarà più utile: può certamente aspettare. Avete fatto voto di confessarvi una volta al mese; potrete differire la vostra Confessione di alcuni giorni dopo il mese, se si presenta una festa, per la quale desiderate di confessarvi. » — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 220.

2 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 221.

Regula 1ª est, ut verba obligationis intelligantur juxta communem usum et acceptionem regionis: unde qui vovit calicem, in dubio sufficit si donet calicem argenteum, non aureum; quia sic calix accipitur in uso vulgari. Imo apud montanos neque argenteus intelligitur; cum illorum calices sint ex inferiori materia [1].

Regula 2ª est, ut si iterum dubium maneat, ipsa materia voti inspiciatur, et obligatio accipiatur secundum ejus naturam et necessarias conditiones. Sic qui vovit preces, eas dicere tenetur devote, ut natura orationis requirit.

Regula 3ª est, ut adhuc manente dubio, votum observetur eo modo, ac si haberetur lex divina, vel ecclesiastica de eadem re. Ideo qui vovit jejunium per mensem, non tenetur jejunare Dominicis diebus [2]; censetur enim voluisse se obligare ad modum Quadragesimæ. Item qui vovit jejunium in vigilia alicujus Sancti, si hæc in diem dominicam incidat, die sabbato, juxta morem Ecclesiæ jejunare potest. Item qui vovit jejunare die veneris, probabilius non tenetur si ea die venerit Nativitas Domini (aliter esset si id præviderit, quo sensu accipitur Decretum Honorii III, qui etiam tali die obligat), tantæ enim lætitiæ die non præsumitur vovens voluisse jejunare.

Regula 4ª est, ut si hisce omnibus consideratis, iterum res dubia sit, vota accipiantur in favorem voventis; sunt enim leges voluntatis: quisque porro censetur se velle minus obligare, quam potest: ita cum Cajetano communiter Layman, Salmanticenses, etc.

Hinc merito resolvitur: 1) qui vovit per mensem audire Sacrum, non tenetur duo audire diebus festis; nam intentio præsumitur tantum fuisse de non transigendo die sine Missa; 2) qui vovit Religionem ingredi, satisfacit voto, si minus rigidam ingrediatur; quia substantia jam impletur. Item qui vovit Religionem, non tenetur eam quærere extra propriam regionem vel provinciam, si ibi non admittatur: imo si est fœmina, non tenetur quærere Monasterium extra patriam, si ibi adest; quia aliter agere habetur pro illa nimis grave; 3) qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. g., eleemosynam, pecuniam, satisfacit dando quod voluerit, modo non tam parum tribuat ut videatur potius illudere Deo; 4) qui vovit unum Rosarium, satisfacit tertiam partem recitando; quia sic communiter accipitur: potest etiam alternatim recitare; nam illud censetur obligare ad modum divini Officii *(K)*.

[1] Qui vovit rem certam et determinatam, v. g. hunc calicem; si ea res pereat, ad aliud non tenetur, cum id non soleat intendi; si autem eam rem vendiderit, probabilius debet dare pecuniam acceptam; quia qui vovit rem censetur promittere omnem ejus utilitatem. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 219.

[2] « Quamvis ex c. *Sacerdos* XXVI, q. 7, vetetur jejunare in die dominica (ait Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 4) ad estirpandam hæresim Manichæorum negantium Resurrectionem Christi; qui tamen mortificationis causa jejunaret, non peccaret ne leviter quidem, ut ait Viva. Imo mereretur, quia talem hæresim Ecclesia abolevit: etsi dicant Salmanticenses, melius esse abstinere a tali jejunio, ed ideo communiter docere Doctores quod jejunium promissum in die dominico possit in sabbato antecedenti adimpleri. »

Art. 3. — *De voti extinctione.*

68. Votum extingui potest multipliciter: 1) per cessationem causæ finalis; 2) per notabilem mutationem materiæ; 3) per commutationem; 4) per dispensationem; 5) per irritationem; 6) per defectum conditionis ponendæ, si res non sit nisi sub tali conditione promissa; ea deficiente, cessat obligationis fundamentum.

69. Q. 1. *Quandonam votum extinguitur per cessationem causæ?*

R. Causa alia est finalis, alia impulsiva. *Finalis* est quæ ita determinat ad vovendum, ut sine ea votum non fuisset emissum: *impulsiva* est, quæ allicit tantummodo ad libentius vovendum, sed ex se sola ad votum non determinat. Porro cessante causa solum impulsiva voti, votum non extinguitur; cum illa non influat in voti substantiam. At extinguitur et cessat votum, cessante causa ejus finali: nam tunc cessat omnis ratio vovendi; porro sine voluntate votum esse nequit.

Hoc valet, etsi causa cesset culpa voventis; in hoc enim casu haberetur quidem peccatum ob impedimentum appositum, sed non haberetur voti materia, ideoque nec ipsum votum.

70. Q. 2. *Quid de notabili materiæ mutatione in voto?*

R. Materiæ mutatio in voto contingit: 1) si ea fiat impossibilis, illicita, indifferens vel impeditiva melioris boni; 2) si status voventis relate ad voti materiam fiat moraliter diversus, ut si quis vovisset jejunium, sed postea infirmetur; vel ædificationem Ecclesiæ, sed dein pauper factus sit, ut nequat amplius sine gravi sui status detrimento Ecclesiam voto promissam construere.

Per se loquendo tales mutationes voti obligationem extinguunt; cum vovens merito præsumatur nunquam habuisse intentionem sese obligandi in dictis casibus: est commune. Imo nobis cum d. Thoma videtur probabilius, quod votum ne tenet quidem, cum supervenit circumstantia, quæ si prævisa, vovens certo abstinuisset a voto: *id liberat ab obligatione voti aut juramenti*, ait Angelicus, *quod si ab initio accidisset aut notum fuisset, hæc fieri impediret* [1]; per talem enim mutationem res fit diversa a re promissa. In dubio tamen standum est pro valore, cum votum possideat; ideo ad superiorem recurrendum pro relaxatione.

Diximus *per se loquendo;* nam excipienda:

1. Vota etiam simplicia castitatis, quæ remanent firma, etsi quis stimulis carnis insolitis et imprævisis agitetur cum evidenti peri-

[1] In 4, d. 38, q. 1. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 226; et l. IV, n. 50.

culo incontinentiæ (nisi dispensatio intercedat); alioquin vix ullum votum firmum esset, cum vix sit qui hac de re graves tentationes non patiatur. Hinc Tridentinum damnàt eos, qui dicunt, posse *omnes contrahere matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari* [1].

2. Id multo magis tenendum est de votis solemnibus valide emissis in professione religiosa, vel in susceptione Ordinum, quæ quidem semper valida sunt quacunque notabili circumstantia interveniente. Ratio quia religiosus et ecclesiasticus in hoc casu non consideratur ut persona particularis, cui melius sit tunc non esse voto obstrictam; sed ut pars communitatis Ecclesiæ, cui præstat postponere bonum privatum: alias quot inconvenientia, quot scandala et perturbationes!

3. Idem dicendum eadem ratione boni communis de votis, quæ emittuntur a viris aut mulieribus in aliquibus congregationibus, maxime si addatur juramentum perseverantiæ: tunc enim intervenit contractus onerosus. Unde sicut congregatio nequit alumnum dimittere ob supervenientes circumstantias (exceptis circumstantiis criminum); ita nec alumnus deserere congregationem.

71. Q. 3. *Quid de voti commutatione?*

R. Voti commutatio definitur: *substitutio unius materiæ in locum illius, quæ fuit voto promissa, facta sub eadem voti obligatione.* Hæc substitutio fit in melius, in æquale et in minus.

In minus vovens non potest mutare votum suum; quia neque in æquivalenti promissio servaretur. Imo probabilius neque *in æquale* ipse potest mutare; quia supposita promissione, magis gratum Deo fore censetur, si vovens præstet rem promissam, quam si præstet æqualem non promissam. Ita tenent Azor, Cajetanus, Layman, Sanchez, Suarez, aliique cum d. Thoma, qui ait [2]: *Commutatio est quidem contractus, qui non potest perfici sine consensu utriusque partis: unde cum homo per votum Deo se obliget, non potest fieri immutatio voti, nisi interveniat consensus ejus qui vicem Dei gerit in terris, scilicet Prælati: est commune.*

Si vero commutatio fit *in melius*, potest vovens suum votum commutare; quia quod melius est, Deo magis gratum existimatur: adde minus in majori eminenter contineri. Excipe vota reservata (nisi

[1] Sess. XXIV, can. 9. Alii, hoc casu intrinseco secluso, tenent etiam votum castitatis extingui, si notabilis mutatio supervenerit, uti si fœmina quæ votum emisit castitatis, postea ab alio per vim oppressa fuerit, quæ ideo nisi nubat versaretur in miserrima conditione: hac circumstantia prævisa certe ab illa votum non fuisset emissum; vota enim, peculiaribus circumstantiis præclusis, non obligant ultra id quod hic et nunc fuit a vovente promissum.

[2] In 4, d, 38, q. 1, a. 4. — Liguori, *Homo Apost.*, tract. v, n. 38.

commutentur in alia item reservata); eorum enim relaxatio aut commutatio sibi fuit a superiore adjudicata.

Qui habet potestatem ordinariam dispensandi in votis, habet etiam potestatem ea commutandi sive intra sive extra Confessionem: quia commutatio est pars dispensationis; *et cuilibet quod est plus licet, licet utique quod est minus* [1]. Non tamen potest dispensare qui tantum habet facultatem commutandi; quia minus non continet quod majus est; item neque vota reservata commutat qui simplicem habeat commutandi facultatem; secus reservata non essent. Confessarii ad commutandum delegati non possunt vota commutare, nisi in foro sacramentali: si excipias regulares, qui ex privilegio facultatem exercere possunt etiam extra Confessionem. Hæc autem præ oculis habeat votum commutans:

1. Ut si solum habeat commutandi facultatem, eadem non utatur, nisi pro commutatione in bonum æquale, non tamen mathematice, sed moraliter acceptum: ne animi anxietatibus aditus fiat [2].

2. Ut sciat ad commutationem sufficere majorem voventis propensionem, aut minus periculum transgressionis: in dubio, an bonum sit æquale sufficit notabilis molestia in voto implendo.

3. Ut pro commutatione in bonum notabiliter minus, requirat gravem causam: quia secus dicunt eam non tantum illicitam, sed probabiliter etiam invalidam; nam Prælatus nequit sine causa in re non sua valide excedere facultatem sibi delegatam.

4. Ut curet votum personale commutari in personale; reale in reale; mixtum item in mixtum; perpetuum in perpetuum, etc., ut magis quam fieri possit, proportio conservetur. Excipe nisi legitimæ occurrant rationes aliter agendi: qua in re vitandæ sunt animorum anxietates tam in commutante, quam in vovente.

5. Ut facta commutatione, adhuc voventi liberum sit ad primam voti materiam redire, si commutatio contigerit in bonum æquale, ut communiter docent. Imo in sententia probabiliori potest vovens, saltem sine gravi culpa, ad primum votum regredi, tametsi commutatio facta fuerit in bonum melius; quia commutatio semper est in favorem voventis, qui potest juri suo renuntiare: nisi certe constet voventem voluisse se quasi novo voto ligare; esset enim tunc novus contractus et nova ac diversa obligatio.

72. Q. 4. *Quid est voti dispensatio?*

R. Voti dispensatio est *voti remissio facta Dei nomine ob justam causam ab habente spiritualem jurisdictionem in foro externo.*

1 Reg. LIII, in 6. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 234.

2 « Interroget pœnitentem (ait Alphonsus noster, *Praxis Conf.*, § 4, n. 26) quæ opera soleat exercere præter debita ex præcepto, aut ad quæ majorem habeat propensionem, et in ea commutet vota. Commutatio securior in omni votorum genere erit semper frequentia Sacramentorum. » — It. *Op. Mor.*, l. III, n. 257; l. VI, n. 536.

1. *Remissio*, id est condonatio rei Deo promissæ facta ab Ecclesia nomine Dei ipsius: hanc potestatem Ecclesiæ inesse constat tum ex facto, cum semper ea in usu sit; tum ex jure, cum id expediat fidelium bono: sane generalia sunt illa Christi verba: *quodcumque solveritis*, etc. Soli autem Ecclesiæ eam facultatem inesse certum est; cum enim hæc sit actus spiritualis, solius potestatis spiritualis esse debet.

2. *Dei nomine facta;* cum enim Ecclesia non dispenset in lege sua, sed Dei, non potest id agere, nisi nomine ipsius Dei. Et quidem *ob justam causam*, quia inferior cum sit simplex executor, non potest sine legitima causa dispensare in lege superioris [1]: quod si agat, invalide agit juxta veriorem sententiam, et peccat, nisi bona fide eum excuset. Esset legitima causa, si quis vovisset ex ira, aut tristitiæ impulsu, aut levi timore naufragii, incendii, mortis vel alterius mali. Item si quis vovisset dum erat impuber, ob non adeo maturam deliberationem: votum erit quidem validum, sed ob hanc causam erit dispensabile absque ulla commutatione. Item sufficiens causa est dispensandi notabilis difficultas in voti executione (etsi antea prævisa), nempe si voto obstrictus esset in periculo gravi votum violandi, aut si magnis scrupulis vexaretur. Item bonum commune tam Ecclesiæ quam reipublicæ et familiæ, et major etiam profectus voventis. Cum autem omne factum præsumatur recte factum, in dubio an fuerit sufficiens dispensationis causa, standum pro valore dispensationis.

3. *Ab habente spiritualem jurisdictionem in foro externo;* cum enim hæc potestas ad externam gubernationem pertineat (sicuti potestas ferendi leges, quarum naturam imitatur votum), facultatem dispensandi non possunt habere, nisi qui externa pollent jurisdictione: quæ probabilius in subditis tantum exerceri potest.

73. Isti porro præter summum Pontificem in tota Ecclesia (qui dispensare solet organo sacri Pœnitentiarii majoris, si agatur de votis occultis: si de publicis, organo Datarii), sunt: 1) Episcopus in sua Diœcesi, et Vicarius capitularis, Sede vacante; 2) Prælati regularium in suos subditos, si habeant jurisdictionem quasi episcopalem; 3) quilibet a superiore ecclesiastico delegatus, si tonsuratus. Excipe nisi ab ipso Pontifice Ordinario Ordinariorum sit illis limitata potestas, si nempe Pontifex dispensationem sibi reservavit. Quæ

[1] Si causa non sufficit ad integram dispensationem, votum partim dispensari et partim commutari potest. Ad legitimam commutationem atque dispensationem hæc tria maxime sunt consideranda, nempe: *quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundum utilitatem.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 254 et n. 262. — Bouix, *De Episcopo*, p. 3ª, c. 23.

quidem ex consuetudine ubique recepta, ac canonico Jure [1], præter solemnia, sunt 1) *votum Religionem approbatam ingrediendi;* 2) *votum perpetuæ castitatis;* 3) *votum peregrinationis Hierosolymitanæ*, id est *ad Terram Sanctam;* 4) *votum peregrinationis ad Limina Apostolorum;* 5) *votum peregrinationis ad S. Jacobum Compostellanum.* Quæ tamen reservatio utpote odiosa, stricte accipienda est et interpretanda; ideoque extendi non debet, nisi ad vota proprie dicta, absoluta, omnino libera, perfecta, determinata: et quoad substantiam, non vero quoad circumstantias, ita ut si in hisce ex parte deficiant, quamvis valida, non tamen sint reservata Papæ, sed in illis poterit Episcopus dispensare [2].

Generatim Episcopus nequit dispensare valide in votis reservatis; ideo enim vota hæc dicuntur reservata, quia solius Pontificis eorum dispensatio propria est. Excipe urgentem necessitatem, uti si non sit facilis accessus ad Papam; et in mora sit periculum gravis damni spiritualis vel temporalis, proprii vel alieni. Tunc Episcopis, et omnibus Episcopalem jurisdictionem habentibus, censetur communiter tradita facultas in votis iis, licet perfectis, absolutis ac determinatis dispensandi, ad grave illud damnum impediendum [3] *(L).*

74. Q. 5. *Quid de voti irritatione?*

R. Voti irritatio est *ejusdem rescissio facta ab eo, qui potestatem habet in voventem*, vel *in ipsam materiam voti.* Hoc jus in natura fundatum est ex Angelico [4]; nam est de Jure naturæ, quod in superiore sit dominativa potestas, qua quidem ipse nequit se expoliare: hinc valide semper irritat vota subditorum, licet ratificaverit.

Voti irritatio duplex: una *directa* quæ nonnisi mediate cadit in personam voventis; altera *indirecta*, quæ nonnisi mediate cadit in voventem, et directe in ipsam voti materiam. Hoc posito:

1. Omnis superior potestate dominativa præditus in voluntatem alterius, ut est superior regularis vi voti obedientiæ, potest omnia

[1] *Extrav. Comm.*, l. v, tit. 9, cap. 5. — *V.* Pavone, *La luce* ecc., § 198.

[2] Diximus: 1) *vota proprie dicta:* unde non esset reservatum votum emittendi votum reservatum; quia non esset votum factum, sed faciendum. Item est, si non sit principaliter emissum in honorem Dei; 2) *absoluta:* unde vota non sunt Pontifici reservata, si sint pœnalia; vel conditionata, probabilius etiam conditione impleta; 3) *libera omnino:* unde vota non sunt reservata, si sint emissa etiam sub levi metu ab alio incusso; 4) *perfecta:* unde non essent reservata, si emissa sub levi obligatione; vel si non sint completa in suo genere. Hinc votum castitatis, si non excludat omnem actum venereum, non est reservatum: quare non censetur Pontifici reservatum votum non nubendi, non adulterandi, non fornicandi, non petendi debitum, nec votum quod indirecte tantum castitatem respicit, uti esset votum sacros Ordines suscipiendi; 5) *determinata:* hinc non esset reservatum votum disjunctivum; 6) *quoad substantiam:* unde quamvis sint reservata vota, non tamen reservatæ sunt circumstantiæ ipsorum, uti peregrinandi mendicando; item si quis voveat ingressum in Religionem arctiorem, potest Episcopus dispensare, ut etiam benigniorem is ingrediatur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 257 et seqq.

[3] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 256; l. VI, nn. 807, 808, 1025 et 1059.

[4] 2, 2, q. 189, a. 5. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 227, 239.

subditorum vota directe irritare. Vota igitur inferiorum, quorum voluntas vi status perfecte superiori subjacet, semper hanc tacitam involvunt conditionem: *nisi superior contradixerit;* et ideo semel irrita reddita non amplius reviviscunt. Hinc vota particularia regularium possunt irritari a summo Pontifice, a superioribus domus vel Ordinis, et item ab Episcopo, si Ordines illi sint subjecti [1].

2. Quivis alius superior vel dominus irritare poterit indirecte omnia subditorum vota in iis, in quibus ejus potestas læditur; quia quisque jus habet, ne in suo dominio offendatur: hinc v. g. herus potest irritare vel suspendere vota famulorum (ut votum quotidie Missam audiendi), si inde obsequium ipsi debitum impediat vel minuat. Sed vota hæc reviviscunt, quando sine alterius præjudicio adimpleri possunt: quæ ideo voti potius suspensio, quam proprie irritatio dici deberet.

Nota. Vota subditorum etiam sine causa valide irritari possunt; quia censetur semper emissa sub conditione consensus superioris; unde obedientia stat pro causa. Attamen in praxi difficulter poterit a peccato id excusari; esset enim actus otiosus, et irrationabiliter profectus alterius impediretur. Sed in sententia forte probabiliori, secluso scandalo aut contemptu, superior irritans sine causa non peccat nisi venialiter, etsi vota positive probaverit; quia semper disponit de jure suo. Hæc tamen vota quoadusque irritentur, probabilius cum d. Thoma valida sunt in iis, quæ superiorum mandatis atque jurisdictioni non præjudicant; quia subditi non carent voluntate, sed eam tantum subjicere debent superiori, quando ipse contradicit.

75. Q. 6. *Quinam possunt vota filiorum-familias irritare?*

R. Vel agitur de filiis-familias, qui adhuc impuberes sunt; vel de filiis-familias, qui jam ad pubertatem pervenerunt:

Si 1, pater (et in ejus defectu avus paternus) potest directe vota omnia filiorum irritare sive personalia sive realia, etiam adepta pubertate; in illa enim ætate deesse censetur perfecta deliberatio ad tantam obligationem suscipiendam; ideo ad talem defectum lex prospexit, præbendo parentibus facultatem irritandi [2]. In dubio, utrum votum ante, aut post pubertatem emissum sit, adhuc in patre ea facultas existit, quia antecedenter possidet potestas paterna.

Si 2, non possunt neque indirecte parentes irritare *vota personalia*, v. g., castitatis, frequentiæ Sacramentorum, etc. (nisi domesticæ rerum procurationi graviter adversentur, uti esset votum peregrinationis vel diuturnæ absentiæ); jam enim in ea ætate filii propriæ saluti consulere valent, et quoad eam sunt sui juris. *Ex quo homo*

[1] Attamen votum transeundi ad Religionem strictiorem ex c. *Licet* XVIII *de regul.* nequit irritari a Prælato religioso. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 233.
[2] Caus. 20, c. 2, *Puella*, q. 2.

venit ad annos pubertatis (ait d. Thomas), *si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis quantum ad ea quæ pertinent ad suam personam, puta quod obliget se Religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat* [1].

Possunt tamen irritare indirecte *vota realia;* quia in minori ætate constituti filii-familias bonorum suorum carent administratione, nisi agatur de peculio castrensi aut quasi-castrensi, vel de filio jam a patria potestate legitime subducto [2].

Quæ de patre dicta sunt respectu filii-familias, eadem valent de tutore respectu minoris; cum succedat in locum patris. Imo probabilius est, hanc potestatem etiam matri inesse saltem quoad vota personalia, licet patre existente; cum ipsi quoque matri filii teneantur obedire, et Angelicus indistincte parentibus hanc facultatem faciat; sed cum hoc discrimine, quod potest pater irritare vota filiorum, contradicente matre; sed non sic mater, patre contradicente [3].

76. Q. 7. *Quidnam potest maritus circa vota uxoris?*

R. Filliucius, Layman, Lessius, Sporer, Voit aliique docent: maritum nonnisi indirecte posse irritare vota suæ uxoris, quatenus nempe sibi præjudicant; sic enim satis est provisum mariti juribus. Sed probabilior saltem extrinsece videtur contraria sententia Azorii, Grassi, Ledesmæ, Sa, Sanchez, Soti, etc., qui docent, maritum posse directe irritare omnia vota uxoris post matrimonium emissa: licet neque usui matrimonii, neque prolis educationi, neque domesticæ administrationi adversentur, et licet essent exequenda post ejus mortem: *Evidentissime apparet,* ait d. Ambrosius apud Salmanticenses, *ita virum esse caput mulieris, ut nulla vota abstinentiæ vel religiosæ conversationis liceat sibi sine ejus licentia Deo offerre.* Et doctor Angelicus [4]: *Nullum votum Religiosi est firmum, nisi de consensu Prælati; sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec uxoris, nisi sit de consensu mariti.* Ratio est illud Apostoli: *Mulier debet esse subjecta viro, sicut membrum capiti* [5]; ergo sicuti capiti subduntur omnes corporis actiones, ita etiam mulier viro, adeo ut hic illi directe dominetur quoad omnes voluntatis actus. Et hoc etiam maxime conducit ad bonum pacemque familiæ.

Diximus: *post matrimonium emissa;* vota enim ante emissa, non potest vir directe irritare, cum non fuerint emissa tempore subje-

[1] 2, 2, q. 88, a. 8. [2] Can. 2, caus. 20, q. 2.

[3] Eandem facultatem tribuunt, si alii desint, magistro cum discipulo, et hero cum servo parvulo. — *V.* Suarez, *De Relig.*, tract. VI, l. VI, c. 6.

[4] 2, 2, q. 88, a. 8, ad 3. Quod tamen hic tradit maxime de filiis, intellige quoad dispositionem domesticam, non autem quantum ad ea, quæ pertinent ad suam personam; nam quoad hæc homo, et ex quo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis.

[5] Eph. v. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. v, n. 36; *Op. Mor.*, l. III, n. 234.

ctionis; etsi possit eorum suspendere executionem, si præjudicant ejusdem potestati. Item dicendum si dubitetur, an vota sint post conjugium emissa; quia tunc possessio mariti est dubia, ideoque quoadusque probetur, prævalet certa et anterior mulieris possessio; neque enim vir semper habuit auctoritatem super mulierem quam duxit, sicut illam jugiter habet pater respectu filii.

Uxor autem, utpote sub viri potestate, nequit directe irritare illius vota; hoc enim esset dominatum exercere. Poterit tamen indirecte, casu quo adversentur usui matrimonii et internæ domus procurationi, cum harum rerum et uxori suæ sint partes. Esset votum magnæ abstinentiæ, induendi habitum heremiticum, etc.

77. *Quid* (quæres) *de voto castitatis a conjugibus emisso?*

R. Vel votum istud emissum est a conjugibus mutuo consensu; vel emissum est ab uno tantum conjuge.

Si 1, communis est sententia, votum illud esse validum, et a neutro revocari posse; quia virtualiter uterque cessit juri suo. Non desunt tamen qui volunt adhuc posse maritum irritare votum uxoris suæ; cum hæc irritatio fundata sit in ipso jure, quo se vir nequit irrevocabiliter expoliare; quia tamen hoc est contra communem sententiam, ideo illud sapientibus remittimus.

Si 2, validum erit votum quoad petendum debitum; suspenditur vero quoad reddendum usque ad mortem conjugis non voventis: unde talis vovens debet reddere, non tamen petere. Rationem affert Angelicus inquiens: *Non peccat reddendo, quia hoc necessitatis est; peccat autem exigendo, quia hoc est voluntatis* [1], quæ quidem est ligata per votum præcedens. Conjux tamen non vovens, poterit votum hujusmodi irritare; cum ipsi onerosum sit, maxime si sit vir, qui voverit; quia valde gravosum est uxorem cogi semper ad petendum. Imo censent Salmanticenses, tale votum esse invalidum, utpote de materia inepta, si non consenserit compars.

CAPUT TERTIUM

DE JURAMENTO.

Art. I. — *De definitione, divisione, honestate, necessitate et requisitis.*

78. Q. 1. *Quid est juramentum, et quanta ejus efficacia?*

R. Juramentum definiri solet cum Angelico: *Invocatio Divini Nominis ad fidem dictis faciendam, vel ad firmandam promissionem* [2].

[1] Quodl. 3, a. 18. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 235, 239.
[2] 2, 2, q. 89. — *V.* Del-Bene, *Tractatus de juramento, in quo et de ejus et voti relaxationibus* etc.; *nec non de mendacio, perjurio, adjuratione*, etc., *eruditissime tractatur.*

Assumptio divini Nominis potest etiam fieri tacite et implicite, si nempe juretur per creaturas, prout hæ referuntur ad Deum: talis invocatio in eo sita est, quod jurans velit Deum id quod jurat attestari, non præcise per miraculum, quod est tentare Deum: sed quando et quomodo eidem placuerit, sive in hac sive in alia vita. Unde patet maximam juramenti efficaciam; adducitur enim ipse Deus, falli et fallere nescius in testimonium. Hinc Apostolus: *Omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum* [1].

Ex tradita definitione constat, non omnès locutiones, quæ per quemdam juramenti modum efferuntur, verum esse juramentum. Videlicet intentio ipsa loquentis imprimis inspicienda est: quia (pro foro saltem interno) juramentum vere et proprie non habetur, nisi duo interveniant, nempe et intentio saltem virtualis jurandi, et locutio qua Deus expresse vel tacite in testem adducatur, quæcunque verborum formula adhibeatur. Hinc colliges non vere jurare qui diceret: *juro ita esse per conscientiam meam, in conscientia, super conscientia mea, in rei veritate, in fide veri probi vel sacerdotis;* nam hic Deus nec tacite, nec expresse in testem vocatur.

Neque vere jurare censebitur qui jurat per *creaturas*, si tales sint, ut in iis speciali modo non elucescant divina attributa, v. g., si quis dicat: *juro per hanc herbam, per hunc equum, per hunc lapidem.* Si vero creaturæ sint nobiliores et tales, ut specialiter in iis divina elucescat natura, verum erit juramentum, ut si quis dicat: *Juro per animam meam, per cœlum, per templum, per sanctos, per crucem, per Evangelium, per fidem catholicam.* Ratio disparitatis: locutiones prioris generis non censentur factæ cum ulla relatione ad Deum; at locutiones aliæ talem in loquentis animo relationem ex se exhibent (unde in dubio intentionis sic accipiendæ sunt). Nam *anima* est spiritus de ejus spiritu; *cœlum* est ejus habitatio; *terra* illius scabellum; *templum* illius domus; *sancti* de ejus sanctitate participant; *crux* illius patibulum est; *Sacramentum* ipse instituit; *Evangelium* ipse dictavit; *fidei* ipse est consummator [2].

79. Q. 2. *Quotuplex est juramentum?*

R. Juramentum multipliciter potest spectari:

1. Ratione *formæ* qua concipitur, aliud est verbale, reale, vel mixtum: aliud explicitum vel implicitum: aliud solemne vel simplex: aliud contestatorium, execratorium vel comminatorium.

1 Hebr. VI. Juramentum a *jure* deducitur, vel quia jus veritatis redditur Deo, vel quia jure inductum est ad veritatem firmandam, vel quia quod juratur, facit jus ac legem. Qui porro non credit in Deum (si quis revera sit) inaniter jurat, quia ex se nomen inane usurpat.

2 « Attesochè cerle persone poco istruite, principalmente i giovinetti, s'accusano d'aver giurato pronunziando alcune locuzioni triviali. è bene l'avvertirle che cotali parlari non sono giuramenti, avvisandole però che non si debbono mai applicare alle cose sante, e che non convien proferirle contro chicchessia. » Ita *Gousset.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 135.

Verbale solis verbis conflatur. *Reale* includit aliquam corporis actionem, v. g., erectionem digitorum, crucis contactum, Evangelii deosculationem. *Mixtum* coalescit ex verbis simul et corporis actione: hæc jurandi ratio a jurisperitis modus vocatur *corporaliter* jurandi.

Explicitum est cum quis Deum conceptis verbis vocat in testem, ut si dicat: *testis est mihi Deus.* Est *implicitum* cum quis jurat per creaturas, sed quatenus in iis elucet speciale Dei attributum.

Solemne conjungitur cum cæremoniis quibusdam, v. g., cum Missa, cum præcedenti Communione. *Simplex* vero puram Dei invocationem præfert verbis vel signis.

Contestatorium Deum simpliciter vocat in testem. *Execratorium* (dicitur etiam *imprecatorium)* vocat Deum in testem, et etiam in vindicem perjurii, v. g.: *Deus me morte puniat hoc loco, si mentior.* Huc spectat formula: *ita me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia:* sicut enim qui hæc pronuntiat, bonum sibi ominatur, si verum dicat; ita malum sibi imprecatur, si mentiatur. *Comminatorium* est cum sub attestatione divini Numinis alteri minatur pœnam, v. g., *juro per Deum, quod nisi hoc tu feceris, pœnas lues* [1].

2. Ratione *temporis*, quod in juramento indicatur; et aliud est assertorium, aliud promissorium. *Assertorium* vocat Deum in testem rei præteritæ, vel præsentis, v. g.: *testor coram Deo, me non esse talis criminis reum.* E contra *promissorium* Deum vocat in testem rei futuræ, quæ juramento promittitur: *Juro ac testor coram Deo, me Superioribus meis semper obtemperaturum in omnibus.*

3. Denique ratione *loci*, ubi fit; et juramentum aliud est *judiciale*, si in judicio; aliud *extrajudiciale*, si emittitur extra judicium. Et ipsum juramentum judiciale duplex in foro externo dividitur, prout nempe defertur ab una litigantium parte, vel ab ipso judice: si 1, dicitur *decisorium*, quia ab eo dependere censetur decisio causæ; si 2, dicitur *ex officio*, quia judex illud defert ex officio suo [2].

Omnia numerata juramenta per se loquendo sunt ejusdem speciei; cum omnia Dei veracitatem respiciant.

80. Q. 3. *An juramentum sit res bona et honesta?*

R. De fide est contra nonnullos hæreticos juramentum esse bonum et honestum; ac licitum esse jurare, debitis intervenientibus conditionibus [3]. Constat:

1. Ex *Scriptura:* in veteri Testamento legitur: *Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies, ac per Nomen illius jurabis* [4]. Et in novo habemus inter cetera illud Pauli: *testem Deum invoco in animam meam: quæ.... scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior* [5].

[1] Si hæc verba proferantur a parentibus in filios, ordinarie non obligant; quia vel fiunt ob res inutiles, vel calore iracundiæ, vel cum intentione simpliciter terrendi. — *V.* Liguori. *Op. Mor.*, l. III, n. 139.

[2] Juramentum judiciale multiplex est: aliud est *calumniæ*, aliud *malitiæ*, aliud *veritatis*. *Primum* illud est quod ponunt litigantes, qui nempe jurant se non calumniandi animo aut nocendi, sed ex bona causa et bona fide litem agere ac sustinere. *Secundum* est illud quod uni parti in lite defertur, quia suspicionem tribuit quod aliquid dicat aut faciat malitiose. *Tertium* est juramentum testium qui jurant de tota veritate dicendo circa illam rem, de qua interrogantur. — *V.* Schmalgrüber, *Jus eccles. universum;* De juramento calumniæ.

[3] Est contra Pelagianos, Waldenses, Anabaptistas, Quacheros, Anglicanos, Americanos, etc. — *V.* Bergier, *Dizionario Encicl.* V. *Giuramento.*

[4] Deut. VI. [5] II, Cor. I; et Gal. I.

2. Ex *Patribus:* unum proferimus Augustinum, qui scribit: *Invenimus jurasse Sanctos, jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum; non ergo est peccatum jurare* [1].

3. Ex *ratione:* nam ipsa dictante, actus ille bonus est et honestus, qui Deum maxime honorat, et ejus attributa veneratur. Atqui tale est juramentum; in quonam enim ejus natura sita est? In hoc, quod Deus habeatur, credatur et invocetur uti summa æterna Veritas in testimonium alicujus rei. Unde dicitur: *laudabuntur omnes qui jurant in eo* [2]. Merito ergo a Concilio Constantiensi damnata est hæc Wiclephi propositio: *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus et commercia civilia.*

81. Q. 4. *Quinam jurare possunt ac debent?*

R. Ad 1: Si de Jure naturæ sermo est, omnis homo rationis particeps jurare potest; nam Jure naturæ quilibet ratione utens confirmare potest dictum suum per testimonium majoris Veritatis, nempe Divinæ. Si vero sermo est de Jure positivo, ordinarie repelluntur a juramento in judicio ferendo: 1) *impuberes* ob defectum maturitatis; 2) in causa criminali *etiam puberes*, qui nondum ad ætatem annorum viginti pervenerint, exceptis casibus quibusdam gravioribus, uti si agatur de aperiendo crimine læsæ majestatis, vel de revelatione domini occisi [3]; 3) *perjuri*, quibus nulla fides [4]. Ceteri omnes generatim loquendo jurare possunt, cum hac tamen advertentia: quod olim juramentum simplex præstari poterat etiam per procuratorem; nunc semper personaliter præstari debet [5].

Diximus: *generatim loquendo;* videndum enim, si adsint speciales leges quoad aliquas personas ratione status, cui sint addictæ.

R. Ad 2: Regulariter urget obligatio jurandi: 1) quoties id necessarium est ad subveniendum proximo: idque ex lege charitatis; 2) quoties a superiore legitime exigitur: sic ordinarie ad juramentum obligantur tum illi, qui in aliqua communitate recipiuntur, puta collegio, ut ita illius statutis adamussim studeant; tum illi, qui aliquo publico officio donantur, uti Episcopi, Canonici, Beneficiati, Confessarii, Medici, Testes, etc. Hoc sane valde confert, ut omnes proprium munus pro conscientia adimpleant; hinc propositio 75 Synodi Pistoriensis, in qua improbantur hæc juramenta, merito a Pio VII damnata fuit [6].

82. Quod speciatim ad *ecclesiasticos* pertinet, clerici absque licentia Ordinarii, Episcopi absque licentia Papæ (sicut religiosi absque

[1] Serm. CLXXX.
[2] Ps. LXII.
[3] L. XX *de testib.* L. X *de quest.* L. XIV *de Senat. cons. Silaniano.*
[4] *Cod. pœn.* art. 374.
[5] *Cod. civ.* art. 1362. — *C. M.* 2398.
[6] *Lege civili pœnali,* art. 233, officialis publicus qui munus suum exercet ante præstitum juramentum mulctatur.

licentia sui Prælati) in judicio jurare non debent coram judice non suo, etsi ecclesiastico. Id colligitur ex Jure canonico, ubi generatim dicitur: *Episcopus inconsulto Romano Pontifice, vel quisque clericus inconsulto Prælato suo, minime jurare audeat:* quod magis verum est, si sit jurandum coram judice laico [1]. Huic porro responsioni conformis est Instructio S. Congregationis Immunitatis [2], quoad Episcopos maxime, data pro regno Pedemontano 14 junii 1823. Ratio est, quia juramentum judiciale est coactivum et necessarium, quod a judice imponitur; at non est decens ut laicus hanc potestatem exerceat in clericos sine licentia illorum Prælatorum.

Clericus tamen qui sine tali licentia coram judice laico comparet et jurat (vel jurat indebito modo sine gravi causa), peccat; at nullam incurrit pœnam ipso facto, cum nulla sit statuta; nec etiam vitiatur processus aut judicium irritum fit; cum nullibi invalidetur. *Layman, Barbosa, Perhing.* Ubi illud etiam notandum, quod si clericus citetur ut testis in causa criminali, incurreret irregularitatem (etsi juret ex superioris licentia), si non præmittat suæ juratæ depositioni protestationem præscriptam a Bonifacio VIII, se nempe id haud agere ad vindictam nec ad pœnam sanguinis; sed vel ad justitiæ publicæ utilitatem, vel ad sui aut suorum defensionem [3].

Diximus. *in judicio;* etenim si ecclesiastici contractum ineant cum laicis, possunt jurare etiam sine consensu Episcopi, ut notant Vivianus, Layman et Perhing; nam hoc juramentum est voluntarium et nullo jure prohibetur clerico. Imo hanc regulam generalem ponit Wagnereck, quod justa causa exigente, possit clericus sine licentia superioris jurare, ubicumque hoc a canonico Jure expresse non prohibetur; ratio est, quia in his, quæ sunt in genere permissorum omnia intelliguntur permissa, nisi sint expresse prohibita, uti expresse prohibetur juramentum fidelitatis laicis factæ [4]. Igitur (concludit Schmalgrüber) nisi speciali lege prohibeatur clericis, possunt jurare, imo quandoque debent, quando illud lex jubet et huic per consuetudinem non est derogatum quoad clericos: sic ecclesiastici indiscriminatim jurare solent, quoties aliquod munus, etiam civile, suscipiunt.

83. Q. 5. *Quænam sunt debitæ conditiones juramentorum?*

R. Conditiones ad juramentum tradidit Deus: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate et in judicio et in justitia* [5]. Ubi sic scribit s. Hieronymus: *Animadvertendum est, quod juramentum hos habeat limites, veritatem, judicium atque justitiam: si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium.* Et violaretur secundum Decalogi præceptum: *non assumes Nomen Dei tui in vanum; non enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit Nomen Domini Dei sui.*

[1] Hæc præscriptio in Italia est in sua viridi observantia; non item extra, ut dicunt: alicubi enim nonnisi particulares Synodi id præscribunt, quibus utique parendum est; alicubi tacent omnino. — *V.* De-Bruck, *De l'Etat religieux en Belgique au XIX siècle*, n. 22. Bruxelles, 1864.

[2] Cap. 1 *de jejurando calumniæ;* Inhærentes. — V. *De immunitate ecclesiastica ex Tridentino et RR. Pontificum Constitutionibus.* Taurini, Fontana, 1850.

[3] Cap. *Nullus* XXII; c. *Prælatis. V.* disputata Lib. I, nn. 520 et 527.

[4] Cap. *Inter corporalia* II *de transl. Episc.* — Ferraris; V. *Testis,* a. 2, n. 38. — *De juramento fidelitatis* vide dicenda Lib. IV, *Append.*, ubi plura.

[5] Jer. IV. — *V.* Veith, *S. Scriptura contra incred. vindicata,* in III, Reg.

84. Q. 6. *Quid de veritate requisita ad jurandum?*

R. Veritas hic tota subjectiva est, non objectiva; in eo nempe consistit, quod jurans certus sit de veritate rei, quæ sui juramenti materiam constituit. Non autem requiritur certitudo absoluta et omnino infallibilis, quæ nempe adstruitur ex argumentis metaphysicis et physicis, alioquin fere nunquam liceret jurare; sed sufficit moralis, id est tanta veri probabilitas, quæ ad certitudinem moralem pertingat, sive quæ in mente jurantis est prudens æstimatio seu judicium ipsi dictans esse verum quod juramento affirmat vel negat. Unde excludit quidem omne mendacium in ipso jurante, non autem excludit omnem errorem qui esse potest in ipsa re [1].

85. Q. 7. *Quid dicendum de restrictionibus aut æquivocationibus in juramentis?*

R. Restrictio mentalis definitur: *actus mentis, quo quis suum sermonem detorquet vel restringit ad sensum diversum ab eo, quem verba nude ac prima fronte spectata, præseferunt.* Duplex est: alia late, seu non pure mentalis, quæ nempe ex modo interrogandi vel respondendi, ex usu recepto vel ex aliis circumstantiis ab auditoribus generatim intelligi potest, etsi defectu advertentiæ, non percipiatur; v. g., si petenti mutuandam pecuniam respondeam: *Non habeo*, subintelligendo, *quam tibi mutuo dare velim.* Alia est pure mentalis, quæ ex nullis adjunctis ab auditore intelligi potest: ut si quis interrogatus, an rem surripuerit, respondeat *se non surripuisse,* intelligendo se sinistra manu non surripuisse.

Ad restrictionem mentalem revocatur æquivocatio seu amphibologia (id est sermo ambiguus diversos habens sensus). Hæc alia est *indeterminabilis* seu stricte dicta, si ejus genuinus sensus ex nullis indiciis potest dignosci; alia late dicta seu *determinabilis*, si verus sensus ex exterioribus circumstantiis satis potest deprehendi. Porro æquivocatio late dicta generatim tripliciter contingere potest: — 1) cum verbum habet duplicem sensum omnino diversum: v. g. verbum *volo*, sonat tam *velle*, quam *volare* in persona prima numeri singularis modi indicativi, temporis presentis; — 2) cum sermo ipse duplicem sensum exhibet, v. g., si dicam: *hic liber meus est*, duo possum significare valde diversa, scilicet vel me esse dominum libri, vel me esse ejusdem auctorem; — 3) cum vocabula ha-

1 Imo volunt posse a nobis affirmari cum juramento etiam quod audivimus a persona ita fide digna, ut moraliter certos nos faciat: si tamen excipiatur materia judicii, ubi juramentum quod exigitur, est de certitudine propria, et juxta gradum suum: *quando si tratta di testimonianza in giudizio, si debbono esporre i motivi della propria testimonianza, onde i giudici possano debitamente apprezzarla.* Gousset. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 147, etc.

bent duplicem sensum, unum magis communem, alium vero minus: seu unum literalem, alium spiritualem, uti cum dixit Christus de Joanne Baptista: *ipse est Elias.* Hoc etiam sensu viri pii dicunt cibos delicatos sibi nocere, idest spiritus mortificationi. Quibus positis, dicimus:

1. Si sermo est de restrictione pure mortali (quod item de æquivocatione stricte dicta dicendum est paritate rationis), certum est eam nunquam licitam esse, vel etiam sine juramento, ut constat ex propositionibus 26, 27 et 28 damnatis ab Innocentio XI. De hac etiam ait Ecclesiasticus: *Qui sophistice loquitur, odibilis est* [1]. Sane sic loqui mendacium est; cum ita falsum exprimatur, ut sensus in mente habitus nullo modo percipi possit ab auditoribus.

2. Si sermo sit de restrictione non pure mentali et æquivocationibus late dictis, commune est vel apud ipsos rigidiores, licere ex juxta causa, ac per se loquendo illis uti etiam cum juramento; tunc enim non decipimus proximum nostrum, sed permittimus ut decipiat ipse se: nec tenemur ex alia parte ad mentem aliorum loqui, justa extante causa. Nec mendacium est: nam sensus in mente retentus ex adjunctis satis percipi potest: unde prudens tantum est veritatis occultatio. Idque probat exemplum ipsiusmet Christi Domini: nonne restrictionibus hujusmodi usus est tum quando rogatus, ut ad quandam festivitatem ascenderet, respondit: *non ascendo*, et tamen ascendit; subintelligendo *palam* et *manifeste*, sicuti interrogatio præseferebat, et eruitur ex textu, et exponunt Chrysostomus, Theofilactus et Eutimius [2]? Tum quando rogatus de die judicii extremi respondit: *de die illo..... nemo scit neque Filius*, subintelligendo *ad manifestandum*, sicuti volebant Discipuli, uti interpretantur Hieronymus, Augustinus, Ambrosius et Basilius [3]? Adde Sanctorum doctrinam. Augustinus ait: *Quamvis omnis, qui mentitur velit celare quod verum est: non tamen omnis, qui vult quod verum est celare, mentitur* [4]. Et d. Thomas: *Aliud est veritatem tacere, aliud falsitatem proponere.* Idem: *Non est licitum mendacium dicere ad hoc quod aliquis alium a quocunque periculo liberet; licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut Augustinus dicit in*

[1] Eccl. XXXVII. — *V.* Ferraris; V. *Restrictio mentalis.* — Carrière, *De Justitia*, n. 937.
[2] Joann. VII. — *V.* Corn. A-Lapide, in hoc loco. Veith, *Sacra Scriptura contra incredulos vindicata; De libro Tobiæ*, n. 21, ubi quærit, an a mendacio excusentur quæ Angelus Raphael de se affirmat.
[3] Marci, XXIV. « Con queste parole, dice Bergier *(Dizionario Encicl.* V. *Agnoetes)*, il Salvatore voleva reprimere l'indiscreta curiosità de' suoi Discepoli, facendo loro comprendere che non era a proposito, ch'egli rivelasse loro questo segreto. La sua risposta ha lo stesso senso di quella di un padre, che dice ad un figlio di troppo curioso: *non so nulla.* » Gousset.
[4] L. *contra mend.*, c. X. — *V.* Voit; et Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 153.

Libro de mendacio [1]. Adde inconvenientia, quæ secus evenirent; si nempe non liceret, justa extante causa, uti tali restrictione, nullus esset modus secretum honeste celandi, quod quis sine damno vel incommodo aperire nequiret: hoc autem humanæ societati non minus esset perniciosum, quam ipsum mendacium. Si ergo tali uti restrictione bonum est, nihil officit, quod etiam juramento firmetur quotiescunque id circumstantiæ postulaverint. Non tamen est negandum majorem causam requiri ad æquivocandum cum juramento quam sine juramento; quia divinum testimonium a nobis non est ita facile usurpandum.

Diximus 1: *Ex justa causa*, ne temere inducatur tergiversandi locus; nam licet id non sit mendacium, aliquod tamen detrimentum affert communi convictui, et aliquatenus derogat humanæ fidei, cum semper auditores non possint esse ita cauti, ut omnes æquivocationes cavere possint. Justa autem causa loquendi ambigue esset, ut dicunt communiter, quicumque finis honestus ad servanda bona quæ nobis prosunt, vel etiam ad se liberandum ab importuna, fastidiosa et injusta interrogatione. Docent tamen probabilius contra Vivam, Cajetanus, Lessius, Lugo, Salmanticenses et Sanchez, quod per se si sola causa desit, tergiversatio non sit nisi venialis; quia defectus est tantum in discretione.

Diximus 2: *Per se loquendo;* nam æquivocis verbis sub gravi prohibemur uti: *a)* si inde auditores in aliquod grave damnum inciderent: hoc enim charitatis præcepto tenemur avertere; *b)* quando contractus mutuos celebramus; debemus enim ex justitia verba ad mentem contrahentis nude proferre, ne eum decipiamus; *c)* quando judex vel superior communitatis in rebus sui officii legitime interrogant: uti si ad sacros Ordines promovendus interrogetur de natalibus, de irregularitate, vel volens contrahere matrimonio interrogetur de impedimentis. Tunc debemus in sensu interrogantis clare respondere: secus justitia publica ac bonum communitatis nimis frequenter a discolis læderetur: etiam reus tunc veritatem nude fateri tenetur, idque probabilius, etsi ideo grave ipsi immineat damnum [2].

86. Q. 8. *Quid de judicio in juramento?*

R. *Judicium hic non sumitur pro executione justitiæ*, inquit Angelicus, *sed pro judicio discretionis* [3]; cum enim juramentum sit res sanctissima, non debet fieri absque prudentia, consideratione ac reverentia: quæ tria in discretionis judicio continentur. Quare ju-

1 2, 2, q. 69, et 110, a. 2. — Lessius, *De Justitia;* disp. *de veritate*, ubi plura.
2 *V.* Lib. I quæ disputata sunt *de judice*, n. 521.
3 2, 2, q. 89, a. 3. — *V.* De-Lugo, *De fide*, disput. IV.

raturus debet diligenter perpendere: 1) an juramentum sit necessarium ratione proprii officii, vel ut fides verbis suis adhibeatur; 2) an notabilis spes affulgeat fore, ut alii credant; 3) an rem juramento promissam tempore suo præstare valeat, ne in discrimen juramenti violandi adducatur.

Ubi tamen non desit, nisi judicium in juramento, ut si quis juret absque necessitate, ex quadam levitate, vel consuetudine, non erit, ut plurimum, nisi veniale ex communi sententia cum s. Antonino: quia gravem injuriam contra Deum continere non videtur. *Ut plurimum;* quia in consuetudine frequenter jurandi adest periculum scandali et perjurii: sub quo respectu juramentum judicio destitutum potest esse etiam mortale, sicut advertit Augustinus. Hinc Scriptura: *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa...; vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga* [1]. Et laudatus Doctor: *Istam consuetudinem jurandi avertite a vobis, amputate a linguis vestris, circumcidite ab ore vestro* [2]

87. Q. 9. *Quid de juramenti justitia?*

R. Juramenti justitia in eo consistit, ut res jurata sit justa et honesta. Hujus defectu peccat in juramento promissorio mortaliter: 1) qui jurando promittit se quidpiam mali esse facturum, v. g., homicidium, sive animum habeat implendi, quia Deus invocaretur ut patronus iniquitatis, sive non habeat, quia tunc esset perjurium; 2) qui juramento utitur ad consummandum peccatum etiam veniale; quia sic jurans, quantum in se est, Deum facit complicem peccati sui. Neque tenet juramentum; cum non sit obligatorium contra bonos mores nec vinculum rerum vanarum. Hinc probabilius non obligat promissio jurata prodigi; quia est saltem leviter mala [3].

88. Q. 10. *Quid de perjurio?*

R. Perjurium generatim sumptum, licet sit quodlibet juramentum destitutum veritate, justitia et judicio; attamen ex s. Thoma [4], a falsitate præcipue specificatur perversitas illius; cum ista intimius ejus substantiam inficiat. Ideo perjurium proprie erit juramentum veritate destitutum: quod quidem ex natura sua mortale est; quia semper irrogat Deo injuriam, eum in testem falsitatis adducendo. Neque parvitas materiæ excusat, quia semper graviter repugnat Deum testificari falsum; unde ait Augustinus: *peccatum perjurium et grande*

[1] Eccli. XXIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 145.
[2] Serm. CLXXX *De verb. Dom.* — *V.* Salvatori, *Istruzioni* ecc., § 16.
[3] Neque tenet juramentum, si quis juret contra evangelica Consilia; quia est impeditivum inspirationis cœlestis: nisi sit in favorem tertii, ut si obligaveris tuum famulatum alicui; tunc ille jus jam acquisiisset. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 146.
[4] 2, 2, q. 89, a. 7. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 150.

peccatum nemo dubitat [1]. Et Innocentius XI hanc damnavit propositionem sub n. 24: *Vocare Deum in testem mendacii levis non videtur tanta irreverentia propter quam velit aut possit damnare hominem.*

Diximus: *ex natura sua:* potest enim perjurium esse culpa venialis per accidens, ob defectum nempe plenæ deliberationis vel consensus: tale est in quibusdam rusticis perjurii malitiam non percipientibus. Quare non debent confessarii statim illos de gravi peccato monere, si pejerandi consuetudine teneantur, ne illorum peccata formalia evadant; sed sensim sine sensu fortiter insistendo, ut falsum jurare desistant eos curare studeant, media apta suggerendo, v. g., ut statim dictum retractent, veniam petant, se pœniteant, vel orationem aliquam recitent, vel toties determinatam eleemosynam pauperi tribuant, etc. *(M).*

89. Ipsa lex civilis graviter in falsos testes perjuros animadvertit, nempe interdictione a publicis officiis, a juramento præstando et ab ipso deferendo, item carcere et mulcta pecuniaria [2]. — Et Synodi Diœcesanæ (ut Novariensis, pag. 216) generatim reservant *juratam falsi in judicio depositionem, veri reticentiam factam ab accusatore vel teste, inductionem falsi testis jurati in judicium.* — Jure tandem canonico perjurii sunt infames, arcentur a testimonio ferendo, et ab ecclesiasticis Beneficiis [3].

Art. II. — *De juramenti obligatione, extinctione, interpretatione et de adjuratione.*

90. Q. 1. *An res juramento promissa sit præstanda sub gravi?*

R. Si res juramento promissa gravis est, utique sub gravi præstari debet: cum juramentum nedum gravis promissionis vim minuat, imo potius eandem augeat, et servet ad pacta firmanda. Unde legitur in Scripturis: *reddes Domino juramenta tua* [4].

Si vero res promissa est levis, alii dicunt cum Bonacina, Lessio, Toleto, et d. Thoma ac *Catechismo Rom.*, rem juramento promissam, etsi levem, sub gravi esse præstandam; quia aliter semper violaretur juramentum, in quo non datur materiæ parvitas; vocaretur enim Deus in testem falsitatis, si veritas non conformaretur rei promissæ. Alii cum s. Antonino, Antoine, Billuart, Layman, Sanchez, Sylvio, Soto, Suarez et ceteris negant dicentes, tunc tantum perjurium committi, cum Deus vocatur in testem mendacii: atqui

1 Sermone CLXXX.
2 *Cod. pœn.* art. 374.
3 Can. VII, caus. 22, q. 3. — *V.* Devoti, *Inst. Can.*, l. III *de perjurio.*
4 Matth. v. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 172. Ad juramenta promissoria revocantur juramenta fidelitatis subditorum erga principes; de his erit Lib. IV *Append.*

hic non vocatur Deus in testem mendacii; nam si jurans actu juramenti habuit voluntatem implendi, et postea promissa non implet, non committit mendacium, sed tantum infidelitatem, quæ (cum res promissa non sit gravis ex hypothesi) protrahi nequit ad culpam gravem. Qua ratione hæc sententia fortasse probabilior est.

Quidquid sit, certum est, eum qui ex multo quod promisit, non omittit nisi quidquam parvum, non peccare mortaliter: v. g., siquis jurasset se nunquam vinum esse bibiturum, non peccabit mortaliter parum vini bibendo: quia gravitas non afficit, nisi materiam ipsam universim sumptam [1].

91. Q. 2. *Quid de juramento metu gravi et injusto extorto?*

R. Distinguendo: vel agitur de juramento, quod a Jure sive civili sive ecclesiastico irritatur utpote metu sic extortum; vel de juramento agitur, quod nulla lege prohibetur.

Si 1, certum est, nullum esse juramentum, quia est contra leges illud infirmantes ob bonum commune; ideoque est de illicito. Hoc sensu non obligat juramentum metu gravi et injuste extortum super professione religiosa, sponsalibilus, matrimonio, etc.

Si 2, d. Antoninus, Sanchez aliique plures tenent neque tale juramentum valere: nam juramentum naturam actus sequi debet: atqui actus extortus ex gravi metu injusto est invalidus: ergo et juramentum. Adde: juramentum hoc est actus prorsus inutilis, cum illico retractari possit: sic, v. g., post pecuniæ traditionem vi juramenti latroni a te factam, eandem pecuniam tu a latrone, etiam vi adhibita, statim recuperare potes: ad quid ergo eam illi tradidisti? Verum longe probabilius alii cum Angelico, Billuart, Lugo, etc., docent, juramentum illud obligare *erga Deum;* est enim regula generalis, quodlibet juramentum esse servandum quando potest sine peccato; tum ne in testem mendacii adducatur Deus; tum quia bonum est servare promissum [2]. Adde Jus canonicum: in eo dicitur Ecclesia juramentum metu initum facile relaxare: ergo illud supponit validum [3].

Diximus *erga Deum*, non erga hominem: quare si quid injuste coactus Titio jurasti et tribuisti, recte tribuisti; nam reddidisti Domino juramentum tuum: sed postea potes repetere in judicio solutum; ne iniquitas iniquo patrocinetur. *In juramento*, *quod quis*

[1] Non peccat contra juramentum qui urbanitatis causa juravit se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc., si ab altero coactus prius sedeat, bibat vel ingrediatur; quia plerumque juramentum est nullum defectu aut intentionis jurandi aut materiæ aptæ; vel si valeat, ab altero relaxatur. Arcendi tamen sunt homines ab hisce formulis, cum dedeceant. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 180.

[2] 2, 2, q. 89, a. 7.

[3] *Decretal.*, l. I, tit. 24 *de jurej.*, c. 15.

coactus facit, ait Angelicus, *duplex est obligatio: una quidem qua obligatur homini, cui aliquid promittit, et talis obligatio tollitur per coactionem, quo ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur; alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per Nomen ejus promisit, et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ; quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel Prælato denunciare, non obstante quod contrarium juravit; quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra justitiam publicam* [1]. Et Alexander III de juramento loquens metu extorto ait: *Non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, ut servatum vergat in interitum salutis æternæ* [2].

92. Q. 3. *Quomodo juramentum extinguitur, et cessat?*

R. Juramentum iis ferme modis cessat, quibus votum. Nempe:

1. *Cessatione causæ finalis;* nam sine causa non subsistit effectus: uti si, v. g.: quis juraverit, se puniturum esse discolos, sed isti emendentur.

2. *Mutatione notabili;* nam talis mutatio aliud facit objectum, ad quod jurantis intentio non se extendit. Hinc non obligatur juramento qui juratas promisit nuptias puellæ diviti, sanæ, virgini, bonæ famæ, si has dotes amittat. Item non peccat qui secretum juratum detegit, si non potest illud servare sine gravi suo, vel alterius damno; quia ipsa promissio secreti obligat tantum sub conditione, *nisi graviter noceat:* nisi agatur de secreto consilii, quod in omni casu ob publicum bonum expedit observare.

3. *Irritatione,* quæ fit a quolibet dominatum habente in jurantem; et licet agatur de contractibus, si ab eodem possint irritari.

4. *Commutatione,* vel *dispensatione,* quæ quidem dantur ab habente jurisdictionem in externo foro [3].

93. Q. 4. *Quomodonam juramentum interpretandum est?*

R. Juramentum interpretandum est secundum quod est usu receptum; sic enim recte creditur esse mens jurantis. Item in favorem illius, qui illud emisit: cum sit vinculum propriæ voluntatis. Hinc commune est in juramento promissorio sequentes conditiones

[1] 2, 2, q. 89, a. 7. — Hinc si quis metu mortis latroni juravit, se ei daturum pecuniam, et insuper se velle illi consociari in furtis, non valet juramentum de societate inuenda, quia est de illicito; valet tamen de pecunia solvenda, quia hanc dare potest sine peccato; igitur qui illam dare renuit, petat dispensationem.

[2] *De jur.* c. 1 et 8. — *V.* Suarez, *De Juramento,* lib. II, c. 11.

[3] Huc revocanda jam dicta de voti extinctione ac interpretatione. Sed potestas obtenta dispensandi in votis non complectitur potestatem dispensandi in juramentis, cum sit diversum vinculum. Sacra Pœnitentiaria relaxat juramenta, quæ non sint in favorem tertii ex Bulla *Pastor* Benedicti XIV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 181, 187.

semper tacite intelligi, nempe: 1) *si potero*, quia nemo censetur se ad rem vel etiam moraliter impossibilem obligare; 2) *salvo jure superiorum;* 3) *si is, cui promissio a me fit, eam acceptet vel non remittat;* 4) *si res non fuerit notabiliter immutata;* 5) *si alia pars fidem servaverit*, casu quo agatur de promissione reciproca.

94. Q. 5. *Quid de adjuratione* [1]*?*

R. Adjuratio ex Angelico est *invocatio Dei, vel rerum Sacrarum vel Sanctorum ad inducendum aliquem ad aliquid.* Alia est *solemnis*, quæ fit ab Ecclesia modis constitutis, ut in exorcismis; alia *privata*, quæ fit a quocunque sine solemnitate: alia *deprecativa*, si precibus; alia *imperativa*, si imperio fiat. Adjuratio est actus Religionis; cum sic aliquem movere intendamus per Dei reverentiam et timorem.

Privata unicuique cum causa licita est; sicuti enim juramento promissorio licet se compellere ad aliquid, ita licere debet alios compellere adjuratione. *Solemnis* vero fit tantummodo ab Ecclesiæ ministris ad id deputatis, ut cum per exorcismos adjurantur dæmones ad eos fugandos: quam potestatem Christus Ecclesiæ suæ tribuit illis verbis: *In nomine meo dæmonia ejicient* [2]. Hinc Tertullianus ait: *Dæmones adjurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus* [3].

CAPUT QUARTUM

DE SANCTIFICATIONE FESTORUM.

Articulus I. — *De natura et vi hujus præcepti.*

95. Q. 1. *An præceptum Festorum sit naturale, an positivum?*

R. Cum d. Thoma: *Præceptum de sanctificatione sabbati est partim morale, partim vero cæremoniale: morale quidem est* (idest *naturale*, sub quo respectu in tertio Decalogi præcepto ponitur) *quantum ad hoc, ut homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum Divinis; sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, est præceptum cæremoniale: et quatenus cæremoniale ab Ecclesia fuit abolitum* [4]. Nempe loco sabbati substitutus est dies dominicus; quam substitutionem ab ipsis Apostolis factam fuisse, præter usum universalem in Ecclesia per totum orbem diffusa, pro-

[1] 2, 2, q. 90, a. 1. — Quæ de juramento diximus, huc possunt de facili revocari. Porro per se sola creatura rationalis est idonea, ut adjuretur: quia hæc sola potest percipere divina eorumque reverentia et amore impelli ad agendum. Res autem inanimes hoc sensu solum adjurantur, ut adjuratio dirigatur ad naturam rationalem, quæ illis præsidet, easque movere potest. Huc pertinet adjuratio s. Brixii, qui infantem triginta dierum adjuravit, ut diceret, si ipse esset pater ejus, ut sparserant; cui infans respondit *non*. Continebat hæc adjuratio tacitam orationem, qua Deus rogabatur, ut infanti vocem daret. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 193.

[2] Marc. XVI; et Luc. X. [3] *Apologet.* c. XXXII.

[4] 1, p. q. 22, a. 4. — *V.* Perrone, *De virtute Religionis*, n. 218 — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 263.

bant antiquissima documenta ac patrum testimonia, quæ fuse prosequitur Suarez [1]. Et in hac quoque longe probabiliorem ac communem sententiam concedit *Catechismus Romanus;* unde observantia dominicæ ab Ecclesia dispensari potest, quamvis dispensari nequeat quod nullus sit dies festus. Ideo concludendum:

1. Temporis determinationem ad Deum colendum, ac modum cultus relictum Ecclesiæ fuisse. Et sane quamvis ratio dictet, Deum esse adorandum, et aliquod temporis cultui ejus esse devovendum (quod vel ipsi gentiles agnoverunt [2]); non præcipit tamen specialiter, quod sit integra dies, hoc potius tempus quam illud, hoc potius modo quam altero. Erat ergo Ecclesiæ id determinare, ne fideles in re adeo essentiali fluctuarent omni vento doctrinæ.

2. Nos, juxta Ecclesiæ determinationem, festa colendo et ipsi naturali , ac divino præcepto rite satisfacere; quod etiam eruitur ex verbis d. Thomæ, qui ut certo supponit Ecclesiæ præscriptionem versari circa hoc naturale ac divinum præceptum, non ejus necessitatem, sed omnes illius substantiales circumstantias determinando. Causa cur sabbato fuit substituta dominica, nobis suppeditat s. Leo Magnus [3]: *In hoc* (die dominico) *per resurrectionem Christi et mors interitum et vita sumpsit initium; in hoc mandatum accipiunt Apostoli prædicandi Evangelium in universo mundo; in hoc potestatem dimittendi peccata; in hoc promissus a Domino Spiritus Sanctus advenit, et Evangelica Lex in die Pentecostes promulgata est.*

96. Q. 2. *Quisnam potest festa religiosa instituere?*

R. Certum est, principem sæcularem non posse Festa Ecclesiæ instituere, dispensare, nec imminuere aut transferre; cum nulla ei sit in spiritualibus potestas: unde quando mandat abstinere ab operibus servilibus, id civiliter est intelligendum, quoad politiam nempe externam; non vero quasi obliget in conscientia.

Habet autem potestatem hanc Pontifex pro tota Ecclesia, cum ipsi dominici gregis cura demandata sit. Pro festis particularibus suæ Diœcesis Episcopus, at modo accedat Cleri populique consensus si agatur de festo perpetuo; et modo res sit (ut verius dicunt) de festo alicujus *Sancti*, non *Beati* [4]. Episcopos tamen monet Urbanus VIII, ut abstineant a novis festis ob multa incommoda, quæ inde oriri solent. Et in pluribus Synodis (uti in Novariensi, pag 67) omnis vis adimitur festis particularibus, quæ speciali Episcopi approbatione munita non sint.

97. Q. 3. *An præceptum sanctificandi Festa obliget sub gravi?*

R. Præceptum sanctificandi Festa obligare sub gravi est certissima

[1] Suarez, *De Religione*, tr. I, l. II, c. 4.
[2] *V.* Eusebius, *Præpar. evangel.*, l. I, c. 9.
[3] Epist. *ad Diosc.* — *V.* Ferraris; V. *Sabbatum.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 265.
[4] C. *Conquæstus de fer.* — *V.* Bouix, *De Jure liturgico*, c. 4; — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 266. Episcopus pro festis generalibus totius Ecclesiæ nihil potest; cum agatur de lege superioris; et contraria propositio Synodi Pistoriensis sub. n. 74 est damnata uti *falsa, juri Conciliorum generalium et ss. Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.*

Theologorum doctrina ac fidelium persuasio. Hinc Innocentius XI damnavit hanc sub n. 52 propositionem: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Est autem observandum, nomine *Festorum* præter dies dominicos, eos etiam intelligi, quorum sanctificationem præcipit Ecclesia intra hebdomadam vel in honorem Sanctorum, vel ad memoriam alicujus Redemptionis nostræ mysterii [1].

Hoc præceptum, quatenus ab Ecclesia determinatum, obligat omnes fideles rationis compotes, id est circa finem septennii; tunc enim possunt illud modo humano observare [2].

98. Q. 4. *Ad quid obliget præceptum sanctificandi Festa?*

R. Præceptum sanctificandi Festa nos obligat sub gravi ad duo: 1) ad audiendum Sacrum; 2) ad abstinendum ab operibus, quæ dicuntur servilia. Utrumque præceptum est [3]: utrumque usu et praxi fidelium confirmatum. Et hæc duo tantum ex vi præcise hujus præcepti esse præstanda, non videtur posse dubitari: *Præter hæc*, ait clarissimus Roncaglia, *nihil aliud importare obligationem sanctificandi festos dies, est communis Doctorum sententia.* Vel ipsi rigidiores non audent damnare de mortali eos, qui hæc solum agerent; cum tamen apud omnes in confesso sit, violationem Festorum in re gravi gravem esse. Ita inter alios Antoine, Billuart, Cajetanus, Pontas, Cuniliati ac Concina qui aperte fatetur, quod nostræ sententiæ communiter accedunt tum Theologi tum Casuistæ omnes.

Sed (dices) *nonne saltem concio est de necessitate audienda in Festis, ut ista dicantur sanctificari?*

R. Sunt qui affirmant, et probant tum ex Tridentino, quod jubet Parochis ut illis diebus concionem habeant, quod frustra fieret, si fideles eam audire non tenerentur; tum ex Nicolao I ad Consulta Bulgarorum, ubi idipsum præcipitur. Nos tamen dicimus, quod ex se loquendo festis diebus nulla adest obligatio concionem audiendi, quasi nempe non interessentes graviter ac precise delinquant contra speciale præceptum sanctificationis Festorum; nam nullibi legimus præceptum stricte tale. Tenentur quidem Episcopi et Parochi Verbum Dei *singulis diebus dominicis et solemnioribus festis* per se vel alios

[1] Objectum Festorum sunt non tantum Deus, sed etiam B. Virgo et Sancti, in quibus ipse Deus mirabilis exhibetur. Universali autem consuetudine sancitum est, ut quævis Ecclesia in honorem alicujus Mysterii, vel Sancti aut Sanctæ erigeretur: si *prius*, persona divina aut mysterium dicitur Titulus aut Titularis Ecclesiæ; si *posterius*, Sanctus vel Sancta vocatur Patronus vel Patrona Ecclesiæ et loci ab ea dependentis. — *V.* Benedictus XIV, *De Festis.* — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 270. — Ferraris; V. *Festa, Festivitates.*

[2] Quoad pueros vide disputata Lib. I, n. 203; Liguori, l. III, n. 290.

[3] C. *Vice illius de tregua*, etc. *Si quis de consecr.*, disput. I; et c. 3. *Licet de feriis.* De Sacri auditione diximus *de legibus*, disp. II. — Hic vide *Operette* di Emmanuele Mariano d'Itturiaga, vol. II: *Dissertazione sulla Santificazione delle Feste.*

Si festum ob diem impeditum transferatur in aliud quoad officium, non trasfertur obligatio audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus. Est commune, et talis est Ecclesiæ praxis: vide Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 267.

si legitime impediantur, populo annuntiare; sed communis sententia docet, non teneri fideles his concionibus interesse, nisi quatenus quisque tenetur discere necessaria ad salutem: nec ea discere potest, quin concionibus illis ac præsertim Catechesibus intersit; et nisi quatenus absentia potest scandalum procreare, uti in parvis præsertim oppidis solet contingere.

Adde: hanc esse fidelium etiam timoratorum persuasionem negari nequit, qui illico se graviter peccare percipiunt, si non abstineant a servilibus, vel Sacrum non audiant: non ita tamen, si una vel altera vice, etiam sine necessitate, concionibus non intersint. Adde: quot sunt ex ipsis ecclesiasticis, qui non semper concioni intersunt? qui si una vice Sacrum omittant audire vel celebrare festo die, peccatum suum (utpote mortale) fatentur; sed nunquam de concionis omissione se accusant: quæ quidem si essent in præcepto, vel unam omittere mortale esse deberet, sicuti mortale est vel unam omittere Sacri auditionem. Nec dicant, quod ipsi instructi jam sunt; non enim hic agitur de necessitate instructionis, sed de necessitate sanctificationis festorum: hoc porro præceptum sanctificandi Festa nullam personam excipit, non clericum, non sacerdotem, non episcopum, non doctum, non indoctum.

Hæc dicta sint, ut qua par est, veritas aperiatur, ac ne laqueum animabus imponamus. Ceterum alia ratione fideles ad concionibus et præcipue catechesibus interessendum compellendos esse censemus, opportune et importune; nam ex una parte instructione maxime indigent, ex alia solis festis diebus instructio habetur. Unde si quæstio sic instituitur: 1) *tenenturne fideles concionem et instructionem audire festis diebus?* nostra responsio generatim est affirmativa; at si quæratur: 2) *estne de necessitate concio audienda in festis, ad hoc præcise, ut ipsa dicantur sanctificari?* respondemus negative. Quare in festis qui Missam audit et a servilibus abstinet, non peccat contra speciale præceptum de observantia festorum; etsi facile possit graviter peccare contra alias virtutes et obligationes sui status, concionem, catechesim et cetera pietatis opera omittendo: et ideo omni modo ad ea in festis peragenda sit compellendus.

Rem totam concludens ait episcopus Bouvier:

1) *Vi præcepti divini aut ecclesiastici fideles non teneri prædictis diebus interiores actus fidei, spei, charitatis, aut contritionis elicere; quia nullibi legimus tales actus his diebus esse præceptos; nec sacram concionem audire ob eandem rationem...;* 2) *eos qui diebus dominicis et festis ab operibus servilibus abstinent et Missam debito modo audiunt, cunctis aliis Religionis operibus neglectis, licet reprehensibiles, præcepto de sanctificandis præfatis diebus satisfacere quoad substantiam, ita ut mortaliter non peccent. Absolvi ergo et ad Communionem paschalem admitti possunt, si nihil aliud obstat: quamvis fortiter hortandi sunt ad ea præstanda vel fugienda, quæ optimi christiani præstare et fugere solent, et ad quæ sancta Mater Ecclesia tam sollicite et constanter incitat...;* 3) *patere quanti momenti sit distinctio a s. Thoma inducta inter rem præceptam, et finem præcepti sub præcepto non contentum, quam distinctionem plurimi Theologi non attendentes in vagam abeunt doctrinam vel rigidiores emittunt sententias (N).*

Ceterum valde etiam congruit, ut festos dies (prout scite notat *Stapf*) « pia mentis hilaritate et indiciis etiam externis, e. g. elegantiori vestitu, etc., præ reliquis insignire studeamus; sunt enim dies ordinis sublimioris, et adumbratio quædam cœlestis illius sabbati, cujus tanto desiderio tenemur. Sane etiamsi hæc externa tantum sint, destina-

tioni tamen festorum apprime respondent, et siquidem ex animo vere devoto procedant, aliquam divini cultus partem constituunt. Vel quid convenientius, quam ut pro dignitate ipsius diei etiam vestitus et tota conservatio nostra nihil omnino, quod vulgare atque quotidianum sit præseferat? »

Art. II. — *De operibus quæ diebus Festis vetantur, et de causis ob quas illa permittuntur.*

99. Q. 1. *Quotuplex operum genus quoad festa distinguitur?*

R. Quadruplex operum genus quoad festa distinguitur:

Alia sunt *opera corporis*, quæ corpore præcipue exercentur, et ordinantur immediate ad corporis utilitatem, uti suere, fodere, metere, vineas colere, filum digito torquere, et ceteræ artes mecanichæ, ut sunt opera fabrorum, sutorum, sartorum, etc. Dicuntur *opera ruralia* vel *servilia;* quia ut plurimum a servis præstari solent.

Alia sunt *opera animæ*, quæ ab anima præsertim procedunt, et primario ad excolendum intellectum ordinantur, uti docere, legere, scribere, canere. Hæc dicuntur *opera liberalia;* quia exerceri solent a liberis, et mente potiusquam corpore.

Alia sunt *opera media*, quæ etiam dicuntur *communia:* et sunt ea, quæ a servis simul et a liberis promiscue exercentur, uti venari, iter facere, militare, gladiari et similia.

Alia denique sunt *opera forensia*, quæ scilicet ad forum judiciale, vel etiam ad mercaturas spectant.

100. Q. 2. *Quid dicendum de operibus servilibus in Festis?*

R. Opera servilia proprie dicta prohibentur diebus festis, uti constat ex veteri lege et canonico Jure [1]. Quod præceptum fideles obligat: 1) integro die festo, id est ab hora duodecima noctis præcedentis usque ad horam item duodecimam noctis sequentis, ut usus universalis se habet; 2) sub mortali quia tendit in debitum cultum ex virtute Religionis Deo exhibendum, et res est ex genere suo gravis. Nihil vero refert, utrum hæc opera fiant ex lucro, an recreationis causa; an bona, an mala animi intentione; an corporis defatigatione, an ejusdem solatio: nam istæ rerum circumstantiæ non immutant eorundem operum naturam [2].

An (quæres) *liceat currus vel jumenta ducere cum onere in festis?* Alii docent id illicitum esse, cum tantum servis proprium sit: unde iter inceptum tantum permittunt continuari, si sine damno interrumpi

[1] Levit. XXIII. — Et cap. 1 *Omnis*, de feriis.
[2] *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXV. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 267.

non potest. Alii e contrario id absolute permittunt, vel ob publicam utilitatem, vel ob timoris gravis damni, vel ob vigentem nec reprobatam consuetudinem. Hoc valet etiam de nautis.

An vero liceat molere in festis, alii cum Sanchez affirmant, si mola aqua vel vento volvatur: quia tunc cooperatio hominis modica est: imo alii cum Croix, satis probabiliter dicunt, quod quando cooperatio hominis est modica, non sit illicitum, saltem graviter, etiam cum bestiis molere. At Lambertini id permittit tantum ex necessitate, vel ex legitima inducta consuetudine [1].

101. Q. 3. *Quid dicendum de operibus liberalibus in festis?*

R. Opera liberalia nulla lege prohibentur diebus festis, et ubique etiam a timoratis exercentur. Quare licebit:

1. Disputare, docere, cujuscumque scientiæ studio operam navare, concionari, advocatos consulere, canere, instrumenta musica pulsare et alia similia, licet omnia fiant ad lucrum captandum; quia intentio operantis non mutat operis naturam, ex Angelico.

2. Scribere, et in probabiliori et communissima sententia etiam transcribere; cum utrumque referatur ad mentis instructionem, et praxis probet. Plures admittunt etiam notas musicales efformare, ac libros in bibliotheca ordinare.

3. Delineationes artificum, v. g., architectorum, pictorum, sculptorum, fabrorum, etc., in charta exarare (vulgo *disegnare);* quia in hoc magis quam corpus, mens exercetur. *Sculpere* autem communiter inter servilia amandatur, saltem in æstimatione hominum.

102. Q. 4. *An liceat pingere, characteres collocare et componere in festis diebus?*

R. Ad 1: Pingere communius docent cum Suarez, Sanchez et Salmanticensibus esse opus servile; hoc enim requirit actionem materialem. Sed satis probabiliter negant Layman, Sa, Palaus, Roncaglia, Anacletus et Holzman: pingere probabilius videtur esse actio media et communis, cum tam a servis quam a liberis usurpetur.

Vel dicendum potius opus liberale, quatenus tendit ad animum recreandum, et magis in eo mens operetur, quam manus [2]: quod quidem extendunt quoque ad artem fotographicam, etsi tot apparatus prærequirat. Excipiunt tamen tingere pannos, dealbare parietes, colorare asseres, quæ in communi æstimatione inter servilia recen-

1 *Notificatione* LXV. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 277.

2 Saltem, ut dicit Roncaglia, non sunt dimittendi sine absolutione qui hanc opinionem ut probabilem sequuntur. Communiter autem admittunt Sporer, Potestas, Mazzota et alii cum Tamburini et Viva non esse opus servile delineare, retrahere imagines vel exemplaria acu, ut solent fœminæ; hæc enim, ait Tamburini, magis referuntur ad exercendum ingenium, quam ad operandum. Excusant etiam Azor, Filiucius, Sylvius puellas acu pingentes, ut addiscant, vel ut otium fugiant. Hic maxime videndus usus regionum; et si scandalum oriatur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 280 et 283.

sentur. Item excipe laborem notabilem in præparandis coloribus et tabulis dolandis.

R. Ad 2: Plures permittunt typos seu characteres descomponere compositione facta; item illos ordinare et componere, cum sit quædam quasi scriptio ordinata ad mentem instruendam: excipe nisi aliter, ut apud nos, se habeat consuetudo. At vetita est *impressio;* neque enim immediate concurrit ad instructionem; sed efficit tantum quoddam artefactum corporale: ideo ars prorsus mechanica est.

103. Q. 5. *Quid dicendum de operibus communibus in festis?*

R. Cum Angelico: *Opera etiam corporalia ad spiritualem Dei cultum non pertinentia in tantum servilia dicuntur, in quantum proprie pertinent ad servientes; in quantum vero sunt communia servis et liberis, servilia non dicuntur* [1]; ideo licita sunt festis diebus. Sed magna quæstio in iis assignandis: qua in re consulenda est consuetudo legitima et communis æstimatio. Hinc permittunt ludere, itinerari pedibus, equo, curru vel navi; cum hoc sit commune omnibus, et id negantes pharisaicæ superstitionis arguat Concilium Aurelianense *(Orléans)* tertium nationale, anno 538 celebratum.

Quid (quæres) *de venatione et piscatione?*

R. Communius et probabilius venatio in festis permissa est sive retibus sive armis agatur, tum ex consuetudine, tum quia non habetur opus servis proprium. Pariter probabilius est licere piscationem ex ipsa consuetudine, si moderato labore fiat: si enim fieret nimia defatigatione, prohibita esset: secus frustra Alexander III olim dispensasset quoad piscationem alecium [2].

104. Q. 6. *Quid de operibus forensibus in festis?*

Præter opera servilia in jure prohibentur festo die etiam opera forensia. Sunt: 1) *actiones judiciales*, quæ respiciunt causas tam civiles quam criminales, attamen si strepitum requirant. Hinc ajunt ordinarie licere emancipare, appellare, dispensare, privatim informare, eligere, excommunicare, etc.; cum hæc fiant sine strepitu; 2) *mercatus*, qui fiunt cum strepitu [3]. Horum omnium ratio est, quia multum animum distrahunt a festorum sanctificatione. Ex consuetudine tamen permittuntur nundinæ universales, imo alicubi etiam mercatus hebdomadarii (sed apud nos transferuntur).

Quoad mercium vero venditionem, Ecclesia eam prohibuit in publicis tantum officinis ratione scandali: unde, ut usus fert, vendi possunt clausis januis, maxime cum emptores pro tunc indigeant; exclusis semper horis divinorum Officiorum [4].

[1] 2, 2, q. 122, a. 4.

[2] C. III *de feriis.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 286.

[3] C. I, II et uit. *de feriis;* et Benedictus XIV Constitutione *Ab eo tempore*, 1745, ubi plura. — Schedoni, *Delle influenze morali*, t. II: *Le Feste.*

[4] Hoc probat Benedictus XIV, *Notificatione* XLIII. Synodus Novariensis, pagg. 63 et 389. — Et lex civilis Pedemontana, *RR. Const.*, l. I, tit. 2 *(Circolare* del 13 maggio 1852).

Nota. Nomine *mercatus* communius non veniunt locationes, conductiones et similia; quia sic fert sapientum consuetudo, qua contrariis decretis Pii V, et Rituum Congregationis derogatum fuisse videtur. Hinc multi docent licitos esse contractus omnes, qui fiunt sine instrumento et judicis auctoritate, eadem ferme ubique consuetudine probante. Imo Viva asserit ex communi, quod permittitur conficere testamenta, contractus celebrare, aliosque similes actus facere, qui non requirunt strepitum judicialem [1]: *Revera*, concludit Sanctus noster, *ubique inter nos in festis stipulantur instrumenta; quamvis notarii alicubi soleant petere ab Ordinario generalem licentiam, quæ ceterum communiter ipsis conceditur (O).*

105. Q. 7. *Quænam causæ opera servilia in festis permittunt?*

R. Ex communi acceptione recensentur: dispensatio, pietas, charitas, necessitas, consuetudo, utilitas ac rei parvitas. Ubi notamus quod non ideo censetur dispensatus a Missa qui in opere servili dispensatur; sunt enim diversa præcepta.

1. *Dispensatio:* hanc possunt elargiri: 1) Pontifex maximus pro tota Ecclesia; 2) Episcopus et Vicarius capitularis pro sua Diœcesi; ac Prælati Regularium pro suis subditis ex communi sententia [2]; 3) Parochus, sed non ex suo officio, bene vero ex consuetudine, quæ solum permittit, ut dispenset ad tempus, et pro casu aliquo peculiari et eventuali: poterit tamen semper declarare pro omnibus, quando hæc obligatio obtineat necne; cum sit doctor. Hæc autem notanda ex Synodo Novariensi: — *a)* ut quisque adeat suum Parochum pro hac facultate obtinenda, neque illam audeant concedere confessarii; — *b)* ut Parochus quibus illam concedit, moneat, non eos ideo solutos ab auditione Missæ; — *c)* ut dispensatio tribuatur pro ratione necessitatis: unde si necessarius labor spatio aliquot horarum peragi potest, reliqua diei pars Deo sacrata maneat; — *d)* ut si universa multitudo operatura sit, nec ulla instet necessitas, ad Episcopum fiat recursus. Urgente tamen necessitate, sufficit dispensatio certo præsumpta [3].

[1] Quæ sunt de strepitu judiciali non solum canonica, sed ipsa civili lege prohibentur; vide *Codice di proced. civ.*, art. 42.

[2] Episcopus etiam habet, ut dispenset vel in festis communibus, sed cum hoc discrimine, quod in festis communibus, ad dispensationem validam, requiratur justa causa: in festis vero Synodalibus seu peculiaribus suæ Diœcesis, vel absque causa dispensationem valide concedat. Ratio primi est, quia dispensat in lege non sua, ideoque est simplex executor; ratio secundi, quia dispensat in propria lege, ideoque dominus est. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 288. — *V.* Lib. I, n. 252.

[3] Pag. 67: *Quando avvi evidente necessità di lavorare, non corre bisogno di dispensa; eccettochè, avuto riguardo allo spirito del paese, non nasca scandalo a lavorare senza permissione.* Gousset (quod scandalum in omni casu cavendum est, quoties laborare permittitur, ut nempe vel secreto fiat, vel de causa moneantur fideles, nisi evidenter ipsa publico appareat). Addit autem: *Un Parroco zelante di uno zelo secondo la scienza, dispenserà facilmente i suoi parrocchiani dall'obbligo di astenersi dalle opere servili*

2. *Pietas in Deum*, juxta illud: *Sacerdotes in Templo sabbatum violant, et sine crimine sunt* [1]. Hac ratione permittuntur opera, quæ proxime pertinent ad Dei cultum, v. g. pulsare campanas, crucem circumferre, ornare altaria, hostias coquere, verrere templum, sternere tapeta, tabulata ad festivitatem erigere, etc.: talis est etiam consuetudo. At probabilius non licet agros Ecclesiæ colere, parietes Ecclesiæ dealbare, ligna, saxa ad ejus ædificationem vehere, etc., nisi adsit necessitas vel magna utilitas ab Episcopo probata; hæc enim nonnisi remote ad pietatem in Deum concurrere censentur.

3. *Charitas:* per charitatem in proximum licet expedire causas pauperum, orphanorum et viduarum: item eorum indigentiæ subvenire per opera servilia, vestes, v. g., conficiendo, etc. Licet fodere sepulturam; necessaria facere ad infirmos sublevandos et similia; cum enim charitas sit finis præceptorum, nihil eam debet impedire. Quod tamen de communi necessitate non est intelligendum; alioquin festa corruerent, cum hæc necessitas quotidiana sit: et hoc nobis videtur certo probabilius. Ideo necesse est, ut noscatur talis pauper graviter egens in particulari, vel gravis et impellens indigentia alicujus communitatis.

4. *Necessitas* (intellige, si gravis): hæc sive propria sive aliena, sive corporis sive animæ, excusat a servilibus die festo; nam festa propter homines, non homines propter festa: et aliunde fatentur omnes, legem humanam cum tanto detrimento non obligare. Hinc dicimus non peccare: 1) eos, qui propter præteritam, vel imminentem pluviam fœnum vertunt et congregant, etiam domum si opus, transvehendo; aut soli exponunt frumenta et alia grana, quæ secus tabem aliquam contrahere possent ex humore non satis exsiccato [2]; 2) famulos, qui coguntur a domino laborare metu gravis incomodi, v. g., ne dimittantur sine spe faciliter et brevi invenien di cui serviant. Idem dic de uxoribus et filiis coactis a patre ad laborandum, quod tamen non sit in contemptum Religionis; 3) pauperes, qui aliter se suosque sustentare non possunt [3], remoto tamen scandalo,

le domeniche e le feste di precetto, nel dubbio se v'ha o no la necessità di lavorare, quando evvi motivo di temere che i fedeli non commettano molti peccati mortali lavorando senza PERMISSIONE. Si tamen tempus adest, esset recurrendum ad Episcopum, ex dictis.

[1] Matth. XII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 302.

[2] « Nei giorni in che i frutti della campagna corrono pericolo di perire per le intemperie della stagione, fa mestieri che il buon Pastore designi per gli offici le ore più acconce, ond'altri non sia obbligato a lasciare la Messa, o a subire grave danno; in sì fatti casi usi grande indulgenza. » *Dieulin.*

[3] Ex hoc capite excusantur etiam: — 1) rusticani illi, qui pondere onusti ad Parociam a montanis non revertuntur, nisi mane diei dominicæ et illico post vesperas iterum ad montana sarcina onusti se conferunt, ne diem perdere cogantur; — 2) alpini illi, qui in montibus admodum dissitis armenta pascunt, quæ nonnisi alterne deserere possunt, ut ideo ad propria redeant festa sanctificaturi; — 3) pauperculæ

ideo curare debent, ut secreto laborent; 4) eos, quorum opera semel incepta interrumpi nequeunt absque gravi damno, uti coquentes lateres, calcem, vitrum; bombycibus folia ministrantes, et gas ad illuminationem parantes. Item permittitur equos calceare itinerantium, reficere vomeres eorum, quibus aliter die sequenti cessandum esset a labore; item reparare vias, pontes, aquæductus; expurgare fossas, urgente necessitate, et machinas officinarum expolire, si necessarium sit pro labore sequentis diei; 5) pistores, qui ex usu recepto panem recentem habere tenentur, nisi velint officinam ab emptoribus relinqui; 6) sartores, qui conficiunt vestes die tali omnino necessarias, ut funebres vel nuptiales, si ea nequeunt terminare, nisi festo laborent [1]. Non excusantur vero illi, qui post mediam noctem sabbati laborant, ut vestes promissas exhibeant, nisi rationabiliter timeant graves rixas, blasphemias, vel aliud notabile damnum; 7) tandem eos, qui conficiunt pastillos, si tamen opus sit ad publicam abundantiam.

5. *Consuetudo.* Ad rem Gerson: *De operibus servilibus non exercendis diebus dominicis et festivis plus et frequenter determinat consuetudo loci et personarum a Prælatis tolerata, quam alia lex scripta* [2]. Hac ratione excusantur: 1) quædam nundinæ publicæ, nec non quidam contractus emptionis-venditionis; 2) quæ ad domus nitorem pertinent, uti cubilia sternere, vasa lavare; 3) quæ respiciunt personæ compositionem, ut vestes pulvere purgare, et barbam et capillos tondere etiam in publicis officinis, prout hodie universim obtinet; 4) licet parare cibos, et coquere (hoc etiam necessitas urget); item animalia occidere et excoriare, si pridie non possit, vel tempus sit æstivum: item irrigare olera, floresque colligere; item uti lectica ab hominibus portata: item colligere fructus etiam non necessarios ad usum diei, ut integriores serventur, et hoc magis ne ab aliis subripiantur vel a pluvia contaminentur: item uvas calcare, si instet opportunum tempus. Ceterum notandum, non unam esse omnium locorum consuetudinem.

6. *Utilitas:* quæ excusat, præsertim si publica, v. g., si agatur de communi lætitia, puta de celebranda principis victoria, de paranda solemni pompa pro receptione Episcopi vel Regis; cum hæc

matres quæ tota hebdomada mercede conductæ, nonnisi in festis filiorum vestes consuere possunt: his tamen non subito fides adhibenda, cum non semper vera necessitas sit.

1 Est graviter increpandus eorum abusus, qui absque necessitate non tantum in multam noctem quæ festum precedit; sed ipso festo laborant vacationem in feriam secundam tanto cum animæ propriæ detrimento, aliorumque scandalo transferentes. Festa frustra non profanantur.

2 *Reg. Mor.*, de præc. Decal. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 289.

sint lætitiæ signa moraliter ad populi pacem necessaria. Sed utrum excuset etiam utilitas privata, nempe occasio magni lucri acquirendi, negandum, alioquin semper liceret laborare diebus festis, cum quiescendo non parum lucri semper amittatur. Tamen id merito permittunt cum Billuart, Pontas aliisque, si agatur non de mercede diurna et consueta, sed de lucro extraordinario occurrente repente et transitorie, uti est in quibusdam regionibus piscatio lignorum, quæ nisi fiat statis anni diebus, quibus alluvio magna ex improviso contingit, nulla amplius fieret [1].

7. *Rei parvitas:* omnes fatentur hoc præceptum materiæ parvitatem admittere, ac proinde ejusdem violationem ex genere suo mortalem evadere posse venialem defectu materiæ. Pro materia gravi alii ponunt tres horas, quod est nimis laxum: alii unam horam sed hoc est nimis rigidum; alii communius duas horas (sive continuas sive discontinuas), idque maxime, si labor sit valde servilis, ut fodere terram, cædere lapides, etc. Attamen multi ad mortale requirunt aliquid amplius, nempe duas horas cum dimidio: quam sententiam hac nostra ætate communiorem et probabiliorem dicit Croix [2]. Verum si agatur de operibus forensibus, gravitas materiæ non tam desumitur a quantitate temporis, quam ab operis qualitate; hic enim magis attenditur actus solemnitas. — En versus:

Legifer excusat, pietas, charitasve, necesse,
Usus et utilitas, exiguusque labor.

[1] Hæc sententia etiam citra consuetudinem est satis, imo forte magis probabilis (cum Cajetano, Sanchez, Sporer contra Roncaglia et Suarez) pro iis, qui laboribus se sustentant; cum isti communiter raras habeant occasiones talis magni lucri, magnum lucrum amittere existimant idem esse ac magnum damnum sustinere. In idem enim revera coincidunt aliquid amittere, et prohiberi acquirere quod amplius acquiri nequit. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 301.

[2] Si pœnitens confiteatur laborasse aliquando plus, aliquando minus, interrogetur quoties laboravit judicans laborare in materia gravi. Opus est, ut eum doceat laborare per longum tempus etsi occulte, et animi solatio ac gratis, adhuc esse peccatum grave. — *V.* Liguori, *Praxis Conf.*, n. 33; *Op. Mor.*, l. III, n. 305; et *Homo Apost.*, tract. VI, n. 25.

DISPUTATIO SECUNDA

DE VITIIS QUÆ VIRTUTI RELIGIONIS ADVERSANTUR.

106. Vitia alia adversantur Religioni *per excessum*, non quasi Deus possit cultu nimio adorari, cum dignus sit cultu infinito: sed quod ei cultus exhibeatur vel parvus in se, vel inordinatus in modo: vitia hæc *superstitionis* vocabulo solent indicari. Alia Religioni adversantur *per defectum*, et *irreligionis* nomine significantur.

Hæc omnia peccata ex genere suo gravissima sunt: cum opponantur virtuti inter morales præstantissimæ, id est Religioni.

CAPUT PRIMUM

DE SUPERSTITIONE.

107. Q. *Quid de superstitione?*

R. Superstitio definitur a d. Thoma: *vitium Religioni oppositum secundum excessum... quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet* [1]. Hinc superstitio spectatur ex parte tum rei, quæ cultu donatur; tum modi, quo cultus illi exercetur.

1. Ex parte *rei* triplex est superstitionis species: idololatria, divinatio et vana observantia. Vel enim creatura colitur tanquam Deus et loco Dei, et oritur *idololatria;* vel ab ipsa creatura tanquam a Deo petitur rerum occultarum cognitio, et est *divinatio;* vel aliquod ab ea imploratur auxilium, et est *vana observantia.* Quæ omnia natura sua mortalia sunt; cum gravem Deo irrogent irreverentiam tribuendo creaturæ quod Deo soli debent.

2. Ex parte *modi* potest cultus esse vel falsus vel turpis vel superfluus. *Falsus*, si quid falsi indicet, ut si quis uteretur cæremoniis Judaicis, quæ Christum venturum significabant; vel si laicus Deum coleret tanquam publicus Ecclesiæ minister, sacrificando, absolvendo, etc. *Turpis*, si quædam contineat Deo injuriosa, v. g., si quis suis in precibus induceret verba inhonesta et contumeliosa. *Superfluus*, si nihil conferat ad verum Dei cultum, uti si quis non vellet Missam audire, vel Communionem suscipere, nisi a tali sacer-

[1] 2, 2, q. 92, a. 1. — Superstitio vel est a gentilibus qui deos deprecabantur, ut filios suos sibi *superstites* haberent; vel a verbo *superfluo*, quasi cultus sit superfluus. - *V.* Bergier; V. *Superstizione.* — Valsecchi, *Fondamenti della Religione*, l. III, c. 15. - Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 1 et seqq.

dote: quæ ultima species, secluso scandalo, ordinarie venialis tantum censetur; quia materia levis est, et potius mera simplicitas, quam positiva irreverentia. Aliæ vero semper mortales sunt; quia graviter repugnant cultui divino, qui sola veritate innititur; nisi item excuset simplicitas vel ignorantia.

108. Ex Constitutione *Omnipotens* Gregorii XV malefici et sortilegi cum diabolo pactum facientes, a fideque apostatantes et alios lædentes, sunt denuntiandi. Quod item valet de omnibus superstitiosis, si operentur cum conscientia peccati: et si hæresis suspicionem tribuant [1]. Ex Decreto autem Sacræ Inquisitionis approbato 5 aug. 1745 a Benedicto XIV, sacerdotes Sacrificio ad sortilegia abutentes præter pœnas jam statutas contra sacrilegos, perpetuam inhabilitatem incurrunt ad Missam celebrandam; quæ tamen inhabilitas non incurritur, nisi accedente declaratione saltem criminis [2].

Synodi vero Diœcesanæ (uti Novariensis) reservant ordinarie *quascumque superstitiones cum abusu rerum sacrarum, aut cum expressa dæmonis invocatione.* Ad quam tamen reservationem requirunt: 1) ut res sit sacra; quo nomine hic intelliguntur omnia, *quæ consecratione aut benedictione ecclesiastica sacrorum Albo recensentur,* uti Olea consecrata, vestes sacræ, cœmeteria, templa, aqua lustralis, reliquiæ Sanctorum, imagines benedictæ. etc.; 2) ut dæmonis invocatio fiat verbis vel scriptis eam significantibus, neque censeatur sufficere opus quodcumque, licet aliunde superstitiosum *(P).*

Art. I. — *De idololatria et divinatione.*

109. Q. 1. *Quid est idololatria, quotuplex et quale peccatum?*

R. Ad 1: Idololatria definiri solet: *cultus divinus creaturæ exhibitus,* quo nempe creatura tanquam Deus habetur et adoratur [3]. Dicta est ab *idólo* simulacro et *latria* cultu.

R. Ad 2: Idololatria triplex est: *perfecta, imperfecta* et *simulata.* Perfecta creaturæ defert divinum honorem falso putans, eam esse Deum. Imperfecta vero defert quidem creaturæ honorem divinum, sed externum vel ex mera animi cupiditate vel ex odio veri Dei, utique sciens illam divinitate carere: hæc omnium est gravissima ob adeo pravam voluntatem. Simulata, honorem illum creaturæ exhibet solo metu mortis, uti christianis quibusdam accidit tempore persecutionum, qui ex tali metu idola incensant.

[1] Qui de hæresi suspecti, et quando denuntiandi vide *De Virt. theolog.*, ubi de fide.
[2] S. Pœnitentiaria 10 febr. 1785, referente Pavone. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 705; et l. III, n. 579.
[3] Hæc est *formalis;* datur etiam idololatria *practica:* « Nempe quisquis libidini, vel avaritiæ, vel cuivis alio vitio indulget, hoc ipso a Deo avulsus vitam et vires suas turpissimo idolo impendit: quam ob rem s. Paulus avaritiam diserte *simulacrorum servitutem* nominat. Col. III, v. » Stapf, § 174. — *V.* Ferraris; *V. Superstitio.*

R. Ad 3: Est idololatria scelus profecto atrocissimum, quod sic ostendit Angelicus: *Sicut enim in terrena republica gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem regium alteri impendat, quam vero regi... ita in peccatis quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem divinum creaturæ impendat; quia quantum est in se, facit alium Deum in mundo* [1]. Unde merito a s. Gregorio Nazianzeno ea vocatur *extremum et primum malorum* [2]; quod quidem primo hoc Decalogi præcepto prohibetur: *non habebis deos alienos coram me.*

110. Q. 2. *Quid est divinatio?*

R. Divinatio (quasi *divina actio*, vel *divina notio)* est *tacita vel expressa dæmonis invocatio ad cognoscendas res futuras vel occultas.* Dicitur: *tacita vel expressa;* quia duplici modo ea fieri potest: vel auxilium a dæmone expresse invocando, et dicitur *expressa.* Vel adhibendo ad aliquid cognoscendum media ex se omnino inutilia et inefficacia, et dicitur *tacita* dæmonis invocatio; cum enim talis rei consecutio a Deo haberi nequeat, qui media inania non instituit; neque ab Angelis qui illis non utuntur, sequitur prædictam occultorum notitiam a dæmone expectari, qui in his se immiscet, ut possit homines ad sui cultum trahere. Et hoc ex genere suo grande scelus est, cum sit societatem inire cum nostro ac perpetuo Dei inimico: attamen tacita invocatio quandoque a gravi culpa potest excusari vel ob simplicitatem vel ob inconsiderationem et ignorantiam eorum qui his vacant, præsertim si ex joco et levitate, quin aliquid mali suspicentur, ita se gerant.

111. Q. 3. *Quid de mortuorum apparitionibus?*

R. Certum est mortuorum apparitiones esse possibiles, Deo volente; cum bene possit suscitare qui potuit creare, et plurimas genuina historia enarret: unde dicimus, eas non esse tam facile irrisionibus et contemptu excipiendas, uti quibusdam familiare est. Hinc merito d. Augustinus [3]: *Magnæ impudentiæ est negare animas identidem e suis sedibus ad nos emitti; cum tot viri sapientes et Deo pleni idipsum ratione et experimento comprobent suo.*

Non tamen negandum, quod hisce apparitionibus caute admodum fides sit adhibenda, cum innumeræ diffusæ sint hac super re narratiunculæ prorsus fabulosæ vel ad timorem incutiendum, vel etiam ad simplices ipsos decipiendos consarcinatæ. Qui horum causa, gra-

[1] 2, 2, q. 94, a. 3. [2] Orat. XXXVIII.
[3] Lib. *De cura pro mortuis.* — *V.* Vence, *Bibbia*, Dissert., vol. II: *Apparizione di Samuele a Saulle.* — Liguori, *Dissert. Theologico-Morali*, Diss. II, n. 16. — Calino, *Quaresimale*, p. III: *Sul purgatorio.*

viter increpandi, uti sunt illi qui ideo magnos strepitus in domibus agunt, vel linteo induti per vias noctu apparent: excipe nisi id fiat ex joco, nec inde grave damnum timeatur

112. Q. 4. *Quid de iis, qui somniis fidem habent?*

R. Somnia, imaginariæ nempe apprehensiones, quæ habentur tempore somni, sunt: 1) naturalia, quæ oriuntur a causis naturalibus, v. g., occupationibus vel temperamento; 2) casualia, quæ oriuntur ex diverso in mente nostra phantasticarum idearum concursu; 3) quæ sunt a Deo, juxta illud: *si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum* [1]; 4) quæ sunt a dæmone, qui phantasiam commovendo in mente nostra somnia procreat. Quibus positis dicimus:

1. Ex *somniis naturalibus* superstitiosum non est conjicere præsentem corporis valetudinem, vel statum ejusdem futurum; quia inter hæc intercedit vera et naturalis connexio. Esset tamen superstitiosum inde conjicere futura ac libere contingentia; cum hæc nonnisi a libera et volubili hominis voluntate proficiscantur.

2. Ex *somniis casualibus* est superstitiosum futura deducere: quia si casualia, nequeunt esse accomodata ad rem quamlibet significandam. At non videretur peccare mortaliter qui ob somnium præcedens omittit vel ponit actionem indifferentem: quia id potius ex quadam animi simplicitate vel nimia timiditate provenire videtur, v. g. si quis omitteret deambulationem, quia somniavit se fore in ea proditorie hoc vel altero die interficiendum.

3. *Somniis*, quæ sunt certo vel probabilius *a Deo*, tenemur fidem adhibere: cum aliquando ita locuturum se promiserit [2].

4. *Somniis diabolicis* credere est mortale (nisi simplicitas excuset); cum sit veritatem fundare in mendacio et societatem cum dæmone inire. Hoc porro sensu dicit sacra Scriptura: *non augurabimini, nec observabitis somnia* [3].

113. *Quomodo* (quæres) *somnia poterunt a se invicem discriminari?* R. En tutissima regula: 1) si somnium impellit ad bonum, ad fugam alicujus peccati, ad actum charitatis, merito a Deo esse censebitur, a quo sunt omnia bona: semper tamen cum magna humilitate et timore; cum diabolus sæpe se transfiguret in Angelum lucis. Aliter erit, si somnium impellit ad malum, vel ad quidpiam imprudens; 2) pariter si quis post somnium se sentiat alacriorem ad bonum et in propriis officiis promptiorem, prudenter existimatur somnium esse a Deo. Secus si quis animo perturbatum se sentiat, et minus promptum experiatur; 3) si adhuc quoad somnii qualitatem dubium remaneat, præ-

[1] Num. XII. — *V.* Ferraris; V. *Somnium.* — Liguori, *Opus. Mor.*, l. III, n. 9.
[2] Act. c. II, v. 17.
[3] Lev. XIX. — *V.* d. Thomas, 2, 2, q. 95, a. 6.

stat illud habere uti immissum a dæmone; quia Deus cum immittit somnia, simul reddit hominem certum, vel quasi certum quod ab ipso Deo sint immissa.

114. Q. 5. *Quid dicendum de chiromantia et astrologia?*

R. Ad 1: Multis abhinc sæculis circumvagantur viri atque mulieres, vulgo *zingari:* gens est vagabunda, socors, rapax, ferox, quæ ab India vel Ægypto per totam Europam sæculo XV disseminata est. Qui impie jactitant, se bonam vel malam cujuscunque fortunam vaticinari ex lineamentorum in fronte, in facie ac præsertim in manibus inspectione [1]. — Hanc dicimus esse veram speciem divinationis, ideoque rem prorsus nefandam; quæ enim proportio mediorum ad finem? unde graviter peccant qui tam horridam artem exercent, etiam ratione scandali [2]. Qui autem eosdem adeunt manus iis ostendentes, ut bonam vel malam fortunam suam inde ediscant, peccant mortaliter (nisi simplicitas aut inscitia excuset), si firmam eorum dicteriis fidem adhibeant, vel grave scandalum præbeant; venialiter vero, si id ob solam curiositatem vel mera ridendi gratia agant, uti communiter solet contingere.

R. Ad 2: Astrologia seu scientia astrorum, duplicis est generis: est nempe alia *naturalis*, alia *judiciaria*. Per primam homines ex siderum situ, motu, ortu et occasu vaticinantes prædicunt nonnullos effectus certos, qui nempe ex siderum et planetarum conversionibus, ac cursu necessario consequuntur, uti v. g. eclipses; nonnullos autem incertos, id est naturales quidem, sed contingentes futuros, uti sunt venti, pluviæ, tempestates et similia. Per alteram vero ex iisdem causis vaticinari præsumunt etiam quæ pendent a libera hominum voluntate, v. g., matrimonia, exitia, bella et paces familiarum et imperiorum, mors principum. Quibus positis dicimus:

1. *Astrologia naturalis* pro parte, qua prædicit effectus necessarios, non solum licita, sed valde laudabilis est; cum inserviat ad tempora designanda. Pro parte vero, qua prædicit effectus quidem naturales, sed non necessarios, quatenus nempe iis obstare possunt causæ innumeræ item naturales, licita quidem est, sed plerumque vana, quia nos latet quæ vis sideribus insita sit, quæve potestas.

2. *Astrologia judiciaria*, si fiat de persona particulari, etsi tantummodo conjecturaliter, graviter illicita est et superstitiosa; quia corpora cœlestia in libera hominum voluntate nihil omnino queunt, cum necessario moveantur. Unde dicitur in Scripturis: *a signis cœli*

1 Etiam *Cod. pœn.* carcere puniuntur qui talem divinationem exercent (art. 436).

2 *V.* Bergier, *Dizionario* ecc. *Append.* V. *Zingari;* — Cenni, *I misteri subappennini* ovvero *Lo stregone di Monterolo,* Romanzo storico. Napoli, 1856. — *V.* Ferraris; V. *Zingari.*

nolite metuere [1]; et Sixtus V anno 1585 eam damnavit; Urbanus vero VIII anno 1631 prohibuit omnes libros ea de re. Hæc autem scientia, si fundatur in astris ut signis, est sola divinatio; si fundatur in astris ut causis, est etiam hæresis, quia per eam tollitur humana libertas. Prædictiones tamen quæ quotannis evulgantur per ephemerides *(almanacchi* [2]*)*, a nemine uti superstitiosæ habentur; sed ad summum temeritates, mendacia, vanitates, aut potius reputantur mentis joci sane irridendi.

115. Q. 6. *Quid resolvendum de virga divinatoria et sortilegio?*

R. Ad 1: Virga divinatoria (cujus prima mentio facta est, uti ajunt, sæculo XIV) ex corylo est ac bifurcata. Ea autem quæ movetur vel non movetur ad merum nutum et intentionem ejus, qui illam manu tenet, utuntur ad inveniendos transpositos agrorum limites, homicidas, etc. Quod quidem diabolicum merito dicunt Continuator Tournely, Le-Brun aliique; nam sola intentio nihil conferre potest ad motum physicum: porro virga movetur juxta mentem ferentis, ita ut si ille metalla quærat, non aquam, virga non moveatur si invenit aquam, et ita vicissim. — Non tamen negandum, quod etiam naturaliter poterit evenire, ut aliqua virga moveantur ad unam potius partem, quam ad aliam; sicque aliquando inservire possit ad aquas vel metalla detegenda, vi nempe attractionis, ut patet de magnete; sed caveatur, ne quod naturale est, ad superstitionem referatur.

R. Ad 2: Nomine *sortilegii* vulgo intelliguntur omnes diabolicæ operationes; sed specialius est divinatio, quæ fit usu sortium. Sortes autem sunt divisoriæ, consultoriæ et divinatoriæ.

1. *Sortes divisoriæ*, quæ adhibentur, v. g. ad componendas lites, utraque parte consentiente, licitæ sunt, cum nihil contineant superstitiosi, sed sint veluti quædam species contractus; et probantur etiam in Scripturis: *contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat* [3]. Excipe Jure positivo electiones ad prælaturas et beneficia ecclesiastica [4], quæ a Spiritus Sancti inspiratione, ut ait s. Thomas, fieri debent: quod quidem currit etiam de litibus circa eadem ecclesiastica Beneficia.

[1] Jerem. x. — Diximus si fiat *de persona particulari;* censent enim licitam, si fiat in generali, v. g., si prenuntientur bella, seditiones, etc., ex s. Thoma, qui (1 p. q. 115, a. 4) ait: *Plures homines sequuntur passiones, ad quas cooperari possunt corpora cœlestia. Pauci autem sunt qui passionibus resistant: et ita astrologi, ut in pluribus, vera possunt prædicare et maxime in communi, non autem in speciali.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 10. — Ferraris; V. *Astrologia.*

[2] *Almanach* ducitur a verbis arabibus *al* articulus, et *manach* supputare *(calcolare).*

[3] Prov. XVIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 8.

[4] C. *Ecclesia, de sortileg.* — Sed probabilius censent Salmanticenses, Suarez, Sanchez et Layman, hoc tantum vetari, adeo ut si sors usurpetur, electiones sint illicitæ, sed validæ; cum id nullibi declaretur, si excipiatur electio Prælati cum jurisdictione ex c. *Quia propter, de elect. Præl.*

2. *Sortes consultoriæ*, quibus inquiritur quid in hac vel illa re sit agendum, nisi eæ fiant divina inspiratione (ut contingit in electione Matthiæ), sunt illicitæ prorsus; quia continent tentationem Dei, ac periculum diabolicæ fraudis [1].

3. *Sortes divinatoriæ*, quibus inquiritur per taxillorum projectum rei occultæ vel futuræ cognitio, nullo modo sustinentur; cum neque ex natura sua, neque rerum ceterarum, neque ex Dei aut Ecclesiæ institutione sortitio hæc ullam vim habeat ad prædictos effectus. Si tamen ad sortem ponendam impellat Deus ipse (quod vix unquam existimari debet) tunc licita erit; sicuti licita fuit Josue, quando ea usus est ad occultum Achan scelus explorandum [2] *(Q)*.

Articulus II. — *De vana observantia.*

116. *Quid est vana observantia?*

R. Vana observantia in eo consistit, quod quis ad effectum aliquem obtinendum media adhibet vana et inutilia, quæ nempe neque ex natura sua, neque a Deo, neque ab Ecclesia ad illum effectum ordinata sunt: ita s. Thomas [3]. Convenit cum divinatione, eo quod utraque innitatur implorato dæmonis auxilio et pacto inito cum eo. Differt, quia divinatio ordinatur ad cognitionem occultorum; vana autem observantia ad quoscunque obtinendos effectus.

Vana observantia gravissimum peccatum est; tum quia innititur quasi dæmonis pacto (etsi enim non invocetur expresse, æquivalenter invocatur; nam cum rebus vanis se Deus non immisceat, effectus non potest nisi a dæmone expectari); tum quia tribuit honorem divinum creaturæ, ab ipsa expectando quod debet attendi a solo Deo. At multoties a mortali excusatur ratione ignorantiæ, vel etiam ratione inconsiderationis.

117. Quadruplex est vanæ observantiæ species:

1. Si observentur inutilia ad aliquid cognoscendum, dicitur *ars notoria*. Sic peccant stultissimi illi, qui elaboratam potionem sumunt, ut illico docti evadant.

[1] Act. I. — V. *Bibbia* di Vence, vol. VI, Dissert.: *Le elezioni cavate a sorte*. Hinc illicita est et merito pluribus in Conciliis damnata *Sors Sanctorum*, quæ olim erat in usu, in hoc consistens, ut ad aperitionem alicujus libri sancti, vel ad auditionem lectionis sacræ, ex prima sententia occurrente, cognoscatur occultum; vel quid agendum in tali circumstantia. Quæ sors est ad minus vana (nisi accedente Dei inspiratione); cum nullo nitatur fundamento: et in *Constitut. Apostolicis* (l. I, c. 7) habetur prohibita tanquam ad idololatriam conducens. — *V.* Bergier, *Dizionario enciclopedico* ecc. V. *Sorte*. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 6.

[2] Jos. VII. — *V.* Ferraris; V. *Sors*.

[3] 2, 2, q. 96, a. 1. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 17 et seqq., ubi quæstiones plurimas ad praxim pertinentes evolvit. — Ferraris; V. *Superstitio*.

2. Si inutilia observentur ad obtinendam sanitatem, dicitur *observatio sanitatum*. Sic peccant qui nomina ignota certasque inanes cæremonias usurpant ad animalia nociva fuganda, vel amuleta, involucra, aut quid simile ideo collo deferunt: cum naturaliter hæc nequeant tales effectus causare, non assumuntur uti curationum causæ, sed quasi signa, quæ pertinent ad tacita pacta cum dæmone.

3. Si ex consideratione alicujus omnino futilis eventus decernatur quid sit futurum, dicitur *observantia eventuum:* esset si quis recusaret cum tredecim in mensa sedere, quasi id mortis sit signum (quamvis hoc plerumque valeat excusari, cum nulla huic rei vera adhibeatur fides; sed quædam simplex sit ac inanis formido). Non vero superstitiosum est observare lunam, aut tempora aptiora colligendis herbis, cædendis arboribus, etc., quia hoc non tribuitur dæmoni, sed naturæ. Esset tamen superstitiosum aliquos dies faustos et aliquos vero infaustos certo habere, ita ut actiones propriæ inde dirigantur.

4. Si observantia versetur circa corpora varie immutanda, aliosque miros vel noxios effectus producendos, dicitur *magia* vel *maleficium*.

118. Q. 2. *Quid est magia, quotuplex et quale peccatum?*

R. *Magorum* vocabulo Orientales intelligebant sapientes, eos præsertim, qui astronomiam colebant. Hinc illud: *ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam* [1]. Postea vero *magiæ* nomen translatum est *ad significandam artem, quæ docet facere opera insolita et mira per causas insolitas*. Hæc alia naturalis est, alia superstitiosa.

Magia naturalis est *ars operandi mira per causas naturales, sed occultas,* v. g., per operationes astronomicas, arithmeticas, chimicas, opticas, etc. Hæc licita profecto est; cum nihil mali in se complectatur, oriatur a causis mere naturalibus, imo hominum industriam mirifice juvet: modo tamen, ut notat Bouvier, absit deceptio, scandalum, et omnis spiritus superstitiosus, etiamsi quædam proferantur verba barbara, sine fide, ad illusionem adstantibus faciendam et risum excitandum. Hæc vulgo appellatur: *la magia bianca* [2].

Magia superstitiosa (vulgo *la magia nera)* est *ars mirabilia producendi opera vires humanas prorsus excedentia ex pacto explicito vel implicito cum diabolo*. Quæ sane mala est et abominosa, divinæ majestatis læsiva, ac vehementem suspicionem ingerens hæreseos: et hæc ordinarie intelligitur, quando sine alio addito magia nominatur. Quam quidem dari certum est: *negari non potest,* ait Suarez, *sine errore in fide, magos extitisse*. Quis enim ignorat quod de magis Pharaonis legitur in Exodo? quod docet s. Matthæus de Pseudopro-

[1] Matth. II. — *V.* Scotti, *Teoremi di politica cristiana*, p. 2ª, Teor. VIII, § 11; et *Catechismo medico*, p. 2ª, c. 7.

[2] De hac plura evulgati sunt libri; vide Prinetti, *Segreti della magia*, ossia *Spiegazioni de' giuochi di mano sorprendenti*. Roma. — *Dissertazione* di Costantino Grimaldi, *in cui s' investiga quali sieno le operazioni che dipendono dalla magia diabolica, e quali quelle che derivano dalla magia artificiale e naturale, e quale cautela si ha da usare nella malagevolezza di discernerle*. Roma, 1751.

phetis, *qui faciunt signa et prodigia?* quod tradit Historia sacra de Simone Mago, et Historia ecclesiastica de aliis sine numero? Quæ omnia si ex una parte naturaliter explicari nequeunt; ex alia nulla est repugnantia, si fieri credantur ope dæmonis; neque enim repugnat, quod mali spiritus consocientur hominibus. Sane, Deo permittente, nobis diu noctuque insidiantur quærentes quem devorent [1].

119. Quanquam hodie plurimi eorum qui hac de re patrum nostrorum credulitatem irridebant, in dæmones credere incipiunt. Imo sunt qui illos laudant cum Scheffer; qui eos admirantur cum Rénan; qui eos amore prosequuntur cum Michelet; qui eorum regnum expectant cum Quinet; qui illos veros Deos prædicant cum Schelling; venerantur cum Jannin et invocant cum Proudhon [2]. Dæmones admittunt, sed ut decipiantur illorum illusionibus: quod longe lateque fieri videmus per modernum ac reprobatum *Spiritismum*. Huc spectat illud Scripturæ: *in novissimis temporibus discedent quidem a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum* [3]. « Dopo diciannove secoli di cristianesimo vediamo ripetute le pratiche occulte di Delfo, di Didone e di Sinope; la demonolatria assume nuove forme: *mesmerismo, magnetismo, sonnambulismo, spiritismo, ipnotismo ed altre diavolerie non sono altro che satanismo*, scriveva il Ventura [4]. » *(R.)*

120. Q. 3. *Quid de maleficio?*

R. Maleficium est *ars nocendi dæmonis cooperatione*. Differt a magia, quod hæc intendat facere *mira;* illud dirigatur ad *noxia*. Maleficium aliud est *amatorium* seu *phyltrum*, et est ars diabolica, quæ vehementer ad libidinem excitat erga determinatam personam, quin tamen libertatem tollat. Aliud *veneficum*, et est ipsa ars nocendi alicui variis modis, v. g., morbos suscitando, tempestates producendo.

Continet maleficium triplicem malitiam mortalem: contra Religionem, charitatem et justitiam; quia et Deo gravem, et proximo irrogat injuriam et quidem damnosam. Hinc malefici in Jure canonico excommunicantur [5].

121. Q. 4. *Quid sentiendum de lamiis seu strigibus?*

R. *Lamiæ* dicuntur illæ perditæ mulieres, quæ ope dæmonum hominibus insidiantur, noxia contra ipsos moliendo, omni incantationum ac maleficiorum genere. Non ignoramus, hisce temporibus plures esse, qui se præjudiciis vacuos jactantes affirmare non du-

[1] Exod. VII et VIII; Matth. XIV et Act. VIII. Maxima quidem est imaginationis vis, ut patet ex noctambulis illis, qui fervidis spiritibus abundantes, musculorumque vi excitati in somniis mira faciunt. — *V.* Soave, *Institutioni di logica;* — Galuppi, *Elementi di Filosofia*, ecc.

Quæ tamen alia semper sunt, quæ ipsi vigiles in usu habent, et humanas vires haud superant; sed magica ars versatur circa incognita omnino, occulta, atque disita, quæque humanum captum et virtutem omnino vincunt.

[2] *V.* Alimonda, *Del magnetismo animale, ricerche e conclusioni*, n. 12. — Gaume, *Origine ed errori dello spiritismo*, § 3. — Delaporte, *Il diavolo esiste egli, e che cosa fa?*

[3] 1, Timoth. IV. — *V.* Franco, *Risposte alle objezioni* ecc.

[4] De-Martinis in adnot. ad opusc. *Il segno della croce al secolo XIX.*

[5] Caus. 26, q. 5: *Si quis ariolos.* — *V.* Liguori, *Praxis Confessariorum*, § 7.

bitant, inter aniles fabellas esse amandandum quidquid ab hominibus ope dæmonis peractum referatur. Nos vero licet concedamus non omnia, quæ circumferuntur, esse credenda, cum multa naturaliter bene explicentur; absit tamen, ut ideo doctrinæ veritatem denegemus; nam error est vitium hominis, non veritatis. Imo d. Thomas, qui omnium non solum Theologorum, sed etiam Philosophorum princeps dici debet, jam scripserat hanc opinionem ortum ducere *ex radice infidelitatis sive incredulitatis; quia non credunt esse dæmones, nisi in æstimatione vulgi tantum, ut terrores, quos sibi facit homo ex sua æstimatione, imputet dæmoni; et quia etiam ex imaginatione vehementi aliquæ figuræ apparent in sensu tales, quales homo cogitat, et tunc creduntur dæmones videri. Sed hæc vera fides repudiat, per quam Angelos de cœlo cecidisse, et dæmones esse credimus, et ex subtilitate suæ naturæ multa posse, quæ nos non possumus* [1].

122. Q. 5. *Quid de dæmonis possessione et obsessione?*

R. *Possessio* in eo consistit, ut dæmon corpori humano quodam modo uniatur, et in illo extraordinaria operetur. Quod si dæmon in corpore residere non videatur, sed tantum externe operetur illud variis modis vexando, tunc habetur *obsessio* seu *invasio*.

Veras dari *possessiones* et *obsessiones* sine errore in fide negari non potest. Constat ex variis Scripturæ locis. Constat ex perpetua traditione ac Patrum sensu. Hinc et exorcismos habemus, quorum exercitium testatur Tridentinum semper in usu fuisse apud Ecclesiam [2]. Quæ porro ad sensum metaphoricum pugnat detorqueri. Neque hæc repugnant; attenta enim dæmonum natura, eorum virtute, eorumque per aerem præsentia, fieri certe potest, ut corpora hominum intime pervadant. Pervasi vero *energumeni* vocantur (a græca voce *energeia*, quæ indicat *vim* et *efficaciam)*, quia a dæmonibus fortiter exagitantur.

Etsi autem et hodie hac de re exempla non desint, frequentiora tamen fuerunt primis Ecclesiæ sæculis; quod quidem evenit Deo permittente, tum ut ejus gloria manifestaretur, tum ut melius veritas christianæ Religionis innotesceret, etc. [3] *(S)*.

[1] Suppl. q. 58, a. 2. — Imo docent Theologi, opiniones istas esse etiam periculosas in se, et valde injuriosas Ecclesiæ catholicæ: quippe quæ contra lamias sive striges pœnas indixit gravissimas. — *V.* Perrone, *De Angelis;* App. *De dæmonum cum hominibus commercio;* — Concina, *In* III *Dec. præcept.* — Delrio, *Disquisitionum Magicar.*, libri sex. — Tartarotti, *Del congresso notturno delle lamie;* — Bizouard, *Le relazioni dell'uomo col demonio.* Parigi, 1864.

[2] 1, Reg. XVI; Matth. XVII; Marci XVI; Tridentinum, sess. XXIII, c. 2. — Klee, *Storia dei dogmi.*

[3] Stapf (§ 576 *Theol. Mor. Compend.)* habet hac de re: « *Sed cur talia non etiam nostro tempore contingunt?* Generatim responderi potest: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Attamen non incongrue illud reponimus, quod vir quidam ingeniosus ait: *Anceps, quo certius aviculas irretiat, quantum*

COROLLARIUM. — *De Magnetismo, uti vocant* animali, *seu Mesmerismo, de Tabulis rotantibus atque Spiritismo.*

123. Q. 1. *Quid de Magnetismo animali seu Mesmerismo?*

R. Anno 1799 quidam Fridericus Antonius Mesmer medicus Germanicus, novos quærens curandi modos, librum edidit, in quo contra communes physicorum doctrinas eatenus in Scholis acceptas, tradebat se mirum invenisse remedium variorum morborum *in fluido quodam subtilissimo e cunctis animalium corporibus manante, fluxui magnetis simili*, quem ideo magnetismum *animalem* nuncupavit. Qui quidem fluidus transit ex quadam homogeinitate ac sympathia e corpore magnetizantis in corpus magnetizati, etiam ad simplicem voluntatis nutum.

Magnetismi duo præcipue exhibentur effectus: 1) status somnambulismi, in quo quis usu sensuum destitutus, videt tamen, audit, loquitur et respondet ad omnia de quibus interrogatur; 2) mira sui status cognitio et remediorum suo morbo convenientium; nec non, ut ajunt, visio actionum aliorum hominum, etsi longe distantium, et similia. Hæc doctrina in Gallia præsertim propagari cœpit, et a suo auctore nomen tulit *Schola Mesmeriana*, seu *Magnetismus animalis*, dictus etiam simpliciter *Mesmerismus*. Sed a gravissimis deinde medicis et physicæ professoribus refutata, imo et a diversis Academiis expresse damnata tanquam falsa, prorsus insulsa et magis ridiculi ludionis seu histrionis, quam viri medici propria, penitus fere exolevit [1].

Quid tamen? adhuc *Magnetismus* revixit, primo in America, dein in Gallia, postea vero in Italia et alibi: imo talibus ac tantis methodis a quibusdam medicis exornatus fuit, ut merito inter Moralistas exortum sit dubium, an Religionis puritati et sanctitati adversetur; et habendus sit uti species quædam divinationis, aut vanæ observantiæ, necne? Hæc quæstio gravis est ac difficillima: Theologi ac medici in tres præcipue sententias abierunt, quas breviter referemus cum Gury.

Prima sententia in omni casu rejicit magnetismum veluti opus diabolicum; miri enim illius effectus neque a Deo, neque a natura esse possunt: 1) *non a Deo;* quis dixerit Deum ad hominis etiam impii nutum obtemperare, ita ut, eo requirente, ad res adeo prodigiosas immediate concurrat? 2) *non a natura;* etenim ad effectus magnetismi producendos requiritur voluntas agentis, imo et patientis, saltem prima vice; nulla autem datur proportio naturalis inter actum mere internum voluntatis et res physicas: physica semper agit uno modo, debitis conditionibus positis, et independenter a voluntate humana, ut exemplo fluxus electrici patet; ergo deficiente proportione inter effectum et causam, ea causa naturalis censeri nequit, et proinde ab infernali virtute effectus repetendus est. Adde: meri effectus magnetismi vi-

potest se abscondit. Nostræ ætati, quæ tantopere de ingeniorum cultura et perspicacia gloriatur, nihil est perniciosius *infidelitate;* est hæc ipsa infidelitas subverteretur, si dæmon, prout olim, ita et nunc homines vi tam aperta impeteret.

1 « *Magnetismo animale;* principio speciale ipoteticamente ammesso, onde spiegare certi fenomeni che si suppongono avere particolarmente sede nel sistema nervoso; e per semplice tatto, od anche per solo effetto della volontà, trasmettersi da un corpo vivente ad un altro. Ita Marchi, *Dizionario tecnico* ecc. h. vocabulo. — *V.* Feller, *Dizionario* ecc. V. *Mesmer.* — *Civiltà Cattol.*, serie 5ª, t. XI, pag. 177: *Prima comparsa del Mesmerismo.* — *Pensieri di un Cattolico credente.*

dentur omnino naturæ nostræ vires superare; non enim intelligitur quomodo magnetizatus rudis possit scientias extemplo sibi comparare, linguas ignotas scire, inspicere intimas magnetizantis cogitationes, proprias et aliorum infirmitates ac remedia, etc., quorum in statu naturali semel constitutus non amplius recordatur [1].

Secunda sententia tenet omnes magnetismi effectus a naturæ viribus procedere posse. Ratio, quia inesse possunt humanis corporibus effluvia subtilissima, fluxus magnetis instar, quæ in aliorum corpore et mediantibus organis, in ipsam animam agant; non enim omnes naturæ vires cognoscimus. Nonne effectus similes, qui negari non possunt, in naturali somnambulismo producuntur? somnambuli vident, audiunt et stupenda faciunt, quæ ab ipsis fieri nequeunt in statu vigiliæ. Nec obstat quod requiratur voluntas magnetizati: non enim ipsa requiritur quatenus facultas mere interna animæ et a corpore independens; sed qua medium ad phantasiam excitandam et corporis subtiles spiritus movendos. Hoc patet exemplo motuum concupiscentiæ, qui sola cogitatione objecti minus casti in organis illico excitantur.

Tertia sententia concedit quidem magnetismum miros quosdam ac naturales effectus naturaliter operari posse; mirifica enim est in variis corporibus virtus et efficacia fluxus naturalis. At multa ex illis, quæ prædicantur, vel inania vel mendaciosa vel diabolica prorsus sunt: *inania*, ut cum magnetismus habetur tanquam mirum inventum ad omnes morbos curandos; quotidiana enim experientia contraria est: *mendaciosa*, ut cum ea quæ latent omnino, magnetizatus divinare prætendit; fraudes enim hac in re intervenire satis hodie notum est, adeo ut magnetismus ad lucrum vel solatium potius, quam ad salutem adhibeatur: denique *diabolica*, ut cum magnetizatus addiscit, si vere addiscit, per scientiam infusam, scripturam, literas, linguas quas penitus ignorat et cetera similia; hæc enim videntur omnino vires naturæ excedere, nec talia ab ipso somnambulismo efficiuntur.

Quidquid sit, etsi præclusis abusibus, non sit illicitus magnetismus, ut pluries declaravit S. Sedes, in praxi negari non potest, quod plerumque sit damnandus, cum fere semper interveniat vel *illicitus finis*, ut cum adhibetur magnetismus ad cupiditates fovendas, ad curiosa sectanda, etc.; vel *deceptio hæreticalis*, seu error qui attingat catholicam veritatem, ut si involvat cum dæmone commercium, aut saltem vehementem suspicionem de hoc, uti evenit quando media adhibita nulli modo conferant de se ad finem intentum. Hinc patet etiam quomodo se gerere debeant confessarii cum iis, qui magnetizant vel magnetizari sinunt: quoad possunt usum impediant, desuadeant utpote periculi plenum ac nullius utilitatis. Quod si non valeant, tunc si omnes omnino abusus tollantur, illum tolerent: *Dicendo che un confessore debba tollerare l' uso del magnetismo* (ad rem Gousset), *supponiamo* primieramente, *che il magnetizzatore e magnetizzato sieno in buona fede e riguardino il magnetismo animale come un rimedio naturale e utile:* in secondo luogo, *che nè l' uno nè l' altro si facciano lecito nulla che possa molestare od offendere la modestia cristiana:* in terzo luogo, *che rinunziino ad ogni interrento del demonio; e se fosse altrimenti, non si potrebbono assolvere quelli che ricorrono al magnetismo.*

Ceterum hanc professionem sine scandalo, modestiæ læsione, ac maximo sui periculo ecclesiastici serio exercere nequeunt; imo nec ita facile, atque innocue possunt experimentis interesse.

[1] *V.* Perrone, *De Virtute Religionis*, nn. 524 et seqq.

124. Q. 2. *Quid de rotantibus tabulis ac spiritismo?*

R. Tabulæ rotantes hodie non exhibent tantummodo fænomena rotationis motus: quæ nempe in gyrum versantur, dum a circumstantium simul connexis manibus tanguntur; sed illud etiam præseferunt, quod uno vel altero pede terram percutiendo et diversis ictibus diversas alphabeti literas indicando, interrogantibus responsa exhibeant de rebus prorsus ignotis, abditis vel extra præsentem vitam peractis: quæ quidem etiam in subjecto papiro, aptato ad pedem calamo, scribunt, pingunt, et alia mira faciunt.

Porro quidquid sit de simplici motu tabularum, qui forsan ad certum gradum per contactum mere physicum naturalis esse poterit (si tamen imperio voluntatis non fiat, cum voluntas spiritualis ex se nullimode possit influere in physicas naturæ leges utpote constantes, firmas ac necessarias); indubium est quod ceteri effectus diabolicum opus infernalemque divinationem præseferunt, cum illi nonnisi causæ intelligenti tribuendi sint. Nunquid enim (ad rem Gury) ipsi tabulæ ligneæ aut marmoreæ quæstiones proponunt, et ab eadem responsa expectant? nullus adeo insanus ut credat; communis persuasio est, rem agi cum spiritibus, a quibus tabulæ moventur et terra percutitur. Imo hosce spiritus mortuorumque animas ex professo etiam evocant; ex quo *spiritismi* nomen, vel *spirituum percutientium* [1]. Qui spiritus certo nequeunt esse boni; impium sane et blasphemum foret asserere bonos spiritus intervenire (et Deum permittere ut interveniant) puerilibus hominum ludis, eorum vanæ voluntati obtemperare et stultissimæ curiositati satisfacere. Spiritus ergo illi sunt spiritus mali a Deo in æternum maledicti, qui jugiter hominibus insidiantur eos subvertentes: at quid (quæso) magis horrendum, et superstitiosum esse potest, quam cum illis societatem inire et eos invocare, interrogare, alloqui?

Dices: *Ex hac portentosa communicatione nonne factum est, ut plures increduli credant in spiritus et in vitam æternam?*

R. Credunt: at *si quis fidem dicat habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides salvare eum* [2]? Credunt, sed non emendantur, imo potius in malo obfirmantur et pejores fiunt; quot enim errores et apostasiæ a vera fide, quot æternæ salutis pericula ex hac impia et pestifera divinatione exorta sunt! Sane quid boni esse potest a patre mendacii, qui si aliquando aliquid veri profert, hoc est ad securius circumveniendos incautos et gentes seducendas? Quod autem res ita se habeat satis patet ex ipsis responsis, quæ spiritus illi exhibent: quæ vel pugnant cum vera Religione, uti cum impios et extra catholicam Ecclesiam defunctos beatos dicunt; vel larvata malitia decipiunt interrogantes generatim hortando ad virtutem colendam; aut quandam naturalem religionem extollunt unice sitam in miserorum commiseratione ac mutuo amore, cetera omnia de Religione revelata, de Ecclesia sancta Dei silentio prætereuntes [3].

Merito ergo ad tantum nefas et Religioni et civili societati infensissimum, efficaciter cohibendum *(quacunque demum arte vel illusione*

[1] Spiritismus potest definiri: *Fraus ad hominis perniciem et veræ Religionis eversionem a dæmonibus invecta, qui nomina bonorum Angelorum, vel animarum defunctorum simulantes mensas, tripodes aliaque materialia objecta adhibent ad sua fallacia responsa danda interrogantibus.*

[2] Epist. Jac. c. II. — *V.* Perrone, *De Virtute Religionis*, nn. 708 et seqq., et n. 746.

[3] Mulier dæmone obsessa, et a venerabili Parocho Vianney liberata, interrogata: *Chi fa mover le tavole?* rispose, *son io, magnetismo, sonnambolismo, è tutto affar mio.* — *V.* Il Curato d'Ars, *Vita di G. B. M. Vianney*. Cremona, t. I, l. III, c. 3.

utantur ad tales effectus non naturales producendos), Congregatio S. Officii 4 aug. 1856 quammaxime excitavit Episcoporum sollicitudinem; et die 20 apr. 1864 scripta omnia hac de re gravissime proscripsit atque proscribit: quæ tamen jam habentur reprobata a regula nona Indicis, quæ cunctos libros de superstitione tractantes damnat.

125. Q. 3. *Quid de illis qui tabulas rotantes interrogant experimenti, vel etiam joci tantum gratia?*

R. Graviter isti increpandi, et absolutione indigni habentur; etenim non licet in re evidenter mala experimentum tentare, nec de ea recreari: huc spectat illud præclarissimum s. Petri Chrysologi: *qui jocare voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo* [1]. Quisque sane prudens ac sciens hodie ignorare nequit, sermones cum spiritibus miscere, dialogos cum illis instituere, de abditis eos interrogare esse cum dæmone societatem inire: hac porro nemo potest sine gravi culpa probare, fovere ac præsentia sua cohonestare; quocumque obtutu utilitatis propriæ aut alienæ, etsi sola curiositate ac joco id fiat, et quin ulla fides hisce rebus adhibeatur.

Imo in præsenti, quo tot tentaminum furor totque abusus, vel ipsum solum tabularum motum experiri, omni etiam interrogatione rejecta, valde periculosum dicimus (etsi non audeamus de mortali damnare qui ex quadam animi levitate aut curiositate jocandique causa mensis manus apponunt, ut in gyrum moveant, aut ejusmodi experimento assistunt); tum quia viri pii hodie non satis exploratum habent in talibus rotationibus phænomenon mere physicum inesse [2]; tum quia de indifferenti ad prohibitum in hac facti specie facillimus est progressus, cum admodum difficile sit continere animos, semel rei novitate illectos, ne majora tentent; maxime ubi plures sunt, qui experimenta tentent; unus enim alium incendit et vincit. Hac de re quammaxime invigilent communitatum superiores, ne talis contagio quoquomodo serpat inter suos alumnos; ne ullum permittat experimentum, quod quidem esse nequit sine gravi educationis et animarum pernicie.

Item non videmus quomodo ecclesiastici ex curiositate id tentantes aut hisce experimentis interressentibus, possint esse tuti in conscientia; tum quia illi non laborant ignorantia vel bona fide nihil mali suspicantes; tum quia ipsi majori cura eniti debent, ut non tantum a malo, sed ab omni specie mali se abstineant, id est ab eo, quod etsi in se indifferens, tamen ex rerum, personarum et temporum adjunctis vel a fidelibus male auditur: vel ipsis incitamentum potest præbere ad similia periculosa tentanda [3].

Nota: *De Spiritismo* plurima disputabimus Lib. IV, *Append.* XXXV.

[1] Gury, *Compend. Theol. Moralis.* — Bouix, *Revue des sciences écclesiastiques;* an. 1, t. 1. — De-Mirville, *Des esprits, et de leurs manifestations fluidiques*, etc. — Mouseaux, *La magie au XIX siècle.*

[2] « Fin da tempi antichi le tavole furono sempre lo stromento privilegiato, di cui si valse il demonio pel suo oracolare. Ed è noto il famoso testo di Tertulliano: *Per quos* (dæmones) *mensæ divinare consueverunt.* Perchè questa preferenza? Si vorrà dire che Satana abbia voluto stabilire il suo regno per mezzo del legno, con cui egli avea vinto, e alla sua volta doveva restar vinto? *Ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur?* » Gaume, *Origine ed errori dello spiritismo.*

[3] Excipe illos, qui juxta de causa ex Præsulum suorum jussu ad ea experimenta se conferunt, amoto scandalo ac omni animæ periculo, ut quæ in ipsis conventiculis geruntur et eveniunt, possint cognoscere et sic certiores facere ecclesiasticam præsertim auctoritatem, ut fideles ab illis amoveant.

V. Perrone, *De Virtute Religionis,* nn. 748 et seqq.

CAPUT SECUNDUM

DE IRRELIGIOSITATE.

126. Irreligiositas est vitium, *quod Religionis virtuti adversatur per defectum, quodque tendit ad irreverentiam Deo directe inferendam, vel indirecte in rebus aut personis sacris.* Si 1° modo, accipitur irreligiositas, ejus species sunt tentatio Dei, perjurium et blasphemia; si 2° modo, ejus species sunt sacrilegium et simonia.

Art. I. — *De tentatione Dei, blasphemia et sacrilegio.*

127. Q. 1. *Quid est tentatio Dei, quotuplex et quale peccatum?*

R. Tentatio Dei est *dictum* vel *factum*, *quo quis sine justa causa explorat, num Deus sit potens, sapiens, misericors, vel aliam perfectionem habeat;* tentatio enim in genere idem est ac aliquid explorare, vel de eo experimentum sumere [1]. Duplex est: una *explicita* sive *formalis;* altera *implicita* sive *interpretativa.*

Tentatio Dei *explicita* est quando quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione, quidpiam facit animo eam explorandi: ut si quis dubitans de aliquo fidei articulo petat a Deo miraculum, ut certus fiat; vel se ex alta turri dejiciat experturus, an Deus sit potens eum a morte servare.

Tentatio vero Dei *implicita* est quando quis expresse quidem non dubitat de ulla Dei perfectione, neque intendit directe experimentum de illa suscipere; petit tamen vel facit quod ex natura sua non potest alium in finem referri, quam ad explorandam aliquam Dei perfectionem. Et contingit dupliciter: 1) cum quis sine justa causa aut sine divino instinctu negligit media ordinaria, et a solo Deo temerarie expectat effectum extraordinarium, ut si in periculoso morbo respuat omnem medicinam a solo Deo expectans sanitatem; 2) quando quis sponte ipse sua, absque legitima causa, se conjicit in tale periculum, ut nequeat liberari sine Dei miraculo, uti si per Quadragesimam extra specialem Dei instinctum, vellet abstinere se ab omni cibo et potu, expectans a Deo extraordinariam vitæ suæ conservationem.

Tentatio Dei est peccatum ex se mortale, quia gravem Deo irrogat irreverentiam. Hinc illud: *non tentabis Dominum Deum tuum* [2],

[1] *V.* d. Thomas, 2, 2, q. 97, a. 1. [2] Matth. IV.

quod currit sive tentatio explicita sit, sive implicita [1]. De *explicita* res patet ex se; quia experimentum divinæ perfectionis, quod oritur ex dubio explicito, est explicitus Dei ejusdem contemptus; opponitur etiam fidei ob dubitationem. De *implicita* vero tentatione ex eo demonstratur, quod petitio etiam implicita, nempe ut Deus contra ordinem suæ Providentiæ operetur absque necessitate, cedit evidenter in gravem ipsius injuriam; nam est agere cum Deo uti curiositatum fautore. Cum tamen nullam dubitationem includat de divinis perfectionibus, ideo non est ei tam injuriosa uti explicita. Imo aliquando ob ignorantiam, defectum consensus et periculi parvitatem potest esse tantummodo venialis: sic venialiter tantum (saltem in sententia complurium) peccaret qui levi laborans infirmitate negligeret remedia naturalia, et sanitatem a Deo sibi expectaret; iste enim non videtur gravem committere inordinationem, cum non vere petat miraculum curiositatis causa.

128. Q. 2. *An liceat petere miraculum vel martyrio se offerre?*

R. Ad 1: Docent communiter, licere petere a Deo miraculum, quoties adsit utilitas gravis ad nostram, aut aliorum salutem, ad Ecclesiæ bonum, vel ad divinam implendam voluntatem; nam tunc non est tentare Deum, sed Dei auxilium expostulare in tempore opportuno: sic Elias proposuit miraculum ad verum Deum cognoscendum [2]. Peccaret tamen qui absolute peteret vel offerret miraculum ad conversionem hæreticorum aut peccatorum, extra casum particularis inspirationis; cum satis abunde sufficiant fidei nostræ testimonia ac ordinaria auxilia [3].

R. Ad 2: Cum d. Thoma: si firma sit dispositio illius qui se offert, et simul adest gravissima causa, v. g., ad vitanda blasphemias, ad procurandam Dei et fidei gloriam, ad eliminandum in proximo periculum incredulitatis, utique licet martyrio se offerre; cum hoc sit opus maximæ charitatis.

Si secus non licet; cum nemo sit vitæ suæ dominus, ut eam prodigere possit ad libitum suum: unde graviter peccat quem non excusat bona fides; aut divina inspiratio, uti in Sanctis compluribus contigisse scimus [4]. Spontaneam hanc oblationem vetuerat an-

[1] Probabilius tentatio explicita ab implicita non differt specie, sed eam tantum aggravat; nam sive una sive altera semper dicit experimentum, nihilque diversitatis ponitur in natura rei, nisi magis vel minus. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 32.

[2] III, Reg. XVIII. — Aliquando ipse Deus jubet talem petitionem: sic Is. VII Deus per Prophetam dixit ad Achaz: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo.*

[3] *V.* d. Thomas, 2, 2, q. 97, a. 1. — Tridentinum decernit (sess. XXV, *decreto de invocat. et venerat. Reliq. SS.*), nulla esse admittenda nova miracula, nisi ea recognoscente et approbante Ordinario. *V.* Benedictus XIV, *De Canoniz. SS.*, l. II, c. 1.

[4] 2, 2, q. 144. c. 3. — Ferraris; V. *Martyrium, Miraculum.*

tiqua Ecclesiæ disciplina; permissa tantum erat illis qui fidem abjuraverant, ut scilicet qui Christum pro tribunali abnegassent, ibidem Christum confiterentur [1] *(T)*.

129. Ex dictis colligere est, quid sit sentiendum de probationibus olim usitatis, quæ vulgo dicebantur *judicia Dei:* quando nempe deficiebant testes, varia instituta fuerunt experimenta, quibus subjicebatur accusatus, v. g., ferrum calidum ferebat, super carbones ardentes gradiebatur, etc.: et si nihil ei accidebat mali, ut innocens habebatur. Hoc illicitum dicimus: est enim tum species divinationis, cum nulla sit proportio mediorum ad finem; tum Dei tentatio, cum sit indiscriminatim ab eo petere miraculum, quo patefaciat veritatem.

Illud autem observatione dignum est, quod dum medio ævo longe lateque obtinerent hujusmodi probationes ac universam fere Europam occupaverint, Romæ nunquam viguerint, vel admissæ aliquando sint; imo illas romani Pontifices damnarunt uti Stephanus V, Cœlestinus III, Innocentius III, Honorius III, etc. Sane quando viis naturalibus crimen cognosci nequit, nec aliter suadet specialis Dei instinctus, illud judicio Dei, secreta cordium scrutantis, relinquendum est [2].

130. Q. 3. *Quid est blasphemia?*

R. Blasphemia solet definiri: *locutio contumeliosa in Deum.*

Dicitur 1: *Locutio*, quæ vel est interior et cordis, juxta illud: *dixit insipiens in corde suo: non est Deus* [3]; vel exterior et oris, ut cum quis contumeliosa verba in Deum profert. Sed quid de illo qui pede conculcat Crucifixum nihil proferens, vel in cœlum tanquam in Dei sedem sputum emittit, aut infremit dentibus? Hæc ad blasphemiam facti reducuntur, improprie tamen; cum proprie factum non veniat nomine locutionis [4].

Dicitur 2: *In Deum*, consideratum nempe in se, vel in suis Sanctis et creaturis in ordine ad Deum ipsum, quatenus nempe in iis elucet aliqua et specialis divina perfectio, v. g., sanctitas, bonitas, sapientia. Hinc si quis ex ira contra hominem nominet nomen Dei, vel Sanctos vel Sacramenta, indignando soli homini, blasphemiam non committit, sed indignam dumtaxat divini Nominis usurpationem. Neque est blasphemia dicere: *nego Deum, si te non percussero;* qui ita loquitur, vult tantum significare quod certe percutiet. Neque dicere: *hoc est verum, sicut Deus;* nam non æquiparatur veritas creata increatæ, sed quædam tantum innuitur similitudo hy-

1 *V.* Benedictus XIV, *De Canoniz. SS*, l. III, c. 16, n. 17.

2 In veteri Testamento (ut Numer. c. v, v. xv), aliqua investigatio ad delictum dignoscendum in usu erat, sed Deo ipso volente. — *V.* Bergier, *Dizionario* ecc., V. *Prove saperstiziose.* — Muratori, *Antiq. italicarum*, Diss. XXXVIII et XXXIX. — Salzano, *Lezioni di diritto* ecc., vol. IV, lez. 9ª. — Menochius, *Le Stuore* ovvero *Trattenimenti eruditi*, par. 1ª. — Thiers, *Traité des superstitions*, t. I. — Balmes, *Del Protestantismo comparato col Cattolicismo.* — Bizouard, *Des rapports de l'homme avec le démon.* Paris, 1863.

3 Ps. XIII. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 120.

4 Quod maxime notandum est, si agatur de reservatione; nam generatim sola blasphemia propria reservata est, non impropria.

perbolica. Neque dicere: *Corpo di Dio, Sangue di Cristo, me la pagherai;* nam hæc verba ordinarie non proferuntur in Deum irrisorie, sed tantummodo vane usurpantur ad aliquid firmandum.

Erit e contrario blasphemia dicere: *male eveniat Ecclesiæ, maledictum Pascha, nego Sacramenta, Deus non est justus;* tunc indignatur Deo, vel ei quod specialiter ad illum ordinatur. Verba vero: *Christe sancte! Sacramentum! Sanguis Christi!* non videntur blasphemiæ; sed sola vana divini Nominis aut rei sacræ usurpatio, nisi proferantur Deo indignando, vel cum circumstantiis specialibus [1].

131. *Quid* (dices) *de illis, qui maledicunt vivis vel sibi ipsis?*

R. Maledictio est imprecatio mali, quatenus malum est: porro in ira imprecari aliis vel sibi dæmonem, grandinem, fulgura, mortem, etc., non est blasphemia, sed dira imprecatio, de qua habet d. Thomas: *Secundum suum genus est peccatum mortale, et tanto gravius quanto personam cui maledicimus, magis amare et revereri tenemur... Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum ejus qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur* [2].

132. Q. 4. *Quid de eo qui maledicit defunctis, toti mundo, aut dæmoni?*

R. Ad 1: Maledicere defunctis non erit blasphemia; cum animus maledicentium ad hoc non feratur, ut iis maledicat, prout sunt creaturæ Dei. Imo plerumque neque mortale est: quia per id eisdem neque in se, neque ex mente proferentium infertur gravis injuria: 1) non in se, quia vox *mortui* magis referenda est ad corpus quod moritur, quam ad animam quæ semper vivit: ad summum significat homines vita functos, qui possunt esse tam salvi quam damnati; 2) non ex mente proferentium, quia mortuis maledicentes non intendunt mala adprecari animabus defunctorum; sed potius exprobrare vivos, ad quos maledictiones suas, ad instar injuriæ, solent referre [3].

R. Ad 2: Maledicere *toti mundo* est mortale (nisi intelligatur ille mundus, qui virtuti adversatur, ut plerumque intelligunt rudes): in ipso enim totaliter sumpto specialiter elucet Dei bonitas, sapientia ac potentia. Adeo verum est, ut jurare per cœlum et terram habeatur ab omnibus uti firmum juramentum.

[1] Tres ultimæ locutiones ex Synodo Novariensi non reservantur, p. 316. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 121 (blasphemia est a greco *blaptô* nocere et *phêmê* fama).

[2] 2, 2. q. 76, a. 3. — *V.* Liguori, *Op. Mor*, l. III, n. 131; l. V, n. 83. — Utrum diversa, vel unum peccatum committat qui diversa mala optat et increpat inimico, v. g., infamiam, mortem, paupertatem, quæstio est. Nos dicimus, si ea mala sub una ratione mali apprehendat, nempe ut media ad illius perniciem, satis probabiliter cum Cajetano, Croix, Bonacina, Lugo, Valentia, etc., committit unum tantum peccatum, et satis est confiteri: *exoptavi grave malum proximo.* Sed si efficaciter optasset in suum inimicum diversa mala inferre, aut optasset specifice et in particulari, ut prædicta mala illi accíderent, tunc debet omnia illa distincte confiteri; quia illa sunt diversa peccata. Ita Liguori, *Homo Apost.*, tract. III, n. 65; et *Opus Mor.*, l. V, n. 50.

[3] *V.* Dissertatio s. Alphonsi, *Opus Mor.*, l. III, n. 130.

R. Ad 3: Maledicere *diabolo* raro est mortale; quia ipse fere semper solet maledici, uti auctor malorum vel Dei inimicus: quo sensu, abstrahendo ab impatientiæ actu, neque veniale est [1].

133. Q. 5. *Quotuplex est blasphemia?*

R. Blasphemia potest considerari: ratione vel intentionis, qua in ipsam erumpitur; vel modi, quo ea committitur; vel verborum, quibus exprimitur; vel objecti, in quod fertur.

1. Ratione *intentionis*, alia est *directa*, quæ Deum directe aggreditur ex intentione ipsum inhonorandi, et dicitur *diabolica*. Alia *indirecta*, et est cum quis advertenter quidem profert verba blasphemiæ; sed absque directa intentione Deum inhonorandi, ut si irrisorie et detestative vel ex ira loquatur contra Sanctos, aut cultum Dei satis advertens ad malum, quod verbis illis significatur.

2. Ratione *modi*, blasphemia alia est interna, quæ dicitur *blasphemia cordis;* alia externa, quæ dicitur *blasphemia oris* vel *operis*. Prima tota in animo consummatur, quin prodeat exterius: altera verbis vel factis exterius manifestatur; sicuti enim Deus laudari potest corde, ore et opere; ita corde, ore et opere inhonorari. Attamen si in solis factis consistit blasphemia, *impropria* dici consuevit.

3. Ratione *verborum*, blasphemia alia est simplex, alia hæretica, alia hæreticalis, alia imprecativa, alia dehonestativa. *Simplex*, seu nuda, est locutio in Deum contumeliosa, quin aliam malitiam includat. *Hæretica* est quæ continet etiam hæresim, quæ nempe vel negat Deo quod fides docet illi convenire, v. g., si quis dicat, *Deum non esse justum, nec sanctum;* vel eidem attribuit quod fides inficiatur, v. g., si quis dicat *Deum esse auctorem peccati*. Talis blasphemia est reservata in Bulla *Cœnæ*, quando qui eam profert, animo etiam credit. Quod si hæc proferens ore, non credat corde, tunc habetur *hæreticalis* blasphemia. *Imprecativa* est cum quis Deo malum imprecatur, v. g., si dicat: *pereat Deus*. Tandem *dehonestativa*, vera quidem de Deo pronuntiat, sed irreverenter, per contemptum, ex ira et malo animo erga Deum: talem protulit blasphemiam Julianus Apostata, cum morti proximus ira in Christum excandescens impie exclamavit: *Vicisti, Galilæe, vicisti* [2]*!*

4. Ratione *objecti* dividitur blasphemia in eam, quæ fertur immediate vel in Deum vel in Beatam Virginem vel in Sanctos. Quæ divisio ponitur, quia in nonnullis Synodis habentur reservatæ bla-

[1] In ira usurpare dæmonem sine imprecatione non est per se peccatum: at assidua nominatio non decet christianum, et ratione scandali potest esse grave: hinc improbandi qui ad omne fere verbum dicunt *oh diavolo!* maxime si ecclesiastici. — *V.* Ligüori, *Op. Mor.*, l. III, n. 131.

[2] Hoc tamen factum a criticis in dubium vocatur.

sphemiæ contra Deum et Virginem; non autem blasphemia quæ fertur contra Sanctos immediate.

134. Q. 6. *An omnes blasphemiæ species differant inter se, ideoque an confessarius debeat inquirere super earum diversitate?*

R. Cum Lessio: si blasphemia procedat ex desperatione, vel ex odio aut infidelitate, ut si sit imprecativa, hæretica vel hæreticalis, id aperiendum est; nam tunc blasphemiæ accedit nova malitia. Quæ sane est ex desperatione, est etiam contra spem; hæretica est etiam contra fidem; hæreticalis contra præceptum fidem exterius profitendi; imprecativa vero contra charitatem Dei. Item aperienda est blasphemia, quæ fuerit directe volita seu dehonestativa, ut cum fit animo faciendi contumeliam Deo: non autem si indirecte solum sit volita, ut cum fit ex ira erga hominem ad ostendendam animi indignationem, vel ex impatientia absque pravo motu in Deum. Longe enim alterius rationis peccatum est, cum facis aliquid directa intentione, ut legem violes; hoc enim verum legis contemptum includit [1].

Si vero blasphemia fuerit in Sanctos, non autem in Deum, utrum id etiam sit aperiendum, disputant. Alii affirmant probabiliter cum Antoine, Collet aliisque; quia omnes ultra propriam malitiam continent novam malitiam contra duliam, vel hyperduliam vel latriam; unde qui unico actu blasphemat duodecim Apostolos, committit duodecim peccata, quia uniuscujusque Apostoli honorem lædit.

Sed negandum cum Laymano, Viva, Sanchez, etc.: ratio est, quia singulæ æqualiter adversantur virtuti Religionis, nam illi etiam qui blasphemant in Sanctos, verius nonnisi contra latriam peccant, cum omnes istæ blasphemiæ suam malitiam desumant ex una relatione ad Deum: unde unica injuria Deo infertur, et ideo sufficit dicere se blasphemasse. Excipe si contumelia in Sanctos cum Christo regnantes proferatur non ut sancti sunt et beati; verum in quantum homines in terris fuerunt, sed qui nunc excellentia sanctitatis fulgent, ut si quis de s. Crispino et Crispiniano dicat fuisse sutores; tunc non est blasphemia in Deum redundans, sed blasphemia contra duliam tantummodo: et quidem ut dicunt venialis, si id non dicatur ex odio vel indignatione; sed ex joco.

Ceteræ tandem blasphemiæ certo speciem non mutant, ideo non sunt in Confessione de necessitate explicandæ in sua qualitate; cum non diversificent.

135. Q. 7. *Quale peccatum est blasphemia?*

R. Nemo dubitat, quin blasphemia sit ex genere suo mortalis.

[1] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 132; l. V, n. 47.

Hinc in Levitico: *Qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur* [1]. *Nihil horribilius blasphemia*, inquit s. Hieronymus, *quæ ponit in excelsum os suum* [2]. Ipsa ratio clamat, contumeliam quamlibet in Deum esse peccatum ex genere suo mortale. Neque dicas, blasphemiam in Sanctos non irrogare injuriam Deo: respondet Angelicus; *Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit; ita et blasphemia quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat* [3]. Venialis tamen esse potest quandoque blasphemia, non quidem ex genere suo, sed ex defectu requisitæ advertentiæ et deliberationis ad mortale: sic qui ira, vel alia animi passione abreptus prorumpit in verba blasphemiæ eorum gravem significationem minime advertens, istè profecto non peccat nisi venialiter.

136. Qui consuetudinem blasphemandi habent, tenentur sub gravi operam dare ad illam extirpandam, alioquin toties peccant quoties advertenter id omittunt; quia esset interpretative velle permanere in periculo proximo peccandi, cum pravus habitus vehementer ad suos actus provocet: hinc negligentes hac de re non sunt absolvendi.

Si vero dent operam, et tamen iterum labantur interdum, poterunt a mortali excusari, eo quod tunc blasphemiæ istæ impetu quodam naturali productæ non sint perfecte voluntariæ neque in se neque in causa, utpote retractatæ proposito illo efficaci. At non excusabuntur a veniali; quia adesse semper in blasphemante censetur advertentia aliqua saltem confusa de malitia verborum, quæ profert: neque ira ita ordinarie intellectum obtenebrat, ut nulla omnino remaneat advertentia ad blasphemiæ malitiam *(U)*.

137. Q. 8. *Quænam sunt pœnæ contra blasphemos?*

R. In blasphemos animadvertit:

1. Jus canonicum universum, quod quidem præcipit denuntiandos, ac contra ipsos procedendum esse [4]. Qua in re hæc notamus quoad simplices blasphemos [5], quod olim duæ erant obligationes ex Concilio Lateranensi: una eos increpandi, et hæc abiit in desuetudinem, ejusque in locum successit obligatio correctionis, si fructus speretur, uti docent Sanchez, Palaus, etc. Altera eos denunciandi, et hæc etiam per desuetudinem non videtur amplius obligare, ut dicit Viva.

Qui tamen blasphemiam hæreticam vel hæreticalem proferunt, intra

1 Lev. XXIV. 2 Lib. VII, *in Is.*, c. 18.

3 2, 2, q. 13, a. 1. — *V.* Sarnelli, *Opera contro la bestemmia.*

4 Ita Julius III, Const. *In multis.* — Lateranense Concilium. — Decretum S. R. Inquisit. Si blasphemia est hæreticalis, per se est tantum judicis ecclesiastici eam cognoscere ut probant ex c. *Quamvis pactum* II *de pactis*, in 6. Si non est hæreticalis eam cognoscere et punire est mixti fori, ut probant Barbosa aliique.

5 Blasphemia hic dicitur *simplex* per oppositionem ad hæreticam et hæreticalem, si nempe directe fidei articulis non opponatur.

mensem ex Decreto S. R. Inquisitionis [1], sunt denuntiandi. Intellige tamen, si id agant serio et advertenter; quia non adest hæc obligatio, si istæ propositiones aut blasphemiæ proferantur ex ignorantia: aut lapsus linguæ; aut eo iracundiæ impetu, ut proferentem e rationis usu abripuerit; aut si proferantur sine pertinacia, quæ semper necessaria est ut denuntiandi gravem obligationem inducat, prout docent Salmanticenses cum aliis.

2. Jus episcopale blasphemos reservationi subjiciendo: Synodi diœcesanæ (uti Novariensis, pagg. 24 et 316) reservant generatim *blasphemiam in Deum, vel Deiparam Virginem aut Sanctos, quæ a duobus vel a pluribus audita fuerit; et blasphemiam hæreticalem, nemine etiam audiente, prolatam.* Ubi notandum discrimen inter blasphemiam simplicem et hæreticalem; hæc enim inducit reservationem Synodalem, etiamsi prolata sit nemine audiente (non loquimur de hæretica utpote Pontifici reservata): illa vero ad reservationem inducendam requirit, ut a duobus vel pluribus audiatur, cujuscunque sexus isti sint et conditionis: etsi pueri, si humano modo adsint et doli capaces. — Item generatim reservatur blasphemia illius, qui jurat per falsos deos; non tamen factum licet execrandum, Dei vel Sanctorum effigiem aut simulacrum conculcantis, vel dilacerantis. Tandem præcipitur eos esse denuntiandos illos omnes, qui ex habitu pacatoque animo in blasphemias erumpunt.

3. Quoad legem civilem vide *Cod. pœn.* art. 185 et seqq.

138. Q. 9. *Quid est sacrilegium, et quale peccatum* [2]*?*

R. Sacrilegium est *violatio sacrorum*, sive *est loci, personæ aut re, divino cultui dicatæ indigna tractatio.* Sic dicitur quasi *sacrilædium*, seu læsio sacri: sub quo nomine intelligitur omne quod ad divinum cultum ordinatur. — Est autem sacrilegium peccatum ex genere suo lethale, quia ex se gravem Dei injuriam semper involvit, et tanto graviorem, quo majorem sanctitatem obtinent sacra violata [3]. Nil ergo mirum, si vel in hac vita Dominus gravem sacrilegis pœnam inflixerit: sic Nadab et Abiu, qui ignem profanum desuper thuribulis imposuerunt, devoravit ignis egressus a Domino: sic Joas rex, qui thesauros templi temere surripiebat, a servis suis necatur: sic Balthasar, qui vasis sacris abutebatur, a Domino corripitur: sic tandem Lysimachus multis commissis in templo sacrilegiis, ante ærarium interficitur [4].

Hic notandum: 1) ad sacrilegium non requiri, ut quis directe intendat res sacras inhonorare, quod hæreticorum est; sed sufficit quævis indigna earum usurpatio, si deliberate fiat, quacumque de causa; 2) ut aliqua actio sit sacrilegium, debet res violari in eo,

[1] Nunnullas tamen exceptiones vide *De Virt. Theolog.*, ubi *de hæresi.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 123; et l. IV, n. 951. It. *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 77.

[2] De sacrilegio uti est peccatum luxuriæ, vide *De peccatis.*

[3] Potest tamen aliquando esse leve non solum ex inadvertentia, seu semiplena deliberatione, sed etiam ex parvitate materiæ, ut si leviter percutiatur clericus, si res parva ab Ecclesia surripiatur. *Roncaglia.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 32.

[4] Lev. X; II, Reg. XII; II, Paral. XXVI; Dan. V; Mach. II.

quo sacra est: unde si quis male loquatur de aliquo qui votum castitatis habeat, istius detractio non induit naturam sacrilegii formalis: quia iste est sacer Deo quoad corporis et animæ munditiem, non quoad famæ integritatem.

139. Q. 10. *Quotuplex est sacrilegium?*

R. Cum tria sint objectorum genera, quæ Deo sacrari, seu deputari possunt ad Dei cultum, nempe *persona*, uti clericus; *locus*, uti templum; *res aliæ*, uti vasa sacra, imagines, etc.; hinc triplex sacrilegium, *personale* si persona, *locale* si locus, *reale* si res violetur sacra Deo. Triplex species distincte est in Confessione aperienda; cum alia sit sanctitas loci, alia rei, alia personæ.

1. *Personale* respicit violationem, sive indignam tractationem personæ sacræ, quatenus est directe contra ejus sanctitatem [1]; persona porro Deo sacratur vel per sacram Ordinationem, vel per Statum religiosum, vel per aliquam ejusdem participationem, quale esset votum simplex castitatis. Quæ violatio præcipue committi potest: *a)* violentas inferendo manus in clericum, vel religiosum; *b)* ecclesiasticos subjiciendo foro laicali, nisi per Concordata cessaverit hoc privilegium exemptionis et immunitatis; *c)* luxuriose violando personam Deo per votum castitatis dicatam.

2. *Locale* respicit violationem loci Deo sacri, quæ multipliciter potest evenire; nempe: *a)* violando Ecclesiæ, vel alterius loci sacri immunitatem, v. g., fores effringendo, evertendo altaria, bona eripiendo, vel hominem violenter sine permissione ab Ecclesia etiam interdicta et polluta extrahendo; *b)* polluendo Ecclesiam modis in *Rituali R.* descriptis; *c)* exercendo in Templo actionem profanam, quæ vel natura sua, vel juris præscriptione adversetur loci sanctitati, ut sunt mercatus, publica convivia, ludi histrionum. Aliqua autem moderata deambulatio in Ecclesia, aut privata comestio etiam sine necessitate non videtur grave peccatum, si absit scandalum, clamor et contemptus. Hic pro loco sacro intelligitur quilibet locus ad divina officia, aut ad mortuos tumulandos destinatus a tecto ad solum, etsi interdictus et pollutus.

3. *Reale* est indigna tractatio rei sacræ distinctæ a loco et persona. Res dicitur sacra *vel* quæ sanctitatem producit, ut Sacramentum; *vel* quæ sacrum significat, uti verba Scripturæ; *vel* quæ sacra repræsentat, uti imagines Sanctorum, et cæremoniæ sacræ; *vel* quæ est Sanctorum particula, ut Reliquiæ [2]; *vel* quæ ad cultum et

[1] D. Thomas, 2, 2, q. 99, a. 3 ad 3. — Ferraris; V. *Sacrilegium*.

[2] Graviter peccat qui furatur Reliquias notabiles, vel etiam minimam partem, si sit valide pretiosa, ut s. Crucis; quia licet non sit pretio æstimanda, hæc tamen ablatio

Ecclesiæ ornamentum pertinet, uti sunt bona ab Ecclesia jam possessa; *vel* quæ ad ministrorum sustentationem deputata est, intellige tamen cum s. Thoma, quæ talis est natura sua, uti esset ecclesiasticum Beneficium [1]. Hinc sacrilegium reale est: 1) uti verbis Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulatoria, detractoria, ad superstitiosa, ad sortilegia, etc.: Tridentinum hanc usurpationem vocat *temeritatem* et *violationem verbi Dei*, et eam per Episcopos puniri jubet [2]; 2) auferre Reliquias, contradicente domino; 3) ad Sacrificium adhibere vasa sacra, corporalia enormiter immunda, vel permittere ut in pyxide corrumpantur particulæ, etc.

140. *An* (quæres) *omne furtum in Ecclesia sit sacrilegium?*

R. Legitur in Jure canonico: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro* [3]. Dubium esse potest de furto rei, quæ per accidens in Ecclesia reperiatur, ut si quis alterius crumenam vel horologium subtiliter in Ecclesia surripiat. Alii negant hoc furtum sacrilegium esse, ut Lugo et Lessius: quia nihil Ecclesiæ interest de alterius crumena vel horologio. Alii probabilius affirmant cum Laymano, Elbel, Salmanticensibus et Filliucio; cum semper verificetur, quod talis furetur non sacrum de sacro.

141. Q. 11. *An vasa sacra et vestes item sacræ, absque sacrilegio in usum profanum converti queant?*

R. Si res sacra, quæ scilicet benedici vel consecrari soleat, totaliter immutari possit, atque ad communem materiam reduci, v. g., si calicem argenteum reducamus ad communem massam argenti, utique ad usus profanos converti potest absque ulla sacrilegii nota; quia amissione formæ et benedictio amittitur, ac proinde illa res nihil externi retinet, quod indecens appareat. Secus si res non satis difformetur: hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire; sed illa est comburenda [4]. Unde nefas esse dicunt hujusmodi vestes ad usus profanos vendere, v. g., ad chartam conficiendam (nisi omnino transfigurentur), aut oppignorare.

142. Q. 12. *Quænam sunt pœnæ in sacrilegos?*

R. Sacrilegi Jure canonico varie olim puniebantur: nunc excom-

graviter possessorem contristare potest. In districtu Romano sub pœna excommunicationis prohibetur furari Reliquias, etsi minimas, pertinentes ad Ecclesias: ex *Constit.* Clementis VIII et Pauli V. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 45.

[1] 2, 2, q. 99, a. 3. — *V.* Liguori. *Op. Mor.*, l. III, n. 463.

[2] Sess. IV. « Quoad ejusmodi lusus et facætias circa sacra, præcipue nos sacerdotes cautos esse oportet. Præ reliquis in hac materia valet, quod aliquis ex ss. Patribus ait: *nugæ laicorum sunt in ore sacerdotis blasphemiæ.* » Stapf, § 227. — Fragmenta autem librorum, in quibus verba sacra inscribuntur ad profanos usus adhibere sine contemptu, non est sacræ Scripturæ profanatio, nec proinde sacrilegium. Item de Sanctorum imaginibus non benedictis dicendum est.

[3] Can. *Quisquis* caus. 17, p. 4, c. 21. — Certum est autem sacrilegium non esse furtum in claustris, vel in Oratorio domus privatæ; esset vero furtum in Oratoriis xenodochiorum, etsi non benedictis ab Episcopo. ita Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 39.

[4] D. Thomas, p. 3, a. 3 ad 3. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LII; — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 41.

municantur; quæ pœna ipso facto (et Pontificii reservata) incurritur tantum a percussoribus clericorum: a violantibus Ecclesiasticam immunitatem nempe tributa imponendo, aut Ecclesiæ immobilia usurpando, emendo, alienando, vel alienationem consulendo. Item incurritur ob fractionem simul et spoliationem Ecclesiarum; quare sacrilegus usurpator non incurrit hanc pœnam, nisi violenter vel parietem fodiendo, vel tectum, fenestram, ostium frangendo, aut rumpendo, Templum ingrediatur, et simul aliquid grave furetur [1]. Contra Ecclesiarum aliorumque locorum incendiarios excommunicatio probabilius non est reservata; nisi etiam isti fuerint publice et nominatim denunciati [2].

Extra hos casus nulla habetur censura ipso jure sacrilegis adnexa, præter perpetuam inhabilitatem ad Missæ celebrationem contra abutentes Missæ sacrificio ad sortilegia ex Benedicto XIV (*V*).

Art. II. — *De Simonia.*

§ 1. — *De simoniæ natura et divisione.*

113. Q. 1. *Quid est simonia?*

R. *Nomen simoniæ a Simone Mago acceptum est, de quo legitur* Actorum VIII, *quod obtulit Apostolis pecuniam ad spiritualem potestatem emendam, ut scilicet quibuscunque manus imponeret, reciperent Spiritum Sanctum:* ita s. Thomas [3]. Definitur autem simonia a Theologis: *studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquod spirituale vel spirituali adnexum.* Unde tria ad ejus naturam necessaria sunt: 1) ut materia sit spiritualis, vel spirituali adnexa; 2) ut pretium sit temporale; 3) ut intercedat emptio, vel venditio: quæ quidem necesse non est, ut executioni mandetur, sed sufficit ut malitiose tantum intendatur; voluntas enim peccatum facit, ideo dicitur *studiosa voluntas.*

Simonia grave peccatum est: nam graviter prohibetur a Jure tum naturali, quod vetat omnino vendere rem impretiabilem; tum divino juxta illud: *gratis accepistis, gratis date* [4]; tum ecclesiastico, ut constat ex toto titulo *de simonia*, in quo ea appellatur *execrabile flagitium, nequitia, pestis, lethalis morbus, exitiale monstrum;* tum civili

[1] Cap. *Si quis suadente* XVII; cap. *conquesti* XXII *de sent.*; Gregorius XIV, Bulla *Cum alias;* Bulla *Cœnæ;* Pius V, Bulla *Admonet nos;* Tridentinum, sess. XXII, cap. 11 *de R.*
[2] Cap. *Tua nos* XIX *de sent. excomm.* — *V.* Liguori, *Op Mor.*, l. III, n. 44.
[3] 2, 2, q. 100. — V. *Bibbia* di Vence, vol. VI, Dissertazione: *Sopra Simone il Mago.*
[4] Matth. X. — *V.* Liguori, *Op. Mor*, l. III, n. 49; — Ferraris; V. *Simonia.*

communi [1]. Simonia opponitur Religioni; imo quædam species sacrilegii est, cum sit indigna rei sacræ tractatio: opponitur justitiæ, quia res spirituales æstimantur temporali pretio, cum sint supra omne pretium. Imo et hæresis vocari solet a canonico Jure, non quidem proprie; sed late, vel quia qui illam exercet, primum hæresiarcarum novi Testamenti imitatur; vel quia qui eam frequenter committit, hæresis suspicionem afferre solet, et pœnas aliquo modo similes meretur. Merito ergo ait Paschalis Papa: *Simoniacos comparandos esse Judæ proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christum vendidit: et omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputari.*

144. Q. 2. *Quid significat in simonia illud* emendi *vel* vendendi?

R. Illud *emendi* vel *vendendi* in simonia significat quemcumque contractum onerosum, sive voluntatem alterum obligandi ad dandum spirituale pro temporali, aut vicissim; tota enim simoniæ malitia sita est in turpitudine, quæ committitur, dum res spirituales, instar temporalium æstimantur et contractibus subjiciuntur. Hinc simonia non erit, aliquod temporale gratis alteri tradere pro Beneficio ecclesiastico jam accepto. Neque spirituale cum spirituali permutare, puta Missa cum Rosario; nam res ejusdem ordinis bene invicem æstimantur.

Hinc nihil dari, vel accipi potest pro actibus jurisdictionis spiritualis, non solum pertinentibus ad forum conscientiæ, ut est absolutio a peccatis, et Sacramentorum administratio; sed etiam ad forum externum, ut est dispensatio in votis, in juramentis, in irregularitate, a bannis, ab impedimentis matrimonii, a jejunio, a festis, a censuris, etc., cum hujusmodi actus sint spirituales tum ex parte causæ efficientis quæ est ecclesiastica potestas; tum ex parte finis et effectus, cum ordinentur ad salutem animarum. Potest tamen aliquid exigi per modum mulctæ ad causam piam, ut communiter dicunt. Item accipiuntur solutiones in dispensationibus matrimonii, etc., etiam per modum sustentationis onerum pontificatus; item per modum spiritualis commutationis. Et conceditur etiam Episcopis in talibus dispensationibus accipere aliquid in eleemosynas distribuendas (modo ipsis vel suis nihil perveniat) per modum pœnæ, vel commutationis. Non ergo per modum sustentationis; hoc enim vetitum est expresse illis Jure canonico [2] et Tridentino [3].

Attamen ad contrahendum matrimonium aliquid dare puellæ parentibus ut consentiant, etc., non est simoniacum. Audiatur Angelicus: *Dicendum quod matrimonium non est solum Ecclesiæ Sacramentum, sed etiam naturæ officium. Et ideo dare pecuniam pro matrimonio in quantum est naturæ officium, licitum est; in quantum vero est Ecclesiæ Sa-*

[1] L. *Si quanquam* XXXI Cod. *de Episc. et Elect.*
[2] C. *Jacobus, de simon.*
[3] Sess. XXIV, c. 6; sess. XXV, c. 18. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 96.

cramentum, est illicitum: et ideo secundum jura (cap. *Cum in Ecclesia*, de simonia) *prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur* [1] (tanquam pretium ejus).

145. *Quid* (dicendum erit) *si aliquod temporale tradatur pro omissione rei spiritualis?*

R. Si omissio alicujus actus procedat a potestate ecclesiastica et fiat ob pretium, erit simonia, uti si audita jam Confessione, omittas ob pecuniam absolvere; vel si accipias pecuniam pro non absolvendo aliquem a censura; quia et non absolvere, et ligatum detinere, cum importet exercitium spiritualis jurisdictionis ecclesiasticæ, est pretio invendibile. *Correctio... est spiritualis actus;... unde simoniam committit qui pecuniam accipit, ut peccatum quod tenetur revelare aut punire, non revelet nec puniat,* ait s. Thomas [2]. Idem dicendum, si ob tuam omissionem culpabilem alter spirituale consequatur, tunc enim omissio illius actus ultimo resolveretur in actum ipsum; esset si quis ideo consequatur Beneficium ecclesiasticum, quia tu pecunia motus cessas contra ipsum prosequi justam accusationem.

Si vero omissio non sit exercitium jurisdictionis spiritualis, neque intuitu rei spiritualis pretio æstimetur, quamvis sit hæc omissio actus spiritualis, ut esset omissio orandi, dandi eleemosynam, celebrandi, aliquem ordinandi, item Confessionem audiendi in simplici confessario, etc., non erit simonia pro illa dare vel accipere pretium; etsi possit esse turpe lucrum. Ratio quia talis omissio non est actus potestatis Ordinis vel jurisdictionis spiritualis, sed solius arbitrii; cessando enim a tali opere, non exercetur ullus actus spiritualis.

Quid: *si omittens teneatur ex debito sui officii ad actum non omittendum?* Croix et Suarez adhuc censent non adesse simoniam in eo, qui illum propter pecuniam omittit, uti si Parochus, qui ex officio tenetur Missam dicere, subditi Confessionem audire, denuntiationes Matrimonii agere, et ea propter pretium omittat; nam hæc omissio non est verus jurisdictionis actus. sed est non usus jurisdictionis, seu simplex actus malæ voluntatis. Verum nos contrarium tenemus cum Salmanticensibus et aliis; nam tunc fit quasi venditio juris, quod tertius habet ad illum actum exigendum, et hoc jus spirituale est [3].

146. Q. 3. *Quid sibi vult vox illa* pretio temporali *in simonia?*

R. Vox illa *pretio temporali* in re simoniaca indicat munus quodcunque temporale, quod s. Thomas revocat ad *munus a manu;* ad *munus a lingua;* ad *munus ab obsequio.*

1. *Munus a manu* est pecunia, seu bonum quodcunque temporale pretio æstimabile, quod quasi manu tribuitur [4]: sic esset munus a manu in me, si darem aliquam rem spiritualem cum pacto, ut alter remittat mihi debitum; vel etiam ut mutuam eam suppeditet in futurum; spiritualia enim gratis et sine ullo respectu ad

[1] In 4, dist. 25, q. 3, a. 2.
[2] In 4, dist. 25, q. 3, a. 2, q. 11.
[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III. n. 97.
[4] Totum quidquid homines habent in terra, omnia quorum domini sunt, *pecunia* vocatur; servus, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum est, pecunia dicitur; ideo autem pecunia vocata est, quia antiquitus quod habebant, in pecoribus habebant. Ita in can. *Totum* 1, q. 3.

temporalia danda sunt juxta illud Christi: *gratis accepistis, gratis date.* Si secus, simoniacum est.

Item simonia est, si detur alicui Beneficium ecclesiasticum cum pacto, ut subeat aliquod novum onus, licet spirituale, quod prius ipsi ecclesiastico Beneficio adnexum non erat: puta onus docendi, canendi, pluries celebrandi, aut diverso loco ab eo, de quo loquuntur Beneficii tabulæ. Ratio est, quia ex Jure canonico omne pactum in Beneficiis ecclesiasticis superadditum uti simoniacum habetur. Imo vel ipsa permutatio spiritualis, quæ in aliis rebus spiritualibus permitti potest (sic licita esset pactio: *nunc applico pro te Missam, ut mane applices pro me;* item si calicem pro calice, reliquias pro reliquiis dones), hæc inquam commutatio in re beneficiaria vetita est canonico Jure: unde sine licentia non liceret mihi permutare ecclesiasticum Beneficium quod ego possideo, cum Beneficio ecclesiastico quod alter possidet [1]. Ceterum si ab Episcopo una cum Capitulo Cathedralis Beneficio ecclesiastico vacanti imponatur novum aliquod onus honestum, v. g. infirmis assistendi, bene sustinetur in jure [2].

2. *Munus a lingua:* hoc nomine intelliguntur laudes, favores, commendationes, preces, etc.; quia hæc quoque solent in communi hominum sensu temporaliter æstimari. Sic esset munus a lingua in Episcopo, si ecclesiasticum Beneficium vel Vicariatum alicui conferret, ut ab eo laudibus exornetur, vel ne illius odium incurrat; quia laudum comparatio ac vitatio mali quod timetur, est temporale et pretio æstimabile. Vel etiam si dicat: *non conferam tibi Beneficium, nisi talis me roget:* conferret enim motus favore humano, qui æstimabilis est. Secus esset, si simpliciter conferret Beneficium ad preces alterius, sed nullo habito respectu ad favorem humanum acquirendum; tunc enim nulla interveniret venditio rei spiritualis pro temporali. Hic audiendus d. Thomas: *Quando fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo potente qui periculum comminatur, quæ preces* armatæ *dicuntur, manifeste simonia committitur, si propter hoc Beneficium ecclesiasticum detur. Si tamen pro digno fiant, quoniam ad judicium hominum probabile est, quod dans magis moveatur intuitu dignitatis personæ quam favore precum, et ideo non reputatur simonia; si tamen principaliter moveatur favore precum vel timore rogantis, quantum ad divinum judicium, simoniam committit et rogatus et rogans si hoc intendat, sive aliquis pro se roget sive pro alio* [3].

[1] Ex c. *Quam pio* II, caus. 1, q. 2. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 72.
[2] C. *Significatum de præb.* — *V.* L. Ferraris; V. *Pactum*, a. 2. — Aichner, *Compendium Juris ecclesiastici*, § 75, pag. 244, ubi plura ad rem.
[3] 2, 2, q. 100, a. 3. — « S. Alfonso per i Benefizi non voleva impegni nè media-

3. *Munus ab obsequio* est omne, quod pertinet ad servitutes, quæ exhibentur ad finem obtinendi quidpiam spirituale: munus esset ab obsequio, si Prælatus Beneficium ecclesiasticum famulo, vel famuli filio conferret, ut gratis sibi serviat; vel ut ejus famulandi munus sic compensetur. Pariter clerici, qui temporaliter inserviunt Episcopo, ut in munere œconomi temporalis, expectantes pro retributione aliquid spirituale, simoniaci sunt. Secus si serviant in spiritualibus, v. g. in munere prædicatoris; nam *ecclesiasticis utilitatibus desudantes ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere* [1]. Et Apostolus: *qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent* [2].

Dicunt etiam communissime Salmanticenses cum Cajetano, Laymano, Suarez, Toleto, etc., contra paucos, simoniam non esse, siquis inserviat Episcopo primario ad captandam ejus benevolentiam, secundario ad obtinendum Beneficium, ut nempe sic Episcopus factus benevolus gratis ecclesiasticum Beneficium conferat [3]. Verum hoc valde periculosum est; imo si alius titulus deest, recte supponitur in praxi intentio saltem virtualiter simoniaca *(X)*.

143. Q. 4. *Quid intelligitur nomine* rei spiritualis *in simonia*, *et nomine* spirituali adnexum?

R. Nomine *rei spiritualis* in simonia intelligitur omne, quod vel ex se, vel ex institutione Dei aut Ecclesiæ pertinet ad salutem animæ, atque ad ordinem bonorum spiritualium. Alia porro sunt spiritualia *in se ipsis et natura sua*, v. g. dona Spiritus Sancti et gratia sanctificans. Alia *causaliter*, quatenus nempe sunt causa donorum spiritualium, v. g., Sacramenta et Sacramentalia, orationes publicæ et privatæ. Alia *effective*, quæ a causa spirituali procedunt, ut dispensationes votorum aut censuræ, traditio doctrinæ christianæ, etc.

Per illud vero *spirituali adnexum* in simonia intelligitur quidquid cum re spirituali conjungitur. Temporale autem potest spirituali adjungi: 1) *antecedenter:* et est quod ordinatur ad spirituale, uti sunt vasa sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum usum, oleum, corona deprecatoria, ædes sacræ; 2) *concomitanter:* et est quod intrinsece conjungitur cum re spirituali, quod proinde ab ipsa separari non potest, v. g. labor corporalis, qui necessario insumitur in Missæ celebratione, aut alia re sacra peragenda; 3) *consequenter:* et est cum præsupponitur aliquid spirituale tanquam causa et radix: sic jus

zioni; e tanto era per lui cercare protezioni quanto rendersene immeritevole: *Indignus quia petisti*, solea dire; *sono gemelli impegno e simonia, ed hanno per padre il medesimo diavolo.* » Tannoja, *Vita di s. Alfonso*, lib. III, c. 32.

[1] C. *Eccles.* LXVII, c. 12, q. 3. [2] I, Tim. III.

[3] Quo in casu nullum intervenit pactum neque implicitum, aut æquivalens; nullaque intenditur compensatio, neque ulla proprie dicta intentio directe obligandi donantem adest, quod quidem omne damnatum esset ab Innocentio XI sub propositione 45, uti notat et explicat Viva.

percipiendi reditus ecclesiasticos præsupponit officium ecclesiasticum uti sui causam atque radicem.

Porro *per se* licitum est vendere temporale, quod *antecedenter* adnexum est spirituali, ut argentum calici; nam illa res semper retinet suum valorem intrinsecum a re spirituali independentem. Hinc in Jure canonico legitur: *si* (Ecclesia) *habeat superflua vasa.... integra aliis locis venerabilibus oblata dentur, vel conflata cuilibet alii vendantur* [1]: nulla tamen in pretio habita ratione consecrationis. Diximus *per se;* Jure enim ecclesiastico excipitur Beneficii ecclesiastici commutatio, Chrisma, Oleum benedictum, Cœmeterium, etc.

Quæ vero sunt adnexa spirituali *concomitanter*, nequeunt vendi: secus res spiritualis venderetur; cum sint ab ea inseparabilia, sine quibus neque res ipsa subsistat. Hinc tempus, quod necessario insumitur ad confectionem Sacramenti, non est pretio æstimabile. Pariter nec ea, quæ *consequuntur* rem spiritualem, vendi possunt; quod enim est adnexum consequenter alicui rei, rem ipsam supponit, et se habet veluti illius accessorium: si ergo principale nequit vendi, neque quod ex illo necessario sequitur. Hinc simonia est vendere jus vivendi de bonis monasterii; cum id sit necessario adnexum consequenter ad professionem, quæ spiritualis est.

148. Q. 5. *Quomodo dividitur simonia?*

R. Simonia vel consideratur ratione *modi*, quo committitur: et alia est mentalis, alia conventionalis, alia realis, alia confidentialis. Vel ratione *Juris*, quo prohibetur: et est juris divini et humani.

1. *Simonia mentalis* est, cum quis dat temporale animo alterum obligandi ad reddendum sibi spirituale, aut e converso, quin tamen ullum exprimatur pactum exterius: ideoque includit quidem actionem vere externam, sed exterius non apparet intentio, qua actio illa procedit. Sic simoniæ mentalis reus esset qui Episcopo præstat famulatum ex intentione obtinendi Canonicatum. Non tamen simonia reum dixeris qui ad Sacrum aliquod munus vel ecclesiasticum Beneficium aspirans, commodorum temporalium etiam rationem habet, ita tamen ut omne indignum mercimonium excludat; qui enim officium quærit jus habet ut ex illo honeste sustentetur.

2. *Conventionalis* est, cum extat conventio seu pactum explicitum: v. g., si quis de præstando famulatu conveniret cum Beneficii ecclesiastici patrono addito pacto expresso, ut ad idem Beneficium suo tempore nominetur. Si pactum a neutra parte sit executum, dicitur: *pure conventionalis:* si ab una tantum partem, *conventionalis mixta*, quia participat aliquid de reali.

[1] C. *Hoc jus* 11, § 1, c. 10, q. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n, 49.

3. *Realis*, est cum pactum per reciprocam rei spiritualis et temporalis traditionem executione donatur, v. g., si nominatio ad ecclesiasticum Beneficium in supra allato exemplo pro famulatu jam præstito locum habuerit.

4. *Confidentialis* est quæ consistit in Beneficiorum ecclesiasticorum provisione vel renuntiatione, facta videlicet sub certa confidentia, id est expresso vel tacito pacto. Quod quidem contingit quatuor sequentibus modis, ut notat Bulla *Romanum* Pii IV, Bulla *Intollerabilis* Pii V, et Tridentinum [1]: — *a) per accessum*, cum nempe quis, v. g., volens procurare ecclesiasticum Beneficium Titio vel per ætatem vel ob aliud actu incapaci, illud confert Cajo vel Cajum ad illud præsentat et eligit; attamen sub hac confidentia, seu pactione, ut nempe idem Beneficium Cajus dimittat, ut ita ad illud accedere illudque consequi possit Titius, ubi ipse fuerit capax; — *b) per ingressum*, si ecclesiasticum Beneficium collatum, sed nondum possessum, quis resignet puta Petro sub pacto, ut in ipsum Beneficium ingrediatur idem resignans, si Petrus moriatur aut illud dimittat; — *c) per regressum*, cum nempe quis Beneficium ecclesiasticum a se possessum resignat alteri hac pactione interveniente, ut provisus tali tempore a Beneficio regrediatur, illud resignando aut ipsi resignandi aut alteri juxta conventionem; — *d) per pensionem*, quando quis procurat alteri ecclesiasticum Beneficium sub pacto expresso vel tacito, ut hic sibi vel alteri a se designando omnes Beneficii fructus, vel eorum partem tribuat, aut pensionem ex eo persolvat. Sed necesse est, ut accessus, ingressus, regressus et pensio cadant super idem Beneficium, ut habeatur simonia confidentialis; secus simonia erit solum conventionalis aut realis.

5. *Simonia Juris divini*, id est de Jure divino prohibita, est quæ prohibetur Jure divino ob intrinsecam sui malitiam, quando scilicet pro temporali datur res vel in se, vel ex Christi institutione spiritualis: uti gratia sanctificans, Sacramenta et Ordines sacri.

6. *Simonia Juris humani*, quæ nempe de jure tantummodo humano prohibetur: ea dicitur quæ non est intrinsece mala, sed solum mala est, quia ab Ecclesia prohibetur ob reverentiam erga res sacras, vel quia de facili ad simoniam Jure divino prohibitam viam sternit. Lex autem habet utique vim efficiendi, ut suum objectum sit materia illius virtutis, ex cujus motivo fertur, uti recte notat Antoine. Sic Communio facta a non jejunio sine causa excusante, est sacrilegium; quia Ecclesia ex motivo reverentiæ vetuit sumptionem cujuscumque cibi vel potus ante ipsam Communionem.

1 Sess. xxv, cap. 7. — *V.* Garcias, Lessius, Layman, etc.

Talis est etiam permutatio Beneficiorum ecclesiasticorum inter se, in quibus non habetur nisi prohibitio Ecclesiæ; cum aliunde servetur in illis æqualitas rerum commutando spirituale cum spirituali.

149. Q. 6. *An possit in simonia dari materiæ parvitas?*

R. Si agitur de simonia Juris divini, sententia communis est, nullam dari materiæ parvitatem; quia gravis semper est in res sacras irreverentia easdem æstimare instar rerum temporalium, et utpote tales contractibus subjicere. Hinc d. Petrus Simonem Magum, criminis hujusmodi reum, sic vehementissime increpat: *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri!* quæ verba indicant piaculum valde infandum. Ideo simonia Juris divini non potest esse venialis ob materiæ parvitatem, sed tantum ob imperfectionem actus, aut ob ignorantiam.

Si vero sermo sit de simonia Juris humani tantummodo, admittenda est materiæ parvitas cum Croix ac Navarro; quia quando nec accipitur nec datur præcise temporale pro pretio rei spiritualis, sed traditio vel acceptio prohibetur dumtaxat ad cavendam simoniæ labem, non fit injuria rei ipsi spirituali, sed peccatur tantum contra Ecclesiæ præceptum, in quo omnes materiæ parvitatem admittunt [1].

150. Q. 7. *Quot modis committitur simonia Juris divini et humani?*

R. Ad 1: Simonia Juris divini committitur præsertim:

1. Dando aliquid temporale uti pretium rei spiritualis: ita Simon Magus pecuniam offerebat pro donis Spiritus Sancti. Sic esset simonia Juris divini temporale dare vel accipere uti pretium Sacramentorum, Sacramentalium, Reliquiarum, vel pro potestate spirituali Ordinis aut jurisdictionis, pro applicanda Indulgentia, pro divinis Officiis recitandis, pro concione pronuncianda, etc.

2. Dando spirituale principaliter ob temporale, vel contra: esset si Titius avarus donaret ingentem summam Sempronio, qui ad ecclesiasticum Beneficium nominare debet: esto quod videatur liberalis donatio; at considerata qualitate personæ donantis, quæ est avaritiæ dedita, ac qualitate rei donatæ quæ apta est ad mentem alterius pervertendam, si postea fere statim Beneficium detur, merito censetur datum principaliter ob pretium temporale [2].

3. Simonia est Juris divini promittere, dare vel accipere temporale æstimabile pro collatione, electione, præsentatione, confirmatione ad ecclesiasticum Beneficium; commutatur enim temporale cum spirituali. Item illud permutare cum pensione pure laicali, licet Pontifex ut supremus dispensator, præscindendo a mutatione, possit

1 *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 51.

2 Quare merito ab Innocentio XI damnatæ sunt istæ, nn. 45 et 46 propositiones: 1) *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita* compensatio *pro spirituali, aut contra;* 2) *id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis sic, ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.*

a Beneficio partem fructuum detrahere. Item vendere jus percipiendi fructus; nam cum tale jus essentialiter detur ob officium spirituale, ab illo nequit dividi.

R. Ad 2: Sequentibus modis committitur simonia Juris humani:

1. Beneficia ecclesiastica commutando, in alterius favorem resignando, in iis paciscendo, transigendo vel pensiones licet spirituales reservando sine licentia [1]. Ratio horum omnium est periculum, ne fiat intuitu rei temporalis.

2. Aliquid dando vel accipiendo occasione, qua fit examen pro Parocho eligendo, ex Tridentino [2]: quod quidem Concilium prohibuit sive detur et accipiatur ante, sive post examen: et merito id statuit ad amovendum omne humanæ affectionis periculum in examinatoribus. Diximus *occasione, qua fit examen*, seu occasione examinis; nam pro examine ipso aliquid dare vel accipere, ut illud prospere cedat, esset simonia Juris divini.

3. Aliquid accipiendo etiam sponte oblatum *occasione collationis Ordinis, vel Literarum ad Ordinem ipsum, vel etiam primæ Tonsuræ:* ex Tridentino [3]. Verum Concilii C. 8 oct. 1678 permisit Episcopis, ut candelam reciperent ab ordinandis, et etiam mappam a presbyterandis: imo eadem Congregatio deputata ab Innocentio XI taxavit etiam emolumenta, quæ exiguntur pro dimissoriis et testimonialibus, etc.

4. Vendendo vel emendo officia procuratoris, sacristæ, œconomi, defensoris Ecclesiæ: quod quidem prohibitum est intuitu Religionis [4].

5. Vendendo partem cœmeterii [5]: et erit simonia Juris divini, si vendatur uti locus sacer. Potest tamen emi jus sepulcri, ut quis in tali loco sepeliatur; quia non venderetur sepultura ne ratione quidem terræ, sed pretium exigeretur ratione oneris alios ibi non sepeliendi. Quod quidem est quid temporale: et probat usus [6].

6. Vendendo oleum benedictum; vel sacrum Chrisma etiam secundum suam speciem physicam [7]; usus tamen in aliquibus Ecclesiis cathedralibus invaluit, ut aliquid ab Ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda.

7. Exactio pecuniæ pro admissione in Religionem ratione sustentationis, nisi lex, consuetudo vel tenuitas monasterii excuset [8].

1 C. IV *de sim.*; c. V *de rer. perm.*; c. VIII *de trans.*; c. ult., *de part.* — *V.* Bene dictus XIV, *Notificationibus* XCIII et XCV.
2 Sess. XXIV, c. 18 *de R.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 112.
3 Sess. XXI, c. 1 *de Ref.* — *V.* Pavone, *La luce fra le tenebre*, § 164; — Ferraris; V. *Taxa.* — De taxa Innocentiana vide Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum.*
4 C. *Salvator* II, caus. 1, q. 3.
5 C. XIII et XIV *de sepul.*
6 Idem est, si plus exigatur ad deferendam crucem argenteam pro ferrea; non enim est majoris benedictionis una præ alia; sed hic honor mundanus est, qui potest vendi.
7 C. *Dictum* CV, c. 1, q. 1; et c. XVI *de simon.*
8 C. XVIII et XL *de sim.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 92.

Imo loquendo de sanctimonialibus, cum S. Concilii Congregatio experientia didicerit nullum monasterium reperiri adeo opulentum, quod pluribus incommodis non sit obnoxium, amplexata est s. Caroli decreta, quibus a singulis monialibus statuitur tradendam esse dotem. Unde ex Benedicto XIV [1], satis est si Episcopus modum imponat sumptibus fieri solitis occasione ingressus *(Y)*.

§ II. — *De pœnis quibus simonia punitur, et causis excusantibus.*

151. Q. 1. *An omnis simoniæ species in jure puniatur?*

R. Certum est 1: nulla pœna in jure puniri simoniam *pure mentalem;* quia culpæ mere internæ legibus Ecclesiæ non subjiciuntur vel certe ab ea non puniuntur. Quapropter eo in casu *sufficit,* ait Gregorius IX, *per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori* [2].

2. Nullam pariter incurri pœnam ob simoniam *pure conventionalem;* nam jura loquuntur de jam actu commissa, et effectu completa. Imo in communiori et probabiliori sententia non incurritur pœna neque ob *conventionalem mixtam*, quando nempe fuit quidem traditum pretium temporale, sed non res spiritualis; nam sine hac actus non est completus. Et hunc esse Curiæ stylum testantur Navarrus aliique, nempe non judicandi incursas pœnas, nisi ex utraque parte completa simonia.

3. Puniri a canonico Jure simoniam tum *realem* in ecclesiasticis Beneficiis, seu completam ex utraque parte, et conferentis Beneficium et dantis pecuniam, quamvis ea occulta sit, et non integre solutum pretium conventum, sed tantum pars pretii data sit; tum *confidentialem*, etiamsi non sit ex utraque parte completa: ad hanc enim satis est, si ecclesiasticum Beneficium detur ea conditione, ut dimittenti aut alteri assignetur, vel fructus illius solvantur, et ea intentione recipiatur; quamvis accipiens promissionem suam nondum implere cœperit. Item pœnæ canonicæ incurruntur etiam per simoniam commissam sive pro ingressu in Religionem, sive pro collatione et susceptione Ordinum [3].

[1] *De Syn. Diœc.*, l. XI, c. 6; et *Notificatione* XXIX.
[2] Cap. ult., t. III, l. V, *Decretal.* — *V.* d. Thomas, 2, 2, q. 100, a. 6.
[3] An pœnæ incurrantur, si simonia sit tantum de Jure ecclesiastico, et expresse lex ecclesiastica id non statuat, alii affirmant; quia jura generice loquuntur Alii non minus probabiliter negant; quia jura quæ pœnam imponunt sunt odiosa, ideo restringenda: revera de sola simonia Juris divini loquitur *Extrav. II de simon.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 105, 108. — Ferraris; V. *Simonia*, art. 3.

Extra hanc materiam nulla censura: hinc in Sacramentorum aut Sacramentalium et similium administratione simoniam committere erit quidem gravissimum peccatum; sed nulla erit pœna positiva [1].

152. Q. 2. *Quænam sunt pœnæ contra simoniacos in Beneficiis?*

R. Prænotandum per Beneficium in hac materia intelligi tantum Beneficium ecclesiasticum, quocumque nomine appelletur [2]. Hinc:

1. Non veniunt Officia Inquisitoris, Legati vel cujuscunque habentis jurisdictionem spiritualem ad tempus, ut Vicariatus Episcopi, officium procuratoris rerum Ecclesiæ, etc.: quia Beneficia non sunt, quamvis jure positivo sit prohibitum sub simonia ea vendere, quia sunt officia ecclesiastica.

2. Non veniunt Coadjutoriæ Beneficii, quæ nihil aliud sunt, quam quædam facultates exercendi officium proprietarii, etsi concedantur cum futura successione, et licet possint esse materiæ simoniæ. Neque veniunt Capellaniæ non collativæ seu pure laicales aut pia legata; nam ecclesiastica Beneficia non sunt. Imo nedum incurratur aliqua pœna, absque ullo simoniæ reatu possunt vendi, vel eis conditiones apponi; cum neque officia ecclesiastica sint; quamvis enim habeant onus spirituale adnexum, non tamen referunt ecclesiasticam institutionem: porro ubi verba legis non conveniunt, neque ejus dispositio locum habet; et ita pluries Romæ judicatum fuisse refert Gonzales [3]. — Quibus positis, en pœnæ ob simoniam in Beneficiis ecclesiasticis:

Primo: pœna contra simoniam realem in ecclesiasticis Beneficiis sunt ex Constitutionibus Pii IV et Pii V: 1) *excommunicatio,* quæ incurritur ipso facto etiam a cooperatoribus, et est Pontifici reservata; 2) *nullitas* electionis, præsentationis et canonicæ institutionis, ita ut sic promotus et institutus nequeat fructus Beneficii facere suos; 3) inhabilitas perpetua ad idem Beneficium obtinendum [4].

Secundo: propter simoniam confidentialem sive completam, sive incompletam, ultra pœnas impositas adversus realem, ex Decreto *Cum Primum* s. Pii V, incurritur etiam privatio Beneficiorum omnium antea etiam obtentorum; non tamen probabiliter ante sententiam saltem criminis declaratoriam. Si tamen simonia sit commissa ab ipsis examinatoribus synodalibus, qui nempe occasione examinis ad Parœciam aliquid recipiant, ipsi privantur ante omnem

[1] *Extravag.* 1, *Cum detestabile de simon.*; et Bulla *Intollerabilis* Pii V.
[2] *Extravag.* II *de sim.* [3] In Reg. VIII, *Cancell.*, glossa 5.
[4] Dicimus *ad idem;* nam ad alia ecclesiastica Beneficia obtinenda non fit inhabilis, nisi post sententiam, ut probabilius et communius docent explicantes Bullam Pii V (ubi aliud videtur innui) de foro externo; cum Bulla revera loquatur *de reis convictis.* Imo qui alia Beneficia jam habeat, retinere potest, quia nulla lex expresse hanc pœnam ipso facto decernit. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 112.

sententiam Beneficiis jam obtentis ex Tridentino, adeo ut *nequeant a simonia absolvi, nisi dimissis Beneficiis* [1]. Beneficium autem ecclesiasticum per confidentiam collatum et acceptum manet Sedi Apostolicæ reservatum.

An (quæres) *pœnæ ob Beneficia simoniace accepta constitutæ incurrantur ab ignorantibus?*

R. Si ignorantia sit inculpabilis non incurruntur; *nam sine culpa nisi causa subsit, non est aliquis puniendus* [2]. Hoc tamen intelligendum est tantum quoad eas censuras, ad quas incurrendas requiritur scientia: unde qui scit se simoniam committere, sed ignorat invincibiliter censuras adnexas, eas adhuc non incurreret. Sed semper incurreret ceteras pœnas, non obstante inculpabili ignorantia, ut si v. g., simonia patrata fuerit a quodam tertio, provisio Beneficii semper erit nulla, neque potest retinere fructus ab illo perceptos [3].

Excipe 1) si beneficiatus sciens contradixerit, et postea simoniam ignorando acceptaverit Beneficium; 2) si tertius commiserit simoniam ad hoc, ut illum redderet inhabilem ad Beneficium; 3) si pacifice tres annos in Beneficii possessione fuisset, uti communiter docent cum s. Thoma. Nec obstat regula Cancellariæ, ubi requiritur absolute, ut Beneficium obtineatur *sine ingressu simoniaco;* nam intelligitur de eo, qui culpabiliter ingreditur.

153. Q. 3. *Quænam sunt pœnæ adversus simoniacos in Ordine, vel in ingressu Religionis?*

R. Ad 1: Pœna adversus simoniacos in Ordine sunt contra ordinantem; contra mediatores et præsentatores; contra ordinatum [4].

Quod pertinet ad *ordinantem*, ex Constitutione *Sacrum* Sixti V: 1) est ipso jure supensus tum a collatione Ordinum etiam primæ tonsuræ, tum ab executione pontificalium; 2) est interdictus ad ingressu Ecclesiæ: et si interdictum violaverit, præter irregularitatem suspenditur etiam ab Ecclesiæ regimine, et privatur perceptione fructuum: 3) remanet excommunicatus.

Hanc excommunicationem incurrunt etiam *mediatores; præsentatores* vero incurrunt præterea suspensionem ad triennium [5].

Ordinatus autem simoniace præter excommunicationem privatur spe ascendendi ad alios Ordines. Item ab Ordinibus suspenditur,

[1] Sess. XXIV, c. 18 *de R.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 107.
[2] Cap. XXIII *de reg. juris.*, in 6. — Dictum est *si ignorantia sit inculpabilis;* neque enim talis esset ignorantia illius ecclesiastici, qui incidit in varias simonias, et graviter correptus, se excusat dicendo se talia ignorasse: hic ex illorum est qui legere recusant, ne bene agant; quæ sunt propriæ conditionis, saltem quoad magis obvia, inculpabiliter non ignorantur.
[3] C. XXXVII *de simon.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 111, 112.
[4] Hæ non incurruntur ob collationem primæ tonsuræ. [5] C. XLIII *de sim.*

et si illos exerceat, privatur omnibus Beneficiis et fit inhabilis ad alia acquirenda. Lessius aliique docent suspensionem intelligendam esse tantum quoad Ordines scienter simoniace susceptos, cum nemo debeat puniri sine culpa; tamen Benedictus XIV, Constitutione *Pastor bonus*, tribuit majori Pœnitentiario facultatem cum inscio dispensandi non ideo, quod peccaverit; sed quia illegitima fuit ejus Ordinis susceptio.

R. Ad 2: Propter simoniam quoad ingressum in Religionem communitas incurrit suspensionem, et particulares, id agere præsumentes, excommunicationem papalem. Sed hæc probabiliter tantum incurritur in professione: imo multi dicunt illam in desuetudinem abiisse. Ubi advertendum, quod omnes electiones simoniacæ ad Generalatum, Rectoratum, et quodlibet officium spirituale in Religione, sunt ipso jure irritæ [4].

154. Q. 4. *Quinam absolvere potest a pœnis in simoniacos latis?*

R. Quoad excommunicationem et suspensionem ob collationem Ordinum, vel Beneficiorum, vel ob admissionem in Religionem incursas, solus Papa potest absolvere, si publicæ sint; si occultæ, possunt etiam Episcopi, uti docent communiter, ex capite *Liceat.*

Quoad inhabilitatem, distinguendum est: vel agitur de dispensando ad habenda alia, vel idem Beneficium. — Si 1, potest Episcopus ex eodem Tridentino [2] dispensare, modo simonia non sit confidentialis, ex Pio V: neque deducta sit ad forum contentiosum, quia tunc adesset notorietas infamiæ. — Si 2, adhuc poterit Episcopus dispensare, si simonia sit commissa, beneficiario ignorante: et quidem in illa vacatione, si Beneficium sit simplex et antea renuntietur [3]; in alia vero vacatione, si Beneficium ecclesiasticum sit majus, curatum, vel dignitas [4].

155. Q. 5. *An simoniace percepta sint restituenda?*

R. Affirmative generatim loquendo: simoniace accepta restituenda sunt; cum omnis contractus simoniacus sit suapte natura nullus. Unde cum communi resolvimus:

1. *Pretium temporale acceptum* pro simoniaca collatione Ordinum, ecclesiasticorum Beneficiorum, aut Sacramentorum (si excedit quod poterit a ministro exigi pro sua sustentatione, loquendo de Sacramentis), Juræ naturæ restituendum est danti, qui est adhuc dominus pretii simoniace soluti, cum dederit ex titulo falso. Hoc tamen intellige ante traditionem rei spiritualis; nam si jam res spiritualis tradita sit, tunc juxta alios pretium adhuc reddendum est

[1] *Extrav.* 1 *de sim.*
[2] Sess. XXIV, c. 6 *de R.*
[3] *C.* XXVII *de sim.*
[4] C. penult. *de elect.*

danti ob nullitatem contractus; juxta alios dandum est Ecclesiæ, ubi est Beneficium, atque hoc in pœnam irreverentiæ irrogatæ Ecclesiæ; juxta alios vero potest etiam dari pauperibus (vel etiam sibi applicari, si vere egenus sit). Quæ sententiæ sunt satis probabiles: unde recipiens simoniacum pretium poterit, prout voluerit, illud reddere uni ex dictis.

2. *Spirituale simoniace acceptum*, si sit Beneficium ecclesiasticum, ipso facto est dimittendum sive crimen sit occultum, sive publicum, simul cum fructibus injuste perceptis, a quibus tamen sunt detrahendi fructus correspondentes labori ac functionibus, aliique bona fide jam consumpti. Fructus debent restitui Ecclesiæ Beneficii, ex d. Thoma, modo commodum non recipiat ex hoc qui simoniam commisit [1]. Sed probabile est, eos posse etiam dari pauperibus, aut successori in Beneficium: imo potest etiam obtineri compositio a Papa, sicque legitime retineri a possessore [2]. — Si vero simoniace acceptæ sint aliæ res spirituales, v. g., Reliquiæ, non debent ipsæ de necessitate restitui, cum id non præcipiat Jus canonicum, et aliunde per se dispensatio spiritualium, etiam mediante pecunia facta, est valida. Adde: plura spiritualia non amplius possunt restitui, ut Sacramenta recepta, Ordines suscepti.

3. Acceptum pro admissione in Religionem, non est restituendum, nisi post sententiam; interim autem potest retineri pro alimentatione communitatis [3].

156. Q. 6. *Quænam sunt causæ a simoniæ labe excusantes?*

R. Etiamsi nunquam liceat nec per Pontificis dispensationem aliquid temporale pro spirituali dare vel accipere; fieri tamen potest, ut aliquando temporale quidpiam recipiatur occasione spiritualis, videlicet ex titulis simoniæ prorsus extraneis. Hinc versus:

Hanc gratis exhibitum, dona et stipendia vitæ:
Hanc usus, labor; hanc et justa redemptio tollunt.

1. Est quando temporale pro spirituali vel contra, datur omnino gratis, et sine ullo sive explicito, sive implicito pacto tam ex una, quam ex altera parte; nam *illud gratanter recipi potest, quod fuerit*

[1] 2, 2, q. 100, a. 6.

[2] S. Pœnitentiaria ex Bulla *Pastor bonus* Benedicti XIV potest dispensare cum occultis simoniace ordinatis; convalidare titulos Beneficiorum cum occulta inhabilitate obtentorum; et partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem. *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 148: *De facultatibus Sacræ Pœnitentiariæ.*

Si simonia sit publica, pro foro externo, recurrendum est ad Datariam, exprimendo et causas impetrandi dispensationem (ut esset majus scandalum ex dimissione Beneficii, et paupertas supplicantis) et fructus perceptos. *V.* Reiffestuel, Voit.

[3] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. IV, n. 53; *Op. Mor.*, l. III, nn. 114, etc.

sine taxatione gratis oblatum [1]. Excipe ex canonico Jure quod recipitur occasione examinis ad Parochiam, vel Ordinum collationis.

2. Quando post acceptum spirituale datur aliquid temporale ex sola animi gratitudine tanquam merum donum, quod nullam potuerit vim exercere in animum concedentis rem spiritualem; motivum enim gratitudinis est motivum virtutis, unde simonia non est. Hinc simoniaca non sunt munera a parentibus præstita Parochis aut eorum Vicariis, qui ipsorum filios in fide erudierunt, ad primam Communionem sollicite pararunt. Excipe semper, si etiam sponte oblata Ecclesia prohibeat accipere, ut contingit ex jam dictis in Ordinum collatione, et Beneficii parochialis examine.

3. Quando aliquid temporale datur Ecclesiæ ministris per modum stipendii ad honestam sustentationem pro sacris functionibus, Missis, funeribus, benedictionibus, etc.: nam *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* [2]. Et licet sacerdos mediante stipendio, se obliget ad celebrandum, ad funerandum, benedicendum, etc. non ideo commutat temporale in spirituale; sed in pactum deducit tantummodo justum stipendium a Deo et Ecclesia sibi concessum. Spiritualia enim debent administrari gratis, ita tamen ut non excludatur jus sustentationis.

4. Consuetudo legitima, quæ vim legis obtinet: hinc Benedictus XIV ait, præstationes, quas Canonici ad possessionem admissi solvunt, si antiquas, non facile improbandas, ad majora mala vitanda.

5. Quando temporale datur pro labore extrinseco, qui per accidens tantum conjugatur cum re sacra, ita ut etiam sine eo ministerium sacrum sive functio spiritualis adhuc in se possit exerceri; bene enim potest separari, ergo et æstimari. Esset cantus in Missa, longum iter pro Sacro celebrando in dato templo [3].

6. Excusat redemptio ab injusta vexatione: vexatio circa jus nostrum est quid temporale quod temporaliter redimi potest.

157. Q. 7. *An excuset a simonia redemptio ab injusta vexatione?*

R. Ut res bene percipiatur, duæ hic præmittendæ sunt hypotheses. Potest injuste aliquis vexari, vel in ipso jure spirituali jam

[1] C. XXX *de sim.* Diximus *sine ullo sive explicito sive implicito pacto*; ad simoniam enim sufficeret pactum etiam intentum ab una tantum parte, neque ab altera cognitum: imo etiam absolute rejectum, prout contigit in facto Simonis Magi. In dubio an gratis temporale sit tributum, pensandæ sunt circumstantiæ temporis, personæ ac doni; si enim, v. g., tribuatur res ingens, a persona tenaci, paullo ante Beneficii collationem merito judicari potest intervenire simoniam.

[2] 1, Cor. IX. Vide L. I *de jure stolæ*, tract. II in fine.

[3] Aliter dicendum, si ageretur de labore ipsi rei sacræ intrinseco, sine quo ministerium spirituale exerceri non posset, uti esset vocabulorum pronuntiatio in Sacramentorum confectione et collatione: quia labor iste non distinguitur ab ipsa re. — *V.* Ferraris; V. *Simonia*, art. 4; — Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XI, c. 6.

acquisito; vel in tali jure nondum acquisito, sed certo acquirendo, Item potest vexari injuste tam ab iis, qui jus illud spirituale concedere possunt, quam ab iis, qui nullo modo jus illud possunt elargiri. Quibus positis dicimus: qui injuste vexatur, vexatur vel in jure acquisito, vel in jure acquirendo.

Si 1, non est simonia pretio temporali redimere injustam vexationem a quocumque tandem proveniat: ita Angelicus [1], et S. C. Concilii 18 jan. 1785. Sic si Princeps Parochum impediat a Sacramentorum administratione, et a spirituali Parœciæ suæ regimine, posset eidem tradere pecuniam, ut ab hujusmodi vexatione se velit abstinere: non enim daret temporale pro jure spirituali; sed daret temporale pro tollendo nefario illo impedimento, quod quidem est quid temporale [2].

Si 2, tunc si injusta vexatio in jure acquirèndo provenit ab iis qui nequeunt jus illud concedere, fas est eam pretio redimere, quia pretium datur pro re temporali: sic, v. g., si quis per diffamationem patronum impediat, ne te eligat ad Beneficium, poteris utique diffamatori dare pecuniam, ut ab illa cesset diffamatione; quia in hoc casu non redimeres, nisi famam, et tolleres vim ac fraudem, quibus sublatis, patronus adhuc suo in arbitrio plenissime remanet te ad Beneficium eligendi, vel non eligendi. — Hinc cum delatus fuisset Benedicto XIV casus, quo nempe quidam sacerdos ingentem summam cuidam laico eam postulanti dedit, cum alioquin potens ut erat, falsa crimina ei esset affixurus, ne ad Canonicatum eligeretur; respondit Pontifex, si forte indigeret talis provisio convalidatione, se eam convalidare: unde apparet, quod Papa non habuit ut certo invalidam illam provisionem, sed voluit sic agere ad securitatem; quia sic fuerat postulatus.

Si tamen injusta vexatio in jure acquirendo provenit ab iis, qui jus illud spirituale concedere possunt, eo casu simonia erit temporale aliquid iisdem elargiri eo fine, ut cessent a vexatione; quia tunc daretur temporale pro spirituali [3]. Ponamus Titum Beneficii patro-

[1] 2, 2, q. 100, a. 5. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. IV, n. 49; itemque *Op. Mor.*, l. VII, n. 105.

[2] Diximus: 1) *pretio temporali;* si enim daretur aliquid spirituale, esset simonia, nam pretio spirituali redimeretur vexatio temporalis; 2) *injustam vexationem;* si enim vexatio justa sit, v. g., si quis accusetur de vero crimine, ob quod Beneficium debeat amittere, vel jura spiritualia amplius nequeat exercere, simoniacum esset pretio redimere vexationem hanc; quia tale jus non est firmum, ideoque tollendo vexationem justam pretio emitur jus firmum, quod quidem est spirituale.

[3] C. Matthæus, *de sim.* Aliter esset si ageretur de actu possessionis ecclesiastici Beneficii jam collati: tunc probabilius liceret hanc vexationem pecunia redimere; quia possessio est temporalis, cum in solo facto sita sit. Pariter simonia non esset pecuniam tribuere electoribus, ut desistant ab electione indigni; quia Ecclesia habet jus acquisitum in dignos: unde daretur pro desistendo a malo. Sicut liceret dare pro eli-

num mihi injuste denegare votum: si pecuniam eidem trado, ne votum deneget, traderem temporale pro spirituali. Cur trado? ut is desistat a voto mihi denegando: atqui hoc idem est ac votum illud pecunia emere; nam injusta negatio voti non tollitur, nisi voti ejusdem concessione, ergo si pecuniam trado pro tollenda voti negatione, idem est ac si illud directe emam.

158. Est tandem commune cum Alberto Magno, d. Bonaventura, Cajetano, Gersone, Lessio, Sporer, Suarez, Vasquez aliisque, licere absque ullo simoniæ reatu in necessitate pecuniam dare sacerdoti sine illa nolenti administrare Sacramenta, ad quæ quidem petens habet jus; quia hoc est injustam vexationem redimere, nempe removere impedimentum pravæ voluntatis, vel potius permittere alterius peccatum justa de causa. Neque tunc pretium daretur pro ipsa collatione spirituali: ita licet in necessitate mutuum petere ab usurario; quia tunc malum non provenit ex actione nostra, sed ex alterius malitia.

159. *An* (quæres) *sit simonia dare pecuniam competitori, ut desistat a concursu ad Beneficium, quod tu prætendis?*

R. Aliqui negant cum Elbel: quia hæc abstinentia ex una parte nequit dici quid spirituale, ex alia competitor nil positive confert ad Beneficii collationem, sed tantum negative se gerit. Verum huic opinioni non assentior, et recte docet Croix cum Diana et aliis communiter non esse admittendum; quia ex d. Thoma tunc dumtaxat licet per pecuniam vexationem removere, cum vexatio est injusta; alias per pecuniam directe paratur via ad Beneficium, quod illicitum est [1].

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM QUINTUM.

(A) Pag. 6.

160. Q. 1. *An omnes virtutes ita sint inter se connexæ, ut qui unam habet, et alias virtutes debeat necessario possidere?*

R. Billuart: certum est 1) omnes Virtutes theologicas non esse inter se connexas; amissa enim charitate per peccatum, possunt remanere fides et spes; 2) neque omnes virtutes intellectuales; non enim qui habet unam scientiam, ideo habet et ceteras.

Quæstio est de Virtutibus moralibus: contra Scotistas commune est cum Angelico (1, 2, q. 65, 1), omnes Virtutes morales perfectas, etiam acquisitas, ita inter se connexas esse, ut qui una caret, nullam perfecte habeat, non quidem hoc sensu, quod debeant actu omnes virtu-

gendo digno, vel digniori in genere; nam daretur ne mala electio fiat. Si vero determinaretur persona, simonia esset; nam directe esset pro illius electione pecuniam tribuere. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 103.

[1] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 104.

tes exerceri; sed quod adesse debeat vera dispositio ad omnes communes virtutes exercendas subjecto proportionatas, occasione adveniente. Ratio est: non est perfecta virtus sine perfecta prudentia, cum sit prudentiæ omnem virtutem secundum ordinem disponere; sed perfecta prudentia importat appetitum rectum circa omnia, quæ agenda occurrunt, alioquin perfecta non esset; ergo prudentia perfecta habet comites alias virtutes. Hinc Augustinus: *Virtutes, quæ sunt in animo humano, quamvis alio atque alio modo singulæ intelligantur; nullo tamen modo possunt separari ab invicem* (De Trinit., l. VI, c. 9).

Diximus: 1) virtutes *perfectas*, quæ nempe firmiter subjectum inclinent ad bonum opus faciendum bene, constanter, prompte et facile. Si enim imperfecta sit ea virtus, quatenus non est nisi aliqua simplex inclinatio, utique nulla datur cum aliis connexio; sic *videmus aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua consuetudine esse promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non est promptus ad opera castitatis*, ait divus Thomas; 2) *etiam acquisitas;* etenim de virtutibus moralibus infusis, quæ sunt a charitate inseparabiles, utpote gratiæ sanctificantis proprietates, nulla quæstio; nam omnia dona simul et pariter cum illa.

161. Q. 2. *An virtutes consistant in medio?*

R. Medium generatim est illud, quod inter duo extrema positum ab iis æqualiter distat; erit ergo in medio virtus, si media consistat inter duo vitia, quæ hinc inde ei opponantur, unum per excessum, aliud per defectum. Ex quo patet, alias virtutes in medio consistere, uti est liberalitas, cui opponitur hinc prodigalitas, inde avaritia; alias vero mediocritatem non admittere, uti est charitas in Deum, contra quam per excessum ex se peccari nequit; nam *modus diligendi Deum est diligere sine modo* (d. Bernardus, *De dilig. Deo).*

(B) Pag. 8.

162. Sunt qui volunt, Religionem virtutem esse generalem; quia de omnibus actibus participat, iisque veluti imperat, dum ad Deum refert. Sed verius negant, nam quamvis religio utatur actibus aliarum virtutum; eos tamen ordinat secundum suum esse speciale, scilicet ad Dei reverentiam et submissionem, quod est proprium religionis. Ergo Religio virtus est specialis. Objectum nempe religionis est illud quod nos Deo exhibemus in recognitionem excellentiæ ipsius, ipse videlicet cultus sive interior sive exterior, quatenus ei est ut primo principio debitus. *V.* Sylvius, *In d. Thomam*, 2, 2, q. 81.

Diximus: *cultus sive interior sive exterior;* utrumque enim Deo debemus; neque enim rationabile est quod corpus non pendat Deo tributum servitutis; oportet ergo ut et cor nostrum et caro nostra exultent in Deum vivum.

163. Dices: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* non ergo cultu externo colendus.

R. His verbis Christus voluit solum excludere actus malos, quales erant gentilium cæremoniæ et sacrificia; et etiam bonos, sed mere corporeos, quales erant cæremoniæ et sacrificia judaica, quæ non erant, nisi umbræ et figuræ rerum spiritualium, et natura sua non procedebant ex interiori spiritu, et raro ei sociabantur. Nempe ibi Christus loquebatur cum muliere Samaritana: eam porro docet, quod venit hora, qua veri adoratores adorabunt Deum non amplius in igno-

rantia et falsitate, ut Samaritani faciunt in monte Garizim, sed ubique: et quidem *in veritate*, id est cultu vero, sincero et recto; nec etiam amplius solo corpore, ut hactenus Judæi in templo Hierosolimytano, sed ubivis gentium, et *in spiritu* id est vitali cultu ab interiori procedente; ideo externus non excluditur. S. Cyrillus scripsit septemdecim libros de adoratione in spiritu et veritate.

V. Scotti, *Teoremi*, parte 4ª, teor. III: *La magnificenza del culto divino irragionevolmente si condanna come perniciosa allo Stato.* — Châteaubriand, *Genio del Cristianesimo*, parte 4ª. — Tassoni, *La Religione dimostrata*, vol. III, c. 24: *Bellezze e buoni effetti del culto cattolico.* — Bergier, *Dizionario;* V. *Culto.* — Valsecchi, *Fondamenti della Religione*, l. II, c. 3: *Del culto esteriore. La Religione lo suggerisce, la Rivelazione lo determina. Vaneggiamenti della gentilità, errori dei filosofi.* — Opusc. *Quattro anni d'esperienza della Religion cattolica*, c. III. — Frayssonous, *Difesa del Cristianesimo:* Del culto. — Franco, *Risposte popolari alle objezioni più comuni:* cap. *A Dio basta il cuore.* — Mansi, *La bellezza della Chiesa cattolica nel suo culto esteriore.* Roma, 1860. — Ferraris; V. *Cultus.* — Charvaz, *Guida del Catecumeno valdese, ossia difesa del Cattolicismo*, l. VIII, ubi plura. — Stapf, §§ 213, etc. *Theol. Mor.*

(C) Pag. 9.

164. Q. 1. *An devotio differat a charitate?*

R. Etiamsi vera devotio præsupponat Dei charitatem, et cum ipsa strictissime conjungatur; differt tamen in hoc, quod charitas efficit quidem, ut omnia generatim Dei præcepta rite observentur juxta illud Christi: *si diligitis me, mandata mea servate* (Joann. XIV); devotio autem hoc superaddit, ut eadem observentur quadam animi promptitudine et alacritate plane singulari. Nempe ex præclarissimo devotionis magistro s. Francisco Salesio, si charitas est quidam veluti ignis, devotio est quædam quasi flamma ignis ejusdem: hinc ut quis dicatur *vere devotus*, præter charitatem habere debet quandam animi vivacitatem in ponendis actionibus, quæ charitatis sunt propriæ.

Ex quo patet quanta sit devotionis excellentia: *Credetemi*, ait Salesius, *la divozione è la dolcezza delle dolcezze; è la regina delle virtù, perchè essa è la perfezione della carità: se la carità è un latte, la divozione è la crema: se essa è una pianta, la divozione è il fiore: se è una pietra preziosa, la divozione è il lustro di essa: se è un balsamo prezioso, la divozione è l'odore di soavità, che conforta gli uomini e rallegra gli Angioli* (La Filotea). Et in Epist. XXXI: *Vi è differenza fra un uomo divoto e un uom dabbene; quello è un uom dabbene che osserva i comandamenti di Dio, benchè non con gran prontezza e fervore; ma quello è divoto che non solamente gli osserva, ma gli osserva volontieri, prontamente e con gran coraggio.*

165. Q. 2. *Quænam est devotionis causa et effectus?*

R. Duplex est *causa devotionis*. Alia *extrinseca* et *primaria*, et est Deus, qui dona sua prout vult, elargitur, et *quem vult, religiosum facit*, ut ait s. Ambrosius *(in Luc.* c. IX). Alia *intrinseca* et *secundaria*, et est consideratio tum divinæ bonitatis, tum nostrorum defectuum: prima consideratio excitat dilectionem; secunda impedit præsumptionem: utraque ergo mirifice juvat devotionem.

Duplex item *devotionis effectus* ex Angelico (2, 2, q. 82, a. 4). Primus est salutaris quædam tristitia, quæ enascitur ex nostræ infirmi-

tatis consideratione: *ad me ipsum anima mea conturbata est... quare tristis es, anima mea?... spera in Deo* (Psal. XLI). Hinc secundus effectus est spiritualis lætitia, quæ sponte consurgit ex meditatione bonitatis Dei: *memor fui Dei, et delectatus sum* (Psal. LXXVI).

166. Q. 3. *Quænam devotio* spuria, *et quæ* vera?

R. Ad 1: Quoad devotionem *spuriam* audiendus Stapf, § 55: *Errat siquis totum virtutis negotium solis affectiunculis confectum arbitraretur, tempore orationis easdem vi, aliisve ineptis mediis ciere vellet, atque ubi conatus iste non ex voto succedit, tristis et dejectus ab ipsa oratione desisteret. Neque exempla desunt, naturam hisce suavitatibus inescatam ad ipsas carnis spurcitias proniorem evasisse, ita ut misera navicula, ductore sobrio destituta, atque ventis secundis nimium fidens pudendis scopulis impelleretur. Scilicet:* nisi sincerum est vas, quodcunque infundis, acescit. *Præsertim de illis affectiunculis hæc obtinent, quæ non tam ex gratia, quam potius ex facili et mollicula natura proveniunt. Unde fœminas sat multas invenies, quæ, utcumque sensu devotionis exundare videantur, solida tamen virtute ut plurimum careant. Sunt pronæ ad suspiria et lacrymas præ cordis teneritudine fundendas, multas quotidie preces recitant, sæpissime Pane angelico refici ambiunt, etc., ast domi suæ contentiosæ sunt, duræ cervicis, lividæ, criminatrices et in omnibus sibi largiter indulgent.* Neque tantum fœminas, sed et viros invenies, qui ideam perfectionis ad suum quisque genium accommodant, cum interim in exequendis suis officiis desides, in sensu suo abundantes, pervicaces, imcompositi, invidi atque infrenatæ linguæ esse soleant. Tales (iterum Stapf, § 510) non solidam pietatem, sed inanem illius umbram sequuntur; nec mirum si eosdem qui sibi ad tertium cœlum sublati videbantur, ingruente graviori tentatione, lacrimabiliter corruere et imo præcipitari conspicimus. Hos Segneri non alio sensu *spirituales* appellare posse scribit, quam quod spiritualibus vitiis detineantur, nempe vanagloria, iracundia et invidia *(Manna dell'anima*, 7 febr.). Videant confessarii ne eorum agendi ratione hanc falsam devotionem in suis pœnitentibus quoquomodo foveant. — *V.* Sales, *Filotea*, c. 1; — Castelvetere, *Direttorio mistico*, l. II, c. 5.

R. Ad 2: Indolem *veræ* devotionis describit Salesius (l. III, *Lett.* 16ª): « Voi non solo dovete essere divota e amar la divozione; ma dovete renderla amabile, utile e gradita ad ognuno; gli infermi ameranno la vostra divozione, se sarauno da voi con carità consolati; la vostra famiglia l'amerà, se vi conoscerà più attenta al suo bene, più dolce nel maneggio degli affari, più amorosa nel riprendere; così il vostro marito, se vedrà che a misura che cresce la vostra divozione, siete più cordiale verso di lui e più soave nell'amore; così i vostri parenti ed amici, se in voi rileveranno maggiore sincerità, più pazienza e condiscendenza alle volontà loro, non contrarie però a quella di Dio. In una parola bisogna, per quanto è possibile, rendere la vostra divozione attrattiva, graziosa, obbligante. »

Iterum Salesius: « Se non vogliamo essere santi, che secondo la propria volontà, non lo saremo mai; convien esserlo secondo quella di Dio, e adattarci di buon grado a quanto la propria condizione esige, senza voler piuttosto attenerci alle pratiche o mezzi di perfezione che ci sembrano migliori, e senza voler uscire dallo stato in cui siamo collocati; conciossiachè ogni ape deve lavorare il miele nel suo alveare e coi fiori che vi nascono d'intorno. » Hinc illud d. Bernardi, *communia, sed communiter*. Iterum Salesius: « La vostra divozione non sia nojosa, spiacevole e molesta a veruno; ma condiscen-

dente per motivo di carità al volere altrui, in tutto ciò che non è contrario alla legge di Dio. Non date alla Chiesa o alle opere pie maggior tempo di quello che possiate impiegarvi senza trascurare gli affari domestici, o senza far mormorare il marito e gli altri di casa; privatevi anche della Comunione quando non potrete farla senza disgustarli, ecc. » Vide *Vita di s. Francesco di Sales.* Torino. Marietti, 1863; t. 2°, l. IV.

167. Q. 4. *An sit rationabilis devotio, et quæ media ad illam?*

R. Ad 1: Quam sit *rationalis* devotio, ad rem Orsini, *I fiori del Cielo:* « Io sostengo in faccia al secolo, che così impudentemente deride le anime pie: la vera divozione è razionale e logica quanto alcun'altra cosa, poichè emana da affezioni inerenti alla nostra natura. Siamo stati formati per venerare ciò che è buono, per ammirare ciò che è grande, ed amare santamente ciò che è amabile. Anche gli oggetti inanimati eccitano queste emozioni nell'animo nostro; amiamo un bel paesaggio, ammiriamo un bel mare, una notte stellata, una prospettiva delle Alpi. Le belle azioni ci commuovono ancor più fortemente, ed una gran riconoscenza ci toglie l'uso della voce, e ci riduce alle lagrime. Tutti questi sentimenti sembrano ragionevoli, quando si tratta degli uomini; come avviene che cambiano d'aspetto all'occhio del mondo, quando si tratta di Dio? Un uomo che venera il suo benefattore mortale per un servizio di poca importanza, è tenuto avere una bell'anima; un cristiano che divotamente onora il primo, il più grande, il più costante dei benefattori, passa generalmente per una mente debole. La beneficenza non ha dunque più diritti sul cuore quando è continua? La bontà cessa dunque d'essere amabile allorquando è perfetta? La potenza deve dunque essere disprezzata quando è senza limiti? »

R. Ad 2: Plurima sunt excogitata *media* ad devotionem fovendam, plures editi libri, instituta consortia, novendalia, item plura habentur sacra numismata, scapularia, preces, etc.; quæ absit omnino ut reprobemus, prout nonnulli solent, quasi ridendas muliercularum levitates. Hisce enim multum juvantur fideles, et Ecclesia non tantum illa commendat, sed eos qui talia peragunt, Indulgentiis donat: plura sunt et varia, non ut omnia uni imponantur, nam gravaretur, non adjuvaretur; sed ut quisque ex tot tantisque ea seligat, quæ suæ accomodantur indoli ac conditioni; nam non omnes unum sensum habent, sed unus sic, alius autem sic. Ceterum notum est s. Franciscum Salesium nomen dedisse pluribus Congregationibus rite erectis, quia in his quotidie potest acquiri, nihil amitti; si enim opera præscripta non fiant, nullum peccatum est: si fiant, plurimum meriti est; de qua quidem re sunt monendi fideles, ne angustia et turbatio eos premat, si præscriptas preces omittant. Hoc notent Parochi præsertim et confessarii omnes.

Pulcre Auctor libri: *Sul criterio dei dogmi e sul giansenismo* ecc., p. 1ª: « La pietà abbisogna di sempre nuovo pascolo. Ad alcuni fa scandalo la varietà e moltiplicità delle pratiche pie e dei modi di culto autorizzati dalla Chiesa. A me pare vedervi quella Provvidenza medesima che moltiplica e varia all'infinito i cibi; il pane solo o poco più potrebbe bastare; eppure a svegliare e solleticare l'istinto, che serve alla conservazione dell'uomo, Dio ha disposto un'apparato inesausto di frutti d'ogni sorta e di alimenti. Anche a solleticare l'appetito spirituale v'è uguale ricchezza di provvidenze. »

168. Huc facit etiam monitum Salesii laudati ad devotionem fovendam ac tuendam: « Bisogna odiare i nostri errori, ma con odio

tranquillo e quieto, e non turbato e dispettoso, e bisogna aver pazienza di vederli, e cavarne profitto di un santo abbassamento di noi medesimi. Per mancamento di questo, mia figliuola, le vostre imperfezioni, le quali voi vedete sottilmente, più sottilmente ancora vi turbano, e per questa via si mantengono, non essendoci cosa più atta a conservare i nostri difetti, che l' inquietudine e la troppa sollecitudine di correggerli. È un' aspra tentazione l'attristarsi e sentir dispiacere di essere in mezzo al mondo, quando bisogna esservi per necessità. La provvidenza di Dio è più savia di voi: pare a noi che se cambieremo nave, staremo meglio; sì, se mutiamo noi medesimi. Mio Dio, io sono giurato nemico di questi inutili desiderii, pericolosi e cattivi; perchè sebbene quello che desideriamo sia buono, nondimeno il desiderio è cattivo, poichè Iddio non vuole abbiamo questa sorta di bene; ma un altro, nel quale ei vuole che ci esercitiamo. Dio ci vuol parlare fra le spine e fra i rovi, come fece a Mosè; e noi vogliamo che ci parli nell'aura dolce e fresca, come fece ad Elia. La sua bontà vi conservi, ma siate costante e coraggiosa, e rallegratevi ch'egli vi conceda la volontà di essere tutta sua. » *Lettera* XXXVIII *scritta ad una maritata.*

Idem Sanctus: « Non vi turbate nè per aridità, perchè esse non offendono il Signore, e sono una scuola d'umiltà; nè per le imperfezioni o difetti che vi sfuggono; senza maravigliarvi che un cattivo fondo produca erbe cattive, traquillamente tornate a ben operare, gettandovi amorosamente nelle piaghe delle divine Misericordie. Tenete così sempre in calma il vostro cuore, ricevendo le pene con rassegnazione, perchè le meritiamo, e le consolazioni con moderazione, perchè non le meritiamo. Lungi da voi ogni vana tristezza ed inquietudine: fare il bene, e farlo allegramente è un doppio bene. Attristarsi poi pei propri difetti, si è aggiugnere mancanza a mancanza. » (In ejus *Vita*, t. 2°, lib. IV.) — *V.* Balmes, *Il Protestantesimo* ecc., capp. 45, 49. — Franco, *Risposte popolari* ecc. — Martinet, *Soluzione dei gran problemi*, pr. I. — Noghera, *Riflessioni sulle divozioni, e sui devoti.* — Lefranc, *La Divozione riconciliata collo spirito.* Savona, 1858.

169. Q. 5. *Quot in perfectione gradus?*

R. Ascetici distinguunt triplicem perfectionis gradum: *viam purgativam, illuminativam* et *unitivam.* Pro triplici autem hac via triplicem item distinguunt devotorum classem: *incipientum* quos ponunt in via purgativa; *proficientium* quos ponunt in via illuminativa; et *perfectorum* quos ponunt in via unitiva. Sunt aliqui, maxime de Jansenistarum Schola nobis semper invisa, quibus triplex hæc christianæ perfectionis via male sonat, eamque iccirco vellent eliminare; sed immerito, et contra ipsos Innocentius XI sub n. 26, hanc damnavit propositionem: *Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa et unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in mystica, cum non sit nisi unica via, scilicet interna.* Hæc sane distinctio non est ad merum arbitrium inducta, sed propriam habet rationem, ut notat Benedictus XIV, *de Canoniz. SS.*, l. III, c. 26; et Vehit, *Sacra Scriptura:* in Psalmos. Videlicet vita hominis in hoc mundo est quædam quasi via, quæ ad patriam cœlestem tendit. Jam vero in qualibet via distinguitur triplex terminus: primus dicitur *terminus a quo*, ille nempe a quo discedi-tur; alter est *terminus per quem*, ille per quem transire debet viator, si ad metam pervenire velit; tertius denique est *terminus ad quem*, ille ad quem via ipsa perducit.

Ita a pari evenit in itinere spirituali. Adest *terminus a quo*, et est peccatum a quo discedere debet qui tendit ad perfectionem, et hæc

discessio efficitur per *viam purgativam*, purgando animam tam a culpa mortali et veniali, quam ab affectu quolibet ad utramque. Adest *terminus per quem*, et est consecutio et exercitatio virtutum sive Theologicarum sive Moralium, quem in finem tendit *via illuminativa*. Adest denique *terminus ad quem*, et est Deus ipse, cujus consecutio est omnis operis complementum et totius spiritualis itineris meta: huc spectat *via unitiva*. — *V.* Valfrè, *Sulla Perfezione*. — Rodriguez, *Esercizio di Perfezione*. — S. Alphonsus, *Breve pratica della Perfezione raccolta dalla dottrina di s. Teresa;* et *Praxis Confessarii*, § 5. — Goudier, *De natura Perfectionis*. — Sianda, *Il discernimento della Perfezione*. — Scaramelli, *Direttorio ascetico*. — Pinamonti, *Il Direttore*. Castelvetere, *Direttorio ascetico-mistico*. — Liber, *S. Bonaventura cardinale dottor serafico di santa Chiesa, Maestro esimio di spirito;* ovvero *Teologia mistica secondo lo spirito, e le sentenze del Santo, uniformi allo spirito e alle dottrine dei più celebri santi Padri e Dottori, che di ciò scrissero.*

170. Plura valde momentosa hic monet Stapf, §§ 629 et seqq.

1. Sunt qui in ipso conversionis principio, dum sensibili gratia recreantur, passiones suas devictas autumant, et jam volare gestiunt, etsi adhuc implumes. Horum audacia reprimenda, ne dum se improvide periculis exponunt, misere prolabantur: *Vanum est vobis surgere ante lucem; surgite postquam sederitis.*

2. Homines recens conversi sæpe tam ferventes sunt in oratione, tam avidi operum pœnitentiæ corporalis, ut eorundem concupiscentiæ penitus extinctæ et vitia eorum radicitus eversa videantur. Attamen cave, ne nimium illis fidas; etenim hæc alacritas aliud non est, quam effectus suavis et sensibilis gratiæ, qua Deus novos advenas recreare solet: at solida virtus nonnisi multo exercitio acquiritur, insistentia, humilitate et diuturna pugna. Ideo videat director ne illi nimis sibi placeant, et iterum decidant: ne facile ipsis permittat externas ac graves mortificationes, nam asellus cum lassatus fuerit, diverticula quærit: hic etiam habenda est ratio valetudinis, conditionis, etc.: non enim fert omnis omnia tellus. Potius in mortificatione interna exerceantur, in patientia, mansuetudine, conformitate ad voluntatem divinam, etc.; in his enim nullus excessus timendus.

3. Sunt etiam qui a perfectione abstinent quia timent, ne mundus eos superstitionis, hypocrisis vel pietismi insimulet, vel ne ideo ad Deum se convertisse videantur, quia a mundo repulsam tulerint. Hisce debilibus inculcetur, quam vana sint judicia et verba hominum, qui quodcumque tandem feceris, semper carpunt; quam sit satius Deo et probis placere quam improbis; quam sit horrendum cum hoc mundo damnari, et aliquando in judicio exclamare: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est!* (Sap. v.)

4. Sunt tandem qui quamvis se quotidie ad altiora urgeant, semper pavent, eo quod nullum sibi progressum facere, sed potius regredi videantur. Ad illos erigendos illud inculcetur d. Bernardi: *Divina solet pietas ordinare, ut quanto quis plus profecerit, minus se reputet profecisse.* Quod si pœnitens inordinate tristetur, director instet ut statim illum liberet; nam spirituali profectui nil magis obstat. Utique miseriam suam et defectus quotidianos sincere agnoscat, simul vero invictam erga Deum fiduciam concipiat, sciens, quod omnia possibilia sunt credenti, et qui sperat, non confundetur in æternum.

(D) Pag. 16.

171. Circa orationem plures errarunt. Alii voluerunt a Deo nihil esse petendum, sed totum ipsius voluntati relinquendum: ita Quietistæ; hac de re ab Innocentio XI damnata est hæc sub 14 propositio Molinos: *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod nostra divinæ.* Alii docuerunt nunquam omnino esse ab orationibus desistendum: ita Messaliani, qui habiti sunt ut hæretici sub nomine *Euchitarum.* Alii frustra orari contendunt; vel enim Deus res nostras non curat, ita Epicurei; vel omnia fato reguntur, ita Fatalistæ. His essent addendi Wiclephistæ, Lutherani, Calvinistæ et Jansenistæ, si suis principiis starent; negant enim homini veram electionis libertatem. *V.* Suarez, *De Religione*, ubi plura habet quoad orationem.

Q. 1. *An bonum sit et in præcepto Sanctos orare?*

R. Docet Tridentinum, *sess.* XXV *de venerat. SS.*, bonum et utile esse Sanctos invocare. Theologi vero addunt, respectu totius communitatis hanc invocationem esse de præcepto; cum ad eam teneantur sacerdotes in Officio et Missa. Sed disputant, an etiam singulis fidelibus sit de obligatione rigorosa; saltem invocationem Virginis esse si non de absoluta, de morali necessitate præceptam colligitur ex ss. Patribus et communi sensu fidelium: idque magis, quia Beata Virgo peculiari ac mirabili providentia mediatrix nostra constituta est universalis. — *V.* Liguori, *Parafrasi della Salve Regina.*

Volunt etiam ipsos infantes baptizatos ante usum rationis defunctos invocari posse, cum sancti sint et regnent cum Christo, sed privatim; cultus quippe publicus nulli potest exhiberi sine Ecclesiæ decreto. — *V.* Liguori, *Opera dogmatica*, sess. XXV, n. 33. — Ferraris; V. *Cultus.*

« Un gran servizio all'uman genere, alle più nobili virtù, alla carità, all'istruzione, alla beneficenza, alla patria, rende il Papa, quando trae i Santi dall'oscurità in cui umilmente morirono, e li presenta all'ammirazione e al culto del Cattolicismo. *On peut soutenir que le culte des Saints a été justifiable et heureux pour l'umanité*, scrisse lo stesso Pier Léroux nella sua *Encyclopédie nouvelle*, art. *Canonisation*, t. III. Il protestantesimo non ha Santi e spesso i protestanti se ne dolsero. Lavater diceva: *I cattolici hanno dei Santi, lo so; e noi non ne abbiamo, o almeno non ne abbiamo di quelli che rassomigliano ai Santi dei cattolici* (Lavater, *Schreiben* an F. Stolberg). — Montagne: *Io non nego che i Santi sieno mediatori di preghiere e d'intercessioni per tutti in generale presso Dio* (Montagne, *Antidot).* Ed altrove lo stesso protestante aggiungeva: *Confesso che questo in verità non fa alcun torto alla mediazione di Cristo* (Montagne. *Dell'invocazione dei Santi).* — Molano: *Quanto all'invocazione dei Santi, il pericolo che credono di vedervi i protestanti, svanisce ben presto, perchè i figli della Chiesa romana dichiarano, che essi non pretendono di domandare ai Santi che sono con Dio, di pregar per loro, che nel senso, e nel medesimo spirito con cui lo domandano ai Santi che sono sulla terra, e qualunque sieno i termini di questa preghiera essa intendesi sempre per*

modo d'intercessione. (V. *Réponse de Molanus à Bossuet.)* E Lutero: *Io giudico con tutta la Chiesa cristiana, che i Santi debbono essere onorati ed invocati da noi (Correzione di alcuni articoli).* Ed Ecolampadio: *Non vorrei negare che i Santi preghino per noi, e non vorrei affermare essere un'idolatria ed un'empietà l'implorare la loro protezione* (Nota su di un'Omelia di s. Giov. Crisostomo). E finalmente Leibnitz, nel suo *Sistema di Teologia*, ha difeso l'invocazione dei Santi e i procedimenti dei Papi nella loro canonizzazione. Le quali citazioni servono a chiudere la bocca ai protestanti che vivono fra noi, e agli increduli, peggiori ancora che ridono di tutto. L'uomo sente naturalmente il bisogno dei Santi; e la rivoluzione francese che gli aveva distrutti, venerava la parrucca di Mirabeau e la pelliccia di Voltaire... » *Armonia*, Giornale, 1861, n. 257.

172. Nota: Juxta vigentem Ecclesiæ disciplinam quatuor numerantur gradus eorum qui virtutum splendore fulgentes ad alteram vitam traslati sunt: sunt *Servi Dei* ii qui cum publica sanctitatis fama obierunt; *Venerabiles*, quorum sanctitatis existimatio judiciali ratione comprobata est. *Beati* quorum cultus in certa provincia vel loco permittitur. *Sancti*, quorum veneratio supremo S. Sedis judicio pro universa Ecclesia decernitur. *Aichner.*

173. Q. 2. *An Beati in cœlo cognoscant orationes viatorum ipsos invocantium?*

R. Certum est Beatos illas cognoscere esseque ipsis quasi connaturalem hanc scientiam et quasi debitam eorum statui; nam beatitudo satiat Beati appetitum, alias non esset perfecta; merito autem appetunt scire Beati quæ hic aguntur, si ad ipsos aliquo modo pertineant. Quæstio tamen est circa modum quo Beati in cœlis cognoscunt orationes viatorum: an videant illas formaliter in Verbo, id est per ipsammet visionem qua vident Deum, et Beati sunt, ut docet Angelicus; an vero tantum causaliter, id est per novas revelationes, quæ recipiunt ratione ipsius visionis seu status beatifici, ut volunt alii. Hactenus Suarez, *De oratione in communi*, l. i, c. 10.

174. Q. 3. *Licebitne christiano privatim commendare se precibus animarum in purgatorio degentium?*

R. Sunt qui negant; quia purgatorio detenti non sunt in statu orandi, sed magis, ut oretur pro eis. Communius tamen et probabilius affirmant Bellarminus, Estius, Gotti, Lessius et Sylvius; etenim qui sunt in purgatorio, amici Dei sunt: hinc legimus, animas Paschasii et s. Severini miracula fecisse in purgatorio degentes (s. Gregorius, l. iv, *Dial.* c. 40, et s. Damiani, *Epist. de miraculis sui temporis).* Non repugnat autem eos qui nostris precibus indigent, posse pro nobis utiliter orare; sicut viventes pro se invicem utiliter orant, licet etiam indigeant, ut pro ipsis oretur. Quæ opinio evasit communis Romæ, et pluribus etiam tuetur s. Alphonsus, *Gran mezzo della Preghiera;* it. *Dissertazioni teologico-morali*, diss. ii, n. 15. — *V.* Ferraris; V. *Anima.*

175. Q. 4. *Quot sunt orationis species?*

R. Orationis generice sumptæ variæ sunt species:

1) *Adoratio*, quæ est contestatio divinæ excellentiæ per submissionem nostram; sane justum est, ut mens nostra in laudes et summam Divinitatis admirationem prorumpat: de hac plura in Psalmis. Adoratio tamen revocari solet ad actus externos; quia plerumque et animo simul et corpore fit; 2) *obsecratio*, qua petimus ut nobis bona contingant; 3) *gratiarum actio*, quæ quidem ab ipsa ratione inter præcipua nostra officia refertur: cum undique nos beneficia divina circumdent; 4) *deprecatio offensionum* (nempe veniæ petitio pro peccatis), ad quam sa-

cræ Paginæ nos frequenter adeo provocant, in Psalmis pœnitentialibus luculentissima exempla proponentes; 5) *interpellatio*, cum de iis quæ nos lædunt querimus, aut cum pro persequentibus oramus, ut convertantur; 6) *invocatio* seu *petitio bonorum:* de qua agimus sub nomine *orationis;* ad hanc enim speciem ceteræ, ut plurimum, revocantur, uti notat Angelicus. Res autem hæc est maximi momenti, siquidem ex d. Augustino, Serm. xv : *Recte novit vivere, qui recte novit orare.* — *V.* Brancato, *De Oratione ejusque speciebus.* Romæ, 1865.

176. Q. 5. *Quæ orationis præstantia?*

R. De catholicæ orationis præstantia sermonem habet Taparelli S. J. in Opusc. *Sulla Preghiera cattolica considerata in ordine alla civiltà de' popoli*, ubi hanc ipsam orationem sic perbelle definit: *Contemplata* (la preghiera cattolica) *nella più generale sua nozione, abbraccia ogni elevazione della mente a Dio mossa dalla fede, animata dalla carità, ajutata dal Sacrificio e da' Sacramenti, guidata dall' autorità della Chiesa, e diretta principalmente al consenguimento di una soprannaturale eterna felicità per mezzo di opere sante.*

Pulcre etiam Lacordaire, *Conferenze ecclesiastiche (Conf.* XIII): « La preghiera è la regina del mondo. Vestita di umili panni, con bassa la fronte, colla mano distesa, essa protegge l'universo colla sua supplichevole maestà, e va continuamente dal cuor del debole al cuore del forte: e come più le sue lamentanze si levano da basso luogo, e più è grande il trono a cui ella poggia, più il suo impero è assicurato. Se un insetto potesse pregarci, quando noi siamo sul porvi il piede addosso e schiacciarlo, la sua preghiera ci toccherebbe il cuore di compassione immensa; e siccome non vi ha cosa più alta di Dio, e così non è preghiera più vittoriosa di quella che sale a Lui. È la preghiera, o signori, che ristabilisce le nostre relazioni con Dio, che richiama a noi la sua azione, che gli usa violenza non pregiudicando punto alla sua libertà, e perciò è la madre della fede. »

Q. 6. *An Deus teneatur ex justitiæ debito concedere quod petimus, si rite petamus?*

R. Affirmat Medina, cum Deus id promiserit: verum negant communiter; non enim omnis promissio inducit obligationem justitiæ commutativæ, sed illa solum quæ fit in operis compensationem; porro oratio nostra non compensatur, sed auditur. Quare si Deus promisit nos exaudire, hoc est de ratione misericordiæ, non de debito justitiæ, ut habetur Danielis c. IX, vers. 18. Unde nonnisi per quandam exaggerationem aliter prædicant concionatores.

177. Q. 7. *Quotuplex potest esse status orantis?*

R. Quadruplex orantis animus seu status. *Primus* est ejus, qui est in statu gratiæ. *Secundus* est ejus, qui est in statu peccati, dolet tamen, et serio suspirat ad meliorem frugem reverti; aut est in infidelitate, vel hæresi, sed sincere desiderat veritatem. *Tertius* est illius peccatoris, qui malis habitibus pressus infirma voluntate desiderat surgere a peccatorum suorum cœno, ideoque orat. *Quartus* est illius peccatoris, qui peccato sic delectatur, uti velit omnino in eo perseverare, veteribus semper superaddens nova peccata.

Qui in *primo* et *secundo* statu sunt, utiliter orant. Item qui est in *tertio;* at peccator ille caveat ne contemnat illud remotum conversionis initium, quod aspirante gratia accepit. Nec timeat, Deum per suam orationem fore irritandum; hæc est enim tenuis aspirantis gratiæ scintilla, cui si adhæreat, poterit peccator ad pœnitentiæ et justificationis portum pervenire.

Qui vero *quarto loco* positus est, certe sine fructu orat ob malam

qua afficitur, voluntatem. Utrum autem hæc oratio et ipsa peccatum sit, affirma, si non oret quem debet orare, vel non oret debito modo; quo sensu accipitur tum illud Psalmi CVIII: *et oratio ejus fiat in peccatum*, ut explicat Bellarminus; tum illud Prov. XXVIII: *qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Ceterum, ait s. Alphonsus *(Opus Mor.*, l. IV, n. 178), non auderem de peccato ullo damnare ex devotione orantem, qui actualem voluntatem peccati haberet; alias teneremur hos hortari, ut ab omni oratione abstinerent. Hic notamus quod a Clemente XI contra Quesnellum Constitutione *Unigenitus* diris devotæ fuerunt perfidiosæ istæ theses. Sub n. 50: *frustra clamamus ad Deum*, Pater mi, *si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.* Sub n. 1: *quid aliud remanet animæ quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum et peccati consecutiones superba paupertas et segnis indigentia; hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem et ad omne opus bonum?* Sub n. 2: *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest...*

178. Q. 8. *Quis ordo servandus est in oratione?*

R. 1: *Ordo quoad bona* hic est, ut prius bona animæ postulemus, postea cetera bona. « Nonnulli (ait Stapf, § 206) piam fidelium plebem peracerbe carpunt, utpote quæ, ut inquiunt, semper nonnisi terrena petit, atque hisce precibus omissa justa resignatione pertinaciter insistit. Et sane ubi tale quid contingit, populus de sensu suo terrestri redargui meretur; at qui populum christianum, saltem nostris in partibus penitius novit facile concedet, generatim verum non esse homines plebejos nonnisi bona temporalia a Deo petere. Præsertim ubi fervens animarum Pastor frequentem usum Sacramentorum et vivum Religionis sensum fovere studet, charismata meliora nullatenus negliguntur. Deinde perseverantia qua bona hujus temporis efflagitantur, non semper defectum justæ resignationis manifestat, sed sæpissime cum mira animi submissione conjungitur. Et quis adeo inhumanus erit, ut bonis ruriculis studium istud, quo arvis et pecoribus suis divinam benedictionem implorant, vitio vertat? Scilicet homines qui sertas suas et annuas pensiones habent, utique aeris intemperiem sat quiete spectare possunt; quid vero misellus paterfamilias, qui non tantum sibi suisque necessarium victum parare, sed insuper importunis creditoribus satisfacere et tributa pendere cogitur, quid, inquam, talis sentiet ubi vel lues aliqua vel sæva tempestas omnem ejus substantiam subvertere uno puncto minitatur? »

Neque ideo sunt carpendi ruriculæ, quia illa bona non petunt conditionate; conditio enim illa in quantum talia bona gloriæ Dei et nostræ animæ saluti expediunt, subintelligitur: ita etiam Ecclesia in Litaniis petit sine conditione temporalia, ut fructus terræ, etc. Ceterum non recte quis a Deo petit aliquid sub hac conditione, ut si illud quod petit non sibi salutare Deus salutare faciat; quia pervertit ordinem virtutis; vult enim voluntatem Dei conformari voluntati hominis; cum contra voluntas hominis debeat conformari divinæ. At advertit d. Thomas (in 4, d. 15, a. 1, q. 3) *Deus orationem acceptat interdum de eo quod dare non vult; quia ipse vult nos pie velle, quod ipse juste dare non vult.* Ita utiliter Paulus postulavit liberari a tentatione, licet Deus id concedere nollet.

R. 2: *Ordo quoad personas* ille in oratione nostra servari oportet, qui in charitate præscribitur; ita ut nostris in precibus peculiarem locum sibi habeant qui nobis consanguinitate, amicitia, beneficiis, religione, in societate magis conjuncti sunt; ubi enim fortius est vin-

culum, inde fortior enascitur obligatio. Et *specialiter* fieri debet, si proximus magna calamitate percussus sit; *specialius*, si calamitas adeo late pateat, ut non unum hominem, sed universam regionem premat; *specialissime*, si gens illa sit virtutis ornata ac meritis clara.

Peculiariter etiam pro iis orandum est, quibus vel scandalum vel ruinam spiritualem attulimus, ut sic quantum ipsis nocuit exemplum nostrum, tantum iisdem nostra prosit oratio. *V.* Opuscolo cardinalis De-Laurea, *De christiana Oratione:* quo quidem (ut scribit Benedictus XIV, *De Canoniz. SS.*, l. III, c. 26) nemo alius clarius, subtilius, et tutius hanc materiam explicavit.

179. Apostolatus Orationis: ait Stapf, § 208: *Quantus eorum est numerus, quibus alio modo opem ferre haud possumus, nisi per solam orationem? Et profecto quam insigniter relationem nostram tum ad Deum tum ad nos invicem testatam facimus, dum ceu filii ejusdem familiæ ad Deum communem Patrem nostrum pro nobis invicem obsecramus! Talis supplicatio præter alia emolumenta jam ex indole sua, charitatem mutuam et involvit et provehit, estque rori cœlesti non absimilis, quo officia humanitatis, ne flaccescant, irrigari debent.* Quare hic venit summopere comendanda pia utriusque sexus fidelium societas seu confraternitas sub titulo *Apostolatus Orationis* instituta, a Pio IX approbata et indulgentiis locupletata Brevi 26 febr. 1861, cujus sodales inter plurima pietatis et charitatis opera, id præcipuum habent, ut quotidianis precibus pro Ecclesia universa et præsertim pro Romano Pontifice concordi studio et junctis viribus Deum exorent, *Ecclesiastici* verba, c. XXXVI, maxime usurpantes, quibus anima petit ut Deus apud omnes gentes glorificetur, et sit ipse omnium Deus. — *V.* Ramière, *Manuale dell'Apostolato della Preghiera*, ubi multa et egregia de natura, scopo, opportunitate, utilitate et praxi hujusce Apostolatus disserit.

Qui concludit: « O Dio! quali voci di pianto si fanno sentire e giungono ad affligere il mio cuore! *È la voce di quei generosi Apostoli*, che un sublime sacrificio trasporta tutti i giorni in capo al mondo. Di mezzo ai flutti dell'Oceano di cui affrontano le tempeste, dal seno delle nazioni barbare che si sforzano di guadagnare a Gesù Cristo, da tutte le contrade dell'Universo volgono i loro sguardi verso i divoti loro fratelli d'Europa; e continuamente alle prese coll'errore e coll'infedeltà, in preda a tutte le privazioni, là sul teatro dei loro combattimenti, dai campi dell'onore, spesso bagnati dal loro sangue, ripetono col grande Apostolo delle genti: *adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis* (II, Corinth. I).....

» *È la voce della Chiesa* medesima, la quale geme e piange. Piange come Rachele sopra quei poveri fanciullini che muojono nel giorno stesso della loro nascita, prima che abbia potuto rigenerarli alla grazia, vittime sventurate di una crudeltà sconosciuta alle stesse tigri. O che più sventurati ancora cadono nel fior degli anni già consunti da una precoce corruzione, come fiore dilicato appassito e disseccato dall'ardente soffio del deserto. — Piange su quegli innumerevoli schiavi del peccato, i quali morti alla virtù, morti alla fede, morti ad ogni onesto sentimento, portano già impresso sulla fronte il marchio ignominioso della riprovazione. — Piange su quegli sventurati che lo scisma e l'eresia ha strappati all'amor suo, e che, somiglianti ad un ramo divelto dal tronco, non sono eredi se non di maledizione, e non hanno altro destino che il fuoco e spaventevoli supplizi per tutta l'eternità. — Piange su quella moltitudine più considerevole d'idolatri e d'infedeli d'ogni sorta, i quali disconoscendo o bestemmiando Gesù,

e prostrati ai piedi d'idoli infami prostituiscono al demonio gli omaggi dovuti al solo Dio immortale. — Piange... ma fermiamoci: oh Chiesa Santa! O madre tenera dei fedeli, invano imprendiamo a numerare tutti i mali che ti affliggono, a rammentare le cagioni troppo moltiplicate de' tuoi dolori, a contar le piaghe che i tuoi nemici, anzi i tuoi propri figli, aimè! ti fanno ogni giorno: mesciamo almeno le nostre lagrime con quelle che tu spargi...

» *È la voce di Gesù Cristo.* Dal fondo di que' tabernacoli, ne' quali lo ritiene giorno e notte prigioniero la sua tenerezza per noi, sfugge un grido dal suo cuor divino: *ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Poi mostrandoci quelle innumerevoli generazioni, le quali come onde sospinte vanno a precipitarsi l'una dopo l'altra nell'abisso dell'eternità, « O miei figli, ci dice, mi lascerete » solo a faticare e patire per queste anime? Il mio sangue si è sparso » per esse; non vi sarà alcuno fra voi, il quale per salvarle voglia » almeno unire le sue preghiere alle mie?... »

» Viaggiatori su questa misera terra siamo tutti così deboli che abbiamo bisogno di appoggiarci scambievolmente alle braccia dei nostri fratelli per non soccombere nel cammino. Ma, soprattutto nell'ordine della grazia e della salute, Dio ha voluto che fossimo uniti: la *preghiera* è il vincolo che forma di tutti i cuori un cuor solo, di tutte le voci una voce sola; la preghiera in comune fa la nostra forza. È dessa come *il ponte gittato* sugli abissi, che il povero viaggiatore dee varcare per raggiungere il termine fortunato del suo pellegrinaggio. È *la scala misteriosa* appoggiata alla vôlta del firmamento: gli Angioli salgono e discendono continuo a mostrarci la via e a recare i nostri voti a' piedi del trono dell'Eterno. Dobbiam elevarci dietro a loro di gradino in gradino; gli uni precedono, gli altri seguono; tutti devono farsi coraggio e sostenersi a vicenda. È *la leva onnipossente* posta fra le nostre mani per sollevare il mondo abbandonato sotto il peso delle sue colpe, e portarlo al cielo. È *la catena*, pel cui mezzo la miseria attira a sè la bontà; già essa ha fatto scendere in terra il Verbo di Dio; già l'ha costretto a mandare agli uomini il suo Spirito... Affrettiamoci dunque ad unire insieme i nostri desiderii, le nostre preghiere, i nostri sforzi; i quali, essendo possenti per loro medesimi, formeranno uniti un fascio irresistibile. »

(E) Pag. 18.

180. *a)* Stapf (§ 564), loquens de *meditationis facilitate*, ait: *Quis est, qui in negotiis hujus temporis, ubi de captando lucro, vel de avertendo aliquo damno agitur, suas allegare rationes, in rerum circumstantias indagare, atque certas inde agendi regulas deducere nesciat? Cur ergo non idem in negotio salutis suæ æternæ poterunt? Quis se insufficientem dicat, ut vel novissima sua, vel mysteria Christi pro nobis patientis pie ruminet, atque convenientes inde affectus et firma emendationis proposita concipiat? Revera historia homines penitus illiteratos et simplices virgunculas exhibet, quibus hoc exercitium facillimum videbatur, eo quod, ut sancta Theresia advertit, ad meditationem nihil aliud non requiratur, nisi amor.*

181. *b)* Quoad *meditationis necessitatem* audiamus s. Alphonsi verba gravissima: « Mihi concedatur conceptum animi dolorem foras aperire. Proh magnam infelicitatem! Quam pauci sunt illi Parochi et con-

fessarii, qui curam hanc sibi suscipiunt insinuandi suis pœnitentibus hoc tam magni momenti exercitium orationis mentalis, sive meditationis, sine quo valde difficile est animam posse perseverare in Dei amicitia, et impossibile est in viam perfectionis se immittere! Si aliqua attentio in hac re adhiberetur, quot animæ viderentur in Dei amorem accendi! Sed hoc quis non operatur, ne sibi aliquid incommodi suscipiat; alius ne stimulus suæ exprobantis conscientiæ sentiat in suadendo aliis bonum quod ipse negligit. Summa hæc est, quod curæ hoc non est, quia parum diligitur Jesus Christus.

« Oh si Parochi et confessarii multum diligerent Jesum Christum, a quot efficerent ut amaretur, et eos ab inferno liberarent! Igitur exorandus Dominus est ut, si velit amari ab animabus, faciet se amari a sacerdotibus. » *Homo Ap.*, tr. VII, n. 44.

182. *c)* Quoad *meditandi modum*, monet sæpius laudatus Stapf: « Ne dum oramus mens nostra tam facile dilabatur, illam tum ad orandum prævie disponere, tum forte evagantem iterato et tranquille recolligere oportet. Pariter quantum fieri potest, tempus et locus atque totius compositio ita instituenda sunt, ut devotio nostra exinde non turbetur, sed foveatur potius..... Præsertim homines minus culti per libros formulasque vere pias et captui suo convenientes multum juvantur; quid enim tales, præsertim juniores, sub divino officio meditari solent, nisi liber aliquis illorum tum oculos tum cogitationes religiose occupatas teneant atque animum sursum evehant? Unde Pastor suis insigniter plane consulit, dum in communitate libros divulgat religioso spiritu repletos et solidam pietatem stillantes. »

d) Quoad agendum, *lectione peracta*, hæc notamus: qui libro ad meditandum utitur, vel se totum exerceat in actibus voluntatis eliciendis, idest humilitatis, gratiarum actionis, contritionis, fidei, spei, charitatis, etc.; vel incumbat petitionibus, quibus præsertim Dei amorem et perseverantiam finalem efflagitet; vel denique in propositis peragendis occupetur: quia ut meditatio sit fructuosa, necesse est ut anima statuat executioni mandare quæ in ipsa meditatione exequenda cognovit: *Nemo*, inquit Salesius, *debet imponere finem orationi* (mentali), *nisi prius peculiare aliquod propositum efformaverit, puta defectus quosdam emendandi, exercendi virtutem aliquam, in qua nempe se noverit debitorem.* — *V.* Da-Ponte, *De arte meditandi.* — *Della maniera pratica di meditare*, Istruz. pratica. Torino, 1840. — *Maniera di far la Meditazione con l'aggiunta di 4 meditazioni secondo questo metodo.* Vigevano. — Belleccio, *Facilis methodus rite meditandi.* — *Exercitia spiritualia s. p. Ignatii de Loyola cum versione literali.* Romæ, 1854 (Opus admirabile omnino, Sedis Apostolicæ judicio et omnium utilitate comprobatum).

183. Quæres: *quid circa tentationes in meditatione?*

R. Tres sunt præcipuæ tentationes, quibus dæmon solet meditationis bonum perturbare, nempe:

1. *Ariditates:* ubi desunt in meditatione consolationes sensibiles, anima dicitur in ariditate constitui. Hic præsto sit confessarius animam confortando: 1) ei suadeat ariditatem facilius nos perducere ad virtutem solidam; nam, ait s. Ignatius, *nihil aptius est ad exercitandum ignem amoris divini, quam lignum Crucis;* 2) ipsam hortetur, ut se examinet sine anxietate: si quid culpæ inveniat, sincere doleat et emendationem promittat, secus gratias Deo peragat, et se illi humillime subjiciat; 3) eidem expresse jubeat, ne ideo ullum devotionis exercitium omittat: imo, si commode potest, aliquod superaddat, sciens opera in tali tœdio Deo esse gratiora et magis meritoria. Quot aridi-

tates passi sunt ss. Franciscus, Antonius, Bernardus! qui eas tolerando Crucifixi imaginem in se expresserunt, et magnifici in sanctitate facti sunt. Ad querelam autem talium *se omni sensu destitutos instar statuarum coram Deo sistere*, respondeat: de hoc ipso gaudendum vobis est quod coram Deo juxta beneplacitum ejus statuarum munere defungi possitis; nonne milites idem faciunt, in principis obsequium excubias agentes? Ceterum ad ariditatem fugandam præstat, ut pœnitentes (maxime mulieres) assuefiant meditari quæ Christus pro nobis passus est, ut facilius *dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur*. S. Thomas, 2, 2, q. 82. — Huc faciunt: Salvatori, *Riflessioni sulla Passione di Gesù Cristo.* — Ventura, *Il tesoro nascosto.* — *La scuola di Gesù appassionato.* — Berchialla, *La Via Crucis meditata.*

2. *Distractiones:* quæ ab ariditate differunt in hoc, quod ariditas est defectus suavitatis sensibilis; distractio est varietas quædam cogitationum, quæ animam in meditatione perturbant; est enim distractio mentis evagatio ab objecto proposito. S. Bernardus de se ipso testatur nunquam potuisse potiri illa intellectus quiete, quæ distractionibus omnino careret: intellectus nempe noster tanta vi et activitate præditus est, ut vix contineri in uno valeat saltem longo temporis spatio, quin ad plura simul quasi evolare videatur: *vix unum Pater noster potest homo dicere, quin mens ad alia feratur* (ait d. Thomas in I, Corinth. XIII, lect. 3ª). Ne ergo animo concidat qui distractionem patitur; sed absque anxietate ad meditationem redeat, et ita se gerat iterum atque iterum sciens se tot actus meritorios ponere, et bene meditationem peragere. Ceterum ante omnia curandum, ut distractionum causæ repellantur: et sunt passiones, quæ animam occupant; loquacitas, quæ spiritum distrahit; solitudinis defecsut, nam nonnisi in quiete Dominus (III, Reg. XIX). — *V.* Stapf, §§ 558 et seqq.

3. *Somnus:* en tentatio periculi plena præsertim in adolescentibus, tum quia tempus teritur, tum quia res divinæ negligenter aguntur. Ea autem quandoque oritur ex naturali corporis indispositione, quandoque a dæmonis fraude. Huic malo occurri facile potest: 1) si tempus meditationi determinetur post convenientem requiem corporis datam; 2) si situs meditandi sit devotus et absque fulcris, quibus meditans innitatur; 3) si meditans erigat se, deambulet, manus ad cœlum attollat, in crucem conformet, si solus. Si locus sit publicus, genuflectat, jungat manus, oculos elevet et similia faciat quibus corpus excitetur, quin singularis appareat. Licet autem totum tempus consumere debeat in somno excutendo, sciat se officio suo satisfecisse.

Cum s. Carolus Borromæus adverteret, se publicis functionibus assistentem vehementi somno incommodari, imo et obdormire, nocturnam quietem paulisper producendam duxit. Attamen quia pro diversa corporis complexione, ac diversitate laboris, diversa quoque somni necessitas datur, absonum foret pro omnibus eandem regulam scribere. *Ceterum d. Salesius consultum existimat curare, ut vesperi tempestive cubitum eamus, quo summo mane expergefieri et surgere possimus. Aurora enim non tantum musis, sed etiam orationi præprimis amica censetur. Est autem quam periculosum somnum in multum diem perducere: qui enim somno nimium indulgent, corpore pariter et animo elanguescunt, et de ipsa morum integritate multum periclitantur, præsertim qui in multum diem sternunt, vel quod pejus semisopiti plumis inhærent. Hinc juvenes omni modo urgeri debent, ut statuto tempore absque tergiversatione surgant, atque naturam generatim ad ordinem prudenter statutum restringere allaborent.* Stapf, §§ 188 et 549.

(F) Pag. 19.

184. Q. 1. *An contemplationis donum sit admittendum?*

R. Contemplationis donum admittendum esse certum est; ideoque illius effectus ut exstasim, raptum, etc.; et falsa est illorum medicorum sententia qui quamcunque exstasim naturæ morbum dicunt, ut inter ceteros Andral, *Corso di patologia interna.* Nos cum d. Thoma (2, 2, q. 175, a. 1), exstasim et raptum dividimus in *naturalem* quæ ex causis naturalibus, v. g., morbo vel vehementi imaginatione, vel alia vehementi animi applicatione oritur; in *dæmoniacam*, quæ a dæmone ligatis sensibus externis causatur; et in *divinam*, quæ est elevatio mentis in Deum cum abstractione a sensibus exterioribus, ex magnitudine ipsius elevationis procedens.

Divinam exstasim dari indubium est; sane si ex sola contemplatione naturali vi vehementis applicationis ad cogitationem internam suspensio sensuum externorum sequi potest; quanto magis fiet in contemplatione supernaturali per vehementem cogitationem et amorem Dei! Id probant tum auctoritas tum plurimorum Sanctorum exempla; et in sancta Scriptura plures hujusmodi exstases habentur: Gen. II: *immisit Dominus Deus soporem* (septuaginta legunt *exstasim) in Adam.* Psal. CXV: *ego dixi in excessu meo* (septuaginta interpretes legunt in *exstasi).* Dan. X: *non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, nec habui quidquam virium.* Et de Petro dicitur Act. X: *cecidit super eum mentis excessus.* Et Paulus II, Corin. XII de se ait: *scio hominem in Christo ante annis quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio; Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. V.* Schram, *Institutiones Theologiæ misticæ*, etc. vol. II.

185. Q. 2. *Quotuplex est contemplatio, et qui ejus gradus?*

R. Ad 1: Ubi completa sit purgatio spiritus, Deus animam ponit in statu contemplationis, quæ duplex est, *affirmativa* et *negativa:* 1ª est quando anima beneficio lucis divinæ et sine ulla opera propria, cernit aliquam veritatem vel creatam, uti est felicitas paradisi: vel increatam, uti est omnipotentia divina; 2ª est quando anima dignoscit perfectiones divinas non in particulari, sed in genere: et cum quadam notitia, in se quidem confusa, sed quæ ingerit conceptum magnitudinis divinæ longe majorem. Quæ est longe perfectior, et dicitur etiam *clara caligo;* quia in ipsa obscuratur anima ob nimiam lucis abundantiam, uti contingit illi, qui cum velit solem directe intueri, nimio radiorum fulgore quasi obcæcatur, et de ipso non aliud percipit, quam magnum quoddam et immensum lumen. In tali caligine suspenduntur ut plurimum, potentiæ animæ, et aliquando etiam sensus exteriores, ita ut anima ingrediatur in quandam, uti vocant, *ebrietatem spiritualem*, et prorumpat in amoris deliria, in cantus, in fletus insolitos, in saltus, uti de pluribus Sanctis narrant.

R. Ad 2: Gradus sunt recollectio supernaturalis, quies et unio:

1. *Recollectio supernaturalis:* dicitur *supernaturalis*, quia Deus eam operatur in anima ministerio gratiæ extraordinariæ, per quam anima in statu activo ad passivum transfertur, et in eo sistit (dicitur etiam *infusa*, quia evenit beneficio lucis quam Deus infundit). In tam felici statu debet anima sincere se dirigi a Deo ad res illas considerandas et illos actus eliciendos, ad quos se magis a Deo ferri cognoscit, quin curiosius investiget suum statum.

2. *Quies:* inter quietem et recollectionem supernaturalem hoc est discrimen, quod vis amoris divini in recollectione communicatur immediate sensibus externis; in quiete autem amor ipse communicatur immediate spiritui in ipsa anima, et sic evadit ardentior, et aliquando diffunditur ad ipsos sensus. Dein in quiete suspenditur quidem voluntas, quæ manet quasi ligata, cum non aliud valeat objectum diligere præter Deum, qui eam ad se trahit; sed non suspenduntur neque intellectus neque memoria, neque phantasia. Tunc anima debet eniti ad colligendas cogitationes suas; sed eos tantum actus emittere, ad quos eam Deus impellit, et sic tranquille se habere in omnibus.

3. *Unio*, ultimus animæ scopus in perfectionis via. Duplex est: Alia *activa*, et est perfecta uniformitas voluntati divinæ, in qua tota perfectio: *perfectio* (ait eximia illa Mysticorum magistra s. Theresia) *non consistit in exstasi; sed vera unio animæ cum Deo est unio voluntatis nostræ cum voluntate divina.* Alia *passiva*, et est quando anima ita suspenditur in Deo per quandam abundantiam lucis et amoris, ut in ipsa efformetur illa *beata caligo*, in qua dein suspenduntur omnes potentiæ animæ: *memoria*, quæ non potest aliud amplius sibi recordari præter Deum; *intellectus*, qui cogitare non potest aliud præter ipsum Deum, imo nec gratiam ipsam quam actu recipit; denique *voluntas*, quæ se sentit ita Deo intime conjungi, ut nullum aliud objectum amare valeat. Hæc unionis species est perfectior, ut patet; sed parum durat, neque excedit dimidiam horæ partem, excepto casu extraordinario. Confessarius attente invigilet, ne anima in superbiam erigatur; eamque moneat per illum favorem non fieri impeccabilem. Imo s. Theresia fatetur se cognovisse animas, quæ postquam ad tam altum perfectionis gradum ascendissent, post superbientes in gravissimas culpas miserrime prolapsæ sunt.

In oratione recollectionis et otii contemplativi contendunt nonnulli animam cessare debere non solum a meditatione, sed etiam a quocunque ullo actu voluntatis, v. g., amoris, humilitatis, etc., et sic totam remanere in pura ac mera attentione et vigilantia ad Deum ipsum. Verum spirituales hujusmodi quasi incantationum species haud placent; cum enim anima sit adhuc in statu activo, non videmus cur cessare debeat a meritoriis voluntatis suæ actibus, maxime si sponte eliciantur: imo quod tempus magis opportunum ad eos eliciendos? — *V.* Segneri, *De concordia inter laborem et quietem.* — Bartoli, *Che orazione sia quella che chiamano* di quiete *e come si pratichi?*

186. Q. 3. *An unioni activæ, et passivæ addantur aliæ species?*

Unioni activæ ac passivæ (utraque dicitur etiam unio simplex), duæ addi possunt, nempe unio sponsalitia et unio consummata.

1. *Sponsalitia unio* in hoc differt ab aliis, quod non sit solum quædam communicatio divini amoris; sed valde copiosior supernaturalis infusio quorundam graduum amoris ejusdem. Anima ubi pervenerit ad tam sublimes amoris gradus, in proximo est, ut Deo suo spiritualiter conjungatur majori modo in hac vita possibili. Ordinarie solet hanc unionem præcedere alia purgatio spiritus etiam magis severa superius descripta, quæ complectitur etiam pœnas exteriores, v. g., calumnias, persecutiones, infirmitates, etc. Illius autem unionis gradus tres sunt, exstasis, raptus, elevatio spiritus. *Exstasis* facit, ut amittatur usus sensuum etiam externorum, ita ut persona nec videat nec audiat, imo nec sentiat adustiones aut incisiones si fierent in ejus corpus (a græco *ex* extra et *staô* sistere). *Raptus* est quædam divinæ gratiæ impressio tam viva et vehemens, ut anima quasi rapi se sentiat motu quodam subitaneo ac violento, et aliquando ipsum quoque cor-

pus elevetur, et fiat leve ad instar plumæ. *Elevatio spiritus* est quando anima sentit se extolli supra se ipsam magna quadam vi, cui ab initio experitur conjunctum etiam magnum timorem : unde in hoc gradu continentur duo gradus præcedentes.

2. *Unio consummata:* hæc unio est omnium perfectissima, quam Deus animæ viatrici concedit: et ideo dicitur *consummata.* In reliquis unionis speciebus potentiæ animæ suspenduntur ad tempus; in hac jam capaces evaserunt unionis divinæ permanentis, ita ut voluntas amet Deum suum placidissime, intellectus recte cognoscat et attendat huic intimæ unioni divinæ, quæ jam facta est in animæ centro. Idque contingit eo ipso modo, quo quis intueretur solis splendorem absque ulla oculorum suorum offensione. Hinc autem solent in anima evenire visiones, locutiones, revelationes et alia dona supernaturalia. — *V.* Scaramelli, *Direttorio mistico.* — Stapf, *Theol.*, § 655. — Castelvetere, *Direttorio* ecc., p. 1ª. — Liguori, *Pratica del confessore*, c. IX.

(G) Pag. 26.

187. Breviarium Romanum omni veneratione dignum est non solummodo quoad cultum ecclesiasticum, sed etiam quoad ipsa historica facta; cum notum sit pluries fuisse recognitum et emendatum, habito multorum sapientum consilio: *Attamen ita ut vetitum existimari non possit debita cum modestia et gravi fundamento quæ occurrunt in factis historicis, difficultates exponere, easque judicio Sedis Apostolicæ supponere, ut eorum veritatem et robur perpendat, si quando manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem.* (Ita Benedictus XIV, *De SS. Beatificatione*, l. IV, p. 2ª, c. 13.) Sic ut commentitius habetur lapsus s. Marcellini commemoratus 26 aprilis. — *V.* Tillemont, Natalis Alexander, Sangallo, Noris, Pagi, Aguirre, Salzano, Papebrochius aliique.

188. Breviarii contemptores. Audiatur Stapf, § 211: « Ex numero eorum, qui Breviarium contemnunt, vix unum deteges, qui aliis pietatis exercitiis sedulo incumbat. Plerique jam per exitiale frigus, quo tremendum Sacrificium aliaque Religionis mysteria tractant, nimium quantum produnt, quo spiritu imbuti sint! Idem de illis, qui ad recitandas Horas tempus sibi deesse ajunt. Hinc inde quidem fieri potest, ut ob congeminatos labores vix aliquid temporis supersit: ast mentiuntur, qui generatim nullum sibi tempus suppetere prætendunt; qui enim occupationes et res suas apte disponit, atque tempore sibi concesso prudenter utitur, certe etiam ad Breviarium apta spatia habebit: id quod experientia satis confirmat. Viri cordati, licet plurimis negotiis occupentur, raro tamen conqueruntur, sese ad dicendas Horas necessario tempore destitui; contra qui hunc temporis defectum obtendunt, plerumque per magnam diei partem vel vanis confabulationibus indulgent, vel in popinis commorantur, vel non solidæ doctrinæ, sed novellis levibusque scriptiunculis vacant, quibus sola fere curiositas nutritur aut phantasia incalescit. » Veritate plenissima verba!

Utique onus est Breviarium, si placet; sed tale onus qui sustinet omnia onera: siquidem jugis est oratio totius Ecclesiæ nomine facta, et Domini verbis ex magna parte composita. Sit ergo quod Officium oneret; sed onerat nos, sicut onerant alæ aves, rotæ carrum, baculum senem et peregrinum, vela navem, medicina ægrotum.

189. Beneficiatus quoad Officium divinum.

Q. 1. *Quid de eo, qui ad Beneficium ecclesiasticum electus, vel canonice institutus, realem possessionem nondum sit consecutus?*

R. Si hæc possessionis dilatio ab eo pendet, quatenus malitiose moram trahat aut negligat aut impediat, ab Officii recitatione non liberatur; quia per eum in hoc casu vere stat habere Beneficii possessionem. Neque fraus sua aut negligentia debet eidem prodesse: neque Ecclesia ob culpam beneficiati Officio suo privanda est. Si vero possessionis dilatio sit sine culpa beneficiati, v. g., si lis ei intentata sit super Beneficio, ex communi et vera sententia ad Officium non tenetur; tum quia ante initam possessionem non censetur quis perfecte Beneficium consecutus, et litem perdere potest; tum quia ante possessionem beneficiatus nullum Beneficii jus exercere potest: ergo æquum est, ut neque ullum onus subeat: et talis est hodierna praxis, ut nemo teneatur ad Horas, nisi Beneficii sibi collati inita possessione.

190. Q. 2. *Quid si a beneficiato jam quidem sit adepta possessio, sed lis vertatur inter duos, cujusnam sit revera Beneficium?*

R. Tunc si ille, qui jam possidet Beneficium, habet spem moraliter certam vincendi litem, tenetur ad Officii recitationem, uti patet. Et idem currit, si per interim uni litigantium adjudicata fuerit Beneficii possessio; cum de facto reditus percipiat. Quod si firma non sit spes litem vincendi, nec alicui possessio sit per interim adjudicata, nulla est Officii obligatio; quia nemo obstringendus ad onus certum per mercedem incertam. Neque obstat, quod si litem postea vincat, etiam fructus sequestratos obtineat: eos retinere potest, sicuti retinet fructus maturatos a tempore vacationis Beneficii, etsi Officium non dixerit; sed hac ratione, quod hi fructus maturantur successori. Ceterum usquedum Beneficium liti subjicitur, quoad ejus possessionem habetur pro vacante.

191. Q. 3. *Quid si possessionem ecclesiastici Beneficii sit pacifice quidem consecutus, nullus tamen adhuc fructus percipiat?*

R. Si habet spem certam fructus exigendi tractu temporis, ad recitationem tenetur; ne gratis postea exigat. Si spem non habeat, item tenetur si eam per negligentiam amiserit, ne commodum ex sua iniquitate reportet: idem est si ipse illa privetur juste, in pœnam alicujus criminis. Si secus, non tenetur, ne dicatur teneri sine mercede laborare: imo etsi præter spem postea fructus percipiat, ad nihil tenetur; nam Officii recitatio singulis diebus est adfixa, qui in hypothesi jam elapsi sunt: ad nihil ergo tenetur, tempore quo fructus insperatos percipit. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, lib. III, num. 664; et lib. IV, n. 144.

192. Q. 4. *Quid si Beneficium sit tenue, vigebit onus Officii?*

R. Communiter existimant tenue ecclesiasticum Beneficium, quod non pertingit usque ad tertiam partem sustentationis beneficiati; quæ sustentatio rationabiliter debet mensurari juxta diversitatem patrimoniorum, quæ in diversis locis solent clericis assignari ab Episcopo. Quo posito dicimus, vigere adhuc onus Officii: 1) in dubio de tenuitate; quia cum Beneficium sit certum et tenuitas dubia, possessio stat pro Beneficio, ideo pro onere recitationis; 2) si tenuitas proveniat ex culpa beneficiati, cum nemo debeat reportare commodum ex propria iniquitate; 3) si beneficiatus speret fructus uberiores in posterum, quia unus annus compensatur cum alio. Item si qui percipiantur fructus, sint onere Missarum gravati; cum adhuc sint veri fructus ad sustentationem deservientes.

Sublatis hisce casibus, non consentiunt.

Alii cum Roncaglia et Schmalzgrüber volunt adhuc vigere onus recitationis; quia s. Pius V nullum beneficiatum excludit: aliunde qui suscipit aliquid, intelligitur illud acceptare cum onere ei adnexo: et talis revera videtur timoratorum praxis. Alii cum Sanchez volunt illud amplius non vigere; quia Beneficium, quod non præbet ne tertiam quidem partem sustentationis, in Jure canonico non reputatur pro vero Beneficio (c. *is cui* x *de præb.*, in 6); et sic beneficiatus habetur tanquam non beneficiatus. Alii cum Lessio docent onus istud vigere saltem pro diebus dominicis et festivis; quamvis enim (ait Dens) nullos fructus percipiat, gaudet tamen beneficiatus aliis commodis, favoribus ac privilegiis, honoribus vel juribus, ex eo quod sit in possessione illius Beneficii; alioquin Beneficium totaliter interiisset, nec amplius subsisteret: quod est contra suppositum.

Nos controversiam melioribus relinquimus; illud Tullii usurpantes in hac re: *In utramque partem disserimus; de nulla re dijudicamus.* (Acad. quæst. IV, XXXIII.) — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 674.

(H) Pag. 32.

193. Tempus recitandi Officium.

1. Juxta primævam institutionem erat, ut Matutinum diceretur circa mediam noctem, Laudes sub auroram, Prima ad ortum solis, Tertia tempore medio inter ortum solis et meridiem, Sexta circa meridiem, Nona tempore medio inter meridiem et solis occasum, Vesperæ ad solis occasum, Completorium sub crepusculum nocturnum. Nostris temporibus in usu non est hæc Horarum distinctio. — *V.* Ferraris; V. *Officium*, art. 3 et 4. — Bellarminus, *De Horis canonicis.*

2. In Quadragesima, exceptis primis tribus diebus et dominicis, Vesperæ dicuntur ante commextionem: quod quidem est de præcepto quoad chorum ex Concilio Cabilonense *(de consecr.*, dist. I, c. *solent).* De consilio tantum pro recitantibus extra chorum: sed laudabilius est; cum sit se conformare veteri disciplinæ: quod dicendum est etiam de iis qui recitant parvum Officium B. Virginis. Porro illud *ante meridiem* moraliter accipiendum est, nempe pro paullo ante: Concina admittit latitudinem unius horæ. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XV; item Salmanticenses.

3. Neque refert, quod anticipando vel posticipando, quædam de Officio non videantur amplius convenire; nam similia verba referuntur ad tempus legitimum repræsentative, prout ait Dens. Tempus autem determinatur a tabella Diœcesana in Kalendario posita: qua in re notant communiter quod ad Matutini recitationem bene conformari possumus tempori medio etiam quod Romæ viget, si in loco invaluit, cum hodie evaserit ordinarius modus computandi horas; idque quoad usque superior ecclesiasticus diversam ac firmam regulam non inducat; si secus anxietatibus ac implexis calculis locus aperiretur, cum dissonantia non ita sit momentosa et fere semper mutabilis. Hinc Benedictus XIV, *Notificatione* XIII, docet, satis esse tempus ad Ecclesiæ præcepta observanda metiri moraliter juxta proborum opinionem, non vero juxta minutissimas horarum partes.

Hoc porro valet non tantum quoad Officium, sed etiam quoad Communionis susceptionem, etc. Hac de re interrogata S. Pœnitentiaria anno 1859, respondit: *Consulat probatos auctores;* hi porro a nobis consulti unanimes responsum dederunt, prout supra declaravimus.

194. Officii qualitas: hac de re notamus:

1. Nisi agatur de religiosis aut iis, qui contrarium privilegium consecuti, uti Mediolanenses; vel alia usi sint consuetudine 200 annorum, quilibet uti debet Breviario Romano a Pio V, Bulla *Quod a nobis* 1568 edito, a Clemente VIII, Bulla *Cum in Ecclesia* 1602 recognito, et ab Urbano VIII, Bulla *Divinam* 1631 expurgato; secus non faceret satis muneri suo. Huic Breviario omnia exemplaria conformari debent. — *V.* Lib. IV, *Append.*, Responsa RR. Congregationum; V. *Breviarium.*

2. Non mirum, si sacerdos quilibet vicem salutantis ac resalutantis Ecclesiæ solus expleat dicens: *Dominus, vobiscum*, subindeque respondens: *Et cum spiritu tuo*, rursus ejus vicem gerit ut notat s. Petrus Damiani, Opusculo cui titulus, *Dominus, vobiscum*, c. x. Et benedictionem solus petat et reddat; nam per unitatem fidei sacerdos tota Ecclesia est. Porro *Dominus, vobiscum*, dicitur tantum a sacerdote et diacono, qui non sint majori excommunicatione irretiti; ceteri ejus loco dicere debent: *Domine, exaudi orationem meam*, etc.; ita ex recepta ubique consuetudine. *Gavantus.*

3. Officium recitetur currentis diei ad præscriptum Kalendarii propriæ Diœcesis: qua in re a Rituum Congregatione 23 maji 1835 fuit postulatum: « An in casibus dubiis adhærendum sit Kalendario Diœcesis sive quoad Officium publicum et privatum, sive quoad Missam, sive quoad vestium sacrarum colorem, etiamsi quibusdam probabilior videatur sententia Kalendario opposita? et quatenus affirmative, an idem dicendum de casu quo certum alicui videretur errare Kalendarium? Responsum fuit: *Standum Kalendario:* » et merito, ne scilicet ob unius alteriusque sententiam ordo perturbetur; excipe nisi error esset evidens contra Rubricas vel Decreta: ita S. R. C. 27 augusti 1836, 23 febr. 1839. *Si ha giusto fondamento a credere che dall'uso dei Dittici sacri sieno derivati nella Chiesa prima i Calendari, poi i Martirologi, nonchè i Menologi e le Leggende dei Santi; stantechè il Dittico è più antico di qualunque Calendario, e il Calendario, di qualsivoglia Martirologio* (sunt Diptyca quædam tabulæ quæ in Ecclesia publice legebantur, et nomina Sanctorum referebant). Ita Mozzoni, *Tavole cronologiche critiche della Storia della Chiesa universale*, secolo V, nota 4.

195. Q. 1. *Quid, si quis Officium unius diei in aliud mutaverit?*

R. Si inadvertenter id egit, nullum erit peccatum, neque urgebit obligatio Officium repetendi; quia non præsumitur Ecclesia aliquem velle bis in die ad tale onus obligare: ita communiter cum Croix, Collet. Concina, etc.; in tali igitur casu pro axiomate habetur vulgare illud: *Officium pro Officio.* Quod magis currit, si causa adsit mutationis, ut si dicas lectiones de Feria, quia Lectiones de Sancto non habes. Erit tamen observandum, quod si Officium persolutum sit notabiliter brevius, v. g. si Officium Sancti pro Officio Dominicæ sit recitatum, fiat aliqua compensatio, recitando novem Psalmos ex primo Nocturno; id eidem rationi consentaneum est.

Si mutatio sit facta advertenter et sine causa, et Officium currentis diei mutatur in aliud notabiliter brevius, erit mortale, quia non impleretur præceptum neque in sua forma, neque in æquivalenti: unde adhuc urgeret obligatio Officii. Hinc Alexander VII damnavit hanc sub n. 34 propositionem: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.* Quod si mutetur advertenter et sine causa in aliud ferme æquale, quale peccatum sit, adest hinc inde satis probabilis sententia; æquius tamen videtur dicendum cum Elbel, Roncalia, Sporer, Viva aliisque, esse mortale; mortale, si mutatio sit frequens, et ideo non satisfieri; veniale vero, si mutatio fiat raro, ter vel quater

in anno. Ratio, quia si mutatio raro contingat, non graviter perturbatur ordo recitationis; e contrario si contingat sæpe, evaderet gravis perturbatio; et licet quælibet variatio seorsim sumpta sit venialis ratione parvitatis materiæ, omnes tamen intra annum coalescunt, et graviter perturbant ordinem Breviarii pro totius anni Officiis, quæ simul sumptæ unum complexum faciunt. Hæc tamen mutatio non esset neque venialis, si fieret ex satis ponderosa causa, infirmæ valetudinis, magnæ defatigationis, etc.

Si vero error contingat in ipsius Officii parte, ut si bis dicas Completorium et omittas (non advertens) Vesperas; non videtur unum per aliud suppleri, sed cum advertis teneris ad Vesperas; ne una Officii pars omittatur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 161; *Homo Apost.*, Append. III, n. 71.

196. Q. 2. *Quid de illis Ecclesiis, quæ proprium Breviarium habeant ac Missale?*

R. In Ecclesiis quæ proprium Breviarium habent et Missale legitime, utpote 200 annis ante Bullam Pianam, potest Episcopus prohibere etiam privatim usum Breviarii et Missalis Romani suis ecclesiasticis, cui obtemperandum ex S. R. C. 22 maji 1841. Item probant Castropalaus et Bonacina auctoritate d. Caroli, qui id egit in Provinciali II pro iis, qui ambrosiano utuntur ritu, quibus insuper prohibuit ut Missam celebrent diebus a proprio ritu prohibitis, in Ecclesia romani ritus, ubi esset licitum celebrare.

Si nulla sit Episcopi præscriptio, utrum possit extra chorum et proprias Ecclesias seu privatim uti Breviario et Missali Romano, alii negant cum Bouix et Cavalleri; ideo quia quisque sequi debet suæ Ecclesiæ ritum, cui est addictus: imo Garcias citat declarationem S. C. R. Sed plurimi affirmant cum Sanchez, Salmanticensibus et Pellizario; quia sic recitans se conformat Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium; declaratio autem S. C. non habetur uti authentica. Diximus *privatim*, quia publice in choro seu in propriis Ecclesiis mutari non potest; etenim ad hanc mutationem Pius V requirit Capituli et Prælati consensum. — *V.* Bouix, *De Jure liturgico*, par. 4ª, c. II, § 4.

197. Q. 3. *Qui caret Breviario Romano sed habet aliud, ut Franciscanum, Ambrosianum, teneturne ex illo recitare?*

R. Affirmat Concina, quia hic duplex est præceptum Officii, unum universale de Horis persolvendis, aliud de servanda forma; unde qui non potest unum, servet aliud. Negant Salmanticenses, quia præceptum Officii est indivisibile, id est illud recitandi sub data forma; patet ex Bulla Pii V, ubi habetur, *hac sola forma satisfacere posse.* Attamen, prima opinio ut magis pia et rationabilis nobis sequenda videtur. Ceterum religiosus factus Episcopus potest uti Breviario suæ Diœcesis; item capellani et commensales Cardinalium et Episcoporum possunt se eis conformare in Officio, ex S. R. C. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, nn. 158 et 161.

198. Attentio interna quoad Officium: præter attentionis divisionem in *actualem* quæ est, in *virtualem* quæ fuit et in alio perseverat, *in habitualem* quæ pariter fuit, sed in nullo effectu permanet; et in *interpretativam* quæ esset; tripliciter adhuc distinguitur intentio interna. Alia *spiritualis* seu mystica, quæ est ad Deum ipsum; cum nempe mens ad eum elevatur, meditando, v. g., ejusdem attributa, vel passionis Christi mysteria. Alia *literalis*, id est ad sensum; cum nempe attenditur ad percipiendam verborum intelligentiam. Alia demum *superficialis*, quæ est tantum ad verba, cum nempe attenditur ad recte verba proferenda, ne error fiat ea mutilando vel transferendo, cum intentione generali colendi Deum. Quibus positis, dicimus:

1) Attentio *habitualis* non sufficit, quia non est hominis agentis humano modo: item neque *interpretativa*, quia hæc nondum existit. *Actualis* vero optima quidem est, sed non necessaria, cum ea non sit semper in nostra potestate, et ei opponantur distractiones etiam involuntariæ. Sufficit ergo et requiritur saltem attentio *virtualis*, cui quidem solum voluntariæ distractiones opponuntur; 2) attentio *spiritualis*, ut eam nos explicamus, non requiritur: hæc sane licet sit optima et ideo laudanda, non est necessaria; cum de facili haberi non possit. Nec requiritur *literalis;* quia secus non orarent qui latinam linguam ignorant. Sufficit ergo et requiritur saltem attentio *superficialis:* id est attentio ad verba, non quidem ad singula, sed moralis et generalis conjuncta cum pia intentione orandi et colendi Deum. Hæc, inquam, attentio requiritur et sufficit: *requiritur*, quia Breviarium est oratio vocalis, et ideo orali vocis sono complenda per distinctam verborum pronuntiationem: *sufficit;* oratio enim sic facta est vera oratio: *primo est attentio ad verba quibus petimus*, inquit Angelicus, *deinde ad petitionem ipsam..... et quæcunque harum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio.* (In 4 dist. 15, q. 4.) Ex his patet, optimam esse hanc orationem, licet eam recitaverit monialis, quæ sensum verborum non intelligit. — *V.* De-Ponte, *La perfezione cristiana*, t. III, c. 6, §§ 1 et 2.

199. Distractionis remedia: remedia contra distractiones in Officio sunt negativa et positiva. *Negativa* sunt subtractio eorum, quæ distractionum sunt causa, v. g., impedire quominus oculi circumvagentur, a graviori hominum strepitu se subducere, ad negotia diversa non properare. *Positiva* sunt procuratio eorum, quæ attentionem per se excitant, v. g., elicere sub initio intentionem laudandi Deum, hanc renovare sub fine Psalmorum, meminisse sæpius præsentiæ Dei, mysteria illa sibi exhibere, quæ per septem Horas repræsentantur. Item optimum est, quoad potest, Officium oculis legere; oculis frænatis, facilius et mens frænatur a vagationibus: item considerare magnam quam agimus, actionem; non enim alloquimur hominem, sed Deum, et quidem Dei verbis utendo; concipere animo ex una parte adstare nobis recitantibus Angelum custodem qui merita notet, ex altera dæmonem, qui demerita scribat, etc. — *V.* Liguori, *La Messa e l'Officio strappazzati; — L'Ecclesiastico novello santificato coll'attenta recitazione del divino Officio; — Avvisi e norme per ben recitare l'Ufficio divino.* Casale, 1856.

Ceterum ad auferendas anxietates, observandum est: ut quis dicatur Officio minime satisfecisse ob habitas distractiones, non sufficit, ut voluntarie distrahatur, sed insuper requiritur, ut plene advertat, se distrahi ab Officio in materia notabili (nisi agatur de habituato in hisce admittendis distractionibus, qui scilicet nunquam fecerit quantum in se est ad habitum vincendum); nam intentio prius deliberate concepta Officium persolvendi perseverat quousque non retractetur per contrariam plenam advertentiam circa ipsum Officium. Ita Cajetanus, Concina, Croix, Gobatius, Navarrus, Salmanticenses, Sanchez, Sotus, Suarez aliique. Imo complures etiam tradunt ne oportere quidem, ut quis tota semper eo tendat animi sollicitudine: cujus quidem doctrinæ fundamentum est, quod impossibile ferme sit omnes omnino distractiones vitare, et præsertim studiosis, quorum exercitia sunt præcipue in intellectu, qui ex assiduis occupationibus ita sæpe inflectitur, ut veluti calcaribus adjectis in suas controversias prolabatur. Quæ omnia sunt præsertim ad scrupulosorum levamen: videlicet quamvis Officium recitans advertat semiplene ad distractionem, et sic peccet venialiter;

adhuc satisfacit, quia semper perseverat attentio prima attendendi, donec cum plena advertentia non fuerit revocata. Nam *si res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvi debet;* ideo intentio cum plena deliberatione prius concepta, tolli non potest, nisi cum alia item plena deliberatione retractetur. Hinc commune est, quod si quis advertens se distractionibus teneri, adhibeat contra illas mediocrem diligentiam, non peccat. *V.* Lib. IV, *Append.* ubi plurima docuimus quoad *scrupulosi directionem.*

200. Modus servandus in recitatione Officii:

Q. 1. *Quid si una Hora vel unus Psalmus interrumpatur notabiliter?*

R. Alii ajunt totam esse repetendam Horam vel Psalmum interruptum, quia sublata fuit unitas præscripta. Alii communius et probabilius negant, quia singuli Psalmi ac versus completam habent significationem, et satis uniuntur per intentionem continuandi vel per recitationem subsequentem, licet venialiter peccet qui nullam habet interrumpendi causam; quia sine ratione præscriptam ab Ecclesia unitatem rumpit. Ita Croix, Lessius, Sanchez, Sporer aliique plures. Justæ autem interrumpendi causæ communiter habentur:

1) Quælibet utilitas propria vel aliena, quæ sine aliquo incommodo differri non posset; 2) ratio urbanitatis vel charitatis, et multo magis ratio exequendi mandata superiorum; 3) si excipienda sit Confessio alicujus, qui non libenter expectaret; 4) si velis aliquid agere aut adnotare, ut tollas distractionem sive sollicitudinem, v. g., ne obliviscaris, modo non frequenter ita fiat; quia frequens interruptio ob talem causam aliqua irreverentia non caret; 5) licite etiam potest interjici aliqua brevis oratio inter orandum, vel aliquis interdum pius cordis affectus. Non tamen liceret, meditandi gratia, in istis diutius et frequenter immorari; quia ratio recitationis, seu orationis vocalis non satis servaretur: item si vocalis oratio longior et minime pertinens ad Officium diceretur; pars enim notabilis adderetur Horis, quod esset veniale, utpote contra formam præscriptam.

201. Q. 2. *An peccet qui recitat Officium vel in mortali, vel non servando Rubricas in stando, genuflectendo, etc.?*

R. Ad 1: Verius et communius, qui Officium recitat in mortali existens, satisfacit et non peccat mortaliter; quia ex una parte non exercet actum Ordinis sacri: ex alia quamvis nihil mereatur de condigno, quia tamen orat nomine Ecclesiæ, bene pro aliis obtinet; cum Ecclesia suppleat. Unde quod oret nomine Ecclesiæ in mortali existens, non videtur irreverentia de mortali damnanda.

R. Ad 2: In choro recitantes Officium probabilius peccant, si absque causa cæremonias non servent, quia agerent contra Rubricam: hæc tamen omissio non excedit veniale ex materiæ parvitate. Verum extra chorum commune est, non peccare qui ritus illos non servat, quia Rubrica respicit tantum recitantes in choro. Hinc ad quæsitum, an preces feriales et antiphona finalis B. Virginis flexis genibus sint etiam privatim recitandæ, respondit *S. R. C.* 12 nov. 1831: *in choro tantum juxta Rubricas.* Laudabiliter tamen servantur ad fovendam devotionem. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 178.

202. Q. 3. *An teneatur sub gravi socium adhibere, qui non valet solus Horas recitare, ob debilitatem, etc.?*

R. Verius affirmant Croix, Roncaglia, Sporer, Suarez, Salmanticenses et alii contra Dianam, talem teneri ad adhibendum socium gratuitum si valeat invenire sine magno incommodo, maxime si soleat legere cum socio; quodcumque præceptum enim impleri debet mediis ordinariis: quod evenit in nostro casu, cum socium adhibere sit

medium ordinarium ac facile. Si tamen socium habere non possit, nisi stipendio soluto, ad illum conducendum non tenetur qui nullum possidet Beneficium; cum nihil debeat ob Officium, qui nihil ab Officio percipit.

An autem teneatur beneficiatus socium pretio conducere ex fructibus Beneficii, duplex opinio probabilis: affirmativa est communior et tenenda, si ille velit fructus percipere; quia cum sola probabilitate nequit possessionem fructuum inchoare, ut recte ajunt Concina, Lessius, Sotus et Tournely. Hæc si adhuc fructus non perceperit: si enim talis beneficiatus omisit Officium, eo quod non adhibuit socium, et in bona fide fructus jam percepit, potest eos retinere; quia melior est conditio possidentis. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 158.

203. Q. 4. *Quid de eo qui certus est se non posse recitare Officium totum, dubitat tamen, an possit saltem recitare partem?*

R. Iste generatim loquendo ad partem circa quam dubitat, tenetur; nam in dubio standum est pro obligatione, cum certa sit et possideat. Attamen si agatur de infirmo, qui ob suam infirmitatem certus est, se non posse totum Officium recitare, et anxie dubitat, an possit partem, rationabiliter docent ipsum ad nihil teneri Bouix, Lugo, Navarrus, Roncaglia, Sanchez, Viva, Croix, Layman, Cardenas et alii. Ratio quia aliter scrupulis et anxietatibus infelix ille nimium excuteretur nesciens quousque possit aut non possit recitare: ex quo certe oriretur in homine conscientiæ timoratæ (talem enim supponimus) magna inquietudo: tum quoad animam, eam perturbando; tum quoad corpus, physicam ejus indispositionem augendo. Ad rem Billuart: postquam docuit eum, qui non potest totam legem implere, teneri ad partem in re divisibili, excipit: *Modo terminus potentiæ et impotentiæ non sit incertus et ambiguus, sicut in infirmis, in quibus vix ac ne vix determinari potest, quid possunt, usque quo possunt, et non ultra. Unde si dum non possunt totam legem implere, tenerentur ad partem, foret locus gravissimis scrupulis et continua perplexitas in determinanda parte, ad quam tenerentur; et ideo jure præsumitur de mente æqui legislatoris, quod non velit in similibus casibus obligare ad partem. Ita graves Theologi.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 154.

204. Q. 5. *An recitans cum aliis omnes debeat audire?*

R. « Certum est cum Holzman, Roncaglia, Azorio et Reginaldo, quod non oportet in choro audire omnes; sed sufficit unum audire, et sufficit audire in confuso saltem partem alterius chori, licet distincte nequeat audire. Ita Salmanticenses, qui testantur hoc docere fere omnes Doctores. Sic pariter est certum, ut docet Innocentius III (c. IX *de celebr. Missæ)*, quod *si in choro omittas aliquod dicere verbum* (intellige non ultra), *non peccas; chorus enim supplet.*

» Sed an satisfaciat surdus, qui ex obligatione choro assistit, et suam tantum recitat partem? affirmant Suarez, Escobar, Roncaglia, Sa. Magis tamen mihi placet sententia opposita cum Palao, Sanchesio, Salmanticensibus, Elbel, qui dicunt surdum lucrari quidem distributiones, sed teneri ad repetendum non audita; bene tamen potest eodem tempore satisfacere submisse dicendo partem alterius chori. » Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 163. Sane surdus non potest dici, quod quantum in se est cum aliis communicet; cum imo totum per ipsum sit, quod non possit communicare. Diversa est ratio illius, qui potens est communicare, et de facto quantum in se est, communicat; sed aliquid non percipit ob alterius impedimentum tantummodo.

205. Q. 6. *Quid de eo qui recitando Breviarium syllabas mutilat?*

R. Si ista mutilatio est in tali quantitate, ut sensus verborum no-

tabiliter varietur, qui sic voluntarie recitat, non poterit excusari a mortali, si quantitas illa sit gravis in ordine ad Officium; neque ideo ab onere repetendi partem, in qua sensus fuit corruptus. Si vero id fiat involuntarie, ob balbutiem vel inveteratam consuetudinem, etsi adhuc agatur de gravi quantitate, si studeat se emendare, ad nihil amplius videtur teneri: ubi nulla culpa, nulla pœna; fecit enim quod in se est. *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 165.

206. *Sed quid* (dices) *de eo, qui socium syllabas mutilantem sibi suscipit in Officii recitatione?*

R. Iste non tenetur Officium repetere. nisi certo constet socium ita syllabas mutilasse, ut pro notabili parte sensus notabiliter mutatus sit, præsumptio enim stat pro debita recitatione. Putamus tamen eundem non excusari a veniali, si sponte tali socio uniatur; nisi adsit causa rationabilis, ut si a superiore vel a persona gravi invitetur.

Certum est autem, eos non satisfacere, qui alternatim recitando non expectant versus absolvi, si hoc fiat in magna quantitate; quia tunc una pars alteri non succedit. Et hoc caute notandum est: quot enim sunt qui tam insignem orationem præcipitanter agunt, invocantes non utique Dei benedictionem, sed potius maledictum!

207. Q. 7. *An qui cum aliis choraliter recitant Officium majus, aut defunctorum, teneantur supplere omissa, si dum alii cantant, ipsi se parant ad celebrandum, aut transferunt libros, requirunt Psalmos, thurificant, pulsant campanas, vel alia choro necessaria agant?*

R. Affirmant Bonacina, Navarrus et Vasquez; unusquisque enim tenetur ad partem suam: nisi, excipit Holzman, sit modica materia omissa, quæ ad integrum Psalmum non pertingat. Sed communiter et satis probabiliter negant Azorius, Anacletus, Croix, Layman et alii; nam dum aliquis occupatur in rebus ad Officii celebrationem pertinentibus, totus chorus pro eo supplet: prout qui Missæ inservit censetur eam audire, dum in re necessaria paranda attendit. Item probabiliter satisfacit qui dum alii recitant, tussit vel excreat, etsi integer Psalmus interim dicatur: non tamen qui alternatim respondet choro organum pulsando, quin versiculum suæ partis proferat; quia organum verba non profert. Neque satisfacit qui devote audit Horas dum eas musici cantant, quia talis audiens non orat vocaliter, nec musicorum orationem facit suam, cum non alternet cum illis. Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 143.

Utrum Parochi aliique sacerdotes exequiis mortuorum, officiisque quotidianis assistentes, ac pro ea functione stipendium accipientes, teneantur per se Officium defunctorum persolvere; an vero sufficiat (ut fructus faciant suos) solummodo assistere, aliis recitantibus, vel interea alias preces fundere, v. g. Breviarium recitare? *S. R. C.* 9 maji 1857 respondit *negative.*

208. Oratio Sacrosanctæ: Leo X dicenti eam flexis genibus indulsit defectus et culpas per modum Indulgentiæ in recitatione contractas; nempe veniales, addit Billuart, ita ut ab eo onere sic recitata eximat. Adeo ut (subdit Dens) defectus, v. g., commissi in recitatione Matutini, si post Matutinum dicatur *Sacrosanctæ*, etc., non coalescant cum defectibus, quos postea eodem die quis committit in recitatione Primæ, Tertiæ, etc. Sed dici debet corde contrito; Indulgentia enim supponit culpam remissam. In choro autem (docet Pellizarius) sufficit ut recitetur ab uno, aliis respondentibus; omnibus tamen flexis genibus. Ceterum Pius IX die 12 julii 1856 ex speciali gratia clementer indulsit, ut illa Oratio pro lucranda Indulgentia, etiam non flexis genibus recitari possit ab iis, qui legitime impediti fuerint, sed infirmitatis tantum causa.

209. En ordo sacrorum Librorum qui per anni circulum in divino Officio leguntur, hisce versibus comprehensus:

Adventus proprie vult sermones *Isaiæ;*
Post Natale sacrum recitat sacra lectio *Paulum;*
Quinque *libros Moysi* tibi Septua, Quadraque misit;
Vult sibi scripta legi *Jeremiæ* Passio Christi;
Actus Apostolicus sequitur post Pascha legendus;
Hinc *Apocalypsim* lege, *Canonicasque* vicissim;
Post Pentecosten *Regum liber* exit in hostem;
Inde per Augustum retinet *Sapientia* scutum;
Per totum mensem *sapiens Salomon* tenet ensem;
Cantat september *Job*, *Tobiam*, *Judith*, *Esther;*
Octobri mense *Machabæa* trophæa recense;
Isti *Ezechiel*, *Daniel* durabunt mense novembri;
Postea tu repetes bis Sex in fine *Prophetas.*

(I) Pag. 34.

210. Pauca pro choronide de *Officio B. M. Virginis*, de *Officio defunctorum*, *Psalmis pœnitentialibus* et *gradualibus.* Qui utitur Breviario Romano, non habet obligationem extra chorum recitandi Officium defunctorum (excepto die Animarum). Psalmi pœnitentiales et graduales, in choro suo tempore dicuntur. Est obligatio recitandi, sed in choro tantum et suis temporibus, Officium B. M. Virginis, si jam ab ætate Pii V vigebat consuetudo; ita Pius V Constitutione *Quod a nobis* 1751, ubi concedit centum dies Indulgentiarum obligatis, si recitant Officium B. V. et defunctorum; et quinquaginta, si recitent Psalmos pœnitentiales et graduales. Non obligatis concedit tantum quinquaginta in primo casu, quadraginta dies in secundo, ex Constitut. *Superni* 1571. Ex eodem Pontifice ad Officium B. V. tenentur quotidie pensionati clerici (si nempe ideo sit necessaria tonsura); sub onere restitutionis fructuum ad ratam culpabiliter omittendo.

211. *a) Officium B. M. Virginis* perantiquum est; nam jam ab anno 728 Joannes Damascenus illud cantabat; sed postea cum in desuetudinem venisset, de novo in pristinum restituit s. Petrus Damiani. Illud autem recitandum est (notat Breviarium) juxta temporum varietatem, nihil adendo, nihil imminuendo: sic tempore Passionis adhuc dicitur *Gloria Patri* suis locis; tempore Paschali dicuntur omnes antiphonæ ad Psalmos; neque addendum *alleluja* invitatorio, antiphonis, responsoriis, etc. Ante quamcunque Horam dicitur *Ave Maria*, et ita fiat in fine ultimæ Horæ, quoties terminatur Officium. Ceterum laudabilius, etsi non de præcepto, aliæ preces in fine et principio addunturad fovendam videlicet devotionem, ut notatur in libro ad usum Confraternitatum.

212. *b) Officium defunctorum* antiquissimum est; et quamvis ejus institutio, ut nunc est, ignoretur, constat consuetudinem speciales preces pro defunctis effundendi ab Apostolis emanasse. Durandus hujus Officii institutionem refert ad Origenem; alii ad s. Isidorum; alii ad d. Augustinum. Quidquid sit, constat illud perantiquum esse, et ex apostolica Traditione varia fuisse pro defunctis Officia apud Melchitas, Cophtos et alias orientales nationes. Perantiquum est, sed utinam non

esset etiam perantiquus modus quo plerumque recitatur: « Bene spesso è una pentola che bolle, non uomini che pregano *(ad rem Clary)*; e anzichè dare refrigerio ai morti, si attizza fuoco pei vivi. Un giovanetto che aveva assistito ad una tale Officiatura, venuto a casa: « Adesso » capisco, dicea a' suoi, perchè si dice i poveri morti. » Per tal modo si rovescia la fede, si viola la giustizia; la Chiesa si riempie di scandali, e si preparano pel Clero i più tremendi divini giudizi. »

Hic unum notamus pro praxi: ut hoc Officium sicut et cetera, ea qua par est devotione absolvamus, plurimi (inter alia) confert, si *asteriscos* studiose observemus; illi enim et expectant qui retardant, et retinent qui currunt, et voci vim addunt, et psalmodiam nostram concordem, unissonam, armonicam ac devotam faciunt (asteriscus est a græco *aster* stella, quia præsefert stellæ formam); et *S. R. C.* 9 junii 1864 præcipit in recitatione Horarum in choro etiam sine cantu, ad asteriscum pausam esse omnino servandam, non obstante quacunque consuetudine. — *V.* Ferraris; V. *Officium defunctorum*.

213. *c) Psalmi pœnitentiales*, qui nos ad pœnitentiam movent, sunt numero septem; et merito, ut sic expurgati a septem vitiis capitalibus septiformis Spiritus Sancti gratia illustremur. Illi videntur fuisse in usu ante s. Augustinum, qui morti proximus eos lectitasse fertur.

214. *d)* Psalmi pœnitentiales clauduntur *Litaniis* majoribus: litania est a greca voce *litaneon*, quæ indicat orationem ardentem. Litaniæ aliæ dicuntur *majores*, uti sunt quæ dicuntnr die s. Marci; aliæ *minores*, quæ in diebus Rogationum, etc.; aliæ *breves* in animæ commendatione; aliæ *Lauretanæ* quæ dicuntur in honorem B. V., ideo dictæ quia canuntur in æde Lauretana. Litaniæ Sabbati sancti et Pentecostes duplicandæ sunt seu integræ repetendæ a respondentibus; Litaniæ autem Sanctorum in festo s. Marci et in feriis Rogationum non duplicantur, nisi in processione ex S. R. C. maji 1853. Ubi notamus quod religiosi qui hisce publicis processionibus intersunt recitantes Litanias communes, non tenentur postea recitare Litanias proprii Ordinis ex S. R. C. 8 apr. 1865. — In administranda autem Extrema Unctione Psalmi pœnitentiales cum Litaniis recitantur ab adstantibus: at non de præcepto, etsi plurimum conferat ad divinam opem implorandam pro infirmo.

En Litanias ab Ecclesia approbatas ut publicas preces, ideo solas usurpandas in sacra liturgia ex declaratione S. R. C. 15 maji 1608: quibus addunt ex declaratione 14 apr. 1846 Litanias Ss. Nominis Jesu. Ceteræ autem si a censore approbatæ, quæ passim reperiuntur in libris devotis, privatim tantum recitari possunt. *V.* Ferraris; V. *Litaniæ, Rogationes;* — Dens, *De Horis canonicis*, n. 27.

215. *e) Psalmi graduales*, uti dicunt plures, canebantur in Ascensione quindecim graduum Templi Salomonis; et nos recitamus ut totidem gradus, quibus ascendimus ad Deum. Juxta alios primi quinque dicuntur pro defunctis, alii quinque pro nobis et amicis, postremi quinque pro omnibus fidelibus. Juxta alios in primis meditamur corruptibilia, in secundis cœlestia, in ultimis divina. — *V.* Gavantus, Merati, Cavalleri, Durandus, Quarti, Fornici, Ramsé.

(J) Pag. 42.

216. Votum indicat in sensu lato tum *desiderium*, quo sensu dicitur Baptismum in voto; tum *suffragium*, quod tribuitur in electionibus; tum *propositum*, quod quidem est simplex voluntas aliquid faciendi. « Vulgus (ait s. Alphonsus, *Praxis Conf.*, c. II, n. 25) sæpe con-

fundit desideria aut proposita cum votis. Ad hæc distinguenda parum juvabit eum interrogare, ut nonnulli solent, an unquam habuerit intentionem se voto obstringendi sub gravi peccato? siquidem rudes sic interrogati facile negant. Satius erit interrogare, si tunc cum votum emisit, existimabat se graviter peccaturum fuisse an non, si postea non satisfecisset. » In dubio nemo ligandus.

Votum vivendi juxta christianas leges emissum in Baptismate, nonnisi late dicitur tale; proprie enim in omnium sensu illud non est, nisi declaratio voluntariæ susceptionis legis christianæ.

217. Fideles monendi sunt, ut matura utantur deliberatione, confessariique judicium expostulent, antequam verum votum emittant. Frequenter accidit, ut quis in magno devotionis ardore, vel in aliqua gravi calamitate vota concipiat; at illis accidentibus transactis, actiones promissæ nimis difficilæ videntur, et peccaminose omittuntur. Ad rem in Lib. *Spirito di s. Francesco di Sales:* « Avendo una pia persona inteso, che il santo Vescovo da giovane aveva fatto voto di recitare ogni dì il Ss. Rosario, desiderò di fare lo stesso; però prima ne domandò al Santo. Gli rispose, guardasse bene prima di farlo; a cui ella: *Perchè rifiutate agli altri ciò che voi avete seguito in vostra gioventù?* Questa parola *gioventù* risolve la questione, replicò il Sales: poichè in quel tempo lo feci con meno di considerazione; di presente, più innanzi nell'età, vi dico che nol facciate. Non vi dico già, che mai non recitiate il Rosario; anzi vi esorto quanto so e posso, sicchè non passi per voi giorno senza dir la Corona, questa bella orazione così gradita a Dio, così cara a Maria. Ma fatelo per un proponimento fermo e costante, non per voto, acciocchè succedendo di tralasciarlo non vi esponiate al pericolo di peccato. Col fare il voto non è fatto tutto, ma uopo è poi di adempirlo sotto pena di colpa; il che non è cosa da tenersi in poco conto. Vi assicuro che questo più d'una volta mi ha angustiato, e fui sul punto di chiamare la dispensa o commutazione. »

Quoad *puellas* vero, quæ virginitatem suam Jesu consecrare cupiunt, non permittat confessarius eis castitatem perpetuo vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus et edoctas in vitæ spiritualis regulis, et præcipue in oratione exercitatas, et habita ratione earum conditionis. Mulieres enim, et maxime puellæ leves sunt, quæ de facili mutantur aversantes hodie quod heri ardenter promiserunt; hinc effatum: *quid vento levius? folium; quid folio? homo; quid homine? mulier; quid muliere? nihil.* Ideo puellæ bene probentur prius; ac sub initio eis tantum permittatur, ut castitatem voveant per aliquod definitum tempus, nimirum a solemnitate alicujus festi ad aliam alterius festivitatis. Et hoc maxime præstat, ut cum *clericis* observetur, ut sic suo tempore valeant securius votum perpetuum vovere. *V.* Liguori, *Praxis* et *Homo Apost.*, tract. ult., n. 40.

218. Q. 1. *Quid de proposito omnia peccata vitandi?*

R. Laudabile est propositum (non votum) omnia peccata vitandi, quod emittere solent christiani, etsi interdum deficiant; proponendo majora vitamus, et ipsi nobis quasi vim inferimus, ut quod animo promittimus, effectu compleamus. Vel majus proponimus, ut minus efficiamus, exemplo eorum (ait Perrone, *De gratia)* qui sagittas ad scopum emittunt; solent eas altius dirigere, ut optatum punctum attingant. Probabiliter autem ex Suarez, Soto, Sanchez et aliis nullum est peccatum negligere propositum; quia defectus constantiæ de se non est culpa, nisi præceptum adsit. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 199.

219. Q. 2. *Qui modus votum emittendi?*

R. Quoad modum votum emittendi audiendus Salesius (lib. VI,

Lett. LXXXVIII): « Per farlo bene, prendete tempo i tre giorni precedenti a prepararvi coll'orazione, la quale potrete cavare da queste considerazioni: 1) considerate quanto la castità sia grata a Dio ed agli Angioli, avendo voluto ch'ella fosse eternamente osservata in cielo... Non sarete voi felice cominciando in questo mondo quel genere di vita che continuerete eternamente nell'altro? benedite dunque Dio, che vi ha dato questa santa inspirazione; 2) considerate quanto è nobile questa virtù, che mantiene le anime nostre bianche come i gigli, pure come il sole, che rende i corpi nostri consacrati, e ci somministra il modo di essere interamente di sua divina Maestà, cuore, corpo, spirito e sentimenti. Non è gran contento di poter dire a nostro Signore: *il mio cuore e la mia carne esultarono in Dio* (Psal. LXXXIII), per amor del quale io lascio ogni altro amore? 3) considerate che la santa Vergine fu la prima a far voto di sua verginità a Dio, e dopo essa tanti vergini, uomini e donne... Umiliatevi dinanzi al loro coro, e con umili preghiere supplicate che vi ricevano in loro compagnia, non per pretendere di uguagliarle nella purità, ma per farne l'imitazione al meglio che potete, quasi loro servo. Supplicate che offrano con voi il vostro voto a Gesù re de' Vergini, e gli rendano grata la vostra castità per il merito della loro. Soprattutto raccomandate la vostra intenzione a Nostra Signora, di poi al vostro Angelo custode, acciò d'ora innanzi si degni con particolare cura di preservare il vostro cuore e il vostro corpo da ogni sozzurra contraria al voto vostro. Il giorno poi prefisso, lorchè il sacerdote alzerà la Sacrosanta Ostia, offrite con esso a Dio Padre il Corpo prezioso del suo Figliuolo e insieme il vostro corpo, facendo voto di conservarlo in castità tutti i giorni della vostra vita.

» La forma di farlo potrebbe esser questa: *O eterno Dio, Padre, Figliuolo e Spirito Santo, io N. vostra indegna creatura al vostro divino cospetto, e di tutta la vostra Corte celeste, prometto a vostra divina Maestà e faccio voto di osservare tutto il tempo della mia vita mortale, che vi piacerà darmi, un'intera castità e continenza, mercè il favore e la grazia del vostro Santo Spirito. Piacciavi accettare questo mio voto irrevocabile in olocausto di soavità; e giacchè v'è piaciuto d'inspirarmelo, datemi forza di adempirlo ad onor vostro per tutti i secoli de' secoli...* Poscia bisogna che abbiate un rispetto grande al vostro corpo, come ad un corpo consacrato e ad una santissima Reliquia; e come non si può toccare nè profanare un calice dacchè il Vescovo lo ha consacrato, così lo Spirito Santo avendo consacrato il vostro cuore e il vostro corpo con questo voto, bisogna gli portiate una riverenza grande. » Quæ oratio, etsi votum fiat ad tempus, usurpari poterit, verba mutando.

(K) Pag. 48.

220. Q. 1. *An votum extinguatur lapsu temporis?*

R. Obligatio voti extinguitur lapsu temporis, si constet voventem tempus determinasse præcise ob aliquam connexionem rei voto promissæ cum tempore ipso: ut si quis voveat peregrinationem ad urbem Romam tempore Hebdomadæ sanctæ, ut mysteriorum passionis Christi celebrationi intersit. Si vero non constet tempus illud fuisse præcise determinatum ob talem connexionem, sed potius ad sollicitandum voti implementum, eo etiam tempore præterlapso, obligatio voti subsistit; quia in hoc casu votum non comprehendit rem promis-

sam et circumstantiam temporis per modum unius; sed virtualiter duo habentur vota, unum de re certe facienda, alterum de ea non differenda ultra tale tempus. Ergo si tempore illo non impleatur peccabitur; sed res adhuc præstanda erit.

Si *vero* dubitetur, an tempus appositum fuerit ad finiendam voti obligationem, an ad eam sollicitandam, si agatur de votis personalibus vovens non ligatur post elapsum illud temporis spatium: quia in votis personalibus usu communissimum est, tempus censeri appositum ad obligationem finiendam, nisi constet de contrario: unde sic vovens non tenetur satisfacere pro diebus transactis. Quare si tu vovisti, v. g. Missam audire tali die, hoc die transacto sine Missa sive culpabiliter sive inculpabiliter, ad id non amplius teneris, si dubitetur an tale tempus sit appositum ad finiendam vel sollicitandam voti obligationem; quia cum agatur de voto personali dies ordinarie censetur designatus ad obligationem finiendam.

Si agatur de votis realibus, adhuc vovens ligatur; nam in votis realibus tempus censetur appositum ad sollicitandam dumtaxat obligationem. Sic si tu vovisses dare eleemosynam in sabbatis per annum, nulla habita relatione speciali illius anni, teneris semper supplere pro anteactis sabbatis omissis, quia dies censetur appositus non ad finiendam, sed ad obligationem sollicitandam. Excipimus casum, quo votum haberet specialem relationem ad diem, ut si voluisses dare eleemosynam in hebdomada Jubilæi, vel in sabbatis per annum, quia in illo anno gratiam recepisti. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 220.

221. Q. 2. *Quid si vovens ipse in causa sit, ut conditio in voto ab ipso posita, cesset? uti si Titius voveat Religionis ingressum, si pater approbet; deinde vero ipse Titius patris consensum impediat?*

R. Si ita vovens conditionem impediat rationibus vel precibus, non peccat; quia patri adhuc liberum est quod voluerit deliberare. Peccat vero, si conditionem impediat fraude vel vi, quia vera ipse causa esset impedimenti: probabilius tamen dicunt Azor, Filliucius, Suarez, etc., eum a voto liberum manere; unde satis est si eum pœniteat, eo quod conditionem impedierit, quia in hoc peccavit. Nempe per conditionem appositam jam primitus vovens sibi reservavit votum inane facere: si sine causa id agit, peccat, quia nihil sine causa agendum; tamen ad illud non tenetur, quia de facto non impletur apposita conditio: neque lex in contrarium citari valet. Sed ajunt quod si adhuc currit tempus utile votum emittendi, tenetur fraudem auferre; alioquin esset nugatoria illius pœnitentia.

Idem dicendum est, si pater illico consentiat et illico dissentiat *(si, no)*: tunc nempe adhuc standum est pro dissensu: neque enim attenditur præceps ac subitus ille consensus, cum non habeatur uti consummatus et perfectus, utpote eodem fere temporis puncto retractatus a patre. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 218.

222. Q. 3. *Ad quem pertinet voti implementum?*

R. Vel agitur de voto personali, vel de reali, vel de mixto.

Si 1, voti implementum pertinet ad ipsum voventem; hoc ipso, quia non respicit nisi illius personam: hinc S. Rituum Congregatio 18 aprilis 1643 declaravit: *Communitates vel universitates civitatum seu locorum non teneri ex præcepto servare festa ex voto earundem indicta; cum ex præcepto teneantur tantum personæ voventes.* Excipe nisi festum inductum sit per statutum seu legem, sed cum Episcopi approbatione; cujus est cultum in propria Diœcesi ordinare et approbare. Hinc patet etiam quid dicendum de parentibus qui Religioni devovent filios: ad nihil aliud tenentur, nisi ad eam filiis suadendam.

Si 2, obligantur etiam hæredes, non tamen ultra vires hæreditatis; quia votum reale afficit ipsam rem ad quoscunque pervenerit.

Si 3, obligantur hæredes pro parte qua votum reale est; semper tamen libera manente legitima, quæ nullo onere gravari potest: et notandum, vota realia esse solvenda post debita justitiæ; sed ante legata; nam fortius ligant. *V.* Ferraris; V. *Votum*, art. 3; — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 216; — Pavone, *Spicilegio* ecc. § 311.

Hinc resolve casum: *testator voverat instituere peregrinationem ad montem Varalli, ibique donare lampadem argenteam, ad quid tenetur hæres?* Tenetur dare lampadem; ad peregrinationem non tenetur, nec dare expensas itineris quas fecisset testator; quia illæ sunt quid accessorii respectu voti personalis peregrinationis. Quod si testator mandaverit in lecto mortis hæredibus, ut persolvant orationes et peregrinationes, quas ipse debebat ex suo voto personali, si hæredes acceptaverint, obligantur ex fidelitate: si non acceptaverint, non obligantur nisi testator sub ea conditione reliquerit hæreditatem, quam tribuere non tenebatur; hæres eam acceptans tenetur conditionem implere. *Sylvius*, *Dens* ex cap. *Licet* de voto.

Nota: Aliis placet limitationem ponere cum Frassinetti: « È vero generalmente che l'erede è obbligato a soddisfare ai voti *reali* del defunto; tuttavia pare che questa regola debba subire un'eccezione pel caso che sia da supporre che il defunto abbia avuto intenzione contraria, che cioè abbia inteso di obbligare solamente sè stesso e non gli eredi. Per es., Tizio, credendo sopravvivere almeno alcuni anni, fa voto di fabbricare una Chiesa; e poscia, prima di cominciare la fabbrica, muore. Dovremo asserire che i suoi eredi, venuti in cognizione del legato, sieno obbligati a fabbricarla? Egli conosceva per certo che i suoi eredi non avrebbero avuto quella medesima sua intenzione, che quindi difficilmente l'avrebbero eseguita; perciò è da credere che se avesse preveduto così prossima la sua morte, non avrebbe fatto il voto, o avrebbe dato qualche disposizione testamentaria a quel fine. In questo caso pare evidente che non abbia avuto intenzione di obbligare i suoi eredi... Per altro, se dalle circostanze si dovesse supporre il contrario, che cioè fosse stata sua volontà che ad ogni modo si fabbricasse la Chiesa, non si potrebbe mettere in dubbio essere passata agli eredi l'obbligazione. » *(Nota 36)*.

223. Q. 4. *Si quis nimis pronus ad vovendum voveat non amplius vovere nisi cum licentia confessarii, si postea voveat, v. g. jejunium, valet hoc votum?*

R. Cum Layman: primum votum est quidem validum, cum sit de meliori bono, et iterum vovendo peccavit quia fecit contra promissum; at primo voto non obstante, tenetur ad secundum, quod cum habeat objectum bonum, satis est validum. Excipe, nisi ille statuerit nolle futura vota valere, nisi de facto accesserit confessarii consilium, et hoc neque virtualiter retractaverit, scilicet si memor primi voti, secundum adhuc emitteret. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 210.

224. Q. 5. *Quid si quis duo vota incompossibilia emiserit, v. g. vovit se cras peregrinaturum ad montem Varisii, et postea vovit se eodem die peregrinaturum ad montem Varalli?*

R. Servare debet quod dignius est, etsi posterius factum; censetur enim votum commutatum in melius; *in casu peregrinatio erit ad montem Varalli.* Si sint ferme æqualia, vel si dubitetur, prius posteriori præferat; illud enim possidet. *Layman.*

225. Q. 6. *Quid de voto rei partim possibilis, partim impossibilis?*

R. Imprimis attendenda est intentio voventis, quæ quidem est

causa voti, sicut intentio legislatoris est anima legis. Ideo videndum, num illius intentio sit, ut deficiente una parte et alia censeatur deficere, an vero ex adverso. Si de intentione non constet, en regulæ cum Sporer :

1ª *Regula :* Quando partes voti sunt divisim sine dependentia ad invicem, ita ut singulæ partes sint per se materia voti virtute quasi multiplicis, tunc si una pars sit vel fiat inepta, impossibilis vel minus bona, votum valet, et obligat ad partem remanentem possibilem et bonam juxta illud : *Utile non debet per inutile vitiari ;* intellige, si utile ab inutili separari possit. Hinc qui vovit dare 100, si factus impotens non possit dare nisi decem, tenetur ad decem. Hoc currit maxime de votis pœnalibus et afflictivis immoderatis, quæ non obligant quoad excessum moraliter impossibilem; in reliquo obligant.

2ª *Regula :* Quando partes voto promissæ sunt copulatim per modum unius totius, ita ut obligatio unius partis pendeat ab obligatione alterius ac totius promissi, deficiente parte una, deficit et alia ; nam tunc voventis intentio non est, nisi de toto, seu de re indivisibili. Hinc qui vovit jejunare pro defunctis, sed in die Animarum, si eo die sit legitime impeditus, non tenetur ad id alia die.

3ª *Regula :* Videndum quid in voto sit principale, ut habeatur ratio illius regulæ: *ruente principali, ruit et accessorium*, non e contrario. Hinc qui vovit se peregrinaturum nudis pedidus, si postea non possit hoc modo peregrinari, quia indecens vel impossibile, adhuc ad peregrinationem tenetur; nam peregrinatio censetur principaliter promissa. E contrario si nequeat peregrinationem agere, non tenetur tali die nudis pedibus stare ; quia hoc accessorium est.

(L) Pag. 53.

226. Q. 1. *Reviviscitne votum primum, quando opus secundum post factam commutationem redditur impossibile ?*

R. Si voti commutatio peracta fuit auctoritate superioris, non reviviscit votum primum ; quia auctoritate superioris per dictam commutationem remansit extinctum : hinc si a superiore pro eleemosyna voto promissa subrogatum est jejunium tali die designato, si jejunare noluisti, peccasti ; sed non amplius teneris ad eleemosynam. Si commutatio sit facta a vovente, votum reviviscit, quia privata auctoritas non valet extinguere rem semel promissam, sed illi tantum abunde valet satisfacere ; ideo si primæ obligationi satisfieri possit, adhuc ipsa remanet, licet opus secundum factum sit impossibile.

An commutato voto reservato, materia subrogata reservata sit ? Affirmat Azorius: sed communiter et probabilius negant Layman, Sanchez, Suarez, aliique; quia licet materia subrogata habeat idem vinculum voti, attamen non habet idem vinculum reservationis, si hoc materia subrogata non ferat. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 258.

227. Q. 2. *An Pontifex possit dispensare in votis solemnibus ?*

R. Communius et probabilius docent Sotus, Suarez, Sylvius contra Billuart, Pontificem posse dispensare in votis solemnibus quoad religiosos et clericos in Sacris.

1. *Quoad religiosos ;* non quidem hoc sensu, ut simul sint conjugati et monachi remaneant ; nam votum castitatis est de Religionis essentia : sed quatenus eos a professione nomine Dei solutos declarat, urgentissima causa interveniente, nimirum ob bonum commune Ec-

clesiæ, regni aut provinciæ. Quod quidem Pontifici recte censetur a Deo concessum, cui Deus totius Ecclesiæ regimen concessit. Hæc sententia, ait Perrone *(De virtute Religionis)*, nobis videtur certa; si quæ enim essent motiva ob quæ hæc esset deneganda facultas, ea desumeretur vel ex parte votorum, vel ex parte solemnitatis: sed hoc dici nequit. Nam quoad *vota*, omnibus fatentibus, Pontifex juxta interveniente causa ab iis valide dispensat; quoad *solemnitatem* nulla difficultas, cum hæc sit tantum de Jure ecclesiastico ex declaratione Bonifacii VIII (cap. unico, *De voto*, in 6); et Gregorio XIII Const. *Ascendente Domino*. Confirmatur ex variis tum antiquioribus, tum recentioribus exemplis ejusmodi dispensationum, ut videre est penes Suarez et Bouvier; at dubitare de facultate Pontificis postquam dispensavit, instar sacrilegii est, ait Veracrux.

2. *Quoad clericos in Sacris;* nam debitum continentiæ non est essentialiter adnexum Ordini sacro Jure divino; cum Ordo utique sine eo consistere possit, ut patet exemplo Græcorum. Sed sola Ecclesiæ Ordinatione vel immediate per illius præceptum, vel mediate per votum quod in Ordinatione implicite emittitur, ut docet probabilius s. Thomas. Unde Romanus Pontifex bene poterit clericos, licet in Sacris, solvere ab hac gravi obligatione, sive declarare nomine Dei eos absolutos. Communiter tamen cum Salmanticensibus excipiunt sacerdotes, quibuscum dispensare semper magna indecentia est; quanquam urgente causa etiam cum ipsis Ecclesia dispensavit, ita tamen ut ab officiis clericalibus omnino arcerentur dispensati, ut sic omnis auferatur indecentia: sic Continuator Tournely refert Benedictum IX permisisse Ramiro presbytero, et Religionem professo, ut labentem Arragoniæ prosapiam editis liberis excitaret. Et Julius III cardinali Polo legato in Anglia facultatem fecit dispensandi cum presbyteris, diaconis, subdiaconis, qui tempore anglicani schismatis matrimonium de facto attentarunt, ut si uterque eorum susperstes maneat, inter se legitime contraherent, sed omni Ordinum exercitio sublato. Et Pius VII in Constitutione confirmatoria *Concordati* 15 aug. 1801, declarat se per Breve vestigia secutum esse Julii III circa ecclesiasticos viros, qui in Sacris constituti, tempore revolutionis gallicanæ matrimonia attentarunt. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 256; et l. VI, nn. 807, 808, 1025 et 1059.

Postulatum fuit ab episcopo Cenomensi Bouvier: « Cum ex pluribus decisis vota monialium in Gallia uti simplicia a S. Sede æstimentur, sequentia nascuntur dubia: 1) an votum ingrediendi Religionem Sedi Apostolicæ adhuc sit reservatum? 2) an Ordinarius super votis a monialibus emissis, data ratione sufficienti, dispensare possit, voto castitatis remanente? 3) an de votis virorum idem dicendum sit ac de votis monialium, ut videtur? *S. Pœnitentiaria* 2 *janii* 1836: *Perpensis diligenter propositis dubiis, factaque præmissorum relatione Sanctissimo Dmo Gregorio Pp. XVI, respondit:* Ad 1: *affirmative, sed votum mulieris cujus intentio respexerit ad monasteria prout nunc in Galliis existunt, non est reservatum; quia scilicet monasteria eadem a Sede Ap., attentis peculiaribus circumstantiis, non tanquam Ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiæ fœminarum æstimantur.* Ad 2: *ex Sanctitatis suæ declaratione, rebus sic stantibus, posse dispensare.* Ad 3: *decreta per S. Pœnitentiariam, alias edita spectare solummodo ad moniales.* »

228. Q. 3. *An votum emissum in utilitatem tertii possit dispensari?*

R. Votum, si fuit emissum principaliter in utilitatem tertii, et iste tertius sit determinatus, v. g., talis pauper, talis Ecclesia, nullimode

potest dispensari, ubi semel a paupere vel rectore illius Ecclesiæ acceptatum sit; nam ille pauper, illa Ecclesia, verum jus acquirit, quo citra injuriam sine consensu partis expoliari non potest. Diximus: *ubi acceptatum sit;* nam ante acceptationem non consummatur traditio. Diximus: *si fuit emissum principaliter in utilitatem tertii;* aliter enim esset, si sit emissum principaliter in Dei honorem; tunc tertius non acquireret verum jus ad rem promissam, nisi dependenter a Dei voluntate, quæ relaxari potest.

Multo minus potest dispensari promissio mutua, ut evenit in votis et juramentis perseverantiæ, quæ fiunt ab aliquibus Congregationibus: nam illa assumunt rationem contractus, nempe Congregatio se obligat ad sustentandum subditum, et hic ad inserviendum: idque declaravit Benedictus XIV, Bulla *Convocatis* 1748; quod confirmavit Bulla *Inter præteritos* 1749. De hoc ajebat s. Alphonsus (Tannoja in ejus *Vita*, lib. II, c. 14): *Il giuramento è in mano del congregato come uno scudo contro del demonio, che mette in salvo la propria incostanza, e fermo lo rende nella vocazione e nel servizio di Dio. Il giuramento è come un'àncora da cui fermata la nave, benchè sia combattuta dai venti, pure sta salda in porto, senza temere alcun danno.*

(M) Pag. 65.

229. Juramenti honestas: a Clemente XI, Bulla *Unigenitus*, damnata fuit hæc sub n. 101 propositio: *Nihil spiritui Dei et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.* Et Pseudosynodus Pistoriensis a Jansenistis consarcinata ausa est tradere: 1) *jurare sine extrema et ineluctabili necessitate esse actum irreligiosum, documentis divini Præceptoris, et aureæ simplicitati Evangelicæ contrarium;* 2) *juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse a ss. Patribus, et ideo improbanda ea quæ Curia ecclesiastica.... in investituris et in sacris ipsis Episcoporum Ordinationibus adoptavit.* Sed sub n. 75 utraque propositio a Pio VI, Bulla *Auctorem fidei*, proscripta fuit *tanquam falsa, Ecclesiæ injuriosa, Juris ecclesiastici læsiva, disciplinæ per Canones inductæ et probatæ, subversiva.*

Ceterum etsi *juramentum res bona sit, non ideo illud expedit frequenter usurpare;* non enim expedit, nisi debitis fulciatur conditionibus, inter quas illa est, ut nemo temere usurpet sanctum Dei Nomen. Hinc d. Thomas juramentum comparat medicinæ ad sanandum efficaci, quæ quanto est salubrior si debite sumatur, tanto magis nocet si eam quis temere recipiat. Hac de causa Christus juramentum indiscriminatim prohibuit: res erat cum hypocritis Pharisæis, qui in omni re temere juramentum usurpabant. Revera (ait *Stapf*, § 237), homines pii, dum ipsis a judice juramentum imponitur, nonnunquam tanto horrore corripiuntur, ut, quamvis omnes conditiones legitimi juramenti adsint, ad illud tamen quasi tremebundi accedant. Et utinam satis cautum foret, ne per jurandi frequentiam hic religionis sensus paullatim obtundatur! Ad rem Augustinus (Serm. CLXXX): *Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est.*

Sed addes: *Christus dicit aperte juramentum a malo esse; nam ait:* Sit autem sermo vester, est, est, non, non; quod autem his abundantius est, a malo est (Matth. v).

R. His verbis Christus tantum innuere voluit (ait *Catechismus R.)* juramentum oriri ab humana infirmitate, quia homines fallaces sunt; si enim tales non essent, nullum juramentum foret necessarium.

230. Locutiones variæ:

Quid (quæres) *de hisce locutionibus:* juro ita esse; per conscientiam animæ meæ; hoc est verum ut Evangelium; vivit Deus; coram Deo loquor; per hunc Dei ignem, per Jovem, *etc.?*

R. Ad singula: 1) *juro ita esse,* non habetur in communi acceptione ut juramentum; cum nec implicite nec explicite, divinum testimonium imploretur. Excipe nisi jam præcesserit interrogatio de jurejurando: satis enim tunc determinaretur; 2) *per conscientiam animæ meæ*, pariter juramentum non est: quia hic principaliter intenditur conscientia; 3) neque juramentum sunt illa: *hoc est verum ut Evangelium;* nam notant potius assimilationem, quam veram invocationem; 4) hæc verba: *Vivit Deus, Deus veritas est, coram Deo loquor*, ex circumstantiis sunt resolvenda: si enim tantum renuntiando proferantur, non videntur constituere verum juramentum. Item est si dicatur: *Deus mihi testis esse potest: scit Deus, quod ita est; coram Deo ita est;* 5) per *hunc Dei ignem* est juramentum; quia Deum nominando principaliter ad ipsum refertur ignis; 6) *falsa jurat qui per falsos deos jurat; quid enim tam est a veritate alienum, quam mendaces et fictitios deos tanquam verum Deum testari?* ait *Catechismus Rom.* II *præc. Decal.*

Quid (addes) *si quis dicat:* habear uti hæreticus, si hoc est falsum?

R. Non censetur jurare; quia nulla hic invocatio Dei habetur. Item hæc: *moriar hic, si ita non est; mihi amputetur manus, caput, vel diabolus me auferat;* quamvis sint habenda uti juramenta, si per modum execrationis dicantur, vel si expresse nominetur Deus; communiter tamen ita non censentur, sed resolvuntur in quandam sponsionem, seu pœnæ obligationem, et significant ordinarie: *si res ita non est, spondeo meam vitam,* etc. Verba tamen sunt christiano indigna!

Ita excusari potest a juramento qui de aliquo interroganti respondere solet: *no, per Dio; si, per Dio; per Dio santo;* nam ut plurimum non intelligunt invocare Deum ut testem. Valde tamen increpandi, quia id non auditur sine scandalo. *Roncaglia.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 139.

231. Juramenti obligatio.

Q. 1. *An obliget juramentum factum contra primum juramentum?*

R. Si secundum juramentum opponatur priori in materia jam jurata non tenet, ut si jurasti matrimonium Cajæ, et postea illud jures Titiæ; quia esset de illicito. Aliter est, si secundum juramentum opponatur primo in actu jurandi tantum, ut si jurasti non amplius jurare sed postea jures, v. g. jejunare, teneris ad jejunium; quia hoc juramentum est de materia licita, etsi peccaveris jurando.

Q. 2. *Quid de illo qui voto se obstrinxit ad nunquam jurandum, et a judice compellatur jurare in judicio?*

R. Tenetur jurare; nec opus habet ut dispensetur a voto; quia hoc votum non extenditur ad juramentum emittendum ex ordine publici judici; et tunc illud non est de meliori bono, cum juramentum quod publica justitia exigit, præstare melius sit. *Schmalzgrüber.*

232. Q. 3. *Quid de juramento promissorio dolose emisso?*

R. Triplíciter potest aliquid dolose cum juramento promitti: sine animo jurandi, sine animo se obligandi, et sine animo adimplendi.

1. Qui aliquid juramento promittit, sed sine vero animo jurandi, nempe non cum animo se obligandi ex vi virtutis Religionis, sed ex vi solius promissionis humanæ, peccat, uti constat ex propositione ab

Innocentio XI sub n. 25 damnata: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis;* nam illuditur divinum testimonium. Docent tamen communissime, eum peccare tantum venialiter, si aliunde habeat animum implendi, neque res sit coram judice vel in contractibus; tunc nulla deceptio contra justitiam, cum intentio habeatur rem promissam præstandi; sed solum inanis divini Nominis usurpatio adesset.

2. Qui juramento aliquid promittit, sed sine animo se obligandi, communius dicunt, quod graviter peccat; cum videatur gravis irreverentia adducere Deum in testem, et nolle ejus testimonio obstringi. Sunt tamen qui docent, id valde probabiliter esse tantum veniale; nam sine animo se obligandi nulla vera promissio, nullumque subsistit juramentum, et illud violari non potest; non enim potest intelligi juramentum, nisi ut productivum obligationis. Si ergo hanc excludis, et juramentum excludis; ergo habetur sola vana usurpatio divini Nominis. Imo probabilius sic jurans per se non tenetur juramentum servare: tum quia invalidum; tum quia Deus juramenta promissoria non acceptat, nisi juxta jurantium intentionem, quæ cum non sit se obligandi, non importat, nisi simplex propositum quod in conscientia sub peccato non obligat. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 172; — Tamburini, *De Decal.*, lib. III, c. 3.

3. Qui juramento aliquid honesti promittit cum animo jurandi et se obligandi, sed non implendi, v. g., si quis vere juret se eleemosynam daturum, sed cum animo non standi promissioni, peccat mortaliter, quia violat quod vero juramento juravit. Et semper tenetur servare promissum; illa enim nolitio executionis non impedit, quin revera posita fuerit substantia juramenti et consequenter ejus obligatio. Idem est, si quis non advertit ad obligationem juramenti; nam obligatio sequitur ex illius natura, nisi illa positive excludatur.

Quid (dices) *si res juramento vere promissa sit tantum venialiter mala, aut vana, aut inutilis?* Licet Antoine, Billuart et Collet dicant non esse nisi veniale illam sub juramento promittere; nobis magis arridet sententia Elbel, qui cum aliis docet id grave esse, quia gravis semper irreverentia est Deum vocare testem ac veluti fidejussorem peccati, tametsi venialis. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 146.

233. Practicæ resolutiones: plura pro praxi quoad juramenta cum s. Alphonso, *Opus Mor.*, l. III, n. 181.

1. Quoad juramentum servandi statuta alicujus collegii, universitatis, congregationis, scholæ, etc., attende has regulas: *a)* tale juramentum intelligitur de statutis editis, non edendis; *b)* intelligitur obligare sub gravi aut levi, vel tantum ad pœnam, etc., ad modum quo obligat ipsum statutum; *c)* hoc juramentum non obligat ad statuta quæ non habent amplius vim ob desuetudinem, vel quia sic sunt usu recepta. Idem est si a majori parte communitatis non observetur statutum. Hinc inferunt: si Officiales, qui jurant servare taxam præscriptam, non peccant aliquid recipiendo, si stipendium sit manifesto insufficiens. *Azorius, Suarez, Sa, Sanchez.*

2. Juramenta de servando secreto, quæ præstatur in Congregationibus circa electiones, etc., obligant graviter vel leviter juxta nocumentum quod afferre possunt; nam obligatio juramenti sequitur obligationem secreti. Item est de juramento servandi secretum circa artem conficiendi aliquam medicinam, sanandi aliquas infirmitates: imo non obstante juramento, teneris ex charitate eam revelare, si aliter quis subiret grave periculum mortis, vel si ars ideo cum illo moreretur cum pernicie reipublicæ, atque aliter infirmi nequeant sanari,

cum juramentum non sit ad damnum. D. Thomas, Croix, Suarez, Billuart, etc. Attamen quoad eos qui utilia inventa vel occultant vel secum interire patiuntur, audiatur Stapf, § 374: *Equidem condignum foret, ut talibus justum præmium obtingeret, et præsertim expensæ hunc in finem factæ refunderentur. Attamen etiamsi ex hac parte aliquid desideretur, tales nihilominus divinæ Providentiæ parum respondent, ubi talentum sibi concessum in terram defodiant.*

3. Qui juravit judici se dicturum quæ novit, non tenetur ei revelare occulta, ad quæ judex non habet jus. Item qui juravit se soluturum debitum intra mensem, non tenetur, si terminus a creditore prorogetur; quia cum hic cedat juri suo, cessat obligatio promissionis et consequenter juramenti.

4. Qui promittit concubinæ cum juramento aliam non cognoscere, negant aliqui ipsum ad illud teneri; quia est ad pravum finem, ad conservandam nempe cum concubina amicitiam. Sed alii probabilius affirmant, quia ex regula generali debet impleri juramentum semper ac potest sine peccato; occasio autem dicta venit per accidens.

5. Qui promittit cum juramento redire ad carcerem, juxta alios non tenetur redire cum probabili periculo gravissimi damni injusti; nam esset se illi sponte offerre. Sed multo probabilius potest, quia posita promissione, redire est actus virtutis.

234. *Titius juravit solvere centum aureos; quid si solvat totam summam, excepto uno asse?*

R. Non peccat mortaliter, quia ille cui summa debetur, non solet partem minimam curare. Item excusant a mortali promissiones juratas rerum exiguarum non adimpletas; vel quia adimpletio non exigitur rigorose; vel quia materia id non tolerat in communi æstimatione. Ita juramenta urbanitatis non præcedendi, non accipiendi latus dextrum, etc., habent hanc conditionem, *si alter acceptat,* vel *permittat*, etc. Ita etiam excusantur parentes, qui jurant dare filiis munuscula et postea non implent; hæc generatim non solent accipi in rigore. *Dens, Billuart.*

Famulus jurat filiofamilias, quod ejus fornicationem nulli manifestabit; quid? Tenet juramentum; nisi silentium det occasionem alterius fornicationis, vel nisi adsit necessitas correctionis vel juxta interveniat superioris interrogatio.

Paulus ex metu injusto juravit latroni se illi daturum centum florenos intra tres dies: ast Paulus moritur ante illud tempus; quid? Hæres Pauli non tenetur ad illos tradendos; quia obligatio fuit mere personalis et solius Religionis; non justitiæ aut debiti realis.

Jurasti Petro, te assumpturum statum religiosum; potestne Petrus tibi remittere talem juramenti obligationem? Non potest; quia illud juramentum fit solum Petro uti testi; non vero tanquam personæ, in cujus favorem principaliter juratur. *Dens.*

Quando quis se sponte offert ad juramentum, vel legitime ad jurandum compellitur, peccat mortaliter, si alieno sensu juret? Affirmative, et id maxime locum habet in judiciis et contractibus; in his enim est gravis deceptio partis: in illis vero fit contra obedientiam superioris, et pervertitur judicium. Accedit, quod quando non subest causa legitima utendi ulla calliditate, videatur falsum jurasse; præsumitur enim jurasse ad mentem exigentis, ut communiter fieri solet. *Lessius, Navarrus, Cajetanus* et *Sotus.*

235. Quidam anonymus quæsierat (revocata a nonnullis gubernatoribus jurata gubernii forma): 1) *è lecito o non lecito ai Principi il mancare ai propri giuramenti?* 2) *Fu una violenza sufficiente a sal-*

varli dallo spergiuro la minaccia di perdere il trono? 3) *Ammesso che sì, non si può dire, a più forte ragione, che non obbliga il giuramento dei sudditi, quando sono posti nel bivio o di morire di fame o di giurare per ottenere un impiego?* 4) *Si possono salvare gli Stati con un grande scandalo, sebbene tendente ad uno scopo utile?* 5) *Possono i Principi sciogliere i loro sudditi da un giuramento prestato dinanzi a Dio, quando appunto essi con giuramento gli avessero sciolti dalla loro assoluta autorità?*

« La risposta è facilissima, bastando solo il prendere fra le mani qualsivoglia dei Moralisti cattolici, i quali, già da secoli, hanno risposto a tali quesiti, a caso vergine, senza sospetto di voler gratificare o Ferdinando II, o Leopoldo di Toscana, o Francesco-Giuseppe. Ondechè non è meraviglia che i giornali cattolici non abbiano voluto ripetere il detto dai Teologi morali. Pure, giacchè siamo interrogati, ecco come rispondiamo precisi e schietti, anzi come risponde per noi al primo quesito s. Alfonso de' Liguori, la cui dottrina, per testimonianza della Chiesa, può seguirsi tranquillameute da ogni coscienza cattolica. « Il giuramento fatto in favore d'un terzo dee mantenersi, » semprecchè mantener si possa senza colpa. » *(Lib.* III, *num.* 177.) E con più forza sotto il *num.* 192: « Una promessa giurata che sia stata » accettata da un terzo, nemmeno dal sommo Pontefice può venire » rimessa, senza il consentimento di colui, al quale è stata fatta. » È dottrina comune: Principi e sudditi l'hanno da osservare.

» Questo per ciò che riguarda l'obbligo del giuramento: udiamo ora dal Santo istesso le cagioni che possono annullarne l'obbligazione. Sono al proposito nostro 1° se la cosa promessa, di buona che era, divenga cattiva o illecita, o impedisca un maggior bene o cagioni un male maggiore; 2° se cessi il fine per cui la promessa era fatta; 3° se così permettano le tacite condizioni che in ogni giuramento promissorio si debbano intendere accluse; e sono: I, se potrò; II, se il superiore sarà contento; III, se lo stato della cosa non cambi notabilmente. Così non è altrimenti tenuto a mantenere il giuramento, quando sopravvenisse pericolo di morte, d'infamia o d'altro grave danno, perchè è da credere che in tal caso non abbia inteso obbligarsi, trovandosi diversa la cosa da quella che promise (*nn.* 87, 88).

» Ecco dunque la risposta *precisa* e *schietta* al primo quesito che è il capitale, e dalla cui soluzione dipende quella degli altri! Non è mai lecito al principe (come non lo è all'ultimo dei sudditi) il mancare ai giuramenti. Può tuttavia incontrar caso, in cui il Principe possa, anzi debba giudicare che il giuramento non tenga, perchè più non è, o meglio perchè non sarebbe stato, o meglio ancora perchè non fu mai, in quanto il giurante non avrebbe giurato, nè lecitamente avria potuto, se avesse preveduto quel caso; e così dee supporsi che implicitamente lo abbia escluso. Se voi aveste giurato di menare domani sera un vostro fratellino alla cena, ove questi fosse domattina sorpreso da una violenta febbre, vi credereste voi obbligato in forza del vostro giuramento di menarlo la sera alla cena per mandarlo posdomani al sepolcro? Qui il vostro buon senso vi dispensa dall'obbligo di consultar Moralisti. Or fate conto che il caso di un Principe può non essere dissomigliante da questo. Anzi possiam recarvi un esempio più calzante e la cui forza negli Stati Sardi s'intenderà meglio forse che altrove. Supponete, per una pura ipotesi, che Carlo Alberto nello ascendere al trono avesse giurato di mantenere gli ordini di monarchia assoluta, vigente la quale assumeva il governo. Lo direte spergiuro perchè nel 48 per gravi circostanze concesse uno

Statuto? Voi certo no, e noi neppure; ma perchè dunque questa morale buona per dare uno Statuto, non conta nulla per ritirarne un altro?

» Da questa risposta al primo quesito si rende vano il *secondo*, stantechè non si tratta di revocare il giuramento dei Principi quasi prestato per timore delle minacce; ma si veramente si tratta di giudicare che un giuramento più non tiene, perchè più non esiste, in quanto si è avverato erroneo nel supposto che tutto il popolo lo chiedesse e nocivo negli effetti, alle sostanze, alla quiete e specialmente alla Religione dei popoli. — Quindi svanisce anche il *terzo:* il quale per altra parte suppone che non vi sia altro modo di vivere, che lo stipendio dei pubblici impiegati; ed oltre a ciò riguarda non un giuramento fatto, ma un giuramento da farsi, la cui onestà dev'essere antecedentemente assicurata da chi lo presta. Il che non fa al proposito nostro, e però lo trasandiamo.

» Al *quarto* rispondiamo non essere mai lecito lo *scandalo*, *nè anche per salvare uno Stato.* Ma se qualche fariseo finga scandolezzarsi di un'azione ragionevole e obbligatoria, propagando cotesto scandalo nei semplici e idioti, è chiaro non doversi sacrificare a tali apprensioni il vero bene, ma il meglio essere disprezzare gl'ipocriti e illuminare i semplici. — Al *quinto* quesito, la risposta è inclusa nei precedenti, giacchè le stesse ragioni di falso supposto e di pubblico danno, per le quali un principe è autorizzato a revocare il proprio giuramento, vietano ai sudditi l'esigerne l'adempimento. Epperò non dal Principe, ma dalle ragioni medesime vengono invalidate le obbligazioni che i sudditi contrassero col giuramento. » *Civiltà Cattolica*, ser. 1ª, vol. VIII.

236. Juramentum pejeraturi: *an liceat petere juramentum a pejeraturo*, contra Vasquez affirmant probabilius Cajetanus, Filliucius, Salmanticenses, Suarez, Tournely aliique, si adsit gravis causa; nam tunc perjurium ex sola pejerantis malitia sequeretur: neque alter potest dici illius causa moralis, cum utatur jure suo. Esset si judex petit juramentum ratione officii, seu ex ordine juris; vel si magni tua interest ad fraudes alterius manifestandas, ut jus tuum consequaris. At si non adest gravis causa, petere juramentum a pejeraturo esset contra reverentiam Deo debitam et charitatem proximi; de hac causa habet Augustinus: *qui scit et cogit jurare, homicida est.*

Licet item cum causa juramentum exigere ab eo qui juraturus sit per falsos deos; cum causa enim permitti potest malum alterius. Augustinus ait: *Qui utitur fide illius, quem constat jurasse per deos falsos, et utitur non ad malam rem, sed ad licitam et bonam, non peccato ejus se sociat, quo per dæmonia juravit; sed bono pacto ejus, quo fidem servavit* (Epist. CLIV). Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 77.

237. Jactantia cum juramento: *an peccet graviter ex defectu justitiæ, qui cum juramento se jactat de peccato commisso?*

R. qui juramento se jactat de peccato commisso, probabilius non videtur peccare, nisi venialiter contra Religionem, ut docent Sanchez, Suarez aliique; ideo enim in juramento promissorio defectus justitiæ est peccatum mortale, quia juramentum in eo assumitur ad firmandam voluntatem malum peragendi. At in assertorio juramentum non assumitur ad firmandam malam voluntatem; sed tantum ad alios certiores faciendos de malo utpote jam patrato, quod quidem per se non est nisi venialis quædam animi levitas. Excipe si id contingat cum gravi audientium scandalo; vel si complacentiam peccati confirmet; vel si juramentum assumatur ad firmandam gravem proximi detractionem; tunc adhiberetur uti medium ad alterius infamiam certiorem reddendam; quod mortale est.

238. Juramentum solemne et simplex.

Juramentum aliud est *solemne*, quod magno apparatu; aliud *simplex* quod solo Evangelii (vel solo pectoris) tactu emittitur. Verum neque pectoris neque Scripturæ tactus est de necessitate per se loquendo ad juramentum coram Deo, cum illud animus et verba faciant. Hinc Titius si juravit tangendo Biblia adulterina, v. g. Diodati, credens illud genuinum opus, tenet juramentum. Aliter tamen dicendum, si illi nota fuit talis Bibliorum qualitas; tunc voluisset in falsitate jurare, ideo non juramentum est, sed sacrilegium. De juramento solemni quoad Regnum Pedemontanum vide *Pratica legale*, t. x; et *RR. Constitution.*, l, III, t. XIV. Hodie tamen simplex tantum in usu esse videtur: vide *Circolare del Ministro di grazia e giustizia ai membri dell'ordine giudiziario*, 8 sett. 1855; ubi etiam de juramento ab hebræis emittendo, quod fit tangendo Biblia ab eorum Concistorio probata.

Laici semper jurant tangendo Evangelia; modus autem jurandi ecclesiasticorum, etiam coram ecclesiastico, est ut jurent non tactis, sed propositis tantum Evangeliis, et manu pectori admota. Id jure præcipitur solis Episcopis (cap. VII, *Cum in*, de juram. calum.); sed commune evasit pro omnibus clericis in Sacris (imo alicubi pro clericis omnibus). Hoc tamen procedit tantum: 1) de juramento in judicio, nam extra judicium quando personæ ejusmodi jurant et fidei professionem faciunt consuetudo est, ut illud faciant tactis Evangeliis; 2) quando causa non est ardua et gravior (C. *Quotes* IX, c. I, q. 7); secus jurandum est adhuc tactis Evangeliis, ut si agatur de abjuratione schismatis: *Gonzales*, *Abbas*; *Schmalgrüber*. *In Codice processus pœnalis.* art. 285, habetur: *Il giuramento sarà prestato dai testimoni o periti, stando in piedi, la mano destra sovra i santi Evangeli, alla presenza dei giudici.... I non cattolici presteranno il giuramento secondo i riti delle loro credenze.* Et in *Codice processus civilis*, art. 226: *Il giuramento si presta pronunciando le parole:* giuro, chiamando Dio in testimonio della verità di quanto dichiaro, ecc.... *osservati nel resto i riti speciali della Religione professata dalla stessa parte.* Ex quibus verbis plures contendebant etiam ecclesiasticos semper jurare debere more laicorum tacto Evangelio, non pectore. Sed aliter declaratum habemus ab ipsa civili auctoritate: *Quando l'imposizione della mano sul petto vincola la loro coscienza, come quella del laico il tatto del Vangelo, è tale circostanza indifferente agli occhi della legge, e nulla influisce al suo scopo.* Corte di Cassazione. Milano, 31 agosto 1860. (Bettini, *Giurisprudenza del regno*, ecc., vol. XII.) Et anno 1853, 19 genn.: *Gli ecclesiastici possono giurare* tacto pectore more sacerdotali; *un tal uso come relativo a semplice diversità di forma ed estrinseco alla sostanza del giuramento, non contiene verun privilegio inconciliabile cogli ordinamenti posteriori al Codice di procedura* (Bettini, vol. III).

239. Juramentum cum restrictione: principia jam allata in textu exemplis illustrando dicimus:

1. Confessarius affirmare potest etiam cum juramento, se nescire peccatum auditum in Confessione, subintelligendo, *ut hominem;* quia interrogans non habet jus, nisi ad notitiam communicabilem.

2. Reus, vel testes a judice non legitime interrogati possunt jurare se crimen nescire, subintelligendo se nescire crimen, *de quo legitime possint inquiri.*

3. Qui venit de loco, qui falso putatur morbo infectus, potest negare se illinc venire, scilicet, *ut pestilentia infectus*, qualis est et esse debet interrogantium animus.

4. Invitatus ad mensam et rogatus, an cibus sit bonus, potest af-

firmare esse talem, licet revera sit insipidus, intelligens *ad mortificationem et pœnitentiam:* et aliunde omnes sciunt quod ex urbanitate eo in casu sic responderi soleat, quomodolibet sit confectus cibus.

5. Qui mutuum accepit et satisfecit, si postea iterum urgeatur, potest negare accepisse mutuum, *ut nempe denuo debeat solvere.*

6. Qui habet unum panem sibi necessarium, respondere potest se nullum habere pro eo, qui petit commodatum; quia non habet quem commodare possit, de quo solo ille interrogat: ita De-Lugo. — Idem dicit Cardenas de pecunia petita, si domino ea sit necessaria.

7. Creditor ex instrumento potest asserere cum juramento nihil sibi solutum, si pars sit quidem soluta, sed ex alio capite ipse habeat creditum, quod probare non potest; modo aliis creditoribus anterioribus non inferat damnum, nec juret talem summam sibi deberi ex illo instrumento: ex quo patet, quod in praxi vix habere potest locum.

8. Qui fuit coactus ad matrimonium, potest asserere non contraxisse, nempe *libere.* Qui non tenetur ad gabellas, potest dicere, *se nihil ferre,* ut solvere teneatur. Hoc sensu licite etiam proferuntur cæremoniæ, protestationes, ut *osculor manus, offero me famulum:* quia ex communi usu accipiuntur uti verba materialia prolata tantum ad honorem vel ad urbanitatem. Voit; et Liguori, *Op. Mor.*, l. III. nn. 153 et seqq., ubi plures casus.

9. Si quis interrogetur de re, quam celare expediat (salvo meliori consilio) respondere poterit, *dico non,* quasi dicat: *profero hanc particulam negativam* non. Verbum enim *dico* duplicem sensum exhibet, nempe communem *asserere aliquid:* et minus communem in vulgari loquendo usu, nempe *proferre aliquod vocabulum.* Narrant: « Un vanarello predicatore domandò un tale, che gli pareva del suo sermone: questi per cavarsela rispose: « Ha detto *ottimamente, egregia* » *mente, divinamente,* intendendo di dire: *ha detto queste parole nella* » *sua predica.* »

10. Regulariter possunt uti restrictione late mentali personæ publicæ interrogatæ de rebus suæ fidei commissis, ut secretarii, legati, duces, magistratus, advocati, medici, obstetrices, etc. Si enim ejusmodi personis commissa violarentur, gravissima certo sequerentur incommoda. Ceterum (non diffitemur) ardua est præsens quæstio, in qua possumus decipi tum in assignanda legitima causa, tum in usurpandis legitimis loquendi formulis; de facili enim restrictio late mentalis esse potest pure mentalis. Quare caute procedendum, ne humanæ societati noceamus, ne confusionem inducamus, ne christianæ simplicitati derogemus; sed quoad potest *sit sermo noster, est, est; non non.* Matth. v. — *V.* Frassinetti, *Compendio della Teol.*, t. I, nota 85.

(N) Pag. 71.

210. Adsunt inter incredulos ætatis nostræ, qui festorum institutionem dicteriis suis insectantur, et *dixerunt in corde suo: quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra* (Psal. LXXIII). Inaniter tamen: ad festa enim celebranda vel ipsa natura homines impellit, adeo ut qui Festa nostra abrogare tentarunt, alia debuerint a civili ipsa potestate substituere. Sane nulla gens barbara, quæ suam divinitatem festis non excolat: hinc merito Pius IX Encycl. *Quanta cura* damnavit eorum doctrinam, qui *impie pronuntiant... Esse de medio tollendam legem qua certis aliquibus diebus opera servilia, propter Dei cultum pro-*

hibentur, fallacissime prætexentes commemoratam.... legem optimæ publicæ œconomiæ principiis obsistere. « L'uomo non vive di solo pane: *non in solo pane vivit homo.* Egli ha molto più mestieri del cibo dell'anima: della preghiera a Dio, della ricordanza dei divini beneficii, del pensiero della vita avvenire, dell'intendimento dei propri doveri; a tal fine è istituito il giorno di festa: *dies septima mandatur sanctificanda, idest deputanda ad vacandum Deo* (sanct. Tommaso, 2, 2, q. 122, a. 4)... »

« Egli è vero che i banditori di menzogna spacciano che essi vogliono il lavoro eziandio nel dì festivo *pel bene dello stesso operajo, acciò col lucro gli si accrescano i mezzi di agevolezza.* Ma questa è una nuova fallacia per doppio capo. Prima, perchè più che l'agiatezza materiale, all'operajo fa pro l'agiatezza dello spirito; e a questa giova grandemente il riposo della festa, applicato alle cose di Dio e dell'anima, e il cui effetto immancabile è una certa spirituale letizia che innonda e molce soavemente il cuore dell'uom pio. In secondo luogo, più che l'agiatezza esterna, l'uomo ha bisogno di sentire l'interna sua dignità; ed a questo conferisce mirabilmente il dì festivo, che sottraendolo dal lavoro lo agguaglia in modo sensibile a tutti gli altri nell'unica dipendenza da Dio. » *(Civ. Cattolica*, ser. 5ª, t. IV: *Dell'astinenza dal lavoro nel dì festivo).*

241. Nonnulla proferamus testimonia quæ videre est in libro: Paganessi, *Della santificazione delle Feste*, dissert. Mil. Pirota, 1851: « L'imperatore Leone il Saggio, facendo una legge per vietare severamente l'abuso delle opere rurali nelle domeniche, aggiunge queste memorabili parole: « La terra non sarà meno feconda, quando i lavoratori » saranno più religiosi, e le preghiere attireranno l'abbondanza dal » Cielo, meglio che il travaglio dei giorni di domenica. »

Celebris Montalembert ajebat paucis elapsis annis: « Tutti chiedono con meraviglia e spavento, d'onde escano quelle turbe d'uomini senza fede e senza legge, che appajono ne' giorni delle dissensioni sociali, e che simili alle orde dei barbari di quindici secoli fa, minacciano d'inghiottire tutto un incivilimento. È ben giusto d'intimorirsene, non già di farsene meraviglia. Escono essi da quegli abissi, nei quali furono travolti i popoli dacchè furono costretti a lavorare la domenica, e strappati a tutto quanto la Religione aveva immaginato con affetto di madre per istruirli e consolarli in quel gran giorno: e quando fu permesso che il suggello dell'ignoranza fosse impresso nelle loro anime dalla mano di un'insaziabile cupidità. Sono esse fameliche, perchè fu loro tolto ogni alimento morale; mancano di fede, perchè uomini ricchi ed istrutti si sono affaticati per un secolo con insaziabile perseveranza di estirpare quel tesoro dai loro cuori; sono senza legge, perchè troppo spesso i loro padroni e condottieri violando essi medesimi la prima delle leggi, hanno insegnato loro a non rispettarne alcuna. »

Ipse Borrussiæ Minister hæc mandabat pro toto Regno (1852): « L'esperienza degli ultimi anni ci ha insegnato, che gli è dovere di tutte le autorità di affaticarsi a conservare i principii fondamentali della Religione e della morale. Da lunga pezza l'attenzione pubblica si fissa d'una maniera particolare sulla necessità della santificazione della domenica e delle feste. Si acquistò la convinzione, che il rispetto dei giorni consacrati al culto di Dio, è una condizione essenziale di moralità del popolo. Noi crediamo bene d'insistere presso le autorità sopra l'importanza di questo oggetto, e sulla grande responsabilità che pesa a questo riguardo sui depositari del potere. Loro raccomandiamo pertanto d'applicare le istruzioni che si pubblicarono conforme alle

leggi, e speriamo che si occuperanno coll'esempio a mantenere nel popolo il rispetto alla domenica, e si guarderanno bene di darsi ai lavori della loro carica, eccetto che non v'abbia assoluta necessità... »

Neque dicas civilem Statum festa tueri non posse, maxime ubi religiosi actus liberi sunt, uti in Constitutionali gubernio: *Egli* (ad rem Parisis, *Quesiti di coscienza*, ecc., q. 3) *non fa altro che adottare un mezzo esterno e generale per ispirare ai popoli quei principii di moralità, senza dei quali mal potrebbe governarli.*

Macchiavelli *(Sopra la prima Deca di Tito Livio*, lib. I, c. 11 e 12) scribit: « La osservanza del culto divino è cagione della grandezza delle Repubbliche; così il dispregio di quello è cagione della rovina di esse. Quei Principi o quelle Repubbliche, le quali si vogliono mantenere incorrotte, hanno sopra ogni altra cosa a mantenere incorrotte le cerimonie della Religione, e tenerle sempre nella loro venerazione. Perchè nessun maggior indizio si puote avere della rovina d'una provincia che vedere dispregiato il culto divino. »

Vel ipse Rousseau *(Lettre à d'Alembert)*, habet: « Che si deve pensare di quelli che vorrebbero togliere al popolo le feste, le ricreazioni e ogni specie di divertimento, come tante distrazioni che lo distolgono dal lavoro? Questa massima è barbara e falsa. Se il popolo non ha tempo che per guadagnare il suo pane, tanto peggio per lui. Egli però ha bisogno anche di un tempo per mangiarlo con gioja: altrimenti non lo guadagnerà per lungo tempo. Quel Dio giusto e benefico che vuole ch'egli si occupi, vuole ancora che si sollevi: la natura gli impone ugualmente l'esercizio e il riposo, il divertimento e la fatica. Il disgusto del travaglio opprime di più i poveri operai, che il travaglio medesimo. Volete voi dunque rendere un popolo attivo e laborioso? concedetegli delle feste, offritegli onesti divertimenti che gli facciano amare il suo stato, e gli impediscano di invidiarne uno più dolce. Giorni perduti in questa maniera daranno un abbondante compenso nel rendere più utili gli altri. » — *V.* Pérennes, *Dell' Osservanza della Domenica, considerata sotto i rapporti dell' igiene pubblica, della morale, delle relazioni di famiglia e di città;* Opera premiata nel 1859 a Besanzone. — Gautrelet, *La Domenica rispetto alla religione e alla società.* Modena. — Tassoni, *La Religione dimostrata.* — Scotti, *Teoremi di politica* ecc., p. IV, teor. 2. — Ventura, *La donna cattolica*, par. I, § 5. — Franco, *Risposte popolari alle objezioni più comuni contro la Religione.* — *Civiltà cattolica*, ser. 1ª, t. I: *I dì festivi;* ser. 2ª, t. III: *La festa e il giorno di lavoro.* — Bresciani, *Sul dì da festa e da lavoro;* dialoghetto. — Bergier, *Dizionario;* V. *Festa.* — Della-Margherita, *Memorandum storico-politico;* et in lib. *Avvedimenti politici*, cap. XXII, habet: *Il governo che trascura la rigorosa osservanza delle feste religiose, marcia a ruina tosto o tardi inevitabile: sovrabbondano gli esempi.* — La-Motta, *Delle Feste sacre e della loro variazione nel regno Subalpino.* Torino, Marietti, 1849. — Gaume, *Catechismo di perseveranza*, p, 2ª, lez. XXX; it. *La Profanazione della Domenica.* — Mullois, *Il libro degli operai*, cap. XVI. — Olivieri, *Astinenza dal lavoro ne' giorni festivi; La Domenica al popolo* (Letture catt.). — Segur, *La Domenica dei soldati;* favole e racconti. Modena. — Comba, *La Religione dimostrata all'intelligenza del popolo*, c. XVII.

212. Q. 1. *An ad festum sanctificandum requiratur aliud virtutum exercitium præter Missam et abstinentiam a servilibus?*

R. Sunt qui affirmant (licet non audeant definire, an sub gravi) aliquid amplius requiri, si non ratione præcepti ecclesiastici, saltem divini; cum scriptum sit: *memento, ut diem sabbati sanctifices.* Quæ porro

sanctificatio, si major diei pars in humanis rebus absumatur? Nos tamen dicimus, quod quidem *desiderandum est quammaxime*, ut fideles præter Sacri auditionem et abstinentiam a servilibus, alia diebus festis exerceant opera Religionis, actus eliciant fidei, spei et charitatis, divina meditentur, libros pietatis evolvant, Ecclesiam adeant, ut divinis officiis intersint et orent; et si quis legitime impediatur *saltem in domo sua oret*, ut hortatur Augustinus, *et non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servitutis* (Serm. CCLI *de Tempore*). Sed iis etiam prætermissis, præcepto de sanctificandis diebus festis satisfaciunt quoad substantiam, dummodo Missam debitis modis audiant et se a servilibus abstineant; cum tantum hæc duo ab Ecclesia præcipiantur. Ut enim communiter docent Filliucius, Salmanticenses, Sanchez, Sotus, Suarez aliique, in hoc tertio præcepto tantummodo præcipitur cultus externus et abstinendi a servilibus et Missam audiendi. Confirmatur ex s. Thoma, qui docet quod ad interiorem cultum non cogimur, sed movemur a Spiritu Sancto: *ideo*, ait, *in tertio præcepto Decalogi* (prout ab Ecclesia determinatum est) *præcipitur exterior Dei cultus* (2, 2, q. 122, a. 4). — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 267.

Sed maxime nostra conclusio probatur auctoritate Benedicti XIV: Pontifex anno 1744 Constitutione *Paternæ charitatis* ad festorum observantiam tuendam, de Missæ auditione et abstinentia ab operibus servilibus sermonem faciens, jubet et imperat; non ita tamen loquitur de aliis operibus agendo, sed verbis tantum hortatoriis utitur. En verba: *Omnes Christifideles ab operibus servilibus ad quæ peragenda nulla necessitas cogit, omnino abstineant; sed ab omni terrena cura et temporali sollicitudine liberi et vacui ad Ecclesiam pergant: ibi sacrosancto Missæ sacrificio pia animi attentione ingentia Dei beneficia recolentes intersint. Quin etiam exortamur in Domino, uti in precibus quoque, divinisque laudibus persolvendis, audiendoque Verbo Dei frequentes sint; et per totum festum, quoad fieri potest, se exerceant in iis officiis, quæ christianam pietatem continent et comitantur.* Communiter autem dicunt Cajetanus, Cuniliati, Hennus.

Sylvius, Sotus aliique, non esse verum (ut aliqui volunt), peccatum die festo commissum induere novam malitiam specie diversam, mortalem nempe contra observantiam festorum in Confessione explicandam; nam verba præcepti sunt in proprio sensu accipienda: porro peccata nonnisi metaphorice dicuntur servilia; sed *ad literam*, ait Angelicus, *dicuntur, ad quorum exercitium servos deputatos habemus* (in 3, d. 37, q. 1, a. 5). Unde quando idem Doctor ait: *magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit*, de præcepti fine est intelligendus, ne dicatur sibi contradicere (2, 2, q. 122, a. 4). Et clarius in 4, dist. 32, a. 5, q. 2, docet *tempus diei festi non esse circumstantiam, quæ trahit actum in novam speciem peccati. V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 46 et 273; et *Homo Apost.*, tract. VI, n. 2. « Non desunt (ait *Stapf*) qui peccatis, quæ die festo committuntur, notam specialis malitiæ assignant: attamen hæc assertio nimis rigida videtur, nisi forte flagitium tali die commissum directe in contemptum auctoritatis ecclesiasticæ occurrentisve mysterii, vel cum magno aliorum scandalo, ad turbandam illorum devotionem, etc. patratum fuerit. »

Diximus: *desiderandum est quammaxime;* cum enim fideles ad virtutum actus ratione alia teneantur, id est ex Religionis præcepto, qui habitualiter festis diebus iis non vacant (cum tunc negotiis non sint distracti, et invitet occasio et aliorum impellant exempla), in praxi bene dici potest, eos propriæ obligationi deficere, ideo improbandos:

qui sibi non providet, cum omnia opportune cedunt, haud sibi providebit, remota opportunitate.

243. *Sed* (dices) *finis abstinentiæ a servilibus die festo præscriptæ est, ut fideles rebus divinis operam navare valeant; ergo*, etc.

R. Negamus *conseq.;* nam finis præcepti a præcepto differt longissime: *intentio legis sub legem non cadit.* Exemplo res explicatur: finis abstinentiæ et jejunii est maceratio carnis: quid nunc si quis ob physicam sui constitutionem magis jejunii cibis, quam ipsis carnibus delectetur? nonne hic præcepto nihilominus satisfacit? A pari: finis cessationis ab operibus servilibus est, ut rebus divinis vacantes dies festos sanctificemus; sed finis hic non cadit sub præcepto. Ideo si Missa recte audiatur et fiat abstinentia a servilibus, jam habetur observantia præcepti quoad substantiam; quamvis ultro velimus fideles compellendos esse ad finem etiam præcepti implendum.

Sed (inquies) *hæc paritas non facit; nam præceptum abstinentiæ negativum est: at præceptum sanctificationis festorum est positivum, id est aliquid faciendi, juxta illud:* memento, ut diem sabbati sanctifices. *Unde non sufficit a servilibus se abstinere.*

R. Cum Perazzo: præceptum sanctificandi festa: 1) aliquid negativum continet, ne scilicet opera servilia exerceantur, et quantum ad hoc valet paritas allata et impletur illud: *non facies omne opus in eo*, quin aliud inquirere teneamur; 2) continet aliquid positivum, ut nempe Divinis vacetur, juxta illud: *memento, ut diem sabbati sanctifices*, et hoc impletur per auditionem Missæ, qui quidem actus positivus est, solemnis ac potissimus inter religiosos. Adde vel per ipsam abstinentiam a servilibus, quæ toto festo die perdurat, totum diem sanctificari: illa enim dicuntur sanctificari, quæ divino cultui applicantur: at talis profecto est abstinentia illa. Iterum ad rem doctus ac pius Stapf (§ 218): *Dum consueta hujus temporis negotia in honorem Dei suspendimus, dies isti ex communi censu reliquorum hoc ipso secernuntur, atque Deo sacrati fiunt. Est quippe aliquod genus sacrificii, quod Deo de tempore nobis concesso offerimus, eidemque ad contestandam nostram pietatem devovemus, ut adeo otium istud vere sacrum dici possit et mereatur.*

Addes: *præceptum sanctificandi festa, utpote naturale-divinum, ab Ecclesia non potest coarctari ad solam Missam.*

R. Ab Ecclesia hoc præceptum non coarctatur, sed explicatur et modus illud implendi indicatur: sicut Ecclesia non coarctat præceptum divinum Confessionis ac Communionis, quia declarat illud implendum semel saltem in anno. Quoadusque ergo Ecclesia clare non indicet, aliud amplius requiri ad sanctificationem festorum, tenere possumus cum tot gravibus Auctoribus per Missæ auditionem et abstinentiam a servilibus præceptum impleri, quoad substantiam nempe, et in se spectatum. — *V.* Itturiaga, *Operette*, t. II: *Sulle santificazioni delle Feste.*

Ex recentioribus Paganessi multis conatur defendere abstinentiam a servilibus et Missam esse tantum de præcepto Ecclesiæ, cetera vero pietatis opera in festis esse de præcepto divino præstanda. Non tamen audet de mortali accusare qui prima illa facit, secunda vero penitus omittit: quod non satis percipitur, nisi velit docere sub gravi obligare quidem præceptum Ecclesiæ, non autem naturæ ac Dei præceptum. Quod autem addit habitualem omissionem peccatum esse ob mala consectaria, et nos docemus; ideo nempe, quia ex habitu omittens illa pietatis opera, peccat contra aliud præceptum, quo identidem tenetur ad virtutum actus exercendos.

Subjunges: *quomodo ergo explicatur Tridentinum, quod vult esse præ-*

dicandum, ut populus audiat Verbum Dei et Nicolaus I qui alia præter Missam exigit opera bona in festo?

R. Ad 1: Profecto congruum est, ut Pastores conciones habeant in festis, quia tunc populus ceteris occupationibus liber illis commodius vacare potest. Quæ quidem interessentia potest dici, si placet, obligare multitudinem, et hoc sensu præceptum correlativum esse, ut nempe unus prædicet, et hic vel ille audiat; quia semper plures habentur de multitudine, qui indigent instructione. Ad modum quo præceptum nubendi generaliter datum hominibus, obligat quidem communitatem; non tamen singulos de communitate, nisi quatenus in aliqua particulari necessitate constituantur. Quod vero habet Tridentinum (sess. XXIV, c. 4 *de Ref.): Moneat Episcopus populum diligenter unumquemque teneri Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest ad audiendum Verbum Dei*, strictum præceptum non denotat; alioquin non diceret *ubi commode id fieri potest*, uti recte observant: neque adderet *Parochiæ suæ*, cum in aliena Ecclesia conciones audiri possint. Præterea Concilium ibi non loquitur de sanctificatione Festorum; sed tantum de generali obligatione audiendi Verbum Dei, quæ utique maxima est. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 269, 308 et 323; *Ho. Ap.*, tract. VI, n. 4. — Suarez, *De Religione.*

R. Ad 2: Quod pertinet ad Pontificem Nicolaum I, patet evidenter, ipsum fuisse locutum de fine præcepti, non autem de præcepto; alioquin alia plurima essent de necessitate agenda in festis; quæ neque ipsi rigidiores sub gravi præcipere auderent. En verba quæ habet, c. XI: *Iccirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis et hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat christianus.*

244. Conclusio: ceterum et nos iterum iterumque monemus Parochos, ut suos urgeant ad hujusce præcepti finem et spiritum adimplendum, ut nempe precibus, divinis laudibus, Sacramentis, ac concionibus festis diebus frequentes sint. Parochi enim cum teneantur profectum spiritualem curare suarum ovium, contenti esse non debent, quod meram præcepti substantiam impleant; idque eo magis, quia si fideles id semper in more habent, nunquam vacabunt ceteris operibus, quæ si non virtute festorum, certe virtute Religionis identidem præstare debent: qui autem ea habitualiter negligit die festo, multo magis negliget feriali die. Sub quo sane respectu scribit s. Alphonsus: *Quare, sciscitor, Deus festa constituit? instituit ut unusquisque, quum omnibus aliis hebdomadæ diebus bonis corporis vacaverit, in die festo bonis animæ vacet. Et non sufficit Sacro tantum interesse, sed opus est ut concionem audiat, visitet Ss. Sacramentum, se Deo commendet, aliosque pietatis actus exerceat; sed tot personæ in die festo ad quid habent animum intentum? ad ludendum, ad intemperanter bibendum, ad inhoneste loquendum* (Inst. Catech., p. 1ª, c. III). — *V.* Frassinetti, *Manuale del Parroco*, n. 385.

Hinc sicuti non probamus eos, qui in publicis concionibus omnes indiscriminatim fideles sub mortali ad hoc jugiter obstringunt; ita neque eos laudamus qui absolute eos liberant. Utrumque sine discretione est; *primum* ob onus, quod justo gravius imponit; *secundum* ob multorum inscitiam atque infirmitatem, qui ea doctrina abuti possunt. Certæ namque veritates singulæ singulis pro uniuscujusque captu ac necessitate aperiendæ sunt: unde ad rem ait Augustinus *(De dono persev.*, c. XVI): *utile est, ut taceatur aliquod verum propter incapaces.* Præstat

ergo, ut sermo noster nulli offendiculo sit; hoc tamen non impedit, quominus gravioribus verbis generatim insistamus, ut fideles concionibus ac catechesibus intersint; nam in hac re inscitia major est, quam ut creditur; et qui instructus est, præstat ut instruatur adhuc: quod quidem libri non ita facile supplent; magis enim voce movemur. Adde hanc esse divinæ Providentiæ œconomiam; nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (Rom. x). Quod ipsis etiam ecclesiasticis dictum esse volumus: hinc reprehendendi sunt qui concionis tempore se in Sacrarium recipiunt vel ad Horas persolvendas sine necessitate, vel etiam forsan ad confabulandum; hoc enim sine fidelium scandalo evenire non potest, neque sine eorum detrimento, quicumque ille sit qui concionatur: siquidem *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (1, Cor. 1).

Ideo insistant omni modo concionatores, confessarii ac præcipue Parochi, quin tamen veritatem mutent aut vitient: qua in re *habere ob oculos non omittant* Catechismum Romanum, *quem ex Decreto Concilii et s. Pii V, jussu editum, alii Ss. Pontifices ac nominatim Clemens XIII cunctis animarum Pastoribus denuo commendatum voluit:* ita Pius IX Encycl. 8 dec. 1849. « *Catechismus Concilii Tridentini* (ad rem Graveson, *Hist. eccles.*, t. VII, colloq. 4°) jussu patrum ejusdem Concilii compositus fuit a tribus Ordinis Prædicatorum, videlicet a *Leonardo Marini* archiep. Lamianensi, *Egidio Foscario* episc. Mutinensi, et *Francisco Forerio* Tridentini secretario, eumque latinitate et stylo ciceroniano donavit Paulus Manutius vir omnis elegantiæ atque virtutis et totius antiquitatis studiosissimus. Qui Catechismus non solum delectu verborum et latini sermonis puritate, sed etiam gravitate sententiarum, ubertate et securitate doctrinæ eximius, etc. » *V.* Audisio, *Lezioni di eloquenza* ecc., p. 1ª, lez. x.

245. Egregie etiam Stapf, § 221: Non temere aliquis asseverat, ex modo quo unusquisque dies sacros celebrat, totam illius moralitatis indolem et conversationem dignosci posse. Hominem pium pie, frigidum frigide et vitiosum turpiter occupabunt. Idem de tota communitate obtinet. Quare hic totus Parochus esse debet, ut ejus populus sacra officia frequentet, Sacramenta frequenter repetat, et eliminatis abusibus talibus exercitiis occupetur, quæ tum animum tum etiam corpus ipsum veraciter restaurent. Verum nostra ætate abusus quibus Festa profanantur, pro dolor! nimis frequentes sunt. Plurimis in ipsam adeo consuetudinem abiit, ut per totam hebdomadam Deum non tam atrociter offendant ac recurrente dominica die corpus ad inanem pompam exornant, utique non propter Deum sed ad vanam sui ostentationem, vel omnino ad alios forte in ipsa Ecclesia ad libidinem provocandos; suspenduntur labores et opificia, sed sæpe ideo tantum quo liberius baccho et venere litare queat: unde quam plurimi ad explenda munera status sui nunquam minus apti reperiuntur, quam ubi festus dies præcesserit. Qui provocant illud Malach. II: *Ecce ego projiciam vobis brachium et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assumet vos secum.*

246. Atque ideo merito laudanda non pauca sodalitia, confraternitates, institutiones, quæ tum Lugduni tum Massiliæ, tum alibi erecta sunt ad festorum observantiam promovendam. Absit tamen ut præscribamus rigorem pharisaicum puritanorum et protestantium: in Anglia mulctatus fuit pistor qui die festo paucos vendidit panes civi in necessitate; in Scotia nec permittuntur aleæ aut lectio ephemeridum, dum tamen non puniuntur se inebriantes aut lupanaria in festis frequentantes; in Oceania nec cibos coquere permissum est; quin

etiam in nonnullis puritanis fanatismus eo progressus est, ut legem de festo servando etiam ad speciem felinam extendant, et reapse infelix mulctatus fuit felis, quod tali die muros insectatus fuerit. Ita diabolus sub pietatis specie ejusmodi sectarios excæcat. — *V.* Wiseman, *Le parabole* ecc. — Hæninghaus, *La riforma contro la riforma.* — Perrone, *De Virtute Religionis*, n. 261.

Hic Parochus totus sit oportet, instando opportune, importune; at transgressores sermoni non intersunt, ut plurimum; ideo infantiam curet: « A guarire questa lebbra innanzi tutto fa mestieri curare l'infanzia singolarmente, adoperarsi perchè assista agli Offici, e vi assista con amore e con divozione, provveduta di libri acconci a quell'età; il perchè egli stesso farà di procacciarne talora a sue spese o a spese dei parenti o di persone pie. Farà di spiegare ai fanciulli il significato delle preghiere, ora nella scuola, or nel Catechismo, e in occasione delle visite; farà di penetrarli del bisogno perenne che noi abbiamo di Dio, vuoi ad ottenere i beni temporali e materiali, vuoi ad ottenere le grazie soprannaturali....

» Dove intervengano agli Offici divini dei fanciulli che non sappiano ancora leggere, apprenderà loro a recitare il Rosario durante la Messa; e farà che vi prendano amore, consigliandoli ad applicarne una decina per ottenere, p. es. l'amor di Dio; una decina per l'applicazione allo studio, una per la salute dei parenti, per la guarigione degli infermi e suffragio dei fratelli defunti, ecc. » Dieulin, *Il buon Pastore del secolo XIX*, c. 47.

(O) Pag. 75.

247. *Resolutio S. Congregationis Concilii;* Barcinonen. — « Conquerentibus mercatorum amanuensibus, quod festis diebus apothecæ apertæ retinerentur; et publice venderetur et emeretur, Episcopus pœnali edicto hoc prohibuit. Appellarunt mercatores ad Metropolitanum sub prætextu quod adsit consuetudo, quodque actus vendendi et emendi pro lucro transitorio sit licitus, præsertim quoad eos qui ad civitatem accedunt, ut necessariis emptis, statim inde recedant, quodque vendant jam elaborata, non elaborent. Verum quia Episcopus non intendit prohibitione comprehendi ea quæ sunt necessaria ad victum, atque ne per appellationem, prolationes, et litium involucra festorum dierum cultui detrahatur, cum mercatores consuetudinem magni faciant; instat Episcopus per hanc S. Congregationem declarari: *An mercatores prætextu assertæ consuetudinis licite valeant retinere apertas eorum apothecas diebus festis, et in eis vendere merces et profanas negotiationes facere?* S. C. respondit die 22 apr. 1679 *negative;* confirmat. die 13 maji ejusdem anni. » — V. *Analecta Juris pontif.*, anno 1864.

248. Q. 1. *An peccet graviter dominus, qui imponit decem servis, singulis servilem laborem integra hora in festo?*

R. Billuart hic anceps hæret, et doctiorem expectat. Bouvier ait, eum qui ita agit, ob meras cavillationes præceptum Ecclesiæ eludere. Alasia tuetur, talem dominum graviter delinquere; tum quia qui per alium aliquid facit, per se illud facere censetur; tum quia ille fraude agit in legem, et ideo in eam graviter peccat. Sed longe communius et probabilius docent alii cum Sanchez, Salmanticensibus, Roncaglia, Trullenco, Viva, Oviedo, etc., hoc non excedere veniale; nam singuli operantes venialiter tantum peccant: neque eorum opera uniuntur in unum. Dominus autem ideo peccat, quia eos inducit ad peccandum;

ergo (scandalo præcluso) venialiter peccat, ad modum illorum. Sic v. g., siquis efficeret, ut diversi comederent in jejunio, parum singuli, etsi omnium quantitas esset notabilis, non peccaret mortaliter; quia deficit unius modicæ materiæ continuatio cum alia. Sane præceptum sanctificandi festa in qualibet persona terminatur: nec per plures personas gravis alicui fit injuria (ut fieret, si quis, v. g., pluribus juberet, ut aliquid parum Titio furentur). Neque etiam servi sic laborantes impediuntur, quominus singuli possint divino cultui vacare quantum ad mortale vitandum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 306.

249. Q. 2. *An liceat labor in festo ad otium vitandum?*

R. Nos iis libentius subscribimus, qui affirmant; sed in solo casu, quo tentatio sit, vel timeatur nimis molesta, ut nequeat alio modo superari, nisi se labori applicando: nam si excusat a labore necessitas corporis, tanto magis animæ; otium enim est malitiæ fons. Verum hic casus nescio an moraliter possit accidere, saltem erit rarissimus; otium enim vinci potest multimodis, oratione, honesto solatio ac lectione librorum. Forsan id locum habere potest in montanis, ubi rusticani aliqui rudes soli remanere soleant ad armenta curanda, quos non auderem damnare, si post actas preces, ad otium fugiendum aliquod servile opus non ita corpus defatigans in festis agerent, amoto scandalo. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 302.

250. Habet Frassinetti: « Alcuni dei novelli Parrochi, quando trovano gli arredi della Chiesa e gli abiti sacri indecenti e poco servibili al culto, se la Parrocchia è povera sogliono dar licenza alle donne di lavorare alle feste in privato, salvo il tempo delle sacre funzioni, a patto che quanto ne ritraggono di lucro, sia impiegato nella compra o rifacimento di quelle suppellettili. In questo modo provvedono abbondevolmente al bisogno in breve tempo. Io per altro non saprei approvare la pratica di coloro che danno tale licenza anche fuori i casi del bisogno, e fanno che le donne delle loro parrocchie sieno sempre in lavori nei dì festivi, onde raccogliere grosse somme colle quali fornire la Chiesa di arredi assai ricchi e pomposi, anche per fare sfarzosissime funzioni. Non pare che queste sieno cose di tanta necessità e importanza, sicchè i Parrochi si possano arbitrare a permettere nei dì festivi il lavoro severamente proibito dalla Chiesa. Merita inoltre considerazione lo scandalo che può provenire indirettamente da quella pratica: se vedranno i fedeli che il Parroco con tanta facilità, e senza alcuna urgenza, permette il lavoro festivo, di leggeri vi si abitueranno, perderanno quella salutare ripugnanza che vi sentono i buoni cristiani, e, assuefatti a lavorare per la Chiesa, lavoreranno poi indifferentemente anche per la casa.

» D'altra parte è da osservare che il precetto del riposo festivo è anche utile, anzi generalmente parlando necessario alla conservazione della salute corporale... Laonde i Parrochi permettendo molto a lungo e abitualmente il lavoro festivo, mancherebbero pure alla carità verso i lor parrocchiani. » (Vide etiam ejus *Compendium Theol.*, nota 39). Hic etiam plura ad rem monet clariss. Tarino, *Il Libro del buon Pastore*, num. 95.

251. Q. 3. *An in festis liceat ea facere quæ levem laborem exigunt?*

R. Non licet etiam ea facere, quæ levem laborem exigunt, ut rosaria, scapularia, imagines cereas, etc., quia hæc in usu communi inter opera servilia numerantur: et si multum laboretur potest esse mortale. Item vetitum est die festo libros arte libraria colligare aut consuere, chartas aut telas conglutinare, volucrum retia texere vel caveas conficere, ligna secare, etc.: hoc advertant nonnulli, qui feriali

die hisce quandoque vacantes, ea sibi et festo licere putant recreationis causa. Hæc opera, quæ ex se servilia sunt, naturam non mutant ex diversa operantis intentione. Excusant ancillas, quæ in familiis occupantur in decerpendis rosis, decorticandisve pomis, etiam seclusa alia necessitate: sed potius dicendum in his operibus majus temporis spatium requiri, ut sit culpa lethalis; cum isti labores leviusculi sint, neque animum valde occupent, neque corpus admodum defatigent. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 272, 282.

252. Q. 4. *Quid si Parochus habeat opificia in Parochia?*

R. Cum Dieulin: « Le grandi manifatture sono pressochè sempre esiziali alla Religione ed alla morale: l'agglomeramento degli uomini come rende più terribili le epidemie corporali, così rende più fatali le epidemie morali; mercecchè l'empietà e l'immoralità vi divengono quasi sempre contagiose. A porvi qualche rimedio, il Pastore dee adoperare prudenza e sacrificio più assoluto che in qualsiasi altro argomento. Dove lo possa, designi appositamente un ecclesiastico, il quale studii il tempo ed i momenti più acconci per istruire gli operai delle manifatture, celebrar loro la Messa, fare il catechismo ai loro figli. Eviti con ogni arte qualsivoglia antagonismo cogli operai, quando non sieno assolutamente ostili al bene. Persuada i padroni degli opifici e delle officine che, dove gli operai sieno cristiani, non commetteranno giammai tutte quelle piccole infedeltà sì comuni nelle manifatture; che la pietà è la più certa guarentigia contro le negligenze e contro le coalizioni; ch'ella rende l'operajo più economo, e perciò stesso meno infelice, e meno pericoloso nelle crisi sociali e commerciali.

» In molti opifici il lavoro può sospendersi senza sconvenienza alcuna: quando tu ne abbia nella Parrocchia, ti adoprerai perchè vi sia rispettato il riposo festivo; ma, anzicchè entrare in aperta lotta, farai di persuadere il lavoratore coi consigli e con quell'ascendente che è figlio dello zelo e della virtù, uniti a quella destrezza che è suggerita dall'amor di Dio e del prossimo. In quelle officine in che ogni interruzione è dannosa assai, il Pastore anzichè esigere una sospensione, che non gli verrebbe accordata, adoperi tutta la sua destrezza a trovare mezzo, perchè i poveri operai partecipino ancora come ponno agli offici ed alle istruzioni religiose, in una parola, perchè possano rimaner cristiani. » *(Il buon Pastore nel secolo XIX.)*

(P) Pag. 80.

253. *Idololatria*, unde superstitio, *originem traxit ex duplici capite, videlicet ex parte hominis et ex parte dæmonis. Ex parte hominis, eo quod vel creaturam plus nimio amaverit, vel excessive venerando, eidem tandem honorem divinum impenderit. Ex parte vero dæmonis, qui hominibus a via virtutis et justitiæ aberrantibus se colendum exibuit in idolis, dando responsa et patrando quædam, quæ hominibus videbantur mirabilia.* Ita fere Angelicus, 2, 2, q. 94, a. 4. Jam a tempore Thare et Nachor progenitorum Abraham erant idola, ut habetur *Jos.* XXIV. — *V.* Suarez, *De superstitione;* — Bergier, *Dizionario;* V. *Idolatria, Paganesimo;* — Veith, *Sacra Scriptura*, in *Lib. Sap.*, n. 71; — A-Lapide, *In Sap.*, c. XIV; — *Bibbia* di Vence, *Dissert.*, vol. IV: *Origine dell'idolatria;* — Rohrbacher, *Storia della Chiesa*, l. XIII; — Salzano, *Elementi di storia antica*, c. 2; — Fabricius, *Bibliografia antiquaria;* V. *Idolatria;* — Delaporte, *Il diavolo esiste egli?* — Mons. Tizzoni, *Delle Maraviglie presso gli antichi e i moderni.* Roma, 1866.

Præstat, ut explicemus nomina præcipua circa susperstitiones. Astrologia ducitur a græco *astron*, stella, et *logos*, sermo. Aeromantia ab *aêr* aer: et *manteuô*, divinare. Amuletum sic dicitur ab *emollire*, quasi noxia emolliat et avertat. Chiromantia a *chêir*, manus. Capnomantia a *capnos*, fumus. Catottromantia *catroptron*, speculum. Alomantia ab *hals*, sal. Anthropomantia ab *antrôpos*, homo; divinare inspiciendo viscera hominis. Belomantia, *belos* sagitta (de hac divinatione, Ezech. xxi, v. 21). Botanomantia a *botané*, erba. Brizomantia a *brizo* dormire. Physiognomia a *physis*, natura. Geomantia a *gea*, terra. Hydromantia ab *hydôr*, aqua. Idololatria ab *eidôlon*, idolum, simulacrum (quod proprie significat *imaginem falsam* et *inanem*, nempe de eo quod non est, sed a sola imaginatione fingitur), et *latria* cultus. Sabæismus id est *astrolatria*, seu cultus astrorum. Zoolatria seu cultus animalium; a *zoon*, animal. Anthropolatria seu hominum cultus. Feticismus seu cultus rerum sensu carentium. Dæmonolatria, seu cultus dæmonum; dæmon a *daimôn*, genium (malum subintelligitur). Cultus abstractarum, seu *rerum abstractarum*, v. g., famæ, concordiæ, etc., quibus et templa erigebantur et sacerdotes deputabantur. Philtrum a *phileo*, amare, incantatio; ideo instituta ad amorem extorquendum. Lamia a *laimos*, gula; lamias dicebant devorare quos possent invenire pueros. Dicuntur etiam *sagæ* a sagacitate. Dicuntur etiam teterrimæ istæ *striges* ab avi quadam nocturna, *strix* dicta, quæ noctu stridendo volat, derelictosque infantes a cunis rapit, eorumque sanguinem absorbet. Magus a *magos* sapiens, vel a *megos*, magnus. Necromantia vel necomantia a *necys*, mortuus. Omen, quasi *ex ore veniens*. Oniromantia ab *oneriros*, somnium. Oraculum, quasi illi insit *divina oratio*. Pyromantia a *pyr*, ignis. Pythonismus ita dicitur, quia sic divinantes responsa ferebant insidentes tripodi, qui coopertus erat pelle serpentis Pythonis ab Apolline interfecti.

254. Q. 1. *Quinam suspecti habentur de superstitione?*

R. Suspecti de superstitione habentur et ideo prudenter a confessario interrogandi: 1) opiliones, qui variis dediti esse solent observationibus, ut gregem suum lupis vel aliis malis tueantur; 2) fabri-ferrarii, qui circa equos sanandos utuntur verbis vel ex Psalmis vel Oratione dominica vane desumptis; 3) rustici qui ad sananda pecora inanibus observationibus utuntur, vel recurrunt ad peritos talium artium; 4) vetulæ, quæ circa mulieres laborantes in partu superstitiosas adhibent orationes; milites qui deferunt secum sacra nomina, numismata vel imagines (quasi amuleta) ad certitudinem quod in bello, in duello, etc., non sint vulnerandi, nec aqua vel igne, vel subita morte perituri. Imo rei de superstitione sunt interrogandi de aliis criminibus, quæ cum illa de facili conjunguntur: v. g. quo fine se tali superstitioni illi addixerint, an ratione vehementis passionis, avaritiæ, vel ad conciliandum nomen sanctitatis; esset enim et sacrilega hypocrisis. Item de apostasia, de hæresi, de abusu rerum sacrarum, de blasphemiis, de luxuria, etc.

255. Q. 2. *Quid pro praxi quoad superstitionem?*

R. En monita ad praxim spectantia quoad superstitionem:

1. Monitum legitur apud Martinet, *Filosofia del Catechismo cattolico*, l. III, § 7: « Gli uomini più s'avvicinano alla superstizione e al sortilegio, quanto più s'allontanano dalla fede cattolica, dall'obbedienza alla Chiesa. Così ci avvisa un autore contemporaneo, assai versato in codesta materia che, prima di ritornare alla Chiesa e di consolarla colle sue egregie scritture, avea vissuto e scritto da incredulo. Questi è Collin de Plancy, che dice: *Tra le grida smodate dei filosofi non*

venne forse osservato abbastanza, che soli a vivere immuni dalla superstizione sono i veri fedeli, perchè soli hanno la vera luce. Ma quelli che giacciono nel dubbio provano di continuo che mancano di senno coloro che da Dio s'allontanano; poichè tra loro i più increduli sono i più superstiziosi. Rigettano i dommi rivelati, e come Johnson credono alle fantasme dei morti; come Rousseau, han paura del numero tredici; come Bayle, temono il venerdì; come Volney, si fanno spiegare i sogni; come Elvezio, studiano l'avvenire dalla cabala dei numeri; come Voltaire temono i prognostici; ecc. Quoad hæreticos vide Bossuet, *Storia delle variazioni delle Chiese dei protestanti*, ecc., l. v, sub finem libri.

» Il secol d'oro della stregoneria (ad rem *Delaporte)* punto non è stato nel medio evo; ma il secolo letterato del risorgimento e della riforma. L'Inghilterra fattasi protestante ebbe ad ardere a migliaja le streghe e gli stregoni, e se ne possono veder le prove nei suoi storici più accreditati. »

2. Monitum Stapf: « In evellendis opinionibus superstitiosis multa prudentia et animi sobrietate opus est. Equidem si talis opinio directe Religioni aut bonis moribus adversatur, omnimode et quantocius extirpari debet. Dum vero ejusmodi opiniunculæ vix non innocuæ videntur et simul a multa antiquitate plurimum vigoris acceperunt, prudens animarum Pastor illas non quidem confirmabit; attamen ad tempus dissimulare, atque studium suum eo dirigere debet, ut successive, atque per solidam institutionem ætatis præsertim juvenilis, eas eliminet. Qui importune et concitato impetu in obvias quasque superstitiones invehitur, plurimos quidem offendet, sed vix aliquem corriget: et illi non absimilis videtur, qui aquam non sat limpidam vehementi agitatione adhuc turbidiorem reddit unde cum servi dicerent: *Vis, imus et colligimus zizania?* paterfamilias ait: *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum* (apud Matthæum XIII et XXVIII).

» Præterea non omne quod profano hujus temporis genio displicet, mox superstitiosum censeri debet. Præ reliquis animarum Pastor illis invigilet, qui studio et lucro opiniones superstitiosas *divulgant*, dum e. g. hujus furfuris libros et pagellas venditant, de arcanis gloriantur, etc. » Item Parochi, concionatores, catechistæ et ii omnes qui munus populum christianum erudiendi habent, enumerent tantum eas superstitiones, quæ notæ sunt in suis regionibus, ne alias potius edoceant, quam ab eis avertant; superstitio enim contagiosa est. *V.* Frassinetti, *Manuale pratico del Parroco novello*, n. 394.

3. Monitum s. Alphonsi nostri *(Opus Mor.*, l. III, n. 20): Advertant, quod in dubio præsumendus est aliquis effectus potius provenire a causa naturali, quam a superstitione: ita Sporer ex d. Augustino, Sanchez, Layman, Elbel, Croix et Salmanticenses cum s. Thoma, qui docet (2, 2, q. 60, a. 4): *Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.* Recte tamen consulunt, tunc præmitti protestationem nolendi effectum, si aliqua superstitio subsit. Datur item juxta s. Thomam (1 p. q. 117, a. 3) naturalis fascinatio; *oculi autem inficiunt aerem continuum usque ad determinatum spatium* (exemplum habemus in magnetismo). Hinc qui experitur hanc pestiferam qualitatem, abstineat a nimio colloquio hominum et oculos declinet. At superstitiosa est fascinatio vulgaris quæ a vulgo creditur, scilicet quod aspicientes invido animo noceant, et ideo vetanda quæ contra ipsam imponuntur, ut sunt tot *Pater*, tot *Ave*, etc. Advertit Layman ex Cajetano, si homines rudos bona fide, et ex devotione aliquem ritum ab

Ecclesia non receptum observent, aliquando in sua simplicitate ipsos esse relinquendos, si difficulter abducerentur ab eo quod bona fide a suis majoribus acceperunt.

Hic etiam notamus, quod non omnia quæ creduntur præstigia, talia sunt, nam plures potest partes habere hominis phantasia; quam enim præpotens sit, quotque malorum causa, philosophi passim probant ineluctabilibus argumentis atque factis. Talis fuit peritorum judicio morbus, qui per Hungariam olim grassabatur: putabant de nocte mortuos e sepulcris exire et sanguinem vivorum dormientium sugere (isti vulgo dicebantur *vampiri)*. Inanis hæc credulitas tanto percutiebat homines timore, ut ipsi verum morbum contraherent. — *V.* Feller, *Catechismo filosofico;* — Mellini, *Institutiones Biblicæ;* — Muratori, *Della forza della fantasia umana.*

4. Monitum Gousset: « Riguardo alle persone che fanno atti di superstizione per ignoranza o semplicità, il confessore le istruirà e le indurrà a rinunziare ad ogni pratica superstiziosa. Eviterà tuttavia per prudenza, di notare di peccato mortale la tale e tal'altra osservanza, e di farsi promettere che vi rinunzieranno, se non ha motivo di sperare l'esecuzione di questa promessa. Inutilmente, p. e., si tenterebbe di distruggere il pregiudizio superstizioso di certe donne che dopo il parto non vogliono incominciare ad andare a Messa in venerdì o che non vogliono filare nè fare il bucato in certi giorni, temendo non accada loro qualche disgrazia: *quis infirmatur, et ego non infirmor?* » — V. *Civiltà Cattolica;* ser. 1ª, t. x, et xi: *La superstizione tra i cattolici.*

Ad rem etiam Frassinetti, *Compendio* ecc., nota 30: « Etsi superstitionis peccata de se mortalia sint, tamen in praxi non semper ita sunt judicanda ob eorum conscientiam qui ea perpetrant: semper mortalia sunt, si expresse dæmon invocetur vel adsit manifestus abusus sacrorum, tunc enim etiam rudiores et ignorantiores graviter se delinquere cognoscunt. Verum si agatur de aliis superstitionibus, ut esset credere nefastos certos dies, in quibus proinde nil tentandum, divinare quid de aliquo futurum erit ex manuum inspectione; fidem omnis adhibere pro numerorum sortitione, curare infirmitates nonnullis signis aut mensuris et similia, quæ fructus sunt stupidæ educationis cum supina ignorantia, rudes et idiotæ qui talia usurpant, ne suspicantur quidem se mortaliter peccare; imo etsi quis vellet hoc illos edocere, nullimode crederent. Sciunt id non recte fieri, et aliquando se accusant, sed eodem tempore illud ut levissimum malum habent; imo multi absolute convinci nequeunt de peccato, ideo magis si ob aliquem fortuitum casum evenerit quod, post stultitias illas et vanas observantias; obtinuerint quod ipsi intendebant.

» Ideo confessarius prudens, in hisce casibus, videat ne moneat pœnitentem de peccato mortali; quod quidem vel non creditur, vel si creditur non impediret nova tentamina. Reprehendat qui tali superstioni indulget manifestando contemptum quem ipsa meretur; at simul videat ne illis superstitionis conscientiam ingerat de mortali; quin imo in ea persuasione sit oportet, quod illi in eorum ignorantia graviter non delinquunt coram Deo. »

(Q) Pag. 85.

256. Q. 1. *Quot sunt divinationis species?*

R. Variæ sunt divinationis species, quas enumerat et damnat Sixtus V Bulla *Cœli et terræ* 1586, et Urbanus VIII, 1631.

En præcipuas: 1) est *pythonismus*, cum nempe dæmon alicujus viri vel fœminæ corpus occupat vocesque illinc emittens, futura prænuntiat aut occulta patefacit; 2) *oraculum*, cum consultus dæmon in simulacris delitescens respondet; 3) *vaticinium*, cum dæmon ad futura et occulta significanda utitur opera pseudo-prophetarum, sicque falsis vel ambiguis suis responsis plebeculam incautam ludificatur; 4) *aruspicium*, cum spirantia immolatarum pecudum viscera consulendo futura aperire præsumunt aruspices. Dicitur *augurium*, cum ex avium garritu; *auspicium*, cum ex eorum pastu, volatu et situ futurorum prædictionem enituntur deducere; 5) *necromantia*, quando dæmones per mortuos, vel per revocatos ad vitam sua ferunt eloquia; 6) *chiromantia*, cum aliqui inspecta manus dexteræ vel sinistræ palma, prædicitur tota ejus vitæ series; 7) *astrologia judiciaria*, qua ex siderum motu quidam putant futura etiam libere *contingentia* vaticinari se posse; 8) *sortilegium*, cum futurorum et occultorum manifestatio a sorte, v. g. taxillorum jactu, deducitur; 9) *præstigium*, cum dæmon apparitionibus oculos perstringit; 10) *physognomia*, si ex lineamentis vultus; *omen*, si ex aliquo casu; *oniromantia*, si per somnia; *geomantia*, si per figuram in terra; *hydromantia*, si per figuram in aqua; *aeromantia*, si per aerem; tandem *pyromantia*, si ex igne quis divinare præsumat, etc. — *V.* Perrone, *De Virtute Religionis*, n. 808.

Quæ omnia ex genere suo *mortalia* sunt; societas enim cum dæmone est magnus Dei contemptus, cum ei dæmon sit perpetuus hostis. Hinc Apostolus: *nolo vos socios fieri dæmoniorum* (I, Corinth. X). Omnes tamen hæ species materialiter tantum inter se distinguuntur; cum omnia unum terminum habeant, si excipitur *expressa* dæmonis invocatio, quæ in Confessione est aperienda; cum sæpe adjuncta habeat alia peccata, v. g. hæresim, dæmonis adorationem, maxime scandalum. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 6.

Joseph (dices) divinationis artem exercebat, ajebat enim nomine illius servus ejus Gen. XLIV: *scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet.*

R. Ex Augustino ea verba prolata sunt non serio, sed jocose ad terrendos tantum fratres Joseph. Theodoretus vult ea esse interrogantia, non assertiva. S. Thomas docet servum locutum fuisse secundum opinionem Egyptiorum qui Joseph habentes ut magnum vatem, putabant ipsum vaticinare opera scyphi, ut ipsi solebant. « Il Grozio (audiatur Nicolai, *Lezione* XCII *sul Genesi*), il Clerc, il Calmet traducendo l'ebraica voce *nascasb* per *indovinare*, come fa la Volgata, dicono che essa deve prendersi in buon senso, cioè che Giuseppe nel prepararsi a spiegare i sogni servivasi della tazza a spargere liquori e fare a Dio libazioni... Ma chi mai penserà ch'egli ne volesse fare profano usu *(in quo bibit dominus meus)*, se essa era un vaso sacro? » Tandem post alias explicationes concludit: « Io tra tutte eleggo quello della Stackhouse, del Fabricio e del p. Houbigaut nella sua nuova *Bibbia ebraica* con note critiche: *augurari* può significare semplicemente *congetturare, scoprire, penetrare;* e infatti Giuseppe stesso disse ai fratelli: *non sapete che un uomo come me congettura sicuramente?* Qui egli non fa forza nè sulla tazza nè sulle libazioni; insiste unicamente su questa idea, ch'essi doveano ben credere, che un uom tale qual egli era, un profeta, un uomo inspirato da Dio avrebbe indovinato e penetrato ch'essi gli avean rubata la tazza. Ora se questo senso è giusto al versetto 15, perchè non dee dirsi il medesimo al versetto 5? Anzi è necessario, e si tradurrà: voi avete rubata la tazza, nella quale beve il mio padrone; *egli conghietturando, al suo solito, ha indovinato quello che era stato.* »

Per Dei autem revelationem a superstitione excusantur famulus Abrahæ (Gen. XXIV, 14), Jonathas (I, Reg. XIV, 10), Gedeon (Jud. VII, 14). Non est autem necesse excusare nautas Jonæ (I, 7), nec Accaronitas (I, Reg. VI, 9); nam Deus potuit uti peccato eorum in bono.

257. Q. 2. *Quid de pacto duorum, ut qui prius obierit, appareat viventi et suum statum manifestet?*

R. Docent communiter cum Concina omnino abstinendum esse ab hoc pacto; quia est futile, temerarium ac periculosam; nam si illud scit dæmon, abuti potest ad viventis deceptionem: complura tamen pacta hujusmodi excusat bona fides.

258. Q. 3. *An sint admittendæ apparitiones ex altera vita?*

R. Schram, in Opere, *Institutiones Theologiæ mysticæ*, t. II.

a) Sanctos in cælo existentes sensibiliter nobis apparere posse, Deo permittente, in assumpto corpore, plura probant genuina exempla in vita Sanctorum; et præsertim Scriptura, ubi legitur Samuelem apparuisse Sauli (I, Reg. XVIII); et in Christi Transfiguratione apparuerunt Moyses et Elias cum eo loquentes (Matth. XVII); Moyses videlicet per aliquod corpus assumptum, Elias vero in proprio corpore, ut docet Angelicus, 3 p. q. 45, a. 3. Ratio est voluntas Dei et ejus specialis providentia, tum ut animæ beatorum aliquos de sua felicitate certiores faciant; tum ut Dei mandata ad nos perferant; tum ut ad virtutem hortentur; tum ut nobis præsto sint.

b) Animæ etiam *purgantes* pro nostra instructione et ad petenda suffragia, Deo permittente hominibus corporaliter apparere possunt, ut commune est cum d. Thoma (*Supp.* q. 69, a. 3): id sane pluribus probant exemplis; nec certe repugnantiam involvit. At communiter tenent has apparitiones fieri per sanctos Angelos, maxime animarum custodes, qui scilicet in assumptis corporibus pro animabus illis suffragia petunt.

c) Vel ipsas *damnatorum animas*, certa exempla probant, Deo præcipiente, vivis apparuisse; idque, ut dicit Angelicus loco citato, ad *eruditionem hominum et terrorem* (Benedictus XIV, De *Servor. Dei Beatificat*, l. IV, p. 1ª, c. 32). Volunt tamen tales apparitiones fieri per Angelos malos, in corporibus assumptis.

d) Nusquam tamen legimus apparuisse animas infantium, qui cum sola originali culpa decesserunt; cum nostris suffragiis juvari nequeant, nec in eorum apparitionibus inesse posse videatur utilitas aut virtutis exemplum, ut notat card. Bona, *De discretione spirituum*, c. XIX.

Sed quid (quæres) *de Angelorum apparitionibus?*

R. *Angelos bonos* sensibiliter hominibus, assumpto aereo vel alterius materiæ corpore, apparere indubium est ex sacra Scriptura: sic Angelus Raphael Tobiæ apparuit et cum ipso fuit per multos dies; Angelus Gabriel visibiliter apparuit et locutus est B. V. Mariæ; in Resurrectione Domini habentur apparitiones angelicæ, etc. Etiam *angeli mali* seu dæmones hominibus visibiliter apparent, neque tantum in forma hominis, sed etiam, imo ut plurimum, bestiæ, et monstri formam referentes. Sic dæmon in corpus serpentis intravit ad decipiendum Evam (Gen. III). Et Christo, in assumpto corpore, dæmon apparuit promittens ei et ostendens omnia regna mundi (Matth. IV; Luc. IV). Confer etiam Sanctorum vitas.

Quæ tamen omnes apparitiones nonnisi ex speciali Dei providentia fiunt, et quidem supra ordinem usitatum et supra vim naturæ ordinariam; ideoque ad miracula recensendæ sunt. Non ergo ad libitum hominis, neque ad ejus evocationem tales apparitiones evenire possunt; neque Deus illi præsto est qui inania ac curiosa sectatur. Præterquam

quod id abominabile est coram Domino juxta illud Deut. XVIII: *Nec inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem; aut qui ariolos suscitetur, et observet somnia atque auguria; nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.*

(R) Pag. 87.

259. Numerorum ratio an superstitiosa: non semper *numerorum ratio* uti superstitiosa habenda est; sed quando numero ut tali tota exhibetur fides; cum revera inter causam et effectum nulla tunc proportio sit. Sed aliter est, si ideo numerus usurpetur, quia ab Ecclesia est præscriptus ad Indulgentias consequendas, ad pœnitentiam agendam, ad cultum religiose exercendum, ut patet ex propositione 64 proscripta Bulla *Auctorem fidei*. Item est si numerus mysticam significationem includat, vel in alterius rei cognitionem nos faciat venire; tunc laudabiliter numerorum ratio observatur; nam firmat veritatem ac quasi tessera et professio fidei nostræ est: quod et Ecclesia commendat et Scriptura usurpat; quare falso nos superstitionis accusant Protestantes. Sic sacer est numerus *ternarius*, quia tres Trinitatis Personas refert, tres dies sepulturæ Christi, tres annos prædicationis illius. Sacer est numerus *quinarius*, in honorem quinque plagarum Salvatoris; numerus *septenarius*, quia in mentem revocat sex dies creationis et septimum quo requievit Dominus: *novenarius* in honorem novem mensium, quibus fuit Christus in utero matris: *trigesimus*, quia refert triginta annos vitæ privatæ Redemptoris nostri: *trigesimustertius*, quia memoriæ reducit totum illius mortalis vitæ periodum; *quadragesimus*, et est in honore hic numerus, quem Deus quadraginta dierum jejunio decoravit, per quem divina lex in orbem terrarum invexit; et Elias 40 dierum jejunio Deum quærens, ejus visionem consecutus est, etc. — *V.* Bouvier, *De vana observ.* — Bergier, *Dizionario* ecc. V. *Novene.* — Stapf, § 174. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 17.

Quid (quæres) *de illo qui rationem habet numerorum quos somniavit?* R. Non illico de gravi peccato damnandus; hoc non aliud esse videtur, quam vel rudis simplicitas, vel tenuis credentia, vel inanis quædam jocatio. Quod dicunt ordinarie currere etiam de illis, qui ad numeros inveniendos libris utuntur *cabalisticis*, ut ajunt; vel ex certo eventu eos confingere student; et inde sortitionem tentant ludendo *(al lotto)*. Attamen ab hoc desuadendi sunt, ne quod primum jocando faciunt, postea ex proposito agant, credendo et probando.

Ex somniorum qualitate argui unice potest status infirmitatis, et valetudinis somniantis et ejus vivendi disciplina. Quo sensu somniis uti possunt medici ad applicanda convenientia remedia, confessarii ad prohibendas certas lectiones, collocutiones, frequentationes, ex quibus nempe turpia nascuntur in imaginatione etiam inter somnum.

260. Animalium cantus, volatus, etc.: ex avium gemitu, volatu, vel animalium cantu non est superstitiosum conjecturaliter divinare pluvias, siccitates, etc.; aeris enim mutationem mire presentiunt, ac gemitu, volatu, cantu significant. Item ex mora corvorum vel strigum noctuarum *(civette)* super tectum domus, in qua decumbit ægrotus, non omnino superstitiose conjicitur propinquitas mortis, ob eorum acutissimum olfactum ad odores cadaveris. *Sporer.*

261. Cometarum apparitio: cometarum apparitio ex vulgo est infausti eventus signum: « Il ch. Arago in un' operetta altronde eccellente sulle comete scrive: che al comparire nel 1456 della cometa (cui si dà il nome del celebre Halley, che primo ne determinò il periodo e osò con felice ardire predirne il ritorno), che doveva tornare nel novembre del 1635, *Papa Calisto III ne fu sì spaventato che ordinò preghiere pubbliche, nelle quali si scongiuravano insieme la cometa e i Turchi; e affinchè niuno obbliasse di recitare questa specie di Angelus, il Papa ordinò che le campane di tutte le Chiese suonassero a mezzodì. Così noi dobbiamo quest'uso, che è conservato, alla cometa del* 1456.

» L'illustre Ruffini nelle *Riflessioni critiche sopra il saggio filosofico intorno alla probabilità del Laplace*, riportando un passo simile di questo celebre geometra... risponde: « Apparve è vero una cometa crinita con lunga coda e tutta di fuoco, e questa fu considerata dal volgo e dagli astronomi come segnale di qualche gran calamità; ma è falso pienamente che Papa Callisto prescrivesse allora preghiere, nelle quali insieme coi Turchi si esorcizzasse la cometa. Fece bensì di tutto il S. Padre onde unire sovrani e forze contro di questi; instituì e ordinò pubblicamente processioni e preghiere, onde impegnare il Cielo ad abbatterli e proteggere la Causa di Cristo; ma riguardo alla cometa altro non fece che approfittarsi di quel momento di spavento, che essa avea sparso, per eccitare il popolo all' orazione e alla pratica delle buone opere, affinchè, diceva egli, *se vi è qualche disgrazia a temersi*, il Cielo ne preservasse i cristiani e le rovesciasse sopra i Turchi. » Cita in nota alcuni moderni storici e il Platina, che apparsa la cometa, *cum mathematici ingentem pestem, caritatem annonæ, magnam aliquam cladem futuram dicerent, ad evertendam iram Dei Callixtus aliquot dierum supplicationes decrevit, ut si quid hominibus immineret, totum in Turcas christiani nominis hostes converteret.* Dunque senza negare che nel secolo XV le cognizioni astronomiche fossero assai imperfette e i dotti dell'epoca assai disposti a calunniar le comete, e senza pretendere che quel Papa fosse in fatto d'astronomia superiore al suo secolo, o che le sue continue occupazioni gli avessero lasciato assai tempo per attendere agli studi naturali; possiamo negare ch'egli pensasse a scongiurare od esorcizzare la cometa...

» Ma si legga la Bolla di questo Pontefice, nella quale prescrive la colletta nella Messa, le processioni, le prediche, il suono delle campane, ecc.; e si vedrà tutto ciò diretto ad uno scopo medesimo; ma della cometa, che allora sfolgoreggiava nel cielo, non farsi neppur menzione: *Mandamus, ut in singulis Ecclesiis inter nonas et vesperam, videlicet ante pulsationem Vesperarum seu ei propinque saltem per intervallum mediæ horæ, singulis diebus, tribus vicibus una campana, vel plures*, etc. » V. *Annali delle scienze religiose*, t. I. Roma, 1835.

262. Lunæ influxus: quoad *lunæ influxum* (quem perperam aliqui superstitiosum dicunt, etsi falsus esse possit) audiatur Antonacci, *Raccolta delle più ovvie e più utili operazioni fisico-chimiche ed industriali;* Roma 1857: « È opinione che la luna influisca alla vegetazione delle piante, ma non è provata la cosa; certi effetti attribuiti alla luna sembrerebbero doversi piuttosto attribuire alla serenità dell'atmosfera, durante la quale la luna d'ordinario è visibile. Le persone idiote, specialmente di campagna, fanno gran conto della luna *calante*, come essi dicono, e della luna *crescente*. Per la seminazione dei prodotti del campo scelgono quasi sempre il tempo della luna calante, perchè altrimenti dicono che le piante nascerebbero troppo presto, e poi andrebbono in ispiga, e verrebbero così o a mancare del tutto o almeno

a dare un prodotto scarso e di poca buona qualità. Anche sul taglio dei legnami, per le diverse costruzioni, fanno conto i boscajuoli della luna; ed è ben raro caso che questi tronchino le piante per tale effetto fuori delle due lune d'agosto e di gennajo, chè altrimenti, dicono, il legname sarebbe soggettissimo a tarlare. Checchè ne sia di queste osservazioni lunari, io non azzardo su ciò di pronunziare alcun giudizio: una qualche ragion fisica di qualche effetto atmosferico almeno, che si attribuisce all'influenza della luna sulle vegetazioni, si potrebbe in qualche modo rintracciarla; ma sono discussioni queste intrigate ed assai dubbie. Sarebbe però sempre prudenza, dove non vi fosse una ragione in contrario, di attenersi, sul punto specialmente della seminazione e della raccolta, all'osservazione di tanta gente le une succedentesi alle altre, che asseriscono sempre la stessa cosa. » — V. *Civiltà Catt.*, ser. 4ª, t. II: *Influenze della luna*, pag. 733, ubi plura. — Secchi, *La luna*, discorso. Roma, 1862.

263. Q. 1. *An sit superstitiosum verba* Sacræ Scripturæ *adhibere; virtutem certis tribuere personis morbos curandi, et rebus benedictis, etc.*

R. Docet d. Thomas (2, 2, q. 96, a. 4) posse quandoque sine superstitione divina verba adhibere, uti Evangelium s. Joannis; sed cavendum, ne concurrant vanæ circumstantiæ ex parte temporis, modi, vel intentionis, ut si ei tribuatur virtus infallibilis, etc. Item a superstitione potest esse immunis virtus data personæ vel certæ familiæ sanandi a quibusdam morbis per signum Crucis, per imagines Sanctorum, aut sacra verba; nam in Ecclesia datur curatio sanitatum. Neque superstitiosum est flores et herbas die sancti Joannis benedictas comburere ad depellandas tempestates, si hoc expectetur ex Sancti intercessione et Ecclesiæ benedictione. Item alicubi statis diebus benedicitur vinum (uti Coloniæ) in die s. Joannis, ut per ejus merita morbis et venenis effugatis, sanitas corporis et animæ obtineatur.

Nota 1. Non vacat gravi culpa qui utens mediis improportionatis ad aliquam cognitionem, protestatur se nullum cum dæmone commercium intendere; quia in praxi agit contra protestationem, et dæmonem implicite invocat; cum Deus nec Angeli talibus se immisceant.

2. Superstitiosum est equos circumducere per templa Sanctorum tot vicibus; venas secare eo præcise die; tot Missas, a tali sacerdote, cum tot candelis celebrare, et similibus, si hæ circumstantiæ putentur omnino infallibiles ac plene necessariæ; secus si effectus juxta Dei beneplacitum per merita Sanctorum expectetur.

3. Superstitionis rei sunt, qui gestant quasdam orationes s. Birgittæ aut alias preces determinatas effundunt effectum certum ex ipsis expectantes; nam orationes nostræ efficaciam infallibilem non habent; solis quippe Sacramentis indidit Christus virtutem *ex opere operato* operandi. Alias sane conditiones requirit Deus, ut preces nostras exaudiat, in primis humilitatem, fiduciam et in orando constantiam. Adde bona temporalia (quæ generatim postulant taliter orantes) expectari non debent, nisi quatenus ad nostram spiritualem utilitatem et Dei gloriam conferunt; ideo postulandæ conditionate, non absolute, tanto minus infallibiliter. Absit tamen ut damnemus piam fiduciam certis orationibus tributam, secluso omnino infallibilitatis præjudicio; antequam quemquam condemnemus, videamus qua fide, qua intentione, quibus mediis quis agat. Et aliquando docendi, non arguendi qui aliquod tentant quod superstitionem sapit: quos si doceas rectum tramitem illum sequuntur lubenter; at si redarguas, pertinaciter in propria sententia confirmantur. *Gury, Dens, Layman.*

264. Q. 2. *Quid de iis qui cruces, numismata, etc. deferunt ad gratias obtinendas?*

R. Laudandi qui pia numismata, sacras effigies, cruces et similia devote gestant ad divinum auxilium efflagitandum in necessitatibus cunctis. Neque superstitio est gestare scapulare Ordinis Carmelitarum, quasi ideo moriens æternum pati non debeat incendium, et sit in purgatorio peculiariter sublevandus primo sabbato ab ejus morte, ut Ordinis institutio habet. Sane hoc est juxta Scripturæ loquendi modum; sæpe enim Scriptura vim justificandi tribuit diversis rebus, non quod solæ justificent, sed quod illæ vim habeant maximam ad obtinendam salutem, si tamen cetera necessaria non desint. Certo qui illud scapulare gestat a B. Virgine donatum, et cetera in eo Ordine præscripta studiose observat, peculiariter ab ipsa adjuvabitur ad sua munia complenda, ac ideo ad salutem æternam quam citius, per illius intercessionem, consequendam. Hac de re vide Benedictus XIV, *De Festis B. M. V.*, lib. II, c. VI. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 17 etc.

Neque ridendum quod talibus signis B. Virgo usa sit: nonne ipsi principes suis subditis honoris gratia, cruces, ligamina, vittas et similia signa tribuunt? et in veteri lege in signum amoris Jacob Josepho filio suo vestem polimitam fecit, Jonathas David habitu suo vestivit, Elias suum pallium Elisæo donavit, etc.

265. Q. 3. *Quid de chartulis verbis sacris aut devotis inscriptis, quæ a nonnullis devotis traduntur deglutiendæ ad sanitatem obtinendam vel alias spirituales gratias?*

R. Si id fiat, quasi illis chartis insit virtus naturalis vel virtus infallibilis obtinendi quod quæritur, utique superstitione non careret. Verum pius et laudabilis, atque proborum exemplo, et mirabilibus effectibus probatus est illarum usus, si fiat ex devotione, atque cum fide obtinendi a Deo per B. Virginis, vel Sanctorum intercessionem (si expediat) quæ postulantur gratiæ. — *V.* Liguori, *Glorie di Maria*, p. 2ª, disc. I: *Dell'immacolata Concezione;* — Monforte, *Della divozione dei Sacerdoti a Maria SS.*, l. II, c. 3.

266. Q. 4. *Quid de literis quas devoti scribunt, pro gratia obtinenda, Deo et Sanctis, eas deponentes ad eorum simulacrorum pedes?*

R. Non utique huc ponimus veræ devotionis essentiam; sed neque inanitates dicimus aut risu excipiendas, aut superstitione culpandas. Sunt hæc pietatis industriosa media, quibus utuntur Sancti, et quæ acceptabilia sunt Deo: « Il pio re Ezechia avendo ricevuto lettere dall'empio Sennacheribbo, le portò nel tempio e così aperte le pose sull'altare, quasi invitando Dio a leggerle; e il Signore gli fece dire per parte del profeta Isaia, che era esaudito (IV, Reg. XIX). — L'imperator Teodosio stava per dare una gran battaglia ad Eugenio, e sapendo che da Dio vengono le vittorie, scrisse a sant'Ambrogio per raccomandargliene il buon successo. Il Santo portò la lettera dell'Imperatore sull'altare, e quando stava per incominciare il santo Sacrificio, la presentò a Dio; e la battaglia fu favorevole. — S. Tommaso d'Aquino scriveva tutte le sue difficoltà in una carta che si metteva sul cuore, allorchè andava a celebrare; e ne ricavava sempre tanto lume, che dopo comprendeva benissimo tutto quello che prima gli tornava oscuro. » Huguet, *La divozione di s. Giuseppe in esempi*, n. 137.

(S) Pag. 88.

267. Audiunt scioli qui dæmonum negant infestationes clarissimum medicinæ professorem Laur. Martini (in suis *Elementis medicinæ forensis*, c, III): *nos Ecclesiæ integram fidem præstamus; iccirco de ener-*

gumenis non dubitamus. — It. *vide* Forni, *Del mondo degli spiriti e della sua efficacia nell'universo sensibile.* Torino, 1851. — *Bibbia* di Vence, vol. VI, dissert: *Le ossessioni* o *possessioni del demonio.* — Scotti, *dissertat.*, hac de re. — Nicolas, *Studi filosofici intorno al Cristianesimo*, p. III, c. 5 °, § 5. — P. Cesari, *Lezioni su Mosè*, lez. VI. — Martinet, *Soluzione de' gran problemi.*

Quanta autem sit vis et efficacia dæmonum, describit Alimonda, *Del magnetismo animale*, etc., nn. 14 et seqq; et Dogmaticæ scriptores. Dæmones maria tempestatibus agitant, civitates turbine concutiunt, evertunt; et tanta pollent celeritate ut quæ in remotis regionibus geruntur ea celeriter denuntiare possint; præterita quorum omnium memoriam servant, tuto annuntiant, sicut et præsentia quæ exterius prodita sunt, ut secreta furta, res perditæ, thesauri olim defossi, metalla subterranea quæ nostram cognitionem, fugiunt; et sexcenta alia efficiunt. omnia autem ad hominum deceptionem atque perniciem. Ideo monet Apostolus: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (Eph. VI). Verum etsi magna sit dæmonum potestas; ea tamen ligata est in pluribus a Domino, et plura etiam de ipsorum natura nequeunt agere, v. g. nullimode cognoscere possunt quæ a libera hominum voluntate pendent, cum repugnet ut spiritus creatus certo dignoscat quod nondum existit neque in se neque in æquivalenti; quod ideo non valent indicare nisi probabiliter ac conjecturaliter. Item communius est, internas hominum cogitationes dæmonibus ignotas esse, nisi aliquod signum de illis in organo corporeo fuerit impressum; spiritus enim illi mali organa hominum ac sensus pervadunt, et scrutantur. — *V.* Perrone, *De Virtute Religionis*, n. 802.

268. Q. 1. *Quænam remedia contra dæmonum infestationes?*

R. Remedia sunt: *fides ac viva fiducia in Deum, oratio, jejunium, Sacramentorum frequentiâ, signum crucis, aqua benedicta, Ecclesiæ exorcismi, Sanctorum reliquiæ; remotio signi*, cui diabolicum pactum adnexum est, illico comburendo chartas, stramina, etc.: non tamen tolli potest maleficium alio maleficio; cum hoc sit intrinsece malum. Item inservit *medicina*, quatenus corrigit humores a dæmone commotos. « Le più volte (ait Gousset, n. 42) convien cominciare dalla medicina, quando non è provato esservi veramente malefizio. Sappiamo per esperienza che sopra questo punto l'uomo spesse volte s'inganna, attribuendo ad intervento diabolico il male che si può riguardare come l'effetto o d'una fantasia riscaldata, o di qualche accidente naturale, o della scelleratezza d'un malvagio, d'un avvelenatore, ecc. » Ceterum quoad confessarii directionem circa infestatos a dæmone vide quæ disputamus Lib. IV, Append. De *directione nonnullarum personarum.*

Q. 2. *Quid speciatim de exorcismis?*

R. Hic plura notanda sunt ex s. Alphonso, *Opus Mor.*, l. III, n. 193; et *Homo Ap., Append.* 3ª n. 55; ac ex *Rituali Romano.*

a) Exorcismus est formula quædam ab Ecclesia instituta ad dæmones fugandos in nomine Jesu. Ut tamen valeat exorcista solemniter exorcizare, requiritur specialis Episcopi delegatio ex dicendis, *De Ordine.* Dictum est *solemniter;* quilibet enim fidelis potest privatim imperare dæmonibus ne noceant.

b) Potestas exorcistæ non innititur sanctitati ministri, etsi ea non parum juvet; sed invocationi Nominis divini, Fidei et Sanctitati Ecclesiæ, in cujus persona exorcismi ab ejus ministris dicuntur; Christus

enim hanc dedit Ecclesiæ suæ potestatem exorcismos instituendi; et ideo communiter dicunt illos habere virtutem infallibilem de se, veluti ex opere operato, nisi ponatur obex. Quod si plures exorcismi effectum plenum non habeant, semper tamen aliquem sortiuntur saltem imperfecte, quatenus nempe dæmonum vires attenuant.

c) Exorcista hæc sedulo curare debet, postquam bene exploravit quod revera adest obsessio: 1) muniat se fide, fiducia et charitate; insuper oratione, jejunio et maxime humilitate: secus parum proficiet, etsi vis exorcismi non proprie a bonitate ministri pendeat; 2) inducat obsessum ad Confessionem, ad confidentiam, ad orationem; 3) regulariter exorcismos faciat in Ecclesia, januis apertis, nisi honesta adsit causa ut fiant domi, excludendo mulieres, pueros, otiosos et infirmæ fidei; 4) repetat plures comminationes et verba quibus dæmon magis angitur; nec illum permittat plura loqui, sed imperet ut taceat. Et cetera *Rituatis* servet.

d) Licet dæmonem interrogare quoad ea quæ ad ejus expulsionem conducunt, et quidem per modum imperii, ut fecit Jesus cum a dæmone quæsivit nomen ejus (Marci, v); ideo potest quærere causam sui ingressus, signum sui egressus, etc. Hac de re habet d. Thomas: *Aliud est inquirere aliquid a dæmone sponte occurrente, quod quandoque licet propter utilitatem aliorum, maxime quando divina virtute potest compelli ad vera dicenda; et aliud est dæmonem invocare ad cognitionem occultorum acquirendam ab ipso* (2, 2, q. 95, a. 4).

Sed nonne (dices) *quandoque utile est et nulli nocivum scire aliqua occulta, v. g. ubinam lateat thesaurus? ergo licitum est illud a dæmone quærere.* — Nego; quia modus sciendi est illicitus propter communicationem cum dæmone capitali hoste Dei; et est quasi ab ipso beneficium expectare, quod mortale est. Attamen dicunt probabilius non esse nisi veniale (remoto scandalo, ac omni periculo ulterius progrediendi), unam vel alteram rem vanam, curiosam et inutilem in ipso energumeno existentem a dæmone quærere, propter actus inperfectionem et parvitatem; modo fiat modo imperativo; si enim fieret deprecative mortale esset, cum deprecatio importet amicitiam et observantiam quandam cum interrogato.

Q. 3. *Quænam sunt signa ingressus et egressus dæmonis?*

R. 1: Cum *Delaporte:* « Fernel medico di Enrico II, ed il famoso chirurgo protestante Ambrogio Parè, fanno menzione di un indemoniato che parlava greco e latino senza mai aver imparato queste due lingue. Che a Londun ai tempi di Luigi XIII vi fossero indemoniati, se ne hanno le più irrefragabili prove. E pur testè v'ebbe, dopo alcune sedute di spiritismo, una vera epidemia di possessioni diaboliche in un villaggio dell'Alte-Alpi detto Morzine; e tra tutti i rimedi di cui si fece prova, furono trovati efficaci i soli esorcismi ed i pellegrinaggi. Secondo il dotto Ferraris, gli indizi ai quali si riconosce la diabolica possessione sono i seguenti: *Parlare lingue non mai imparate; sentire un orrore istintivo degli oggetti sacri; gettarsi ne' precipizi; aver di tratto in tratto una scienza non mai acquistata; restare così fortemente attaccato al luogo in cui si è, che parecchie persone non possono staccarcene; soffrire a vedersi applicare oggetti benedetti, Reliquie, anche quando non si sa che lo siano; rispondere ad una interrogazione tacita ed ubbidire ad un ordine puramente tacito.* Producendo il magnetismo la maggior parte di questi effetti, come non vedere ch'egli altro non è che una possessione passeggiera? »

R. Ad 2: Non assignantur signa infallibilia egressus dæmonis: probabilia sunt, si per longum tempus obsessus sit a molestiis immunis,

dæmonis confessio; ingens vomitus rerum putridarum; halitus valde fœtidus, magni clamores, si obsessus quasi mortuus maneat; etc. *V.* Suarez, Sanchez, Salmanticenses, Cajetanus, Navarrus, etc.

(T) Pag. 95.

269. Miracula: « Giova qui avvertire un giusto sentimento del dotto e pio p. Crasset, il quale dice, che quanto più son facili a credere i miracoli le persone dabbene, altrettanto sono facili i malvagi a deriderli. Soggiungendo che come è debolezza il dar credito a tutte cose, così all'incontro il ributtare i miracoli, che vengono attestati da uomini gravi e pii, o sente di infedeltà, pensando che a Dio sieno impossibili, o sente di temerità negando il credito a tal sorta di autori. » Liguori, *Glorie di Maria*, aggiunta in fine. — *V.* Bollandus, *Præfatio generalis in vita Sanctorum*, c. III, § 2. Sed maxime Muzzarelli, *Buon uso della logica*, opusc. VIII: *Numero e qualità dei miracoli;* ubi etiam catechistas hortatur, ut ea enarrare non erubescant, cum plurimum conferant, si rite exposita ac probata, ad fidelium instructionem. Quoad *legendas*, vide *Civiltà Catt.*, ser, 3ª, vol. II, pag. 340.

Opponunt: « *Questi miracoli noi non gli abbiamo veduti: nos signa non vidimus.*

» R. Se costoro pretendono di credere solamente a quello che hanno veduto, bisognerà che confessino di essere molto scarsi in fatto di credenze, e questo non è un onore per essi.... Ma credono come fanno tutti a moltissime cose che non hanno veduto; credono ai fatti della storia...; eppure questi fatti accaduti lontano da noi, alcuni due mille anni fa, non gli hanno veduti.... Chè i fatti appartengano all'ordine naturale o soprannaturale, che sieno ordinari o straordinari poco monta; quando son dimostrati devono essere creduti sì gli uni che gli altri. Domando se nelle storie profane antiche e moderne abbiano trovato molti fatti, non dirò meglio dimostrati, ma con tanta evidenza quanto i miracoli del Cristianesimo?....

» Che cosa manca a questi? la *pubblicità?* ma sono accaduti alla presenza di città intere, d'assemblee numerose in Oriente e in Occidente; e non solamente in un secolo, ma per lunga serie di secoli, e non una volta sola, ma cento. La *competenza degli storici?* ma la maggior parte furono testimoni oculari di ciò che raccontano; e gli altri hanno scritto appoggiati a documenti autentici, in un'epoca in cui la memoria de' fatti era sempre viva... La *probità?* rapporto alla scienza tengono il primato; rapporto alla santità della vita, non v'è pur l'ombra della menzogna. Il *numero?* ogni fatto, a dir poco, ne ha tanti quanti gli storici profani, sulla cui parola giurano anche a' nostri dì tutte le assemblee de' dotti. » Hactenus Gaume, *L'acqua santa nel secolo XIX;* lettera XX.

» Un gentiluomo inglese protestante essendo a Roma, un Prelato suo amico gli diede a leggere un processo verbale che conteneva la prova di diversi miracoli. Dopo lettolo con molta attenzione, gli disse nel restituirlo: « Se tutti i miracoli che si ammettono nella Chiesa ro- » mana fossero stabiliti su prove sì evidenti come queste, noi non » avremmo alcuna difficoltà a prestarvi fede. » — « Ebbene, rispose il Prelato, di tutti questi miracoli che a voi sembrano avverati, non ne è stato ammesso alcuno dalla Congregazione dei Riti, perchè non gli ha creduti sufficientemente provati. » Stupefatto a tale risposta il protestante confessò che non vi era altro che una cieca preoccupazione

che potesse combattere la canonizzazione de' Santi, e che egli non si sarebbe mai figurato, che l'attenzione della Chiesa romana fosse così severa nell'esame che essa fa dei miracoli. » Nicolas, *La Vergine Maria vivente nella Chiesa, nuovi studi filosofici sul Cristianesimo*, par. 3ª, c. VIII. — Bourdaloue, *Sermone per la festa della Madonna degli Angioli.* — Riccardi, *Storia dei Santuari* ecc., v. I: *Discorso preliminare.* — *Fasti della Chiesa nelle vite dei Santi.* Milano; v. II: Prefazione. — Item de miraculis et miraculorum gradibus vide Benedictus XIV, *De Canonizatione Sanctorum*, par. IV. — Fergola, *Teorica de' miracoli, esposta con metodo dimostrativo, seguita da un discorso apologetico sul miracolo di s. Gennaro.* — Spagnius, *De miraculis*, ubi plurima.

Vera miracula toto cœlo distant a miris quæ ope dæmonis per spiritismum patrantur, ut multis probat Perrone *(De virtute Religionis* n. 896), ubi firmat hanc thesim: *perperam magnetismi ac spiritismi sectatores connituntur infirmare miracula ac vaticinia biblica et charismata Sanctorum obtentu phœnomenorum, quæ ipsi jactant magnetismi ac spiritismi.* Quæ veritas statim apparet expendendo ex una parte miraculorum, ex alia spiritismi naturam, subjectum, finem, effectus aliaque adjuncta. Hac inter cetera facit illud d. Thomæ: *Dicendum quod signa facta per bonos possunt distingui ab illis quæ per malos fiunt tripliciter ad minus. Primo* ex efficacia virtutis operantis, *quia signa facta per bonos virtute divina fiunt in illis etiam, ad quæ virtus activa naturæ se nullo modo extendit, sicut suscitare mortuos et hujusmodi, quæ dæmones secundum veritatem facere non possunt; sed in præstigiis tantum, quæ diu durare non possunt. Secundo* ex utilitate signorum; *quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus, ut in curatione infirmitatum et hujusmodi; signa autem per malos facta sunt in rebus nocivis et vanis, sicut quod volant in aere vel reddunt membra hominum stupida. Tertia differentia est quantum* ad finem, *quia signa bonorum ordinantur ad ædificationem fidei et bonorum morum, sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei et honestatis. Et quantum* ad modum *differunt, quia boni operantur miracula per invocationem divini Numinis pie et reverenter, sed mali quibusdam deliramentis, sicut quod incidunt se cultris, et hujusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifeste possunt discerni ab his, quæ virtute dæmonum fiunt.* (In 2 Sentent., dist. VII, q. 3.)

270. De *arte critica* plura Solimani in opere, *Importanza della Storia, considerata nelle cose che le servono di materia;* par. I. Roma, 1861. Sane quantum est laudanda critica temperata, quæ reverenter menda catholicorum scriptorum notat, dotes autem large attollit; tantum est vituperanda critica effrenis: hæc siquidem superbiam fovet, maledicum facit, religiosa quæque conculcat, auctoritatem spernit, clariora nomina pessumdat, nulli parcit; de omnibus dubitat, omnia in contentionem ponit vel ludo vertit, tristis, invida, petulans, mordax, intollerabilis. Caveamus omnes ab hac prurigine maledicta, caveant qui docent, caveant qui discunt; caveant juvenes, caveant studiosi; pessimos enim habet exitus, quæ nisi ab initio suffocetur, ad interitum ducit. Berengarium meminerint, qui optimus ecclesiasticus esse potuerat, attamen adhuc scholaris cavillator et irrisor, pessimus hæreticus factus est: *cum juveniles in scholis ageret annos, elatus ingenii levitate, ipsius magistri sensum non adeo curabat, condiscipulos pro nihilo reputabat, libros insuper artium contemnebat* (Natalis Alexander, *Hist. Eccl.*, sæc. XI).

271. Martyrium: martyrium græce idem est ac latine *testimonium.* Usu porro ab Ecclesia recepto martyrium sumitur pro testimo-

nio singulari veritatis christianæ per tolerantiam mortis. Martyr igitur est testis, qui morte sua perhibet testimonium veritati, quæ per Christum nobis innotuit: unde martyres Christi dicuntur quasi testes ipsius Christi. Quæ tamen mors non de necessitate requiritur in effectu, sed sufficit ad rigorem martyrii, ut quis propter Christum tormenta sustineat de se sufficientia et efficacia ad inferendam mortem, etsi contingat mortem impediri; nam hoc est vere subire mortem in causa efficaci per se, nec inde minuitur affectus internus et acceptatio mortis propter Christum: sic martyr appellatur, imo martyrum Regina B. V., licet non obierit morte violenta (*V.* Mazzola, *De B. M. Virgine*, pag. 256). « Termineremo con una osservazione assai consolante per coloro che si danno al servizio degli appestati: ed è che una pia credenza venera come martiri coloro che soccombono vittime della loro carità: *velut martyres religiosa piorum fides venerari consuevit* (Martyrol. Roman. 26 febr.). E a detta di s. Alfonso (*Op. Mor.*, l. VI, n. 100) sono reputati come veri martiri da dodici Università, da tredici Cardinali e da più di trecento Autori. » *Gousset*. — *V.* Frassinetti, *Compendio della Teol.*, t. II, nota 98.

Ex hactenus disputatis sequitur:

1. Illum esse verum Christi martyrem, qui non pro ipsa christiana fide generatim, sed pro alia speciali virtute christiana moriatur. Hinc vere est martyr Joannes Nepomucenus, qui occisus fuit pro tuendo sigillo sacramentali. Item b. Panacea ab illius incunabulis martyrii aureola decorata merito celebratur ubique, et colitur (ejusque cultum solemniter approbavit et confirmavit S. Sedes anno 1868). Erat Panacea innocens et pia puella, quæ quintodecimo suæ ætatis anno crudeliter a sua noverca, anno Domini 1383, necata fuit ob ejus eximium orationis studium; orantem enim virginem noverca, rudi ac montana colu, ita percussit capitique fusos ita infixit, ut interficeret. Ejus corpus colitur in archipresbyterali Ecclesia Agamii (in Novariensi) magna et celebri tum suorum tum exterorum veneratione. Solet maxime invocari comitialis morbi causa; multique merito prædicant (nostris etiam temporibus) impetratam, invocata b. Panacea, sanitatem: quod quidem est salutari nomini consentaneum; vide Bescapè, *Novaria sacra;* et Travelli, *De b. Panaceæ sanctitate et cultu.* Quid porro requiratur ut publicum de martyre officium a S. Sede obtineatur, vide Benedictum XIV, *De Canoniz. SS.*, l. III, capp. 15 et 19.

2. Illos veros esse martyres, qui occiduntur in bello justo pro defensione reipublicæ adversus infideles et hæreticos, ideo quia fidem Christi corrumpere moliuntur.

3. Non esse veros martyres, qui occiduntur in bello justo propter defensionem reipublicæ tantum. Excipit Sylvius, nisi illam intendant defendere propter Deum ex amore justitiæ et legis divinæ; tunc moriuntur, ne virtutis officium deserant. D. Thomas ait: *Bonum reipublicæ est præcipuum inter bona humana. Sed bonum divinum, quod est propria causa Martyrii, est potius quam bonum humanum. Tamen quia bonum humanum potest effici divinum, si referatur ad Deum; ideo potest esse quodcumque bonum humanum Martyrii causa, secundum quod in Deum refertur.* (*V.* Billuart, *De fortitudine*, diss. I.)

Quod maxime valere debet pro iis, qui occumbunt civilem Romanæ Ecclesiæ Principatum defendendo: « Se vi ha mai caso che legittimi la forza e renda glorioso il guerriero, egli è appunto questo, in cui si trae la spada non per cingersi d'un caduco alloro la fronte e per ampliare d'alcuni miserabili palmi di terra un possesso; ma per sostenere le divine ragioni della Sposa di Cristo... Chi cade estinto sul

campo per una causa sì santa, egli è agli occhi di Dio partecipe dell'aureola del martire. E che cosa infatti costituisce il Martirio? l'incontrar fortemente la morte per motivo di Religione; or non è motivo religioso la difesa dell'indipendenza della Chiesa nel Principato civile de' suoi Pontefici? E così noi veggiamo, che Papi santissimi ebbero spesso in costume di capitanare essi stessi gli eserciti che assoldavano per una causa sì santa, e di accumunar loro i privilegi e il merito delle Crociate. » *Civ. Cattolica*, ser. 4ª, t. IV: *Ragioni e diritti dei Papi al principato;* t. IX et seqq. — *Olderico* ovvero *il Zuavo pontificio;* racconto del 1860. — Menacci, *La mano di Dio nell'ultima invasione contro Roma.* Roma, 1868.

(U) Pag. 99.

272. Q. 1. *Quid de maledictionibus latis in malos Psalmo* 108?

R. In hoc non peccavit David; nam *pluribus de causis adversus inimicos suos obloqui potuit:* 1) *ex sincera correctionis illorum cupiditate: eos percute, Domine, ut inique agere ac lacessere tandem aliquando desistant;* 2) *ut in hoc mundo castigati, minoribus in altero afficiantur;* 3) *ut eorum supplicium impios deterreat, qui ex illorum nequissimo exemplo paria conantur;* 4) *ut bonis scandalum adimatur, quod impii justis vexationibus ingerunt;* 5) *ut Dei gloriam ac providentiam vindicet adversus impios, qui renuunt intelligere, Deum justorum præsidio invigilare;* 6) *ne justi pravo iniquorum exemplo corrumpantur.* Ita Calmet, *Comm. in Ps.* XXXIV. — *V.* s. Thomas, 2, 2, q. 25, a. 6, ad 3. — Lorinus, *Comm. in Ps.* XXXVIII.

273. Q. 2. *Quænam culpa est tempestati vel aliis casibus a Deo immissis maledicere?*

R. Cum Stapf: « Cum aeris intemperies et ejusmodi casus ex dispositione divina accidant, talia maledicta proxime contra Deum ipsum proferri videntur. Attamen miselli ruriculæ, quibus hoc peccatum haud infrequens est, tum ob simplicitatem tum ob imperfectionem actus, præsertim si alias bonæ indolis sint, a peccato lethali plerumque excusari possunt. » *Maledicere rebus irrationalibus*, ait d. Thomas (2, 2, q. 76, a. 2), *in quantum sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemiæ; maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum et vanum, et per consequens illicitum*, nempe veniale peccatum. *Billuart.*

274. Q. 3. *Quid de iis, qui sanctissima Jesu et Mariæ Nomina appellant continuo?*

R. Vel Nomina hujusmodi appellantur ex reverentia et cordis devotione, v. g. *laudetur Jesus Christus!* Vel ex quadam contracta consuetudine et animi levitate, v. g. *Jesus Maria!* Vel ex subito spirituum impetu, v. g. *per Deum, per Christum.*

Si 1, ea Nomina proferentes nedum peccent, imo vero Sanctam et Indulgentiarum thesauro decoratam, ideoque sibi et Deo rem gratissimam præstant. Si 2, blasphemiam utique non committunt, cum ea Nomina non proferant contumeliose id est in formalem contemptum; sed per se culpam venialem minime effugient, quia hæc est vana Sanctorum Nominum usurpatio. Hinc Scriptura: *nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et Nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis* (Eccl. XXIII). Si 3, excusantur ordinarie, scandalo gravi secluso, a peccato gravi; quia ex ignorantia aut indeliberatione (ut plurimum) id proficisci censetur, et refertur potius in homines,

quam in ipsum Deum vel Christum. At gravissime sunt isti increpandi cum hominem christianum id dedeceat, ac mortali peccato locum faciat.

Nota: Quoad eos qui *Christi* vel *Jesu* nomen usurpant hæc adhuc notanda cum cl. Della-Motta, *Saggio sul socialismo*, t. II, p. 3ª, c. 11.

Quoad 1, sunt inter recentiores qui *Christum* exhibent sensu quodam impersonali ac quasi typum *phantasticum* et idealem ultimæ perfectionis possibilis in creatura rationali *(il Cristo):* hìc porro sensus *pantheisticus* prorsus est, ideoque damnandus tanquam gravis abusus et periculis plenus præsertim in populo fideli: *Il Cristo idea non è quel Gesù Cristo che s. Paolo aveva sempre nel cuore, nella bocca e sulla penna. La nostra fede non è al Cristo ideale o filosofico, ma alla persona divina di Gesù, al Cristo storico e reale*, illi videlicet Christo, qui (clamante Ecclesia catholica) *conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus est: tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos*, etc.

Quoad 2, scribit: « Quale scandalo comparabile a questo, che il nome di *gesuita, gesuitajo*, ecc., sia dai cattolici usato per sinonimo d'ogni ribalderia, e per marchio d'infamia?... Fintantochè per denigrare un sodalizio illustre cercano nuove interpretazioni del Vangelo e appiccano un significato odioso al nome che gli viene dal nome augusto, troppo è diabolico lo stratagemma, troppo vi si mostra l'idea comune della eterodossia moderna colle antiche, anzi col paganesimo, che col nome di *christocolæ*, sprezzava i cristiani, e col protestantesimo che il nome di *gesuiti* inventò ed affibbiò a quel sodalizio come termine di scherno... Nella Chiesa, nel regno di Dio può divenire obbrobrioso il nome di Gesù, o qualunque sua derivazione? *Gesuitismo* non può significare fra cattolici dommatismo falso, morale bassa o scorretta, costumi perversi, ipocrisia, menzogna; l'improprietà del termine, l'antifrasi è in materia troppo sacra. »

Quanquam hodie increduli ac libertini ultra progressi sunt, ut notat Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX*, § : *Necessità d'un sodo studio della Religione per conservare la fede nei giovani:* « Fanno a Gesù Cristo una guerra sanguinosa, scalzano le basi della sua divina Religione, le gettano in fronte l'ironia e l'oltraggio, ne combattono i dommi; ne coprono di ridicolo i Misteri, insultano ai Libri sacri, trattano da favole i miracoli, e si ridono dei terrori dell'inferno come di una vana chimera. Talora si trovano increduli così sfrontati, i quali, ad esempio dei Giudei, insultano al Salvatore, coprono di sdileggio l'adorabile sua persona, e fanno voti sacrileghi per la morte del Cristianesimo ecc. » Inter quos hodie primum locum obtinet Rénan, contra quem invicte scripserunt Poujoult, Treppel, Nicolas, Ghiringhello, Capacelatro, Alimonda aliique.

275. Q. 4. *Quid de formulis salutationis?*

R. Ad rem *Cattolico*, Genova; 1857, n. 567: « Invece delle triviali formole di saluto, che si usano nell'Allemagna protestante, come: *buon giorno, vostro servitore* e simili, il cattolico dell'Allemagna, e gli uomini singolarmente delle ville e dei contadi, si servono del celebre *saluto d'alleanza* raccomandato da papa Benedetto XIII: *Sia lodato Gesù Cristo*, a cui si risponde: *Sempre sia lodato.* Io mi ricordo assai bene, dice Klopstock, la *sensazione profonda* che produssero sopra di me queste semplici parole. Io incontrai per cammino alcuni buoni Svevi, e ognuno di loro salutandomi diceva: *Sia lodato Gesù Cristo.* A dir vero, non sapeva allora che questo fosse un saluto, e molto

meno che cosa si avesse a rispondere. Ma la risposta consueta, che ho risaputo più tardi, mi parve così *naturale*, che non so intendere come non l'avessi trovata da per me stesso. »

« In Oriente le formole di saluto (ità in Diario, *L'Apologista;* Torino, 1857, n. 46) hanno tuttora una forza biblica, serena e patriarcale; si conosce in esse l'immobilità di quelle nazioni pastorali e guerriere, rimaste all'infuori dei vantati progressi dell'umanità. Quasi tutte hanno per punto di partenza il sentimento religioso, e quasi tutte augurano la pace a colui al quale s'indirizzano. La parola *saluto* viene dall'arabo *salem* o *shalum*, pace. S'incontra questa parola in Gerusalemme. L'Arabo saluta così: *Possa il tuo mattino esser buono; — Che Dio t'accordi i suoi favori; — Se Dio lo vuole, tu stai bene.* I Turchi salutano sovente dicendo: *Possa la tua ombra non allontanarsi da noi; — Possa la tua ombra non diminuire mai.* Il Greco moderno come l'antico vi dice: *Rallégrati;* grazioso saluto che si addice a sì ridente contrada. Gli antichi Romani avevano saluti energici, che esprimevano la forza e l'azione: *Salve; — Vale; — Sii forte; — Sii in buona salute.* A dì nostri il Napoletano divoto vi dice: *Crescete in santità;* il Parmigiano, il Bolognese, il Marchigiano: *Sia lodato Gesù Cristo;* saluto che sentesi pure in Piemonte nei paeselli di montagna. Per tutta Italia è comune e dolce il dire *a Dio*, che suol scriversi anche *addio*, che è un pregar bene altrui quasi dicasi: *Riman con Dio, ti raccomando a Dio.* Gli Spagnuoli soglion dire: *Vaya ud con Dio, senor caballero* (andate con Dio, signor cavaliere). Il Tedesco, invece di *Addio*, suol dire: *Vivete bene, buon giorno.* Se a queste formole rispondesse sempre il cuore e i fatti, un'ampia scuola di moralità e di religione si troverebbe nello stesso civile consorzio »

276. Q. 5. *Quid resolvendum de nonnullis expressionibus quæ passim usurpantur contra Deum, B. Virginem vel Sanctos?*

R. De præcipuis sermonem habebimus, ægre tamen:

a) Jurare per *falsos Deos* serio; jurare per *pudenda* Christi, dicere *meretricem* Virginem Mariam, grandis blasphemia est. Item dicere dæmonem *sanctum.* Item dicere *amasium* Deum, si dicatur in sensu proprio; quia est tribuere creaturis quod Dei tantum est; attamen id solet dici per quandam iperbolem tantum; ideo perperam, et male dicitur, non tamen blasphematorie.

b) Dicere in eventibus, *sic erat a fato destinatum*, non est blasphemia, quia per hoc non affirmatur gentilium fato regi universa (verum si id intenderetur affirmari, hæreticalis blasphemia esset); sed ordinarie significatur necessitas consequens ejus eventus a Deo prævisa.

c) Hæreticaliter blasphemat qui ex animo dicit: *Dio non ha cura di me, tutti i malanni a me;* cum de omnibus illi sit cura: *Dio non è morto per me*, cum pro omnibus sit mortuus; *Dio è parziale*, cum non sit acceptor personarum; *Dio non si ricorda di me;* cum nullius possit oblivisci. Attamen, ut plurimum, talia proferentes a gravi excusantur (etsi redarguendi), cum hæc proferant ex inconsideratione vel doloris gravitate.

d) Esset blasphemia dicere: *nolit velit Deus* (a dispetto di Dio lo farò); id enim est significare non timere, Deum posse hoc impedire. Qui vero diceret: *rinego Di...; a dispetto di Di...*, omittendo ultimam literam, videtur posse excusari, si non habet consuetudinem ita blasphemandi; nam apparet tunc se voluisse continere, ne blasphemaret: unde videnda est intentio.

e) In locutionibus: *can di Dio, della Madonna*, si non vera blasphemia, adest, adest grave scandalum. Complures rudes dicunt indi-

gnando: *sacrénon de Dieu*, sed nec sensum intelligunt; alii *sacrénon* absque addito; alii *tron di Dio:* quæ locutiones per se veniale non excedunt. Idem est de illis *sacré nom de Dieu, sacré Dieu;* sunt enim vanæ usurpationes Nominis Dei, neque graviter offendunt fideles (nisi essent ecclesiastici qui ea proferrent). Nec refert quod illa verba proferantur ex gravi ira, quia hæc directe non tendit in Deum, sed in hominem vel jumenta; unde erunt mortalia ratione iræ, non tamen blasphemiæ. *Gousset, Gury, Voit, Sanchez, Roncaglia, Liguori, Tamburini.* Item Ody, *Il direttore dell'infanzia*, p. 1ª, c. IV, a. 3, § 4.

f) Regulariter blasphemia etiam joco prolata est mortalis, nisi jocus tolleret omnem rationem irreverentiæ in Deum, ut si quis causa joci vel irrisionis juraret per falsos Deos: hoc tamen raro evenit.

277. Remedia adversus blasphemias: remedia adversus blasphemias duplici sunt generis: alia respiciunt *præteritas* castigandas, alia vero *futuras* præcavendas.

Ad *prima* quod attinet, præter consueta contra vitia omnia, nempe orationem, jejunium, eleemosynam, utiliter a confessario injungetur, ut blasphemator toties ad pedes Crucifixi genuflectat et veniam efflagitet, vel toties aliquam Dei laudem aut orationem recitet, quoties lapsus est in blasphemias; etenim pœna removet a culpa.

Quoad *secunda* eidem præcipiatur, et serio recogitet: 1) malitiam et gravitatem vitii, quod diaboli et damnatorum est proprium, juxta illud de dracone infernali: *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum* (Apoc. XIII); 2) quæ et quanta irrogetur irreverentia Sacramentis et Sanguini Christi, dicente Chrysostomo: *Tanta est in blasphemia irreverentia erga Sacra, quam si hæc omnia pedibus conculcarentur;* 3) quod blasphemandi consuetudo est magis certum reprobationis et futuræ infelicitatis signum; nam quemadmodum filii Dei divinis laudibus assueti eos addiscunt hymnos, quorum concentu delectabuntur in cœlo; ita filii diaboli turpissima illa cantica addiscunt, quæ maledicti eructabunt indesinenter in inferis. Pontifici in eo toti fuerunt, ut hoc nefandum scelus prorsus extirparent a christiana gente; hac de re vide Breve *Ad execrabile* Benedicti XIV. Et Pius IX societatem instituit contra blasphemias. — V. *La bestemmia*, avvertenze al popolo. Torino, 1856. — Salvatori, *Istruzioni pei novelli confessori*, § 21.

« Un ricco marchese caduto ammalato, mandata a chiamare una religiosa per la propria cura, ecco che al primo svilupparsi del male, ei, ch'era stato militare, si mette a bestemmiare come un demonio, colla presunzione che ciò giovasse a calmare i suoi reumatismi.... La suora riprende animosa l'ammalato. « Che volete farci, buona suora, » rispose; non ci badate: noi militari siamo costumati a bestemmiare; » ora è troppo tardi per emendarmi; d'altronde mi è ciò di sollie- » vo. » — « Scusatemi come v'aggrada, replicò la suora; ma non vo' » più sentirvi a bestemmiare; e vi protesto che ad ogni bestemmia » andrò a levare dal vostro scrigno cinque franchi pei poveri. » La lezione fu profittevole, e l'impossibile divenne possibilissimo, perchè da quello instante in poi la religiosa non udì più il nobile marchese a bestemmiare... Purchè dunque sinceramente il vogliate, vi tornerà facile il correggervi, coll'imporvi, p. e., una piccola penitenza per ogni bestemmia che vi fuggirà di bocca, col pensare almeno a ritrattarla, e dire a voi stessi: *ho fallato;* ovvero col fare alcuna cosa, che valga a richiamarvi al dovere.

» Un altro esempio pei contadini: Un Missionario di molto grido dava gli Esercizi in una campagna, quando un bravo agricoltore fu a trovarlo, per manifestargli la gran pena ch'ei provava per non essere

in grado di trar profitto da quella fortunata occasione per l'anima, coll'accostarsi alla Confessione e alla Comunione. « Ma perchè non » confessarvi? » — « Perchè, replicò il buon uomo, ho contratto l'a» bitudine di bestemmiare, e m' è impossibile l'emenda, giacchè sono » persuaso che il giorno dopo confessato sarei da capo. Figuratevi, » che un nonnulla mi fa bestemmiare, e nel confessionale stesso, se » v'accadesse di dirmi cosa che non m'andasse a genio, temo che non » vi butti fuori una bestemmiaccia. Sono proprio dolente di ciò, e ne » sono mortificato tanto più, quanto che son padre di famiglia. »

« Date ascolto, amico mio, dissegli il Missionario: Siete pronto ad » impiegare il mezzo che son per suggerirvi? » — « Sì, padre mio, » purchè non troppo difficile. » — « Oh no, semplicissimo anzi; ec» colo. Siccome voi travagliate nella campagna, così ogni volta che » proferirete una bestemmia, metterete un piccol sasso nella vostra » tasca. » — Accettò esso la proposta, e all'indomani mattina tornato al lavoro ad ogni bestemmia mantenne la parola, e si pose nella scarsella un ciottolo secondo il comando. A mezzodì si trovò ripiene tutte le tasche, e se vi fosse stato luogo, ve n'eran ancora a rimettersi, per cui se ne tornò a casa tutto mortificato. Al dopo pranzo diminuirono i ciottoli per metà; all'indomani ne ebbe sensibile miglioramento; e da ultimo, il commercio dei sassolini riuscì sì bene, che in capo a quindici giorni era già molto se ne rinvenisse taluno, quasi dimenticato nel fondo del suo borsellino, per cui se ne ottenne l'emenda.

» Non vo' suggerire a voi di riporre sassi in tasca per ogni bestemmia che vi casca di bocca, perchè non potreste sempre far ciò; ma sempre però stampatevi un buon pensiero in cuore, dicendo: *Perdonatemi, o Dio; mi pento, desidero proprio di correggermi;* e così facendo vincerete il cattivo abito, ecc. » Mullois, *Il libro degli operai.*

(V) Pag. 103.

278. Præstat, ut audiant sacrilegi quod narrat p. Cesari, *Fiori di Storia eccl.*, Ragion. VI su s. Pietro: « Questa verità fu conosciuta eziandio dai gentili. Volendo Plinio convertire ad uso profano una certa fabbrica mezzo rovinata, ma che alla forma mostrava poter già essere stata tempio degli idoli, ne dimandò all' imperatore Trajano quello che fosse da farne. Rispose: « Cercasse assai sottilmente, e » trovando che veramente quello era stato luogo sacro non lo toc» casse; *Religio occupavit solum:* » perchè (oh verità scritte nel diamante dei cuori, non possibili a cancellare!) la Religione ha preso la possessione di quel terreno, e non può senza sacrilegio tornar profano. Erano stati a re Massinissa donati due denti di elefante d'incredibile grandezza. Indi a poco egli venne a sapere, com' erano stati tolti dal tempio di Giunone in Malta: ed egli non lo sapeva. Se ne fece coscienza. Apprestata una galea in vero studio, li rimandò al tempio della falsa dea dimandando quasi perdono del fallo, con questa inscrizione: *Rex Massinissa imprudens acceperat: re cognita, reponendos restituendosque curavit.* Lo stesso fece P. Cemelio superiore Emiliano d'una statua di Diana che era in Cartagine da lui presa. (Cic. *in Verrem*, l. IV, capp. 34 et 46). Questi saranno i nostri giudici ed accusatori in quel gran dì. Si provegga a cui fa bisogno, mentre è anche tempo. »

279. Reale sacrilegium est profanatio vasorum et istrumentorum sacrorum, v. g., si quis calice utatur in convivio, ornamenta Altarium vel Sacerdotum ad usus profanos applicet, intellige de iis, quæ consecrari vel saltem benedici solent; nam ad nuptias, vel communem usum adhibere tapeta, candelabra, pelvim, imo et manutergium et cetera quæ mediate tantum serviunt ministerio sacro, non est peccatum, prout docet Tamburini, nisi fiat ex aliquo contemptu saltem implicito, ut si semper et indifferenter sic utaris supradictis. Atque idem affirmat de candelis, ramis, aqua, incenso et similibus benedictis, eo quod in modicis istis benedictionibus non agatur cum tanto rigore ab Ecclesia, uti patet in pane, ligno, carbonibus, etc., benedictis.

Non est sacrilegium non suscipere Sacramenta tempore præscripto; sed probabilius est tantum contra obedientiam Ecclesiæ debitam. — An sit sacrilegium detinere legata relicta Ecclesiæ pro ejus servitio, alii affirmant, quia ratione destinationis sunt sacra; alii negant, quia quandiu non possidentur ab Ecclesia, sacra proprie non sunt. — Sacrilegus vero est qui irreverenter tractat sacras imagines, vel indecore nimis eas depingit vel sculpit. *Liguori, Roncaglia, Gousset.*

280. In definiendo gradum malitiæ sacrilegii realis considerare oportet, an committatur in res benedictas, ut sint materia Sacramenti, vel ut proxime ordinentur ad Sacrificium, v. g., sanctum Oleum, Chrisma, altare, calicem, vestes sacerdotales; an committatur in res quæ benedictæ sunt tantum, ut ad pium usum fidelibus inserviant, nec ad Deum proxime referrantur, ut sunt palmæ, cineres, panis, aqua lustralis. In priori casu sacrilegium gravem irreverentiam includit, et est genere suo mortale, si fiat advertenter, etsi profanator res sacras non velit directa intentione inhonorare. In secundo casu vero non videtur per se esse peccatum ex genere suo mortale. — V. *Prælectiones Juris canonici in Semin. S. Sulpitii*, t. III.

(X) Pag. 107.

281. Inauditum ac recens gravissimi simoniæ sceleris exemplum exhibent protestantes, ut refert Diarium *La Civiltà Cattolica*, ser. 2ª, v. II, pag. 217: « La *Direzione spirituale* del popolo di Spetisburg-Charton-Marshal fu venduta all'asta pubblica dai signori Smith e figlio. Il banditore annunziò che il titolare ottuagenario cagionevole di salute voleva ritirarsi dalla cura delle anime, vendendola però al miglior offerente. La rendita del benefizio è di 624 lire sterline. Messa all'incanto la prima grida fu di 5000, crebbe bel bello a misura del vario zelo dei pretendenti ministri, finchè il zelantissimo ebbe comperata la *Direzione spirituale* al prezzo di 5550 sterline, ossia 138,760 franchi. E poi dicasi che i protestanti non bruciano di sacro fuoco, avidi come sono di comperare a tanto prezzo il campo dei loro apostolici sudori! » Contra simoniacos sic vehementer clamabat Danthes Alighierius noster:

« O Simon Mago, o miseri seguaci,
Che le cose di Dio che di bontate
Denno essere spose, voi rapaci
« Per oro e per argento adulterate.
Or convien che per voi suoni la tromba,
Perocchè nella terza bolgia state. »

(INFERNO, C. XIX.)

V. It. *Civiltà Cattolica*, ser. 6ª, t. VI: *Simon Pietro e Simon Mago;* Leggenda; et ser. 6ª, t. XI: *Notizie statistiche.*

282. Q. 1. *An vendatur sine simonia jus præsentandi ad ecclesiasticum Beneficium?*

R. Hoc jus quoad honores et subventiones, quæ patronis debentur, bene vendi potest absque simonia; quia quoad illa non dicitur spirituale (s. Thomas 22, q. 100, a. 4; et Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 71). Jus vero præsentandi si est affixum rei, vendita re, transfertur simul cum re in emptorem; sicuti etiam transferri potest donatione aut titulo hæreditario. Extra hos casus vendi nequit tale jus patronatus ecclesiastici sine simonia de Jure humano; hinc est simonia, si patronus vendat pluris rem ratione talis juris, vel imponat præsentato, v. g., ut suis expensis litem sustineat probando spectare presentationem ad illum patronum; ex c. *de jure* et c. *præterea*, *de jurep.* — Dicunt Salmanticenses: quod vertente litigio circa juspatronatus, potest apponi conditio, ut si intra tot menses presentatus præsentatio nem suam non fuerit prosecutus, patronus possit alium præsentare; quia tunc ille remanet in sua libertate, nec obligatur ad probandum jus patroni pro illo, sed pro se, si voluerit consequi Beneficium. Verum in hoc magnum periculum est, quod virtualiter vendatur talis præsentatio pro expensis, quæ de jure a patrono debebant.

An vero venditio talis jurispatronatus sit vetita etiam Jure divino, affirmant Lessius, Layman, etc.; quia hoc jus est quid spirituale, cum procedat a potestate jurisdictionis ecclesiasticæ. Negant vero Sanchez, Sylvius, Sotus et alii; quia potius tale jus est quid temporale, cum sit temporalis favor concessus ab Ecclesia, quatenus ipsa exercet potestatem, non jam jurisdictionis, sed politicam, eminenter in illa contentam, ad quam spectat favores temporales distribuere.

283. Q. 2. *Quid de illo, qui Beneficium ecclesiasticum confert ob carnalem affectionem, nempe ob parentelam?*

R. Iste simoniacus non est, nisi conferendo intendat bonum aliquod sibi, vel familiæ inde obventurum, v. g. ut ditescat. Ait enim Angelicus: *Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem vel quamcunque carnalem affectionem, est quidem illicita et carnalis collatio, non tamen simoniaca, quia nihil ibi accipitur: unde hoc non pertinet ad contractum emptionis et venditionis, in quo fundatur simonia* (d. Thomas, 2, 2, q. 100, a. 5).

Illud autem quod dicit Croix non esse simoniam, si conferat ad se liberandum ab aliquo injusto damno non puto admittendum: nam licet damnum sit injustum, semper tamen videtur intercedere aliqua commutatio rei spiritualis cum utilitate temporali.

284. Q. 3. *An sit simonia resignare alteri Beneficium sine pacto, sed cum spe, ut ille ex sola gratitudine iterum resignet in tui favorem, vel aliquid solvat de Beneficii fructibus?*

R. Certum est non esse simoniam de Jure divino; quia nulla adest pactio vel commutatio. Utrum vero sit saltem simonia de Jure humano, plures affirmant, quia Bulla Pii V, dicit simoniam confidentialem esse *si quid... etiam simplicis donationis titulo perceperit.* Sed plures probabilius negant, cum nullum sit pactum neque expressum neque tacitum; per verba autem allata Pontifex vult quod simonia in foro externo de facili possit præsumi, si probetur postea facta donatio, ut exponunt Salmanticenses cum Suarez, Lessio, Sanchez, etc.

Qui autem resignat Beneficium cum intentione obligandi alterum ad iterum resignandum in futurum, sed hanc intentionem non manifestat, committit solam simoniam mentalem. Quid si illam manifestat,

sed sine alterius repromissione? Plures contra plures probabilius tuentur non esse simoniam confidentialem, quia deest pactio ex utraque parte obligatoria. Neque obstat, ut dicunt, quod in Bulla dicatur confidentiam simoniacam esse, etiamsi adsit *sola dimittentis intentio;* ajunt id dici quia, intentione semel manifestata, præsumitur simonia adesse in foro externo. Secus tamen dicendum, advertit Croix, si ille resignet declarans velle, ut solvatur pensio ex fructibus, quia hoc est signanter expressum in Bulla. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 85 et 86. — Ferraris; V. *Simonia*, art. 2.

Notandum autem, quod valde probabile est non esse illicitum, si resignans, etiam in eadem renuntiatione, declaret Episcopo suum desiderium quod Beneficium conferratur certæ personæ, modo absit omne pactum de quo intelligitur *Motus proprius* Pii V; nam tunc revera renuntiatio fit simpliciter, et Episcopus liber est ad conferendum Beneficium cui vult. Sed dubium est, an facta resignatione cum conditione in favorem tertii in manu Episcopi, possit hic admittere resignationem conditione rejecta, et Beneficium conferre cui voluerit? Alii cum Sanchez, Soto, Sylvio, s. Antonino affirmant; quia talis conditio tanquam turpis habetur uti non adjecta. Alii negant cum Suarez, Lessio, Salmanticensibus, etc., quia non potest resignatio pro una parte admitti, et pro alia rejici. Utraque sententia est probabilis. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 84

285. Q. 4. *An damnandus de simonia Episcopus, qui Beneficium confert clerico in recognitionem gratitudinis ob præstitum obsequium?*

R. Negative; nam ut ait Suarez, non dat tanquam determinate debitum. Et quodcunque Beneficium licet maneat gratuitum, de se tamen semper natum est ad extinguendam obligationem gratitudinis antea contractam. Hinc in cap. *Tua nos* XXXIV Pontifex de eo qui bona sua offerens Ecclesiæ admitti petebat in Canonicum, respondit: *Si pure et sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, hujusmodi receptio fieri potuit absque scrupulo simoniacæ pravitatis.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 61.

286. Q. 5. *Quid resolvendum, si quis promittat pecuniam in eleemosynam pauperibus erogandam, si tu illi obtinebis Beneficium?*

R. Sunt qui difficulter id excusant, quia est verum pretium temporale pro spirituali obtinendo inani nomine eleemosynæ velatum. Verum Salmanticenses eum a simonia excusant, si pecuniam omnino gratis tribuat et in eleemosynam, quæ est titulus excusans largitionem a simonia. Simonia nempe in eo consistit, quod detur temporale in pretium rei spiritualis; quando ergo datur aliis titulis honestis, ut in stipendium laboris, in sustentationem, in gratiarum actionem, simonia non committitur: unus porro ex legitimis titulis est eleemosyna, et hanc unice respicit illa promissio. Imo licet periculosa res sit ex Angelico; tamen simonia non est, siquis, v. g. eleemosynas monasterio eroget, ut facilius, sed ex gratitudine in illud admittatur (2, 2, q. 100, a. 3): nam nullo jure prohibetur bene mereri omni modo honesto de eo, qui potest nobis aliquando benefacere. Neque tribuens obligat ad aliquid determinate, sed vult tantum illam generalem obligationem inducere, quæ necessario sequitur ex quolibet obsequio.

Simoniacus tamen esset qui alteri Beneficium procuraret ea intentione, ut sibi tanquam pauperi fructus superflui dentur; nam esto quod isti fructus sint jam pauperibus distribuendi, attamen quod debeantur tali pauperi, hoc est onus superadditum, ideoque simoniacum.

287. Q. 6. *Quid de eo, qui dat mediatori pecuniam, ut sibi Ordinationem, vel Beneficium obtineat?*

R. Vel pecunia datur pro labore a mediatore suscipiendo, aut damno subeundo seu lucro amittendo. Vel pro mediatione ipsa, cum pacto, ut intercedat ad Beneficium illud sibi obtinendum.

Si 1, non erit simonia, quando pecunia est labori proportionata; quia hæc remote se habet ad consecutionem rei spiritualis. Nec etiam simoniam (licet si periculosum) dicunt Salmanticenses cum Bonacina, Palao, Azor, Sanchez, Filliucio, etc., si des alicui pecuniam, ut sua merita simpliciter Episcopo proponat; quia ad simoniam requiritur, ut obtentio rei spiritualis sit immediatus finis præstationis pecuniæ. Non autem sufficit, quod sit quid consequens ex alio immediato, nullam habens connexionem cum illo, uti dicunt Salmanticenses cum Suarez, Navarro et Garcia. Sed timendum ne alter relinquat officium informantis et officium sumat intercedentis. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 64.

Si 2, simonia erit; nam licet daretur temporale immediate pro temporali, uti est illa mediatio, attamen intenditur spirituale; *sic enim per pecuniam*, ait Angelicus, *pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam* (2, 2, q. 100, a. 2). At simoniacus non est qui supplicando patrono pro Beneficio sua præterita merita retulit ad gratiam obtinendam; quia nullum habetur pactum inter ipsum et patronum; siquidem officia prius peracta rememorando, nihil promittit; unde nullus contractus intervenit. Gury, *Casus conscientiæ*, l. I, n. 285.

288. Q. 8. *An committat simoniam et pœnas incurrat qui obtinet ecclesiasticum Beneficium per fictam pecuniæ promissionem non impletam?*

R. Iste reus est peccato simoniæ, quatenus cooperatur ad simoniam collatoris; sed probabilius ipse per se directe simoniam non committit, etsi graviter peccet; cum (non interveniente voluntate se obligandi ad promissionem) non adsit vera emptio seu studiosa voluntas emendi, quæ ad simoniam requiritur; sed tantum inveniatur studiosa voluntatis fictio. Quoad pœnas vero puto cum Croix eum illas non incurrere, cum desit simonia utrinque completa. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 107.

(Y) Pag. 112.

289. Q. 1. *An sit peccatum simoniæ temporale aliquid accipere pro tradenda Doctrina sacra?*

R. Vel instructio natura sua tendit tantum ad spiritualem aliorum utilitatem uti Catechesis, Verbi Dei prædicatio; vel tendit etiam in aliquod bonum temporale, ad oblectationem et honorem, uti est instructio ad interpretandas Scripturas sacras, ad enodandas Theologiæ controversias. Si 1, simonia est accipere pro eo aliquid temporale, nisi ratione sustentationis; cum sit res mere spiritualis, et labor omnino intrinsecus. Si 2, non erit simonia; qui docet scientiam potest stipendium accipere quasi operas suas locans. Nec refert quod supernaturalis sit: nam per se non ordinatur ad salutem animæ, sed ad illustrandum intellectum, ut scientiæ naturales. D. Thomas, 2, 2, q. 100, a. 3. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 93.

290. Q. 2. *An sit simoniacus qui celebrat, Sacramenta ministrat, concionatur, choro interest principaliter ob emolumentum temporale?*

R. In sententia probabiliori, quam tuentur Salmanticenses, Sanchez, Sylvius, Sotus, Suarez, aliique apud Croix a simonia excusatur; nam sicut excusatur qui dat stipendium principaliter propter Missam, quæ certe res est spiritualis, ita excusandus videtur qui Missam celebrat

principaliter propter stipendium: non tamen tanquam pretium, sed tanquam eleemosynam ad sustentationem approbatam; alioquin esset simonia mentalis. Etenim tunc tantum committitur simonia, cum temporale accipitur pro spirituali; non vero quando accipitur tanquam stipendium ad sustentationem ministri *secundum ordinationem Ecclesiæ, et consuetudinem approbatam*, ut ait d. Thomas: quod verum est, sive principaliter sive secundario accipiatur (2, 2, q. 100, a. 3).

291. *Sed* (dices) *Innocentius XI damnavit hanc sub n. 46 propositionem, qua asserebatur* licitum est dare temporale pro spirituali, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale.

R. Ibi nomine *motivi* intelligitur pretium ipsius rei spiritualis, ut notat Viva, et patet ex contextu. In casu autem nostro hoc nomine non intelligitur pretium rei, sed stipendium personæ in gratiam alterius elaborantis. Ut clarius id intelligatur, animadverte dupliciter accipi *lucri* vocabulum: vel ut finis operis, vel ut finis operantis. Cum lucrum intenditur *ut finis operis*, adeo ut opus ipsum spirituale intendatur tradi vel accipi, certe committitur simonia: *Simoniam committit*, inquit Angelicus, *qui hujusmodi actum vendere intendit, nempe si distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum* (Quodl. 8, q. 6, a. 11). Aliter dicendum quando lucrum intenditur *ut finis operantis*, scilicet ratione operationis personæ laborantis in gratiam alterius; tunc lucrum accipitur pro stipendio sustentationis, et simonia non est: sic licet eodem sensu pecuniam tradere pauperibus ad modum stipendii, ut orent pro nobis. Neque obstat, quod talis neque concionaret neque caneret, etc. sine lucro; id enim non probat quod ponat impretiabile sub pretio, sed solum lucrum esse conditionem, sine qua non operaretur, deficiente nempe congrua illa sustentatione. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 55.

Qui tamen sacra peragunt ministeria principaliter ob emolumentum temporale, non possunt tam facile excusari a peccato saltem veniali, cum sit inordinatio spirituale dirigere ad temporale.

292. Q. 3. *Quid de illo qui dat eleemosynam pauperi, ut pro se oret?*

R. Hic simoniacus non est; imo ordinem sequitur divinæ Providentiæ quæ vult, ut faciamus nobis amicos de divitiis (Luc. XVI). Neque intendit sic orationes emere; sed tantum *per gratuitam beneficientiam pauperum animos provocare ad hoc, quod pro eo gratis, et ex charitate orent*, ut ait Angelicus: nempe dat simpliciter ad alliciendum ac quasi ratione stipendii (2, 2, q. 100, a. 3; et in 4, d. 25, q. 3, a. 2). Unde non obstaret, si quis, semel voluntarie acceptata optione, ad sua promissa præstanda juramento se adstringeret, v. g., ad Missam audiendam, ad orandum; cum enim res licita sit, poterit juramento firmari. Hoc sensu licet alicui promittere donum in spiritualem ejus utilitatem, v. g., si Missam audiat, si Sacramenta suscipiat, si Monasterium ingrediatur, quia hæc est simplex donatio sub conditione, quæ danti nihil proficit, et nullum accipienti addit onus; neque enim adstringitur ad ea facienda, sed optio illi datur. Si secus esset, vel ipse Deus simoniacus est, qui etiam temporale præmium nonnunquam bene operantibus promittit. At esset simonia, si alicui simpliciter imponeretur obligatio, vel conditio esset de præstando aliquid in utilitatem dantis; adesset enim quædam commutatio. Ex dictis colligitur:

1. Simoniaca non sunt legata aut eleemosynæ pro Missarum celebratione; quia iis neque implicite neque explicite intenditur commutari spirituale cum temporali; sed quæ traduntur, sunt ad ministrorum sustentationem ex Christi præcepto, qui vult ut operarius habeat mercedem suam: non autem sunt pro ipsis operibus spiritualibus. Hinc

a Martino V illa Wiclefi propositio utpote nimis generalis damnata est: *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.*

2. Recte observat Dens, non inquietandos esse simplices, qui aliquid temporale pro spirituali accipiunt, quamvis ob ignorantiam legitimos discernere non valeant titulos. Sic cantores, sacristæ et parvuli Missæ servientes aliquid tuta conscientia percipiunt, licet explicare nequeant qua ratione id legitime faciant.

3. Qui promissionibus pueros allicit ad catechismum et Confessionem non reputandus est simoniacus; quia temporale non dat, uti patet, tanquam spiritualis pretium, siquidem ipse nihil recipit.

4. A simonia excusatur Parochus, qui pinguiorem Parochiam desiderat vel eligit, consentiente Episcopo, ut ampliorem habeat sustentationem pro se et pauperibus, et melius evangelizet; quia reipsa non fit commutatio temporalis pro spirituali. Sed vituperandus, si lautiorem vitam vel fortunæ suæ aut familiæ augmentum quærat: imo a simonia mentali sœpe excusari nequit. Hoc sedulo attendat.

293. Q. 4. *An excusetur a simonia qui ad rem spiritualem sibi comparandam dicit:* ego ero tibi gratus: gratias reales referam?

R. Illæ formulæ dicendæ sunt simonia infectæ: 1) si per eas exprimatur intentio sese obligandi ad temporale pro spirituali erga alium, vel obligandi alium sibi ad spirituale pro temporali; 2) si promittatur, accipiatur aut detur temporale uti proportionata compensatio pro spirituali: non vero in signum puræ gratitudinis; 3) si promittatur, aut detur spirituale pro temporali aut viceversa; non quidem ut pretium, sed ut motivum principale dandi temporale, aut vicissim. In his casibus semper adest æstimatio inter temporale et spirituale.

294. Q. 5. *An sit simonia dare vestes sacras ad usum, sub aliquo pretio, ut fit cum ordinandis qui sumunt de Cathedrali planetas, etc.?*

R. Per se non licet, quia ille usus supponitur sacer. In praxi tamen utique licet, quia non accipitur pro usu sacro, sed in quantum illa paramenta teruntur per usum. Liceret etiam recipere aliquod moderatum, non qua sacrorum pretia, sed qua piæ largitiones, quibus Ecclesiæ ministri ac inservientes sustentantur.

LIBER SECUNDUS

TRACTATUS SEXTUS

DE VIRTUTE JUSTITIÆ

295. Inter Virtutes morales, post Religionem, veniunt quatuor cardinales: *Prudentia, fortitudo, justitia* et *temperantia.* Verum *justitia* tam copiosum ac necessarium rerum dicendarum exhibet apparatum, ut ab ipsa Tractatum putemus inscribendum his verbis: *Tractatus de Virtute Justitiæ.* Scholastici *de Justitia et Jure* nuncupant.

Cum autem virtus Justitiæ in eo sita sit, ut jus suum cuique servetur, necesse profecto est, ut simul cum justitia idea tradatur juris atque dominii, quippequæ hæc sunt justitiæ quasi finis et meta.

QUÆSTIO PRÆAMBULA.

DE JUSTITIA ET JURE.

296. Q. 1, *Quid est Justitia et quotuplex?*

R. Ad 1: Justitia interdum accipitur pro virtutum omnium complexu, ita ut *vir justus* idem sit *ac vir omni virtutum genere donatus:* hoc sensu inquiebat Christus: *beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam;* et de s. Josepho dicitur: *Joseph autem.... cum esset justus* [1]. Quo etiam sensu d. Chrysostomus: *justitia nihil aliud est, quam omnium mandatorum plena custodia* [2]. In presenti tamen justitia sumitur prout est virtus a ceteris specie distincta, et definitur ab Augustino: *Virtus quæ sua cuique tribuit* [3]. Communiter autem describi solet: *Virtus moralis constanter inclinans hominis voluntatem ad reddendum alteri jus suum ad æqualitatem.*

Dicitur: 1. *Virtus*, quia hominem et opus illius reddit bonum; nam bonum est reddere cuique suum: quod virtutis est proprium.

2. *Moralis*, quia non Deum, sed hominum honestatem habet pro objecto suo immediato; quæ quidem honestas sita est in tribuendo cuique jus suum.

[1] Matth. I et V. [2] Hom. XII *in Matth.* [3] *De Civ. Dei*, c. XII.

3. *Constanter inclinans:* dicitur *constanter* ad indicandam propositi nostri firmitatem ac perseverantiam. *Inclinans*, quia est proprium genuinæ virtutis constanter inclinare ad actus bonos.

4. *Hominis voluntatem*, quia justitia est actus et habitus voluntatis: non vero intellectus, cujus officium est veritatis cognitio: neque memoriæ cujus officium est recordatio rerum præteritarum.

5. *Ad reddendum alteri;* cum enim justitia in constituenda æqualitate versetur, habet profecto ex ipsa sui natura, ut in alterum tendat: *nihil autem est sibi æquale, sed alteri*, ait Angelicus [1].

6. *Jus suum*, id nempe quod non solo titulo honestatis, sed stricti nominis obligatione debetur: et hoc propriæ justitiæ objectum constituit. Neque hic *jus* sumitur *formaliter* pro legitima facultate ad aliquid; sed *objective* pro debito rigoroso ex cujus violatione non solum contrahitur turpitudo moralis, ut in aliis debitis, puta gratitudinis; sed stricta obligatio restitutionis.

7. *Ad æqualitatem:* quibus verbis intelligitur accurata mensura rei quæ redditur, cum jure alterius. Sic qui centum nummos creditori debitos solvit, servat æqualitatem; quia hæc summa jus creditoris perfecte adæquat.

R. Ad 2: Cum justitia dicat ordinem unius ad alterum, totuplex erit justitia in republica, quotuplex in ea est hujusmodi ordo; atqui iste ordo triplex est, nempe partium ad totum, totius ad partes et partis ad partem: ergo triplex est justitiæ species.

Legalis una, quæ ordinat partes ad totum, et inclinat privatum ad reddendum communitati quod ipsi debitum est propter bonum commune: dicitur *legalis*, quia habet pro objecto, quod communitati debetur *ratione et vi legum* [2]; talis est electio ministrorum.

Distributiva altera, quæ ordinat totum ad partes, et inclinat voluntatem superioris ad bona et onera communitatis distribuenda juxta merita et vires subditorum: uti distributio pensionum.

Tertia *commutativa*, quæ ordinat partes inter se, et inclinat privatum ad reddendum alteri privato ad æqualitatem quod eidem stricte debetur, ratione videlicet vel pacti vel contractus vel alterius tituli peculiaris. Dicitur *commutativa*, quia in commutationibus ut plurimum locum habet *(A)*.

297. Q. 2. *Quid est Jus et quotuplex?*

R. Ad 1: *Juris* nomen ductum est vel a *jubendo*, quia continet quæ jussa sunt, id est legis præcepta; vel melius a *justo*, quia continet quæ justa sunt et recta [3]. Juris significatio multiplex:

[1] 2, 2, q. 58, a. 2. [2] D. Thomas, 2, 2, q. 63, a. 1.
[3] S. Thomas, 2, 2, q. 57, a. 1, cum s. Isidoro.

1) Significat quod est rectæ rationi consentaneum: quo sensu Terentius, ut adolescentes arceret a malorum consortio, inquiebat: *Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum et æquum sciunt?* 2) scientiam ipsam æqui et boni: et ideo in hac scientia versatos *Jurisperitos* vel *Jurisconsultos* noncupamus; 3) ipsam collectionem legum, quibus regitur homo in religiosa ac civili societate: sic venit *Corpus juris* tum *canonici* tum *civilis;* 4) judicis sententiam vel locum ubi judicia fiunt: unde dicitur judex *jus* dicere, et reus *in jus* vocari; 5) rem ipsam quæ rigorose debita est: sic res nostra dicitur *jus nostrum;* et jus ita sumptum est justitiæ objectum; 6) *legitimam facultatem ad aliquid*, idest ad aliquid agendum, acquirendum, vel retinendum: quo sensu hic maxime accipitur jus [1].

R. Ad 2: Jus præcipue dividitur in jus ad rem et jus in re. *Jus ad rem* est jus, quod quis habet, ut res aliqua fiat sua; ideoque dat actionem non in rem, sed tantum in personam: efficit nempe, ut persona possit per judicis sententiam cogi, ut rem vel ejus pretium tradat; non autem efficit, ut res ante sententiam possit occupari. Sic si Titius rem aliquam Cajo jam donatam alteri tradat, Cajus actionem habet in ipsum Titium, ut eum cogat (nisi lex obstet [2]) ad rem illam sibi dandam.

Jus in re est illud, quod quis habet in re jam sua, ideoque confert actionem realem, quæ nempe rem ipsam directe afficit: tale est jus illius, cui tradita jam fuit res aut donata. Sic in allato exemplo, si res illa Cajo non solum verbis donata sit, sed eidem etiam tradita, sed postea furto sublata et a fure in alium emptorem transmissa, Cajus actionem habet tum in furem tum in emptorem tum in rem ipsam, ad quascumque manus ea devenerit.

298. Q. 3. *Quomodo acquiritur jus ad rem et jus in re, et quæ illorum sunt fontes?*

R. Ad 1: Ut jus ad rem acquiratur, sufficit justus titulus, v. g. contractus rite celebratus, vi cujus exigi possit ipsius rei possessio. Ut vero acquiratur jus in re necesse est: 1) *existentia rei;* hinc usufructuarius non habet jus in re in fructibus anno sequenti colligendis, quia nondum existunt; 2) *titulus legitimus*, v. g. contractus initus: hinc fur jus in re non habet in bonis quæ furto possidet; 3) *traditio rei quoad mobilia* [3]: hinc qui dono accepit equum, non habet jus in re illius equi quamdiu ipsi non tradatur.

R. Ad 2: *Fontes*, e quibus jus sive ad rem sive in re emanat, duo sunt, nempe *dominium* et *servitus.*

[1] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 486 et seqq. — Ferraris; V. *Jus, Justitia.*

[2] Obstat alicubi lex, si res sit mobilis, et hic secundus eam acquisierit in bona fide: unde tunc primus hoc tantum habet, ut sibi satisfiat. — *C. A. civ.* 430; — *C. G.* 1141; — *C. S.* 1095; — *C. P.* 1114; — *C. M.* 1191; — *C. T.* 550.

[3] Diximus *quoad mobilia;* nam quoad immobilia, generatim, sola sufficit acceptatio ad transferendum dominium, et tribuendum jus in re, ex dicendis.

DISPUTATIO PRIMA

DE DOMINIO.

CAPUT PRIMUM

DE DOMINII NATURA.

299. Q. 1. *Quid est dominium?*

R. Dominium generalissima sua significatione sumptum est *jus gubernandi vel disponendi de aliquo:* ex quo habetur dominium tum jurisdictionis tum proprietatis. — Dominium *jurisdictionis* est *actualis potestas gubernandi subditos in ipsorum commodum, præcipiendo, prohibendo, judicando.* Dominium vero *proprietatis* (de quo hic agitur) est potestas in re: et duplex est tale dominium: *publicum* seu eminens et altum; *privatum* seu humile, uti ajunt, et vulgare.

Dominium publicum definiri potest: *facultas quæ convenit Reipublicæ disponendi de bonis subditorum, sic exigente bono publico.* Hæc autem exigentia vera sit oportet; neque enim respublica est bonorum ac civium domina, sed potius curatrix ac vindex: ideo modus servandus est in hac exercenda potestate, ut neque fines necessitatis excedat, neque id sine retributione fiat, neque acceptionem personarum includat, ita ut plus ab uno quam ab alio extorqueatur; cum omnium civium et cœtuum bona sint inviolabilia [1].

Dominium vero privatum, quod dicitur etiam *proprietas*, communiter definitur: *jus disponendi pro arbitrio de re tanquam propria, nisi vel lege vel conventione vel testatoris voluntate prohibeatur.*

Dicitur: 1. *Jus disponendi pro arbitrio. Jus* seu facultas, quæ vox locum tenet generis; jus enim tam exerceri potest in personam, quam in rem. *Disponendi* propria nempe auctoritate, non ex alterius commissione. Et quidem *pro arbitrio*, id est ad omnem usum, rem videlicet vendendo, donando, vel etiam destruendo sine causa. Attamen improbandus qui re sua abutitur; quia, esto quod non offendat justitiam commutativam, non tamen publicæ et privatæ utilitati studet; *expedit enim reipublicæ, ne sua re quisque male utatur* [2].

2. *De re tanquam propria*, ut dominium distinguatur a nuda possessione etiam legitima; sæpe enim contingit, ut quis habeat

[1] Quod firmatur art. 29 *Statuti*, et art. 438 *Cod. civil.* *Lege* autem *civili* 25 junii 1865 regulæ assignantur pro expropriatione, si publica utilitas id exigat. — *C. A.* 353; — *C. G.* 544; — *C. S.* 469; — *C. P.* 403; — *C. M.* 437; — *C. T.* 180.

[2] Justinianus, *Inst.*, l. 1, tit. 8. Et art. 651 *Cod. pœn.* punitur qui incendit proprias domos.

possessionem rei, cujus tamen non habet dominium, ut illa uti possit, tanquam sua, prout patet, v. g. de pignore.

3. *Nisi vel lege;* sic minoribus non permittitur rerum suarum alienatio, nisi servatis legis solemnitatibus. Et tunc non aufertur dominium, sed impeditur tantum illius usus: sicuti ligatis pedibus, impeditur ambulatio actualis, sed non tollitur ambulandi potentia. *Vel conventione,* esset si venditorem inter et emptorem conventum sit, ut emptor re empta non utatur, nisi post certum diem. *Vel testatoris voluntate,* ut si testator fundum legasset alicui ea conditione, ut illo fruatur tantum post annum.

Dominium hoc, quod quisque privatus habet in rebus suis, vel *plenum* est vel *non plenum.* Dominium *plenum* est jus disponendi de re simul et de ejusdem usu: *non plenum* est jus disponendi de re, vel de ejusdem usu; non vero de utroque simul: quare istud dividitur in *directum* et *utile.* Videlicet vel continet solam rei proprietatem: et dicitur *directum,* quasi directe rem ipsam sive ejus proprietatem afficiens. Vel non continet, nisi rei usum seu emolumentum a re ipsa proveniens, et dicitur dominium *utile (B).*

390. Q. 2. *Unde repetenda dominii seu proprietatis origo?*

R. Dominii origo patebit ex sequenti Scholio:

Scholium. — *Communismus.*

Errorem vetustate jam exoletum, quo olim prædicabant *omnia bona esse in mundo communia* [1]; ab inferis revocare ausa est ætate nostra recens quædam impiorum secta *Communismi* nomine designata. In Helvetia primo renata videtur (anno circiter 1841), ac dein in alias regiones. Ejus solemne effatum est: *bonorum et rerum communionem in Jure naturæ fundari, et ideo nullum dominium, nullumque jus proprietatis in humana societate esse admittendum.* Hic error habuit in Gallia patronum Proudhonium quendam (cujus opera omnia quocunque idiomate prohibuit S. C. Indicis 22 jan. 1852): qui eo dementiæ devenit ut dicere non erubuerit: *jus proprietatis nihil esse, quam ipsum furtum.* Monstrum hoc anathemate percussit Pius IX

1 Communismum primo professi sunt hæretici, vulgo Apostolici (Epiph., *hæresis* LXI); dein Albigenses, Anabaptistæ; aliique ejusdem furfuris hæretici. Thomas Morus Lovanii librum edidit (anno 1516) in quo Communismum ad systema reduxit; ejus doctrinas quasi ex integro tradidit et in Italiam induxit circa medium sæculum XVII. Thomas Campanella. — V. *Histoire du Communisme* etc., per Alfred Sudre. Paris, 1850. — Bergier, *Dizionario,* Append. V. *Comunismo.* — Huc etiam Waldenses revocari possunt, ut patet ex libro *Origine dei Valdesi e carattere delle primitive loro dottrine,* Ricerche storiche di monsignor arciv. Charvaz. Torino, 1837.

in sua prima Encyclica *Qui pluribus*, Communistarum doctrinam declarans *infandam ac vel ipsi naturali Juri maxime adversam.* Et merito; dominium enim seu jus proprietatis in eas res, quam quis legitime semel apprehendit ac possidet uti suas, et in Scriptura et in natura ipsa fundatur.

Prob. 1ª pars: *jus proprietatis in Scriptura fundatur.* Vel ipsi primi mundi habitatores (Adamo et Heva e paradiso per peccatum ejectis) exhibentur nobis a Moyse dominio seu jure proprietatis legitime prædíti, quin ideo amici Dei esse desierint. Sic Abel factus *pastor ovium* et Cain *agricola* [1], uterque fructus e proprio labore provenientes faciebat suos, et de substantia propria offerebat *munera Domino* juxta illud: *honora Dominum de tua substantia* [2]. Lot et Abraham habebant *greges ovium et armenta et tabernacula* utique propria. Imo *nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul; erat quippe substantia eorum multa* [3]: ex quo ad jurgia præcavenda facta est inter eos bonorum divisio, quam Dominus ipse approbavit. Quid ultra? libri omnes veteris et novi Testamenti abundant legibus pro singulorum proprietatibus regendis, pro tuendo unicuique jure suo in societate, pro avertendo a cujuscumque substantiis quolibet damno. Uno verbo in utroque Testamento legitur præceptum de furto non patrando: *non furaberis;* sed quomodo hoc præceptum vel concipi mente poterit sine jure proprietatis?

Prob. 2ª pars: *jus proprietatis in ipsa natura fundatur;* tolle enim in statu naturæ lapsæ jus proprietatis, et nullam amplius societatem habebis, et homines conspicies perductos ad brutorum conditionem; huc illuc in sylvis errantes instar luporum, quales barbare in deliciis habuit eos contemplari genevensis Philosophus in suo *Pacto sociali* [4]. Sublato proprietatis jure, quis amplius commerciis, quis domorum ædificiis, quis scientiarum, quis artium, quis literarum studiis, quis agrorum culturæ navaret operam, si fructus inde profecturi non sibi nec suis, sed omnibus indiscriminatim, externis etiam et incognitis, imo et otiosis prodesse deberent? *Si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas,* ad rem Angelicus [5]. Hinc merito concludit Pius IX, quod *semel admissa doctrina* (Communistarum) *omnia jura, res, proprietates ac vel ipsa humana societas funditus everterentur.* Sane si consensus omnium gentium

[1] Genes. IV. [2] Prov. III. [3] Gen. XIII.
[4] *V.* Muzzarelli, *L'Emilio disingannato;* — Bouvier, *Instit. philos., de societ. politica.*
[5] 2, 2, q. 66, a. 6. — *V.* Salzano, *Elementi di storia antica,* lib. II, digress. *Sul Comunismo;* — La-Motta, *Saggio intorno al Socialismo e alle dottrine e tendenze socialistiche;* — Taparelli, *Saggio teoretico di diritto naturale appoggiato sul fatto,* v. 1, p. 2: *Della società;* — Donoso Cortes, *Saggio sul Cattolicismo, Socialismo e Liberalismo,* ecc. Et dicenda Lib. IV, *Append.* 25, ubi plurima.

naturæ ipsius vox est, quæ natio, qui populus poterit assignari, ubi non vigeat jus proprietatis? ubi non adsint leges proprietatum custodes? ubi furtum non graviter vitetur et puniatur?

Diximus: *in eas res quas quis legitime apprehendit* etc.; nam ultro fatemur a mundi exordio res omnes fuisse communes, dicente sacra Scriptura: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum* [1]. Sed vix crescente mortalium numero, ipso naturali Jure compellente, necesse fuit a prima illa rerum communione pedetentim discedere; quia aliter vitæ securitati consuli non poterat, neque discordiæ evitari, quæ in re communi immensæ solent oriri. Verum quidem est multas etiam nunc lites oriri occasione bonorum temporalium: sed si omnia mansissent indivisa longe plures expectandæ erant. Lites igitur hac divisione si non extinctæ, admodum diminutæ sunt: non cessabunt autem omnino, nisi in patria cœlesti, quia nonnisi in patria cœlesti cessabit, ut ait d. Chrysostomus, *meum ac tuum, frigidum illud verbum* [2]. Nil ergo mirum, si ideo vel ab ipsis terræ exordiis rerum divisio induci cœperit; quod quidem ita factum est ex Lugo: *Nihil natura alicui in particulari applicuit, sed introduxit homines in mundum quasi in domum opibus refertam, ut singuli acciperent et accipiendo facerent sua ea, quæ antea erant communia omnium; sicut ligna cædua communia, antequam cædantur, sunt in dominio communitatis.....; per cæsionem vero sunt propria cædentis.*

Corollarium. — *Radicalismus, Socialismus et Fourierismus seu Systema Phalansterianum.*

301. *a)* A Communismo, tanquam rivulus a fonte, alius exortus est error magis atrox, *Radicalismus;* quia totam civilem societatem radicibus eruit imis. In eo enim situs est, ut de medio tollat quamcunque potestatem in mundo, et cujuscunque generis regimen, docens omnes, et singulos cives æquali auctoritate præditos esse, nec unum alteri præesse posse; ideoque quodcunque gubernium ipsi naturæ hominum prorsus adversari. Monstrum tam immane exhibuisse, refutasse est [3]. A Communismo differt Radicalismus, quod primus proclamat æqualitatem omnium civium in bonis; alter æqualitatem omnium civium in auctoritate: ille inficiatur jus proprietatis, iste jus imperii.

b) Radicalismus, non secus ac Communismus habebatur a plurimis utpote putidum imaginationis figmentum ad rem minime ducibile (vulgo *utopia).* Quid ergo fervescentes eorum auctores et asseclæ? ut ostenderent, et Communismum, et Radicalismum pro bono societatis ad effectum reduci posse, methodos sine numero induxerunt (et adhuc inducunt sæpe etiam secum invicem contradicentes) in Germania præsertim et Gallia; licet complures, ut minori populos timore doctrinis suis exagitent, utrumque temperare studeant, ac verbis in specie blandis et mansuetis lenire nitantur. Harum methodorum complexio generico *Socialismi* vocabulo solet designari [4].

[1] Ps. CXIII. [2] Orat. *de s. Phil.*

[3] *V.* Apologus Menenii Agrippæ de membris humani corporis adversus stomachum conspirantibus penes Titum Livium, l. II.

[4] Proudhon *ha detto:* La proprietà è un furto; *ecco il Comunismo!* Lo stesso *ha soggiunto:* Il peggior male del mondo sono i Governi; *ecco il Radicalismo!* Il Comu-

c) Inter recentiores Socialistas, præter Owen et Hegel, eminebat Carolus Fourier, cujus systema a suo auctore *Fourierismum* appellant. Iste dividit regionum incolas in varias sodalitates ac quasi cohortes, quas *phalanges industriales* nuncupat, plus vel minus numerosas pro locorum et circumstantiarum diversitate. Unicuique assignat communes domos ad domicilium, ad victum, ad artes liberales atque vulgares, ad opera, ad lucra; sub datis tamen legibus, et aliquali superiorum regimine: eo autem modo, quo nos communes monialium domus dicimus *Monasteria*, is communes suorum habitationes *Phalansteria* vocavit, ex quo Fourieiismus dictus est etiam *Systema Phalansterianum*. Et sic in deliciis habet auctor cives contemplari singulos artibus, industriæ, commerciis, opificiis et officinis suis indesinenter intentos feliciter et lætitiæ plenam vitam ducere in suis Phalansteriis, ad instar apum in suis alvearibus, et formicarum in nidis suis. — Sed hæc licet verbis pulcherrimis exornata, quomodo locum habere queant in tanta præsertim diversarum gentium multitudine, indole, genio, tenacitate, pertinacia, etc.; et quidem ad longum tempus et sine infinitis incommodis, sine horrifica familiarum et morum corruptione, et sine malis cujuscumque generis immensis, *credat Judæus Apella, non ego* [1].

CAPUT SECUNDUM

DE DOMINII OBJECTO ET SUBJECTO, AC MODIS ILLUD ACQUIRENDI ET AMITTENDI.

302. Q. 1. *Quodnam est objectum dominii?*

R. Objectum dominii sunt omnes res externæ et inferiores, quæ hominis usui subjiciuntur. Hinc Scriptura: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves: terram autem dedit filiis hominum* [2]. Res porro, quæ in hominis dominio esse possunt, sunt corporales vel incorporales, fungibiles vel non fungibiles, mobiles vel immobiles.

1. Corporales et incorporales. *Corporales*, sunt quæ sensibus obnoxiæ, uti vestis, fundus, domus. *Incorporales* vero quæ percipiuntur tantummodo intellectu, et in jure consistunt, uti jus nominandi ad Beneficium, jus hæreditatis.

nista *grida:* morte a' ricchi, morte a chi tien servitori! Il Radicalista *soggiunge:* morte ai Re, morte a chiunque governa. *Il Comunismo si accontenterebbe di riforme governative; il Radicalismo vuol cambiare la radice stessa della società:* » en discrimen.

Auctor libri, *Saggio sul Socialismo* distingue: « Il Socialismo mistico e sensuale di Sansimon; il Socialismo anarchico e trascendentalmente empio del Proudhon; il Socialismo operativo e militare di Mazzini. »

[1] Horatius, *Sat.*, l. I, sat. 5. « La ragione e la storia c' insegnano che società per tal modo non si crearono giammai, e l'esperienza ci mostra che le presenti non si governano nè stanno per simile principio. Or che varrà una dottrina impossibile in atto? Il mezzo migliore per convincere di falsità una teoria che ha per fine la pratica, è il provarla ineseguibile. » Balmes, *Il Protestantesimo*, ecc., t. II.

[2] Ps. VIII et CXIII. Hoc autem in bruta animantia dominium, etsi post peccatum quoad exercitium atque usum fuerit imminutum; idem tamen profecto est quoad jus et potestatem, dicente Domino adhuc post diluvium Noe et filiis ejus (Gen. IX): *terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ.*

2. Fungibiles et non fungibiles. *Fungibiles* sunt illæ res, quarum talis est natura, ut aliarum rerum vice fungi possint, et unæ aliis æquivalenter substitui, ut vinum, oleum ; et hoc maxime evenit in his quæ usu consummuntur. *Non fungibiles* sunt illæ res quæ tradi debent in natura, quia non de facili ab alia repræsentari possunt, uti pictura, scrinium, etc.

3. Mobiles et immobiles. *Mobiles*, quæ soli partem non faciunt, sed loci mutationem de facili recipiunt: et aliæ tales sunt ex *natura propria*, quæ nempe vel se ipsas movent, uti animalia; vel moventur, id est facile de uno in alium locum transferri possunt, uti massa auri, libri, numismata, etsi in unum collecta. Aliæ tales sunt ex ipsa legis civilis determinatione: et sunt 1) jura, obligationes et actiones etiam hypotheca munitæ, si referantur ad pecunias aut res mobiles; 2) proventus perpetui aut vitalitii; 3) quota sociorum in commercio et industria, quousque durat societas etsi ad illam bona immobilia pertineant; 4) omnia natantia non expresse comprehensa inter immobilia; 5) materiæ diruti ædificii vel ad ædificium costruendum congestæ.

Immobiles e contrario appellantur res quæ transferri nequeunt, et triplices sunt generis. Nempe vel tales sunt *ex natura sua:* et sunt 1) terrena ædificia, moletrinæ stabiles, et quævis opera alicujus ædificii partes; 2) moletrinæ natantes, balnearia et aliæ natantes fabricæ catenis vel restibus litori adfixæ, et ob quarum usum in litore ædificium existit: item fontes, piscinæ, cursus et ductus aquarum ad aliquod ædificium destinati; 3) fructus terræ et arborum et ipsæ arbores nondum separatæ solo. Vel tales sunt *propter earum destinationem*, uti ea quæ a proprietario alicujus fundi vel opificii data sunt ad colturam et usum; etiam animalia, v. g., columbi, cuniculi, pisces, alvearea, quamvis prius æstimata. Item quæ fundo plumbo, gypso, calce, etc., connexa sunt, ut ibi semper maneant, adeo ut sine eorum aut fundi detrimento auferri nequeant [1]. Vel tales sunt *propter objectum* quod spectant, et ita reputantur: 1) jura in fundis ad emphytheusim datis; 2) jura usufructus et habitationis, itemque usus rerum immobilium; 3) servitutes prædiales; 4) actiones ad vindicandum rem immobilem, vel jura ad ipsam rem spectantia.

303. Q. 2. *An vita hominis sit objectum illius dominii?*

R. Affirmative, si sermo sit de dominio utili; Deus enim reliquit

1 « Gli specchi, i quadri ed altri ornamenti si reputano stabilmente uniti all'edifizio, quando formano corpo col tavolato, colla parete o col soffitto. — Le statue si reputano immobili, quando sono collocate in una nicchia formata per esse espressamente, o quando fanno parte di un edifizio nel modo sopra indicato » (id est plumbo, gypso, etc.). Hæc *Codex civilis*, art. 407; — *C. G.* 524; — *C. T.* 171.

illum in manu consilii sui, ut bene agendo vitam consequatur æternam. At negative si sermo sit de dominio directo et proprie dicto, ita ut possit illam ad libitum extinguere vel conservare; solus enim Deus sicut vitæ hominis auctor est et conservator, ita solus est etiam ejusdem dominus: *tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem;* et ipse Deus ajebat de se ipso: *ego occidam, et ego vivere faciam* [1]. Idem docuerunt ipsi pagani: hinc Cicero *(De senectute)* refert Pythagoram dixisse: *Nemini fas esse injussu imperatoris summi Dei, de præsidio et statione vitæ discedere.* Ex quo consequitur, hominem absque divina auctoritate nunquam posse directe seipsum occidere: quia injuria irrogaretur Deo.

Diximus: 1) *absque divina auctoritate;* res aliter esset, si divina auctoritas haberetur, uti adfuit in Samsone [2]; item in aliquibus Religionis christianæ Martyribus; 2) *directe*, quia aliquando fas est indirecte se interimere: scilicet fas est gravi, ac justa de causa aliquid vel facere vel omittere vel permittere, ex quo mors propria sequatur, modo minime intendatur; præceptum enim conservandi vel defendendi vitam est affirmativum, ideoque non obligat semper et pro semper. Imo desinit obligare propter necessitatem aut magnam utilitatem; nam, ex principio tradito a s. Thoma, licet ob rationes sufficientem ponere causam in se bonam duos effectus habituram, bonum nempe intendendo et malum permittendo. Hinc potest quis navem incendere vel mergere, ne inimici ea potiantur cum gravi reipublicæ damno: etsi prævideat et se mersum iri; cum sui perditio non sit directe volita.

304. Q. 3. *An Respublica habeat dominium in subditos?*

R. Respublica habet utique dominium in sibi subjectos quoad eos gubernandos ac regendos; præcipit enim Deus, ut illi subditi simus. At si Respublica ratione sui dominatur subditorum actibus, non tamen directum dominium habet in eorum vitam, ut eam ad libitum auferat; id enim solius est Dei. Attamen id habet indirecte ratione publici boni, cui providere tenetur; ideo quando bonum illud expostulat, potest subditorum vitam in bello exponere: potest item scelestos interficere, utpote custos tranquillitatis publicæ, eo modo quo custos vitæ suæ potest putridum ejus membrum resecare pro salute totius. Hinc Apostolus: *Vis non timere potestatem? bonum fac...; si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malum agit* [3].

[1] Sap. XVI; et Deut. XXXII, v. 39.
[2] Plurimi tamen censent, Samsonem etiam sola virtute muneris sui, judicis ac liberatoris Israel, potuisse hostibus populi sui interitum moliri, quamvis prævideret se mortem effugere non posse. — *V.* A-Lapide et Veith, *Comment.* in Lib. *Judicum.*
[3] Rom. XIII.

305. Q. 4. *An homo habeat dominium propriæ famæ?*

R. Affirmative; quia fama est fructus nostræ industriæ, meritis nempe nostris productus; et ideo licitum est nobis illam prodigere. Quare homo potest justa de causa se infamia afficere, v. g., ad petendum consilium, ad coercendam superbiam, ad procurandam humilitatem, ad Dei misericordiam commendandam, ad famam alteri restituendam et similia.

Diximus: *justa de causa;* aliter est contra rationem. Huc spectat illud Ecclesiastici: *curam habe de bono nomine* [1], et hoc magis si infamia redundet in dedecus status aut conditionis propriæ, v. g., Clericatus, Instituti religiosi, familiæ. Vel si officiat proprii muneris executioni, Parochi, Magistri, Rectoris. Vel si scandalum afferat, quod in ecclesiasticis maxime locum habet: *Nobis enim*, huc facit illud d. Augustini, *necessaria est vita nostra, aliis fama nostra* [2] *(C).*

306. Q. 5. *Quodnam est dominii subjectum?*

R. Certum est, omnem et solam substantiam intellectualem dominii esse capacem: dominium enim est legitima facultas disponendi pro libitu de re aliqua tanquam sua; atqui omnis et sola substantia intellectualis hanc facultatem habere potest [3]. Deo quidem soli competit supremum, absolutum et independens dominium in res creatas, clamante Scriptura: *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo* [4]. Imo hoc dominium nulli potest communicare, quia pendet a creatione et conservatione, quibus Deus abdicare se nequit. Id tamen non impedit, quominus Deus queat dominium particulare communicare creaturis rationabilibus, juxta illud: *terram autem dedit filiis hominum* [5].

Art. I. — *De dominio infidelium et peccatorum, parvulorum et amentium, Ecclesiæ et Ecclesiasticorum.*

307. Q. 1. *An infideles, hæretici et peccatores sint capaces dominii?*

R. Joannes Hus et Wiclephus docuerunt, non esse dominii capaces qui sunt in statu peccati mortalis: *nullus est dominus civilis*, inquit, *nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.*

Sed falsum omnino; infideles enim, hæretici et peccatores etiam actu quo sunt in peccato mortali, non carent libero arbitrio et facultate disponendi de quacunque re tanquam sua; cum rationalis natura, non vero fides aut charitas sit dominii fundamentum. Hinc ex sacra Scriptura veri domini habiti sunt tum principes infideles, Pharao, Cyrus aliique; tum reges peccatores, David, Salomon et alii.

[1] Cap. XLI. [2] *De bono viduitatis*, c. XXII.
[3] Ergo etiam Angeli; tamen de facto rerum externarum sunt tantum administratores ex ipsis sacris Literis. [4] Ps. XXIII. [5] Ps. CXIII.

Hinc in Concilio Constantiensi diris devota est dicta Hussitarum et Wiclephitarum propositio. Et Augustinus : *Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis; regnum vero terrenum et piis et impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet* [1].

308. Q. 2. *An parvuli et amentes sint capaces dominii?*

R. Parvuli et amentes, etsi actu careant rationis usu, attamen sunt capaces dominii; nam usus rationis necessarius est ad disponendum hic et nunc de bonis, seu ad usum dominii; non vero ad habendam possessionem seu dominium habituale, quod quidem immediate fundatur in potentiis: porro potentiæ usum rationis præcedunt. Adde: si isti non essent dominii capaces, eorum bona pertinerent vel ad rempublicam vel fierent bona nullius; atqui hæc dicere repugnat. Hinc Apostolus de parvulo scribit: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium* [2]. Quod etiam ad amentes extendi debet, cum eadem sit ratio. Idipsum firmatur omnium populorum usu.

309. Q. 3. *Ecclesia est capax legitimi dominii in bona temporalia?*

R. Christum Ecclesiæ omnibusque clericis prohibuisse bona temporalia possidere contendebat sæculo XII Arnaldus de Brixia, turbulentus ille homo *quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere* [3]; sæculo XIII Waldenses; sæculo XIV Marsilius Paduanus et Wiclephus, et XVI Lutherus. His accesserunt plures moderni publicistæ, ac nonnulli Theologi jansenistarum placitis addicti, qui jus Ecclesiæ ad sola spiritualia restringunt, contendentes, quoad res temporales, nullum Ecclesiæ jus competere, nisi ex mera legis civilis concessione.

Attamen quod Ecclesia natura sua jure polleat acquirendi et possidendi quæcunque bona temporalia stabilia et frugifera de fide est: et *veluti innumera prope Conciliorum acta* (ut utamur verbis Pii Pp. IX Allocut. *Quibus luctuosissimis*, 5 sept. 1851) *et ss. Patrum sententiæ et exempla, et RR. Pontificum constitutiones apertissime loquuntur, sapientissime docent ac demonstrant.* Concilium autem Constantiense damnavit contrariam doctrinam Wiclephi, et Pius IX laudatus eundem errorem proscripsit in *Syllabo*. Accedit consensus omnium populorum qui ubique ac semper suas Ecclesias independenter a principe dotare non dubitarunt. Accedit invictum præscriptionis argumentum; siquidem historia refert, Ecclesiam bona immobilia vel ante Con-

[1] Lib. v *de Civ. Dei*, c. 21. [2] Gal. IV.
[3] Ex d. Bernardo *Epist.* CXCVI. — V. *Civ. Catt.* ser. 3ª, t. 4, 5, 6 : *Arnaldo da Brescia.*

stantinum libere possedisse. Accedit ratio: Ecclesia suam habet a Deo existentiam a Statu et principibus independentem; est ergo societas sui juris, perfecta, quæ cum inter homines sit exercenda et ab hominibus, proprietatibus indiget. Adsunt ministri, ædes sacræ, clericorum educatio, cultus instrumenta, solemnitates, sacrificia, et alia plurima. Hinc Ecclesiæ divitias V ineunte sæculo jam carpentibus nonnullis respondebat Chrysostomus: *Cum facultatum Ecclesiæ magnitudinem perspicis, cogita etiam inscriptorum pauperum turbam, infirmorum multitudinem, innumerarum expensarum necessitatem*, etc. [1].

Hinc omnium bonorum Ecclesiæ usurpationes, distractiones, alienationes, sine ecclesiastica auctoritate peractæ, irritæ prorsus ac nullæ semper fuerunt habitæ. Et Tridentinum contra omnes, quacumque dignitate etiam regali præditos, qui bona, fructus, jura, reditus Beneficiorum, piorum locorum aut Ecclesiarum, vel per se, vel per alios, quacunque arte aut quæsito colore usurpare præsumpserint, seu impedire ne ab iis ad quos pertinent percipiantur, graves pœnas tulit.

Sunt: 1) excommunicatio major latæ sententiæ et reservata Pontifici; 2) privatio ipso facto Jurispatronatus, si tali jure sit præditus usurpator; 3) privatio Beneficiorum, et inhabilitas ad alia obtinenda. *Clericus vero* (addit Concilium) *qui nefandæ fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat; necnon quibuscunque Beneficiis privatus sit, et ad quæcunque alia Beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendatur* [2] (notent ecclesiastici illud: *seu consentiens)*. Quæ quidem omnia, renovatis usurpationibus, jugiter renovarunt Romani Pontifices, ultimo Pius IX, Allocutionibus, *Probe memineritis* 22 jan. 1855; *Cum sæpe* 27 junii 1855; *Nunquam fore* 15 dec. 1856; *Cum catholica* 26 martii 1860; *Incredibili* 17 sept. 1863; *Universus* 20 sept. 1867; etc.

310. Q. 4. *An clerici bona temporalia possidere possint?*

R. 1: Bona clericorum sunt vel patrimonialia, vel quasi-patrimonialia, vel ecclesiastica [3].

Bona patrimonialia clerico obveniunt independenter a ministerio aut Beneficio ecclesiastico; sed ex titulo laicis quoque communi, hæreditate, donatione, officio docendi profana, etc.

Bona quasi-patrimonialia sunt quæ clericis, qua talibus obveniunt, sed per modum stipendii, ex functionibus et officiis ecclesiasticis, ex munere docendi Theologiam vel sacram Scripturam, ex Sacramentorum administratione, concionibus, Missis, benedictionibus, funeribus, anniversariis. Item alii incerti Parochorum proventus ex

1 Hom. XXI *in* 1 *Corinth.* — *V.* Thomassinus, *Vetus et Nova Ecclesiæ Disciplina*, par. 3ª, l. 1. — Ferraris; V. *Bona*, a. 3. — Carrière, *De Justitia et Jure*, nn. 94 et seqq. — Affre, *Traité de la propriété des biens ecclesiastiques*. Et plurima disputata Lib. IV. *Append.* 31 et seqq. De bonis autem Ecclesiæ administrandis, distribuendis, non alienandis; vide Lib. III, nn. 643 et seqq.

2 Sess. XXII, c. 11 *de Ref.*

3 De dominio religiosorum actum est *De obligationibus.*

stola, vulgo *incerti;* dantur enim illis ut quoddam stipendium. Item fructus piorum legatorum, Beneficiique laicalis. Imo veniunt etiam distributiones qnotidianæ, quæ dantur Canonicis; quia istæ non tribuuntur immediate ob titulum Beneficii (quamvis ex titulo Beneficii proveniant); sed ob servitium, uti merum personæ stipendium. Hæc bona dicuntur etiam *industrialia.*

Bona ecclesiastica clerici immediate acquirunt ex Beneficiis ecclesiasticis: huc referuntur etiam bona, quæ *titulo supplementi* a gubernio solvuntur Pastoribus et Canonicis, ut declaravit S. Pœnitentiaria 19 jan. 1819; cum locum teneant eorum bonorum sacrorum, quæ inique vendita fuerunt. Item decimæ quæ sunt pars præbendæ. Bona autem ipsa ecclesiastica triplici sub respectu consideranda sunt: 1) vel tanquam honestæ clericorum sustentationi necessaria; 2) vel tanquam studiosa quadam frugalitate a necessaria vitæ sustentatione subtracta, et dicuntur *parsimonialia;* 3) vel tanquam superflua, quæ scilicet supersunt honestæ ac necessariæ sustentationi [1]. Hoc posito:

R. 2: Si sermo sit *de bonis patrimonialibus* seu profanis, certum est clericos esse absolutos illorum dominos; et si sacra et ecclesiastica consulatur historia, patebit, clericos iis etiam temporibus, quibus hæretici fatentur Ecclesiam fuisse puram, et sine macula, bona temporalia possedisse tam mobilia quam immobilia. Sic discipuli cum Christo ipso vitam agentes habebant pecuniam qua emerent escas: *eamus et emamus in omnem hanc turbam escas* [2]. S. Matthæus jam Domini discipulus habuit domum, ubi excepit Christum: *secutus est eum, et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua* [3]. S. Joannes domum item habuit, uti excepit B. Virginem post Christi mortem, uti notat Epiphanius [4]. S. Philippus diaconus domum habebat Cæsareæ, ubi fideles hospitio recipiebat.

Si sermo sit *de bonis quasi-patrimonialibus*, Antoine, Habert et Collet tenent, clericos perfectum non habere dominium; hæc sunt enim res sacræ, cum ex sacris proveniant. Verum Anacletus, Bergier, Billuart, Lugo, Lessius, Salmanticenses, Sanchez et Sylvius cum Benedicto XIV [5], et aliis communiter docent, clericos eorun-

[1] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 111 et 490. It. Navarrus, Raynaudus, Ferraris, Carrière.

[2] Luc. IX; et Joann. IV. [3] Luc. V. [4] Hæres. LXXVIII.

[5] *De Canoniz. SS.*, l. III, c. 34, n. 23. Quæ quidem sententia (ait Bouvier, *Inst. Theol.* t. VI, p. 16. Edit. 6, 1846) longe probabilior nobis videtur ob sequentes rationes:

1) Benedictus XIV (*De Syn. Dioc.*, l. V, c. 8, n. 5) probat ex Regula Metensibus Canonicis data a sancto episcopo Chrodegango sub fine sæculi VIII, eleemosynas pro Missis vel pro alia functione sacra receptas, in quoslibet usus, pro voluntate accipientis, expendi posse; 2) pro ea opinione multo communius stant auctores. Imo S. Pœnitentiaria interrogata, an responsio ab ipsa die 19 jan., 1819, data relate ad salaria

dem verum habere dominium; quia fideles bona hujusmodi clericis elargiuntur uti iisdem debita ob ministerium personale, eaque liberæ eorum dispositioni relinquunt; cum quilibet operarius dignus sit mercede. Præterea bona ista vel ad clericos pertinent vel ad Ecclesiam vel ad donatores; at non ad Ecclesiam, quia ipsi nunquam fuerunt appropriata; non ad donatores, quia iisdem se penitus abdicarunt; ergo clericorum sunt.

Si tandem quæstio est *de bonis ecclesiasticis*, an illorum clerici sint domini, notandum hic nomine bonorum ecclesiasticorum non intelligi fundos quos certo clerici alienare nequeunt; cum eorum dominium sit penes Ecclesiam, clerici autem sint simplices fructuari; sed intelliguntur reditus inde provenientes. Pono, vel agitur de reditibus seu bonis ecclesiasticis honestæ *sustentationi necessariis;* vel de *parsimonialibus;* vel de *superfluis.*

a) Si agatur de iis ecclesiasticis bonis, quæ honestæ clericorum sustentationi *necessaria sunt*, certum est clericos esse veros eorum dominos; nam respectu eorum illi se habent tanquam operarii, qui sibi acquirunt dominium stipendii sui; *quis militat suis stipendiis unquam?* inquiebat Apostolus: *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* [1]. Hinc Concilium Costantiense damnavit Wiclephum, qui asserebat decimas esse meras eleemosynas, quibus clerici ob eorum peccata possunt a populis expoliari. Quid autem intelligendum sit pro honesta sustentatione, non potest definiri æqualiter respectu omnium; plus enim congruit Episcopo quam Canonico, plus Canonico in Ecclesia cathedrali quam simplici presbytero, plus in uno loco quam in alio. Ideo attendi potius debet ad usum aliorum timoratæ conscientiæ in eodem gradu, et in iisdem circumstantiis rerum, locorum et temporum. Nec refert, si jam ex patrimonialibus habeat clericus unde vivat, et dives sit; rationi enim consonum est, ut omnis *qui servit altari, de altari vivere possit.* Neque divites inservientes reipublicæ injuste stipendia accipiunt, quia divites: idque expresse tenet Angelicus, qui tantum excipit casum, quo nempe subveniendum sit pauperi in gravi necessitate; quia tunc clericus jam habens superfluum statui, graviter egenti succurrere tenetur ipso Jure naturæ.

b) Si agatur de bonis ecclesiasticis *parsimonialibus*, pariter docent Anacletus, Cabassutius, Covarruvias, Gousset, Lessius, Navar-

a Gubernio soluta, extendi deberet ad oblationes fidelium; respondit die 9 aug., 1821: *negative;* magis adhuc expresse locuta est de vero dominio clericorum circa hujusmodi bona, die 9 jan. 1823...

Ad hujusmodi bona pertinent etiam distributiones chorales, jura curalia, et variæ oblationes personis ecclesiasticis datæ, non vero Ecclesiis appropriatæ.

1 I, Cor. IX. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 180; — Carrière, *De Justit.*, n. 177.

rus aliique communiter contra paucos, ecclesiasticis competere verum eorum dominium; talia enim bona dantur uti stipendia laborum iis, qui Ecclesiæ inserviunt. Ergo siquis ab ea sustentatione, ad quam jus habet, studiosa frugalitate et parsimonia quidquam sciverit sibi subtrahere, poterit de illo ad arbitrium disponere; sunt enim detracta ex iis, quæ jam sua sunt. Aliunde absurdum videtur, quod ad eorum acquirendum dominium sint consumenda: si ita esset, eum parsimonia faceret deterioris conditionis. Idem docet s. Thomas: *de his quæ sunt specialiter suo usui deputata* (nempe clerici), *videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis* [1].

c) Si demum agatur de bonis ecclesiasticis *superfluis*, omnes concedunt, beneficiarios sub mortali teneri (saltem ex virtute Religionis et præcepto charitatis) reditus propriæ sustentationi superfluos in usus pios vel in pauperes erogare; nam sunt bona dicata Deo ac pietate donata. Hinc Tridentinum eos graviter prohibet, ne in usus profanos expendat: et *omnino eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant; cum et Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa* [2]. Ceterum notant communiter, quod peccatum expendendi superflua in usus profanos, ut pertingat ad mortale, majorem requirit materiam quam in furto: d. Thomas requirit *multum excessum* [3]. Sed quinam multus excessus, disputant; verius sufficit pars vigesima: unde si ecclesiasticus ex vigintimillibus superfluis mille expendat in usus profanos, nempe quinque pro quolibet centenario, graviter peccat.

311. Sed difficultas est: *An beneficiatus teneatur etiam ex justitia ad superflua pauperibus distribuenda, ita ut negligens non tantum peccet pro gravitate materiæ; sed an insuper teneatur ad restitutionem?*

R. Sententia nobis probabilior affirmat cum Antoine, Habert, Concina, Laymano, Roncaglia aliisque non paucis; quia nulla ratione probatur, beneficiatum adipisci dominium horum fructuum: et si forte adipiscitur, acquirit tantummodo quoddam dominium limitatum juxta mentem Ecclesiæ ac intentionem fidelium, nempe cum onere adnexo superfluum dispensandi pauperibus. Hinc ss. Patres Basilius, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Bernardus, et plurima Concilia hæc bona appellant *bona pauperum, patrimonia egenorum, pretia peccatorum, vota fidelium, bona dominica* [4]. Ergo clerici sunt dispensatores, non vero

[1] 2, 2, q. 185, a. 7. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. x, n. 6; *Opus Mor.*, l. III, n. 489.

[2] Sess. XXV, c. 1 *de Ref.*

[3] 2, 2, q. 185, a. 7. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 491.

[4] *Basilius*, ad Jul. Apostat.; *Augustinus*, in Conc. Cartag. IV; *Hieronymus*, in c. III Isaiæ; *Ambrosius*, Epist. XXXI ad Valentinianum; *Bernardus* ad Nepot.
Ita Concilium *Turonense*, anno 813; *Aquisgranense*, anno 816; *Parisiense*, anno 829; *Valentinum*, anno 855.

domini: ideoque omne, quod ex illis superest, ex stricto justitiæ rigore pauperibus reddere debent.

Hoc tamen non obstante, negari non potest oppositam sententiam, quæ est valde communior inter recentiores, quamque inter ceteros tuentur s. Antoninus, Billuart, Cabassutius, Grassi, Holzman, Lessius, Lugo, Salmanticenses, Sylvius, Schmalzgrüber cum aliis, satis esse probabilem præsertim ob auctoritatem d. Thomæ, qui expresse docet, quod de bonis Beneficiorum eadem habetur ratio quæ de bonis patrimonialibus [1], id est quoad dominium et immunitatem a restitutione; non autem quoad obligationem charitatis. Hinc s. Doctor aperte dicit in alio loco, quod si clericus abutitur fructibus suæ præbendæ, *non tenetur ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam peragendam* [2]. Verba autem Patrum ac Conciliorum non videntur ita rigorose accipienda hodie præsertim; quia cum habeatur facta (ut Angelicus tenet pro certo) rerum ecclesiasticarum divisio vel per ipsos Pontifices vel pedetentim per ipsum usum, fuit tributum unicuique suum, nempe Episcopo, Clericis, Ecclesiæ et pauperibus: ideo sublata est omnis materia justitiæ. Quidquid sit, concludamus cum Benedicto XIV, qui ita Episcopos alloquitur: *Urgeant ipsi et inculcent suis clericis ex Ecclesiæ stipendiis victitantibus gravem obligationem, quam habent, elargiendi pauperibus aliisque piis usibus applicandi sibi redundantes ecclesiasticos reditus; sed adhuc latentem hujus obligationis originem non investigent* [3].

312. Q. 5. *An omnia superflua sint eroganda absolute pauperibus?*

R. Exclusa gravi pauperum necessitate, potest ecclesiasticus bona superflua impendere in quoscunque usus pios, puta ad Dei cultum augendum; nam Tridentinum dicit *ne dissipentur bona Beneficii* [4]; non censentur autem dissipari, si ad usus pios applicentur, quamvis non dentur pauperibus. Imo possunt etiam servari in usus pios futuros, ut ipse docet Angelicus: *Siquis necessitate non imminente providendi pauperibus, de his quæ superfluunt ex proventibus Ecclesiæ, possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum utilitati Ecclesiæ et necessitatibus pauperum, laudabiliter facit* [5]. Attamen maxima cautela est adhibenda, et citius quoad potest rite disponendum est, ne de die in diem differendo, illico veniat mors, et bona illa non ad pia loca, sed ad parentes perveniant: quod non raro lugendum est.

Diximus: *exclusa gravi necessitate;* si enim pauperes ea laborarent tam spirituali quam temporali, nequiret beneficiarius superflua in alios usus impendere; quia urgeret præceptum naturale, vi cujus qui habet statui superflua, ea tenetur sub gravi pauperibus elargiri. Veniunt nomine *pauperum* non solum ostiatim mendicantes; sed etiam qui sine alieno subsidio nequeunt honestum suum statum conservare, quia sunt

[1] 2, 2, q. 185, a. 7. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 184.

[2] Quodl. 6, q. 7, a. 12, « Neque vero (ad rem Sylvius doctissimus ac felix mentis Angelici interpres) recipienda est expositio Navarri dicentis, s. Thomam esse intelligendum de illa dumtaxat parte, quæ ad ejus honestos sumptus est necessaria; clarum enim est ex textu, ipsum loqui de omnibus bonis, quæ usui Episcopi sunt specialiter deputata; atque distinguere ab iis, quæ sunt deputata usibus vel pauperum vel ministrorum, vel fabricæ Ecclesiæ. » — *V.* Carrière, *De Justitia*, n. 158.

[3] *De Syn. Diœc.*, l. VII, c. 2. Ceterum *parum refert utrum Prælatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra justitiam, an vero quia peccavit contra charitatem, non bene distribuendo facultates suas ecclesiasticas:* ita Bellarminus.

[4] Sess. XXV, c. 1 *de R.*

[5] 2, 2, q. 105, a. 4. At hodie multæ et quotidianæ habentur necessitates, adeo ut non facile valeant excusari clerici sub quocunque prætextu thesaurizantes.

pauperes in proprio statu. Quod quidem ad ipsos beneficiarii consanguineos extendendum est, qui statum suum sustinere nequeunt quin ipsius beneficiarii eleemosynis reficiantur : imo postulat charitatis ordo, ut beneficiatus prius subveniat pauperibus consanguineis, quibus tamen tribuendum est *moderate, idest ut non indigeant, non ut ditiores fiant* [1]. Si vero adsint pauperes ipsis consanguineis egentiores, videntur etiam in hoc casu posse consanguinei præferri ; quia subventio propinquorum egentium pertinet ad proprium statum clerico ipso servandum ; cum eorum quodammodo paupertas in ejus dedecus redundet. Hinc dicit Croix, quod sub nomine *victus* et *decentiæ status* veniunt omnia necessaria ad se et familiam suam sustentandam ; atque quoque proximi ad familiam spectant parentes, fratres, nepotes et alii quoque proximi consanguinei *(D)*.

Articulus II. — *De dominio filiorumfamilias, de patria potestate et uxorum bonis.*

313. Q. 1. *Quid de bonis filiorumfamilias?*

R. Jus noluit filiosfamilias omnibus bonis spoliare; quæ autem bona ipsis conceduntur, cum constituant parvulum quasi patrimonium, *peculii* nomine solent appellari [2]. Porro quousque filii legitimi vel legitimati sunt sub patria potestate [3], habent quidem suorum bonorum proprietatem ; sed parentes et administrationem tenent et usumfructum consequantur, si quædam excipiantur.

1. *Administrationem tenent;* neque enim filii in illa ætate satis experti habentur, ut utiliter propria bona ministrent (*art.* 224) [4].

2. *Usumfructum consequuntur*, et in propriam utilitatem convertunt proventus bonorum, quæ filiis obveniunt vi successionis, donationis vel alterius tituli lucrativi. Hoc concessum est parentibus a lege ad eorum curas compensandas: quod quidem peculium adventitium dicebatur (*art.* 228).

3. *Si quædam excipiantur,* nempe bona *(olim castrensia* et *quasi-castrensia* nuncupata), quorum quidem usumfructum consequuntur ipsi filiifamilias. Hoc evenit 1) quando ususfructus præcise filio tribuitur sub conditione expressa, quod pater de eo frui non debeat (hæc conditio tamen nullius roboris erit, si agatur de bonis filio

[1] S. Thomas, 2, 2, q. 185, a. 7. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 491, q. 2.

[2] Codices civiles moderni nomina *bonorum castrensium, quasi-castrensium, adventitiorum* ac *profectitiorum* omittunt; etsi adhuc in re plerumque conveniant.

[3] Hoc non currit de filiis naturalibus, cum ex art. 124 *Cod.* patria potestas fundetur in legitimitate.

[4] Si mater vidua velit ad alias nuptias transire, antea debet convocare consilium familias ut deliberet, an adhuc matri sit tribuenda bonorum filiorum administratio; et illius etiam est conditiones apponere quoad ipsam administrationem et filiorum educationem. Quod si non convocetur, mater amittit omne jus et novus conjux tenetur in solidum respondere de ipsa administratione (art. 237, 238).

titulo legitimæ reservatis); 2) quando bona filiis donata aut relicta sunt hoc pacto, ut aliquam artem vel professionem acquirat; 3) quando filio quidquam confertur, patre contradicente; 4) quando filius bona sibi acquisierit causa vel occasione militiæ; vel ex alicujus officii gestione, vel ex proprio labore, arte et industria separatim a negotio patris, nempe sibi unice propria, uti pictura, musica (*art.* 229) [1].

314. Q. 2. *Quænam sunt onera ususfructus parentum, et quandonam ususfructus cessat?*

R. Ad 1: Ex lege civili: *Sono inerenti all'usufrutto legale i seguenti pesi*: 1) *le spese di mantenimento, educazione ed istruzione del figlio;* 2) *il pagamento delle annualità, o degli interessi de' capitali che decorrono dal giorno in cui si apre l'usufrutto;* 3) *tutti gli altri obblighi ai quali sono soggetti gli usufruttuari* (art. 230) [2].

R. Ad 2: Ususfructus cessat: 1) si filius moriatur, emancipetur, matrimonium contrahat vel fiat ætate major, id est si compleverit ætatem 21 annorum; 2) si genitor ad secundas nuptias transierit; 3) si pater patria potestate abutatur aut obligationes non curando, aut bona male administrando: quo in casu poterit vel in parte vel etiam in toto usufructu privari; et tunc ususfructus devolvitur ad matrem, etsi adhuc remaneat apud patrem patria potestas. Quod si cessante usufructu, adhuc pergant parentes illum percipere, filio apud ipsos morante, quin inita fuerit conditio reddendæ rationis ipsi vel ejus hæredes, non tenentur nisi ad fructus existentes a die quo postulantur (*art.* 234).

315. *An* (quæres) *filiifamilias possint sibi in conscientia vindicare aliquod lucrum seu stipendium exigere a patre, ideo quia in ejus negotio aut ejus nomine laborant ipsumque adjuvant, vel ejus bona administrant?*

R. Si in negotio patris impendunt laborem ordinarium, citra conventionem, nihil sibi retinere possunt filiifamilias, quia lucra eo in casu non sibi, sed patri acquirunt; censentur enim agere uti partes familiæ. Hæc autem sunt bona illa quæ *profectitia* dicebantur, quorum usumfructum et proprietatem pertinent ad parentes.

[1] *C. A.* 149; — *C. G.* 384; — *C. S.* 301; — *C. P.* 92; — *C. M.* 129; — *C. H.* 9; — *C. T.* 103. Hic non includitur thesaurus vel a filio vel in illius fundo inventus, quia thesauri notio excludit ideam laboris et industriæ. *Durantus.* Vide Carrière, *De Justitia*, n. 230.

[2] An ex obligatione justitiæ stricte sumptæ hæc omnia præstare debeat pater, adeo ut si deficiat teneatur filio restituere, alii negant, quia inter patrem et filium non adest cum rigore alternitas, quum filius videatur esse pars patris et quasi alter ipse. Alii affirmant, quia hic agitur de meo et tuo, circa quod pater et filius sunt duæ personæ diversæ. Alii vero distinguunt: in iis ad quæ jam tenetur pater ratione pietatis, nulla stricta obligatione commutativæ justitiæ tenetur: hinc si pater non aluit filium, si non educavit, non ei tribuit expensas necessarias, etc., non ideo debet aliquid restituere de usufructu, quod percipit: sed pœniteat et provideat in posterum. Si vero in ceteris deficit, ut si pater furetur a filio emancipato vel etiam non emancipato de iis bonis, quorum dominium et usus pertinet ad filium, peccat contra justitiam, et damnum ei refundere debet; item est si detrahat filio, etc. *Lugo.*

Quid sane magis congruum, quam ut filii patrem adjuvent in sua arte, quam inde et ipsi addiscunt? ideo filii censentur laborare uti membra familiæ, et sic lucrum familiæ cedere debet.

Si vero in iis negotiis impendant laborem extraordinarium, et præ ceteris fratribus, vel sororibus adlaborent, patrimonium paternum non parum augendo, aliquod lucrum super alios sibi vindicare possunt, uti docent Angelus, Bartolus, Billuart, Cabassutius, Collet, Decius, Elbel, Ituriaga, Lessius, Lugo, Pontas, etc. Nam ex una parte filiifamilias, non censentur deterioris conditionis, quam sit extraneus, cui in hoc casu concederetur stipendium illius excessus; ex alia parte nullo jure extraordinaria illa titulo gratuito adjudicantur patri. Et axioma est a Romana lege sancitum et ab omnibus admissum, vel saltem in præsenti casu admittendum: *pietatem liberi parentibus, non opera debent* [1]. Unde filii possunt sibi compensare illa lucra, si ex rubore non petierint, neque remiserint gratis laborare volendo, vel nisi remittere debuerint ob patris necessitatem. Sed deducendæ sunt expensæ, quas pater fecerit in alendo, educando ac vestiendo filio; eas enim ipse dare non tenebatur filio potenti lucrari et volenti; cum tunc filius habeatur potius quasi unus de mercenariis patris [2].

316. *An* (addes) *filiusfamilias perfectum habeat dominium in bona minuta ac mobilia, quæ sibi a parentibus tradita sunt?*

R. Si hæc bona tradita a parentibus non sunt illico usu consumptibilia, uti vestes, libri, filiusfamilias utile tantum habebit in iis dominium; nam ex communi sensu tunc illa non habentur uti absolute donata, et parentes solent in filiis suis de hisce bonis improbare dispositiones, ipsis inconsultis. Ideo nequeunt filii illa absque parentum consensu expresso, vel rationabiliter præsumpto, donare, vendere, mutuare, alienare.

Si vero ea bona primo usu consummuntur, ut pecunia, si sint data sine ulla conditione, potest filius de iis pro nutu disponere, ut patet. Si autem data sint sub conditione aliqua, v. g., emendi libros scholasticos, solvendi pensionem, filius nullimode habet dominium in illa; ideo si alium in finem impenderet, v. g., si pecuniam datam pro pensionis solutione in ludo consummeret, peccaret contra justitiam; cum disponeret contra jus ipsi tributum; et onus incurreret restitutionis, nisi rationabiliter judicaret, parentes de hoc rogatos esse condonaturos: quod non facile præsumendum, si paterfamilias non ita sit dives, et habeat alios filios educandos.

[1] *Dig.*, l. XXXVII, l. XV *de obseq. parent.*, Lege 14.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 488, 544 et 910. — Pavone, *Spicilegio* ecc., §§ 73 et seqq. — Carrière, *De Justitia*, n. 241, ubi fusius. Quantitas exigenda æstimari debet in bona fide ex modo laborandi et natura operis: si enim filius laboravit ut socius in commercio, habet jus ad lucra, juxta regulas istiusmodi societatum; si ut mercenarius, habet jus ad stipendium in tali conditione usitatum: et quod de filiofamilias dicitur, pari ratione de nepote, de filiafamilias et de nepte dicendum.

317. Q. 3. *Quid patria potestas, quæ ejus jura et quomodo solvitur?*

R. Ad 1: Patria potestas est quoddam quasi *imperium a lege parentibus datum tam relate ad custodiam et educationem filiorum, quam relate ad usumfructum bonorum iisdem competentium:* congruenter hac potestate gaudent genitores tum ob vitam quam filiis dederunt, tum ob educationem quam illis debent. Et patri et matri convenit hæc potestas Lege naturæ inspecta; attamen lege civili patri solummodo primo tribuitur utpote familiæ capiti; mater autem nonnisi in patris defectu hac potestate gaudet *(art.* 46 et 220).

R. Ad 2: Effectus patriæ potestatis alii sunt a Jure naturæ, alii a Jure civili. *Jure naturæ* parentes habent jus et officium simul educandi, instituendi et corrigendi per moderatas pœnas suos filios.

Jure vero *civili* hæc habent: 1) quoad filiorum bona, ut ipsi ea administrent, et eorum usumfructum percipiant, sub certis tamen regulis ex supra dictis; 2) acceptant hæreditates filiis delatas cum beneficio inventarii; illos repræsentant in omnibus actibus civilibus, et ea omnia libere agunt, quæ non excedunt simplicem administrationem. Quod si excedant, uti esset alienare, mutuari nomine filiorum, etc., tunc, ut valide agere possint, requiritur evidens utilitas filiorum et tribunalis auctorizatio *(art.* 224). Attamen addit Codex: *Per la riscossione dei capitali, o per la vendita di effetti mobili soggetti à deterioramento basterà l'autorizzazione del pretore a condizione di nuovo impiego, la cui sicurezza sia riconosciuta dal pretore stesso* (art. 224); 3) quoad filiorum personas, filii nequeunt deserere domum paternam sine patris consensu, nisi agatur de nomen dando militiæ nationali [1]. Qui consensus requiritur quoque, si tertius velit illos adoptare, vel ipsi velint matrimonium contrahere, nondum completo anno 25 si masculi, 21 si fœminæ *(art.* 63, 208, 221); 4) potest pater petere a civili tribunali, ut si filii sint incorrigibiles, collocentur in aliquo educationis vel correctionis instituto *(art.* 222).

Addit Codex civ.: *Le disposizioni dei precedenti articoli sono applicabili alla madre che esercita la patria podestà* (art. 231). Potest tamen vir testamento, vel alio actu authentico, conditiones apponere uxori superstiti quoad educationem et administrationem filiorum, quæ si velit ab illis dispensari, audiendum est consiliumfamilias *(art.* 235).

R. Ad 3: Pro parte, qua patria potestas nititur Jure naturali, nunquam dissolvitur; ideo cum officia honoris, amoris, reverentiæ filiorum erga parentes oriantur præcipue ex Jure naturali, perpetua sunt. At pro ea parte qua hæc potestas innititur Jure civili, dissolvitur: 1) si filius compleverit annum 21, id est fiat ætate major;

1 V. *Lege* 20 martii 1854; et Decret. 31 martii 1855.

2) si filius emancipetur, ad quem actum deveniri non potest ante 18^m annum completum filii: est autem emancipatio *actus legitimus, quo pater liberos a sua potestate dimittit, ut sui juris efficiantur.* Minor autem ipso jure emancipatus evadit si matrimonium contrahit; illi tamen eo in casu assignatur curator [1]; 3) si pater abutatur patria potestate, accedente sententia judicis criminalis; nam *patria potestas in pietate debet, non atrocitate consistere* [2]. Id ex *Codice pœnali* locum habet non solum si pater judicialiter damnetur ad pœnam, quæ patriæ potestatis exercitium non patiatur, qualis est pœna mortis et damnatio perpetua ad triremes; sed etiam si damnetur ad pœnam mitiorem, sed ob turpia prostitutionis, corruptionis et incestus scelera: esset si personam, quæ est sub sui potestate, prostitui vel corrumpi studuerit, aut cum ipsa incestum patraverit [3].

318. Q. 4. *Quid de uxorum bonis?*

R. Bona uxorum triplicis generis sunt: *dotalia*, quæ ab uxore vel ab alio ejus nomine marito traduntur ad sustinenda onera matrimonii; quæ ideo durare debent, ipso matrimonio durante, quin possint alienari aut hypotheca subijci, nisi casu quo aliter statutum sit in ipsa dotis constitutione, vel ex decreto tribunalis in necessitate aut evidenti utilitate *Paraphernalia* seu extradotalia (a græco *para* præter, et *pherné* dos), quæ nempe uxori obveniunt extra dotem, v. g. donatione et hæreditate. *Communia*, quæ communi utriusque conjugis labore acquiruntur.

1. Bonorum *dotalium* uxor habet proprietatem; maritus usumfructum et administrationem, qui ideo jus habet prosequendi in judicio dotis debitores, etc. Potest tamen constitui in contractu, quod uxor singulis annis recipiat partem fructuum pro minutis expensis. Si dos sit in pecunia, vel res dotalis sit æstimata in rebus mobilibus, maritus acquirit proprietatem (nisi aliud fuerit declaratum); sed soluto matrimonio, pretium debet restituere, quasi celebrata venditione. Si vero res dotalis æstimata immobilis sit, non transit in proprietatem mariti, nisi in instrumento dotis exprimatur. — Dos non potest constitui neque augeri ab ipsis conjugibus, matrimonio semel contracto. Ipsa tamen dotis constitutio potest comprehendere etiam bona futura sponsæ: imo in illo contractu sponsi simul pacisci possunt *de lucro* super dote favore conjugis superstitis: quod quidem devolvitur in proprietatem, si nulli sint descendentes præmortui conjugis; secus in usumfructum, nisi sponsi aliud sta-

[1] Art. 310; — *C. A.* 174; — *C. G.* 23 et 497; — *C. S.* 399; — *C. P.* 101; — *C. M.* 140; — *C. T.* 104.
[2] Leg. v *Dig. de lege Pompon.*, de parr.
[3] Art. 20 et seqq.; it. 436 et 522, *Cod. pœn.*

tuerint. Ceterum lucrum dotale non præjudicat iis, qui jus habent ad legitimam separationem. Maritus non tenetur ad assecurationem dotis, si non fuerit conventum in ipso instrumento constitutionis. Potest autem uxor judicialiter separationem petere bonorum dotalium a viri sui bonis, si dos in periculo sit, vel res viri vergant in malum, vel ab ipso sit judicialiter separata [1].

2. Bonorum *paraphernalium* proprietas et ususfructus est penes uxorem: ideo illa sine ejus consensu ne administrari quidem a marito possunt; tamen uxor sine mariti permissione ea nequit alienare, nisi sit ætate major et mercaturam exerceat *(art. 9, Cod. commercii)*. Si autem vir fruatur bonis paraphernalibus, uxore non contradicente, non tenetur restituere fructus consumptos, si forte petantur. Item notandum, quod si omnia bona uxoris peraphernalia sint, non constituta vel insufficienti dote, etiam de hisce bonis ipsa ad conjugii onera concurrit, habita ratione bonorum [2].

3. Bonorum *communium*, ob receptam ferme ubique consuetudinem, ea conditio est, ut quidquid uxor acquirit ex communibus operibus, v. g., si maritum in negotio vel in opificio adjuvet, non sibi, sed marito acquirat [3]. Secus vero si mulier proprio nomine laboraret, uti si pictrix sit, vel propria pecunia negotietur, tunc putamus eam non marito, sed sibi acquirere; nam mulier sui juris est: neque communiter recensetur inter personas quæ aliis acquirant.

Possunt autem sponsi una simul inire societatem universalem non quidem bonorum, sed fructuum ex ipsis bonis sive mobilibus sive immobilibus, sive præsentibus sive futuris provenientium, modo id fiat in ipso matrimoniali contractu. Non potest tamen illa societas comprehendere debita et credita ante conjugium existentia, neque quæ postea deferuntur titulo successionis vel dotationis, ipsa communione durante. Bona vero in communi posita administrantur a marito, qui si ea locat, leges observare debet constitutas pro locatione quæ fit ab usufructuario. Cessat autem societas per mortem alterutrius conjugis, per declaratam unius absentiam, per definitam separationem personarum, vel separationem judicialem bonorum. Quoad reliqua observentur regulæ pro contractu societatis *(art. 1433)*.

319. Communio bonorum inter conjuges sicuti dotis constitutio ad validitatem fieri debet actu per notarium exarato; quæ dos inscribi etiam

[1] Art. 1388; — *C. A.* 1227; — *C. G.* 1549; — *C. S.* 1353; — *C. P.* 1329; — *C. R.* 55; — *C. M.* 1412; — *C. T.* 676. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 489.

[2] Art. 1425; — *C. A.* 139; — *C. G.* 1575; — *C. S.* 1387; — *C. P.* 1380; — *C. M.* 1460.

[3] Si quid acquireret uxor labore extraordinario post datam gubernationi familiæ debitam attentionem; vel aliquid de sibi concessis ad solatium, vestitum, etc., substraendo per parsimoniam, de eo potest disponere ad pios usus, puta pro anima sua, si aliud non obstet. Ita Theologi ex æquitatis regulis.

debet, si proprietas immobilium transferatur, vel aliorum bonorum quæ sub hypotheca cadere possunt *(art.* 1382, 1932, 1433). Si autem separanda sit uxoris dos ab ipsis bonis viri, tunc requiritur actus publicus *(art.* 1418).

320. Q. 5. *Quot sunt modi acquirendi rerum dominii, et amittendi?*

R. Ad 1: Cum dominium nunc innitatur duplici Jure, gentium et civili, duplicis iccirco generis distinguuntur modi, quibus illud acquiri potest: alii sunt Juris gentium, alii Juris civilis. 1) Modi Juris gentium varii sunt pro rerum varietate: vel enim acquiritur res, quæ est nullius aut nullius censetur; et modus iste dicitur *originarius;* quia cum ipsa dominii origine nectitur: et venit *occupatio*, cum nempe aliquid acquirimus facto nostro; et *accessio*, cum acquirimus vi rei nostræ. Vel acquiritur res, quæ alicujus jam est, et modus iste dicitur *derivativus;* quia per eum dominium ab uno derivat in alium: et huc maxime venit *traditio.* 2) Modi Juris civilis dividuntur in universales et particulares: per universales acquirimus universitatem bonorum, v. g. totum assem hæreditarium: et huc maxime venit *hæreditas.* Per particulares non acquirimus, nisi dominium rerum particularium, v. g., agrum, domum: huc veniunt *præscriptio* et *contractus* [1].

R. Ad 2: Rerum dominium amittitur: 1) morte illud habentis; nam mors omnia temporalia jura solvit; 2) voluntate domini sive per contractum translativum proprietatis; sive per abdicationem, cum quis suo juri renuntiat; 3) judicis sententia, quæ obtinet tum in casu expropriationis bonorum, quam prosequitur creditor, ut debiti solutionem obtineat [2]; tum in casu pœnæ, quæ dicitur bonorum *confiscatio*, quæ scilicet bona fisco adjudicantur; 4) ipsa lege, quæ pleno jure suum sortitur effectum; casus esset, v. g. revocatio donationis per supervenientes filios in donatore [3].

DISSERTATIO PRIMA

DE OCCUPATIONE, ACCESSIONE ET TRADITIONE.

CAPUT PRIMUM

DE OCCUPATIONE.

321. Q. 1. *Quid est occupatio et quotuplex?*

R. Ad 1: Occupatio definitur: *apprehensio rei corporalis in nullius dominio existentis, animo eam sibi comparandi.* Dicitur: 1) *apprehensio rei corporalis;* incorporalia enim, uti jura apprehendi nequeunt corporaliter; 2) *in nullius dominio existentis*, idest ad neminem in particulari spectantis; quia dominium rerum quæ jam sunt alicujus, acquiritur diversimode, v. g. emptione; 3) *animo eam sibi comparandi*, si enim quis rem compararet nomine alterius, non sibi, sed alteri acquireret.

[1] *Cod. civ.* art. 710; — *C. T.* 182.
[2] *Cod. civ.* art. 2076; — *C. G.* 2205; — *C. S.* 2105.
[3] *Cod civ.* art. 1079; — *C. A.* 954; — *C. G.* 962; — *C. S.* 885; — *C. P.* 1920; *C. M.* 1907 et seqq.

R. Ad 2: Occupationis species sunt: *inventio*, *venatio* et *piscatio*. Per inventionem rerum occupatio casu fit; res autem quæ inveniuntur, *aliæ* dominum neque habent, neque habuerunt: v. g., lapilli et gemmæ, quæ in litore maris interdum reperiuntur. *Aliæ* dominum quidem jam habuerunt, sed nunc desierunt habere: uti sunt thesaurus, bona vacantia et derelicta. *Aliæ* dominum habent, sed ignoratur quisnam sit: ut sunt res nuper amissæ.

Per venationem et piscationem, data opera, nostra facimus animalia, quæ sunt nullius in particulari. Hic animalia distinguuntur triplicis generis: alia sunt *natura sua fera*, quæ nempe libere vagantur, qualia sunt animalia vel terrestria, uti lepores; vel volatilia, ut aves in aere volantes; vel natantia, ut pisces in mari, lacu aut fluminibus. Alia sunt *natura sua mansueta* et *domestica*, ut oves, gallinæ, boves. Alia *cicurata*, quæ ex feris, mansueta fiunt, ut columbæ in columbario, cuniculi in garena [1].

322. Q. 2. *Quid de venatione et piscatione?*

R. Venatio definiri potest: *ferarum indagatio et persecutio;* piscatio autem *piscium captura*. Nemo negaverit utramque per se licitam esse; nulli enim fit injuria capiendo quod nullius est. Diximus *per se:* quia leges utramque justis de causis prohibere vel moderari possunt: hinc addiscendæ si quæ sunt ordinationes [2]. Ut autem sciatur cujusnam sint animalia venatione et piscatione capta, videndum est an hæc animalia sint mansueta vel mansuefacta vel fera.

1. Si *mansueta*, illa semper sunt domini sui, etsi ab ejus conspectu subtraxerint se: ita ut siquis lucrandi animo ea detineret, vel fructus ab iis perciperet, v. g., plumam, ova, furtum committeret; quia res et ejus fructus semper clamant ad dominum.

2. Si *mansuefacta*, quoadusque retinent consuetudinem revertendi ad dominum, semper sunt domini prout animalia mansueta. Si vero illam consuetudinem amiserunt, erunt primi occupantis, non secus ac animalia fera; quia eo in casu cum iis æquiparantur. Attamen quoad apes quæ alveare reliquerint, decernit Codex civilis: *Ogni proprietario di sciami di api ha diritto di inseguirli sul fondo altrui; ma deve risarcire il danno cagionato al possessore del fondo. Quando il proprietario non gli abbia entro due giorni inseguiti, od abbia cessato durante due giorni d'inseguirli, può il possessore del fondo prenderli e ritenerli. Lo stesso diritto spetta al proprietario di animali mansuefatti...; ma essi appartengono a chi li avrà presi e ritenuti, se non*

[1] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 493; et *Homo Apost.*, tract. x, n. 9. — *Codex marianus*, art. 139; *Cod. civ.* art. 912; — *C. A.* 381; — *C. G.* 712; — *C. S.* 633; — *C. P.* 561; — *C. M.* 626; — *C. T.* 290.

[2] Art. 712; — *C. A.* 383; — *C. G.* 175; — *C. S.* 635; — *C. P.* 564; — *C. M.* 628,

sono reclamati entro venti giorni [1]. Excipe, nisi agatur de columbis, cuniculis et piscibus, qui sedem propriam mutaverint: *I colombi, conigli e pesci che passano ad altra colombaja, conigliera o peschiera, si acquistano dal proprietario di queste, quando non vi sieno stati attirati con arte o frode* [2].

3. Si animalia sint *fera*, apud omnes definitum est eadem esse primi occupantis: *et volucres et pisces*, inquit Justinianus, *et omnia animalia, quæ mari, cœlo et terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, Jure gentium statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur* [3] *(E)*.

323. Q. 3. *Cujus sunt res quæ dominum nec habent nec habuerunt?*

R. Lege civili definitum est, ratione ipsa suggerente, res inventas quæ dominum nec habent nec habuerunt, pertinere ad ipsum inventorem [4]. Hinc lapilli, gemmæ, fragmenta auri, margaritæ, coralla, etc., quæ in fluminum fundo reperiuntur vel scopulis adhærent, sunt inventoris. Non sunt tamen inventoris, sed domini fundi venæ metallicæ, lapidicinæ, carbonariæ, cretariæ, arenariæ, quæ considerantur tanquam pars fundi in quo inveniuntur, uti aquæ fons, qui ibi scaturiret. Hic tamen sunt locorum leges inspiciendæ [5].

324. Q. 4. *Quid de thesauro?*

R. Thesauri nomine venit *quæcunque res mobilis infossa, vel abscondita, cujus domini memoria non extat, ita ut nemo possit demonstrare illam esse suam.* Dicitur *quæcunque res mobilis* (intellige quæ sit pretio æstimabilis): ergo pecunia, numisma, vasculum, campanula, urna, statua possunt esse materia thesauri. *Infossa vel abscondita:* secus res non haberetur ut verus thesaurus ex jurisconsultis et communi acceptione, sed simplex res amissa. Thesaurus, attento solo Jure naturæ, ad inventorem spectat, quia habetur uti res nullius, non autem uti pars loci: unde esse debet primi occupantis. Attamen spectato Jure civili, totus quidem est inventoris thesaurus, si in proprio fundo inveniatur: verum si inveniatur in fundo alieno, et simplici casu contingat, thesaurus dividitur per dimidiam partem inter inventorem et dominum fundi; si autem data opera, totus domino fundi cedit thesaurus [6]. Hic etiam notandum est:

[1] Art. 713; — *C. A.* 384; *C. T.* 291. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 604.

[2] Art. 462; — *C. G.* 564; — *C. S.* 489; — *C. P.* 594; — *C. M.* 660. Columbæ (idem de cuniculis) proportionari debent latitudini fundi: atque a domino curandum est, ne damnum inferant, maxime seminationis tempore. Vicini, quibus nocent, possunt, eas utique abigere, eaque de re reclamare. Quod autem damnum stercoratione compensetur, res est risu excipienda.

[3] *Instit.*, lib. II, t. I *De rer. div.*, § 12; et *Cod. civ.* art. 711; — *C. A.* 381 et seqq.

[4] Art. 711; — *C. A.* §§ 381 et seqq.; — *C. T.* 290.

[5] V. *Lege civ.* 20 nov. 1859; et *Lege* 15 junii 1865; ex quibus venæ illæ sunt denuntiandæ, et tributum erario solvendum.

[6] Art. 714; — *C. A.* 395; — *C. G.* 716; — *C. S.* 636; — *C. P.* 565; — *C. M.* 629; — *C. T.* 292.

1. Per dominum fundi intelligitur qui habet dominium directum fundi ipsius, non vero qui habet utile tantum: unde usufructuario nullum competit jus in thesaurum, nisi sit inventor [1].

2. Censetur invenisse thesaurum qui primus rem viderit aut visibilem reddiderit, etsi eam non apprehenderit: unde si artifex coram domino laborans thesaurum videt, et dominus eum removeat ne illum apprehendat, nihilominus artifex jus habet ad dimidiam partem. Excipe si artifex præcise a domino conductus fuit ad quærendum thesaurum: tunc non ipse, sed illius conductor seu dominus fundi thesaurum invenisse censetur.

3. Qui invenit thesaurum in fundo alieno etiam casu, tenetur illico in conscientia dimidium reddere domino fundi ipsius. Ratio quia hæc civilis juris dispositio est determinativa proprietatis: idque lex potuit agere ratione boni communis, ut tenent fere omnes. Qui vero ex industria thesaurum invenit in alieno fundo, utrum debeat non tantum dimidium, sed totum domino reddere ante judicis sententiam, negant communiter cum Gerdil, Laymano, Lessio, etc.; quia quoad hoc lex est pœnalis, quæ non obtinet ante sententiam.

4. Si thesaurus inveniatur in fundo communitatis, Ecclesiæ aut demanii, in thesaurum jus habet una cum inventore communitas, Ecclesia, demanium; quia habentur uti totidem personæ [2].

325. Q. 5. *Cujus sunt bona derelicta et vacantia?*

R. 1. *Bona derelicta* sunt bona quæ dominus ipse rejicit animo a se abdicandi eorum dominium; unde huc non veniunt quæ dominus necessitate coactus projicit, v. g. in viam, quia incensa est domus; in mare ne submergatur navis. Bona derelicta ex lege civili si mobilia, sunt primi occupantis; si immobilia, cedunt fisco [3].

R. 2. *Bona vacantia* sunt ea, quæ quis reliquit ab intestato moriens, quin habeat parentes intra decimum consanguinitatis gradum. Hæc, nulla facta distinctione mobilium et immobilium, pertinent ad regium fiscum [4]. Quod ex parte valet etiam de bonis *jacentibus*.

326. Q. 6. *Quidnam dicendum de rebus inventis, quæ dominum adhuc habere censentur?*

R. 1. Si diligentia adhibita, quæ rei inventæ valori correspondeat, statim invenitur dominus, res ei tradenda est; cum clamet ad do-

[1] *Cod.* art. 494. — Et l. cit. quoad alios Cod.
[2] Art. 425; — *C. A.* 399; — l. cit. quod alios. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 602.
[3] Art. 741; — *C. A.* 381; — *C. G.* 712; — *C. S.* 633; — *C. P.* 561; — *C. M.* 626.
[4] Art. 758; — *C. A.* 751 et 760; — *C. G.* 755 et 768; — *C. S.* 673 et 684; — *C. P.* 849 et 858; — *C. M.* 926 et 925. — *C. H. De successione*, art. 23 et 29. Est *fiscus* vas ex junco: dein dictus fuit loculus ad pecuniam servandam: demum publicum ærarium et omnis pecunia publica.

minum. Hinc d. Augustinus: *quod invenisti, et non reddidisti, rapuisti* [1]. Et Origenes: *Multi sine peccato putant esse, si alienum quod invenerint, teneant et dicant: Deus mihi dedit; cui habeo reddere? Discant ergo peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat* [2]. Est certum apud omnes. At si quæras: cuinam sit in conscientia tradenda res inventa, si debita diligentia adhibita, ejus dominus non potuerit inveniri, præmittenda quæ hac de re a civili lege sunt constituta [3]; quæ quidem sine damno non ignorantur, cum lex nulli transgressori parcat.

1. Res inventa debet illico consignari syndaco communitatis ubi inventa fuit. Quod si inventor tali muneri non satisfaciat, habetur uti dolosus detentor rei alienæ; et *Codex pœnalis* in eum ita graviter animadvertit: *Se il valore della cosa trovata è maggiore di lire due, ma non ecceda lire trenta, il colpevole è punito con una multa uguale al doppio del valore della cosa istessa: se il valore supera lire trenta, il colpevole è punito col carcere estensibile a sei mesi, e con multa eguale al valore della cosa trovata* [4].

2. Syndacus debet duobus dominicis diebus successivis significare populo rerum inventarum notitiam, si forte detegatur dominus. Si dominus detegitur, sua res ipsi danda est, qui tenetur solvere non solum omnes expensas factas pro ipsa re, sed etiam inventori præmium tribuere ad legis præscriptum, si iste quærat. Quod si dominus adhuc non detegatur, lex civilis, post lapsum biennii a die publicationis præsumit res illas derelictas, et ideo inventoris proprias, cui in se tradendæ sunt, si adhuc extant; vel in æquivalenti, si conservari nequiverint [5]. His positis:

R. 2. Si adhibita debita diligentia, non inveniatur dominus rei inventæ, cuinam illa sit tradenda in conscientia, disputant.

Alii ex Navarro et Soto inventor potest tuto illam retinere; quia proprietario non invento, post omnem diligentiam, res censetur domino carere, et ideo fit primi occupantis. Unde lex civilis etiam quoad conscientiam quæstionem resolvit; ideo magis, quia princeps potest, suprema qua gaudet potestate, ad bonum publicum, de bonis subditorum disponere.

[1] Serm. CLXXIX, alias XIX, c. 8. [2] Hom. IV *in Lev.* X.
[3] Art. 715; — *C. A.* 386; — *C. S.* 636; — *C. P.* 567; — *C. M.* 651; — *C. T.* 293.
[4] Art. 633; — *C. M. civ.* art. 135; — *C. T. civ.* art. 293.
[5] Legitur in *Cod. civili:* « Il proprietario deve pagare a titolo di premio all'inventore, se questi lo richiede, il decimo della somma o del prezzo comune della cosa ritrovata. Ove tale somma o prezzo ecceda le duemila lire, il premio pel sovrappiù, sarà solamente del vigesimo: » *art.* 718, Quod quidem rationi congruum est, atque bonum publicum fovens; facilius enim sic alliciuntur inventores ad rem domino inquirendam, conservandam atque reddendam: ideo præmium tuto potest exigi ac retineri. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 603.

Alii valde communius censent cum s. Antonino, Habert, Billuart, Collet, Lyonnet, Sylvio, rem perditam debere elargiri in usus pios; quia præsumitur voluntas domini esse, quod si ipse rem amissam habere nequeat, saltem pro anima sua erogetur. Adde *Catechismum Romanum* et s. Carolum in Concilio Mediolanensi IV, a quibus generatim statuitur bona inventa in pios usus distribuenda. Et talis videtur fidelium persuasio: unde inventor non potest ea sibi applicare, nisi sit vere pauper. Hoc omnes quidem admittunt, si inventor culpabiliter omiserit diligentiam ad dominum inveniendum; tunc habetur ut possessor malæ fidei seu fur, qui rem pauperibus debet, si eam domino restituere non valeat.

Alii tandem sic verius distinguunt cum Croix, Elbel, Gury, Lugo et d. Thoma: si etiam post adhibitam diligentiam aliqua appareat spes inveniendi dominum, res conservanda est aut ejus pretium: et si neutrum servari potest, debet distribui pauperibus, quia tali spe durante, dominus habet dominium rei; ideo illa distribuenda est juxta ejus præsumptam voluntatem [1] (et hoc sensu possunt explicari objecta testimonia). Si e converso res (spectatis circumstantiis temporis, distantiæ, loci, vel impossibilitatis recognitionis rei, ut accidit in nummis ordinariis) non sit amplius possibile, quod ad dominum reddeat, illam potest inventor sibi retinere, cum sit nullius: et si casu postea dominus compareat, nihil ei debetur, cum amiserit omne jus *(F)*.

CAPUT SECUNDUM

DE ACCESSIONE ET TRADITIONE.

327. Accessio est ille dominium acquirendi modus, *quo nostrum fit quod vel rebus jam nostris adjungitur, vel ab ipsis rebus nostris producitur sive de industria sive ipsa sui natura, tam res illæ mobiles sint, quam immobiles.* Duo igitur sunt genera accessionum: res enim una vel ab altera producitur, vel alteri adjungitur [2] *(Cod.* art. 443).

328. Q. 1. *Quomodonam una res ab altera producitur?*

R. Res una ab altera producitur vel *naturaliter*, quæ nempe a re ipsa provenit, etsi interveniat hominis industria, ut fructus agrorum, plantarum, fœtus animalium, venæ metallicæ, torbæ, etc.: et dicun-

[1] Et tunc si post distributionem dominus compareat, dicunt rem ipsi restituendam a paupere vel ab eam habente, si adhuc illa saltem in æquivalenti existat, nec sit præscripta; largitio etenim talis hanc videtur includere conditionem, *nisi dominus innotescat.* Carrière, *De Justitia et Jure,* nn. 332 et 348.

[2] *C. A.* 404; — *C. G.* 546; — *C. S.* 471; — *C. P.* 570; — *C. M.* 634; — *C. T.* 294.

tur naturales. Vel juris fictione, seu *civiliter*, uti pensio fundi locati, reditus vitalitii, etc.: et dicuntur fructus civiles. Ut cognoscatur ad quemnam pertineant hæ accessiones, triplex distinguenda possessorum classis: alii sunt possessores vere domini; alii bonæ fidei: alii malæ fidei.

Possessores *vere domini* sunt qui plenum habent rei, v. g. fundi dominium. Possessores *bonæ fidei*, qui rem alienam possident uti proprietarii vi tituli, qui idoneus est ad dominium transferendum, sed illud reapse non transfert ob vitium a possessore ignoratum, v. g., si quis fundum ex hæreditate possideat putans eum fuisse a testatore emptum, cum tamen fuerit usurpatum. Possessores *malæ fidei* sunt qui rem possident, quam sciunt esse alienam, quia, v. g. furto sublatam. His positis:

Dicimus: 1) omnes fructus alicujus rei pertinent ad ipsius proprietarium; cum sit vere dominus: sed cum onere compensandi aliis expensas, si quæ factæ fuerunt; 2) possessor *bonæ fidei* jus habet in omnes fructus perceptos, nec debet domino restituere, nisi quos percepit a die, qua judicialiter de restitutione fuit expostulatus [1]; 3) possessor *malæ fidei*, cum sit culpandus, restituere debet non solum fructus omnes perceptos, sed quos percepisset, si ut bonus paterfamilias rem administrasset. Addit autem Codex civilis: *Il possessore tanto di buona fede, quanto di mala fede non può pretendere pe' miglioramenti, se non la somma minore che risulterà tra lo speso e il migliorato* [2] (art. 705). *Al solo possessore di buona fede compete la ritenzione de' beni per causa di miglioramenti in essi realmente fatti e sussistenti, se questi sono stati domandati nel corso del giudizio di rivendicazione, e già venne fornita qualche prova della sussistenza in genere dei medesimi* (art. 706).

329. Q. 2. *Quid de accessione in re quæ alteri adjungitur?*

R. Accessio in re, quæ una alteri jungitur, contingit dupliciter: 1) in rebus immobilibus, ut si accedat fundus fundo, et hoc evenit per planctationem, ædificationem et cursum aquarum; 2) in rebus mobilibus, ut si adjungatur pecunia pecuniæ: id autem locum habet tum adjunctione, tum specificatione, tum rerum confusione. In quibus omnibus generatim est receptum, ut accessorium sequatur principale.

330. Q. 3. *Quomodo contingit accessio immobilium per planctationem et ædificationem?*

[1] V. *De Restit.*, disp. 1, c. 1, a. 1. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 493 et seqq.

[2] Si v. g., expensæ fuerint 100, sed inde fundi valor non creverit nisi ad 80, tantum 80 debentur possessori bonæ fidei. E contrario si expensæ fuerint 80, et fundi valor creverit ad 100, 80 item debentur.

R. Hac de re tres factorum species supponi possunt [1]:

1. Quod dominus plantet vel ædificet in fundo quidem proprio, sed materia aliena: et tunc evadit dominus plantationis et ædificii, sed tenetur solvere materiæ valorem, et potest etiam cogi ad compensationem damni et usurarum: imo proprietarius materiæ habet jus ad illam sibi resumendam, si id facere possit, quin opus confectum destruatur, vel facta plantatio depereat.

2. Quod extraneus plantet vel ædificet in fundo alieno, sed materia propria: et tunc si id egit *mala fide*, dominus fundi habet jus vel sibi retinendi uti propria illa opera in fundo suo peracta, vel exigendi ut e fundo penitus evellantur. Si vult vindicare sibi opera ipsa, persolvere debet vel materiam et expensas illas, quæ vulgo dicuntur *la mano d'opera;* vel valorem longe majorem, quem fundus acquisivit propter opera illa. Si vero vult exigere operum illorum destructionem, operarius debet ea penitus evellere propriis expensis, et compensare damna, quæ inde fundo obvenerunt. Quid vero si adsit bona fides? in hac hypothesi dominus fundi potest vel persolvere valorem materiæ et expensas operum, vel pretium respondens augmento dato fundi valori: at neutiquam potest exigere ut opera e fundo evellantur.

3. Quod tertius plantet vel ædificet in fundo alieno et materia aliena, v. g. si Titius ædificet in fundo Sempronii domum adhibens materiam Caji: dominus materiæ non eam sibi vindicare potest, sed petere a tertio illo indemnniationem, et etiam a domino fundi valorem materiæ, si retineat ædificium [2].

331. Q. 4. *Quomodo contingit accessio immobilium vi cursus aquarum?*

R. Quatuor sunt species hujus accessionis, nempe alluvio, avulsio, mutatio alvei et insula in flumine nata.

1. *Alluvio* contingit quando aliquid vi fluminis vel torrentis successive et insensibiliter ita fundo Titii adjicitur, ut intelligi nequeat quantum quovis temporis puncto adjiciatur; hoc incrementum pertinet ad Titium, cujus est fundus, sub certis clausulis [3]. Similiter

[1] « Il proprietario può fare *sopra il suolo* qualsiasi costruzione e piantagione, salve le eccezioni stabilite nel capo delle servitù prediali, dovendo p. e. rispettare, in caso di fabbrica, alcune distanze dai fondi vicini; e *sotto il suolo* può fare qualsiasi costruzione e scavamento e trarne tutti i prodotti possibili, salve le disposizioni delle leggi e dei regolamenti di miniere *(Legge* 20 nov. 1859) e di polizia. *(V. Legge* 20 marzo 1865 *sulla sicurezza pubblica;* e *Regolamento;* e lib. III *del Cod. penale.)* » Carabelli, *La pratica del Cod. civile.*

[2] Art. 449; — *C. A.* 416; — *C. G.* 552; — *C. S.* 477; — *C. P.* 579; — *C. M.* 640; — *C. T.* 300.

[3] « Credesi che il fittajuolo abbia diritto all'alluvione, ma crescendo il fitto in proporzione: Zachariæ, Potbier, Chardon. Però Troplong con Duranton dando tale diritto, opina non doversi quell'aumento di fitto, trovando che gli eventi favorevoli non sono causa di accrescimento di esso » Cattaneo, *Il Cod. civ. ital. annotato,* ad n. 454.

quando aqua currens paulatim unam ripam deserit alteram supergrediendo, proprietarius ripæ a flumine derelictæ hujus alluvionis incrementum acquirit, quin proprietarius ripæ oppositæ possit reclamare partem proprii fundi, quam aqua supergressa est. Excipe tamen loca a mari relicta, quæ sunt demanii; et lacus vel stagna privatorum, quæ quidem sive crescant sive decrescant nihil juris tribuunt vel auferunt.

2. *Avulsio* contingit, quando vi et impetu improviso, v. g. fluminis, pars aliqua notabilis distrahitur ab uno fundo et adjungitur alteri, et hæc semper manet in dominio illius, a cujus fundo detracta est; in hac enim facile potest dominus inveniri, quod non evenit in alluvione. Quare dominus partis *avulsæ* potest intra anni spatium illam sibi vindicare: quod si negligat, jure suo privabitur, nisi forte pars illa avulsa nondum sit ab aliquo occupata.

3. *Mutatio alvei* evenit, cum flumen, primo alveo relicto, per novum decurrit: porro alvei relicti fit dominus ille, cujus fundus fuit occupatus per novum alveum in quantitate respondenti.

4. Quoad *insulam in flumine natam*, si flumen navigationi inservit, insula est fisci, nisi opponatur titulus aut præscriptio, vel nisi fuerit impetu avulsa ab aliquo fundo (quo in casu esset compensandus proprietarius fundi). Si vero flumen non inservit navigationi, neque insula impetu sit avulsa, ipsa pertinet ad eos, qui utrinque prædia possident prope ripam; attamen semper juxta legis limitationes [1].

332. Q. 5. *Quid de accessione mobilium per adjunctionem, specificationem et confusionem?*

R. Hæc accessio regitur maxime principiis naturalis æquitatis, quæ judices sequi debent. Attamen nunnullæ normæ a Codice assignantur quoad quosdam casus.

1. *Adjunctio* est, quando una res, vel multæ res mobiles, quæ ad diversos dominos pertinent, uniuntur et coalescunt alteri rei tanquam principali: v. g., si plures gemmæ plurium dominorum annulo includantur, ita ut unum annulum pretiosum constituant. Jam vero: si res secundaria quæ principali adjungitur, est ipsa longe pretiosior, tunc proprietarius rei adjunctæ (si id factum sit absque ejus scientia ac consensu) potest arbitrio suo vel totum inde exurgens sibi vindicare, v. g. annulum tot iis gemmis præditum, soluto pretio rei principalis; vel petere separationem ejusdem a re principali. Si vero res secundaria non est longe pretiosior, tunc si res possunt separari absque earum detrimento, quilibet dominus retinet proprietatem rei suæ. Si

[1] Art. 453; — *C. A.* 411; — *C. G.* 556; — *C. S.* 481; — *C. P.* 585; — *C. M.* 651; — *C. T.* 297.

non possunt separari, totum pertinebit ad dominum rei principalis, soluto pretio rerum adjunctarum [1].

2. *Specificatio* est quando nova species conficitur ex re aliena, v. g., si quis ex lana Titii sibi conficiat pannum; vel ex massa auri quod Titii proprium est, sibi conficiat annulum; vel demum ex uva Titii sibi conficiat vinum; iste dicitur *specificans*. Igitur vel res ad specificationem adhibita valde superatur a labore impenso in ipsa specificatione; vel non. Si 1, industria habebitur ut principalis, et ideo artifex poterit eam sibi retinere solvendo domino valorem materiæ: esset si pictor adhibuisset ad pingendum colores non suos. Si 2, dominus poterit novam speciem vindicare sibi; licet res ad primum statum reduci possit, modo solvat pretium specificanti pro ejus labore, vulgo *mano d'opera*. Quod si species fuerit confecta partim ex propria partim ex aliena materia, si separari non possit absque detrimento, neque primæ materiæ sint per integrum destructæ, opus commune erit, quoad unum ratione materiæ, quoad alium ratione tum laboris in opere conficiendo, tum suæ materiæ: unde res erit eo in casu publica hasta vendenda.

3. *Confusio* sive *commixtio* est, quando diversæ materiæ ad complures dominos pertinentes simul confunduntur seu commiscentur. Id contingit vel in corporibus liquidis aut liquefactis, v. g., si vinum duorum simul infundatur in unum vas; vel etiam in corporibus solidis, v. g., si nummi Titii cum nummis Sempronii immisceantur, frumentum cum frumento. Quo posito, en resolutio: 1) quando novum corpus confectum fuit ex commixtione diversarum materiarum spectantium ad plures dominos, quarum neutra potest haberi tanquam principalis, si materiæ adhuc separari valeant, ille quo inscio commixtæ sunt, eam separationem petere potest. Quod si separari nequeunt absque detrimento, novum corpus fit commune pro rata quantitatis, qualitatis et materiæ; 2) si materiæ unius proprietarii quantitate et pretio longe alteram superaret, dominus materiæ pretiosioris sibi vindicare potest corpus totum, tribuendo alteri pretium materiæ ad illum spectantis; 3) quando novum corpus fit commune inter proprietarios, ex quorum materiis illud coaluit, licitari debet pro communi utilitate. Hic notandum ex Lege civili: *Coloro che hanno adoperate materie spettanti ad altri, e senza l'assentimento dei proprietari, possono pure essere condannati al risarcimento dei danni, salvo l'esercizio dell'azione penale quando sia il caso* (uti si furto res illa sublata sit) [2].

333. Q. 6. *Quid est rerum traditio, et quotuplex?*

R. Traditio rerum definitur: *translatio possessionis de manu in manum, si res mobilis sit;* vel *immissio in possessionem, si immobilis.*

Alia est *propria*, quæ consistit in rebus corporalibus sive mobilibus sive immobilibus. Alia *impropria*, quæ rebus incorporalibus convenit. Alia *ficta* quæ triplex est, brevis manus, longæ manus

[1] Habenda erit uti res principalis illa, cui res altera adjuncta est tanquam ornamentum vel usus vel complementum: sic gemma adjungitur annulo, et purpura vesti. Si vero dubitetur, habebitur uti res principalis quæ præstat valore et pretio; et si valor et pretium sint ferme æqualia, præfertur quæ præstat volumine; art. 465. — *C. A.* 414; — *C. G.* 566; — *C. S.* 491; — *C. P.* 596; — *C. M.* 662; — *C. T.* 302.

[2] Art. 474; — *C. G.* 572; — *C. S.* 494; — *C. P.* 599; — *C. M.* 665; — *C. T.* 301. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 493 et seqq.

atque simbolica: 1) *brevis manus* est cum res nostra, quæ jam est penes alterum, ex nova causa jure dominii ipsi relinquitur, v. g., si res nostra apud aliquem jam existens ex deposito, apud eundem relinquatur titulo venditionis; 2) *longæ manus* est, cum res ante oculos posita sola voluntate alteri traditur, qui eandem se accipere significat oculis, quasi a longe eam apprehendens; 3) *simbolica* est cum intervenit aliquod signum, quod rei traditionem significet, v. g., si tradantur claves horrei ad significandam traditionem omnium, quæ in illo continentur. (Cetera ubi de *venditione.)*

DISSERTATIO SECUNDA

DE HÆREDITATE.

334. Q. *Quid est hæreditas?*

R. Hæreditas definitur: *successio in jus, quod defunctus habebat tempore mortis.* Hæc generice accepta duplex est, pro duplici modo, quo solet deferri: vel enim defertur ex hominis voluntate per testamentum declarata, et dicitur: *hæreditas* vel *successio testamentaria:* huc pertinet hæreditas *fidei-commissaria* et *fiduciaria.* Vel defertur ex lege et dicitur: *hæreditas legitima* sive *successio ab intestato* [1].

335. Quoad successiones hæc generatim statuit *Codex civilis* in proœmio: a) *Le successioni legittime e testamentarie sia quanto all'ordine di succedere, sia circa la misura dei diritti successorii e la intrinseca validità delle disposizioni, sono regolate dalla legge nazionale della persona, della cui eredità si tratta, di qualunque natura siano i beni, ed in qualunque paese si trovino* [2] (art. 8); — b) *le forme estrinseche degli atti tra vivi e di ultima volontà sono determinate dalla legge del luogo in cui sono fatte* [3]. *È però in facoltà dei deponenti o contraenti di seguire le forme della loro legge nazionale, purchè questa sia comune a tutte le parti. La sostanza e gli effetti delle donazioni e delle disposizioni di ultima volontà, si reputano regolati dalla legge nazionale dei disponenti* [4] (art. 9).

[1] Hæreditas in Jure civili appellabatur quoque *as, pondo* seu *libra,* cujus partes vel unciæ præcipuæ enumerantur duodecim: duæ unciæ dicuntur *sextans* (hæreditatis), tres *quadrans,* quatuor *triens,* sex *semis,* octo *bessis,* novem *dodrans,* undecim vero unciæ dicuntur *deunx.*

[2] « *Esempio:* la disposizione testamentaria d'un cittadino francese che lasciasse beni anche immobili nel nostro regno, sebben qui morisse, sarebbe regolato dal *Codice francese;* e perciò se avesse lasciato tre o più figli, la disponibile sarebbe il quarto a tenore di quel Codice *(art.* 913); non la metà secondo il nostro *(art.* 805). »

[3] « *Esempio:* una donazione che fosse seguita in paese ove vige il *Cod. austriaco* fra cittadini italiani, o fra un cittadino italiano e uno straniero sarebbe operativa presso noi anche fatta con atto privato, dacchè tale forma è ammessa dal § 943 del *Cod. austriaco;* sebbene l'art. 1056 del nostro Codice richiegga l'atto pubblico. »

[4] « *Esempio:* la donazione, di cui sopra, si reputerebbe in quanto alla sostanza ed agli effetti, fatta sotto la condizione resolutiva per causa di inadempimento dei pesi imposti dal donante cittadino italiano al donatario cittadino straniero, dacchè è presunta tale condizione dall'art. 1080 del nostro Codice. » *Cod. spieg.*

CAPUT PRIMUM

DE HÆREDITATE TESTAMENTARIA.

336. Q. 1. *Quid est testamentum?*

R. Testamentum quasi *testatio mentis*, definitur: *actus legitimus et revocabilis, quo libere quis disponit de bonis suis, in toto vel in parte, pro tempore mortem subsecuturo.*

Dicitur: 1. *Actus*, non conventio; quia in testamento concurrit tantum voluntas testatoris. *Legitimus*, id est ex legum norma ac præscriptione, cujus est moderari actum adeo solemnem. *Revocabilis* juxta illud legis civilis: *Non si può in qualunque siasi forma rinunziare alla libertà di rivocare, o cangiare le disposizioni fatte per testamento: ogni clausola, o condizione contraria non ha effetto;* id est non impedit, quominus quæ per subsequens testamentum fierent dispositiones, habeant suum valorem *(art. 916)*.

2. *Quo libere:* hinc ipso Jure naturæ nullum est testamentum si testator non libere egit, quia vel non compos mentis, vel deceptus, vel coactus vi aut precibus importunissimis, aut metu gravi etiam reverentiali [1]; hæc enim omnia tollunt consensum ad actum adeo liberum omnino necessarium.

3. *Quo quis;* nam testamentum declarat ultimam voluntatem unius personæ, non plurium simul: ideo nullum esset testamentum sive pro alterius sive pro reciproca utilitate eodem actu conditum a duabus vel pluribus.

4. *Disponit de bonis suis, in toto vel in parte. De bonis suis:* quæ verba indicant materiale testamenti objectum. *In toto vel in parte;* quia hodie testator, contra veterem Juris Romani præscriptionem, potest etiam disponere de aliqua tantum parte rerum suarum, et relinquere ut ceteræ deferantur ad hæredes *ab intestato:* item potest plura relinquere legatario, quam hæredi.

5. *Pro tempore mortem subsecuturo;* quia testamentum vim non habet, nisi post mortem testatoris: unde dicitur etiam *ultima voluntas.* Et Apostolus Paulus: *testamentum... nondum valet, dum vivit qui testatus est* [2].

[1] Secus si testator fuit inductus precibus simplicibus. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 921.
[2] Hebr. IX. — *V.* Carrière, *De contractibus*, nn. 492 et seqq. — *Cod. civ.* art. 759; — *C. A.* 552; — *C. G.* 967; — *C. P.* 724; — *C. S.* 890; — *C. M.* 701; — *C. T.* 308.

Art. I. — *De Testamenti forma et hæredis institutione.*

337. Testamentum ratione suæ formæ aliud est *ordinarium*, aliud *speciale*. Speciale illud est quod extraordinariis circumstantiis intervenientibus, conficitur. Ordinarium vero aliud est *holographum*, quod ab ipso testatore perficitur (a græco *olos* omne et *grapho* scribere, quia totum a testatore conscribitur); aliud *publicum*, vel *secretum* (quod dicitur etiam *mysticum*), prout nempe vel conficitur vel recipitur tantum a notario.

338. Q. 1. *Quid de testamento holographo?*

R. Ad testamenti holographi validitatem oportet: 1) ut totum sit scriptum manu propria ipsius testatoris; 2) ut indicentur dies, mensis et annus quo confectum; 3) ut sit sub fine dispositionis subscriptum proprio testatoris cognomine, ut sine ambiguitate constet de ipsius persona. Potest hoc testamentum paucis verbis scribi quacunque lingua ac charta [1]. Est autem de necessitate designandum tempus, et merito, ut si plura occurrant testamenta, agnoscatur cui standum sit; etsi autem designatio diei et anni fieri possit notis arithmeticis, tutius autem est si fiat literis per extensum. Non tamen necessario notatur locus, cujus indicatio non est præscripta nisi pro notariis: neque officiunt lacunæ, nec lituræ aut interpositiones, modo integræ scribantur ab ipso testatore, adeo ut si vel unum verbum aliena manu sit conscriptum tanquam vera pars ipsius testamenti, tota dispositio irrita sit [2]. Subscriptio autem omnino necessaria ultima sit, ac talis ut constet de identitate personæ, et quamvis sufficere videatur, ut testator eam adhibeat subscriptionem, quam consuerit adhibere in publicis actibus et sub qua vulgo notus est [3]; præstat tamen ut scribat cognomen familiæ propriæ, suum nomen personale addendo, ad omnem difficultatem declinandam. Uxor vero satis est ut scribat cognomen familiæ sui viri cum suo personali nomine.

Etsi autem hæc testamenti forma omnium optima haberi possit, ob suam simplicitatem, et quia dispositio ad libitum sine ulla difficultate mutari valet; attamen suis etiam incommodis non caret, cum possit occultari ac lacerari ab iis quorum interesse potest. Ideo præstat ut holographum testamentum tradatur custodiendum ad ma-

[1] Charta necesse non est ut regni signo sit munita *(bollata)* ex Lege 14 julii 1866; ideo nulla hac de re mulcta solvenda est.

[2] Constare debet verbum esse partem testamenti; alioquin posset quilibet ad cujus manus illud devenerit, irritum facere per verbi additionem.

[3] Hinc in Gallia uti validum habitum fuit testamentum clarissimi Massillon, quod hanc tantum ferebat subscriptionem: † *I. B. évêq. de Clermont.*

jorem securitatem amico, vel notario aut in publico archivio, etsi hoc non requiratur ad validitatem. Ceterum, ut suum habeat effectum testamentum holographum, id unum requiritur ut deponatur morte testatoris interveniente (nisi jam sit facta depositio) penes notarium loci, ubi successio ipsi aperta est, præsentibus prætore mandamenti ac duobus testibus. Id etiam notandum, quod testamentum secretum a notario vel alio publico officiali ad id deputato receptum, si non potest ob aliquam circumstantiam valere uti tale, obtinebit uti testamentum holographum, si tamen habeat omnia supra dicta requisita *(art.* 774, 804, 912).

339. Q. 2. *Quid de testamentis publicis et secretis a Notariis receptis?*

R. Ad 1: Testamentum publicum recipitur ab uno notario coram quatuor testibus (vel etiam a duobus notariis coram duobus testibus: quo in casu notarius unus actum exarabit, sed ambo subscribant). Testator declaret suam ultimam voluntatem notario qui eam scribat: et postea actum perlegat intelligibili voce una simul testatori et testibus, facta hujus rei mentione; actus autem subscribatur a testatore, a testibus et a notario. Si autem testator scribere nesciat vel non possit, subsignet, facta mentione impedimenti ejusque causæ. Quod si neque possit subsignare, notarius debet non solum hanc peculiarem circumstantiam in ipso actu adnotare, sed etiam declarationem hujus impotentiæ ab ipso testatore faciendam. Quod si testator surdus sit omnino, si sciat legere, ultra dictas solemnitates, testamentum legere debet coram testibus et tabellione, qui hujus rei mentionem faciet; si legere nesciat, quinque tunc erunt testes adhibendi. At si testamentum a duobus notariis, recipiatur in hoc casu, sufficiunt tres testes *(art.* 799).

R. Ad 2: *Forma testamenti secreti recepti a notario hæc est:*

1. Ut testator schedulam subscribat, si valeat: et quidem in fine, si testamentum totum ipse scripserit. Si vero usus est ad scribendum in toto vel in parte opera aliena, debebit schedulam subscribere medio quoquo folio *(ogni pagina).*

2. Ut schedula testamentaria claudatur, et sigillo muniatur coram notario et quatuor testibus idoneis. Si schedula jam clausa et sigillo munita sit, testator coram prædictis eam notario præsentet, declarans in ea contineri suam ultimam voluntatem.

3. Si testator manu aliena usus est ad scribendum suum testamentum, nec potuit illud subscribere, declarare debet in actu consignationis causam hujus omissionis, ac insuper se testamentum legisse; quorum omnium fieri debet expressa mentio a notario. Hinc colligitur eum, qui legere nequit, non posse secreto testari.

4. Restat ut notarius actum conficiat secutæ testamenti consignationis (absque interruptione), in qua indicet traditionem ipsam et declarationem testatoris, numerum et imaginem sigillorum ac testium continuam præsentiam: actus autem debet subscribi a testatore, testibus et notario. Quod si testator consignationem istam, impedimento superveniente, nequeat signare, a notario et causa impedimenti et indicatio causæ ab ipso testatore facienda referatur [1].

Nota. *Il sordomuto ed il muto... facendo testamento segreto, devono in fronte all' atto della consegna scrivere in presenza dei testimoni e del notajo, che la carta presentata contiene il loro testamento, e se questo è stato scritto da un terzo, devono aggiugnere d' averlo letto. Il notajo, nell'atto della consegna, esprimerà che il testatore ha scritto le indicate parole alla presenza di lui e dei testimoni* (art. 786). Quoad cetera observentur regulæ supra jam notatæ.

340. Q. 3. *Quinam sunt testes idonei in testamentis?*

R. Testes idonei in testamentis sunt illi omnes qui non reputantur incapaces Lege naturali ac civili. Quoad legem naturæ, habentur incapaces ad testimonium ferendum surdi omnino, muti si nesciant scribere, cæci, item qui testatoris linguam penitus ignorant: quia isti omnes non satis fidem facere possunt de actu exarando. De amente, qui lucida habeat intervalla, disputant.

Quoad legem autem civilem, si agatur de testamentis ordinariis statuitur: *I testimoni nei testamenti devono essere maschi, maggiori di anni ventuno, cittadini del regno o stranieri in esso residenti, e non aver perduto per condanna il godimento o l'esercizio dei diritti civili. Non sono testimoni idonei i praticanti e gli emanuensi del notajo (G).*

341. Q. 4. *Quid de testamento speciali?*

R. Hoc testamentum ad triplicem classem revocatur: 1) ad testamentum tempore pestis vel contagii, quod valet receptum a notario, a judice vel a ministro cultus, aut ab aliis qui dictorum vices gerant; si duo sint testes, etiam alterutrius sexus, modo sexdecim annos compleverint: et aliqua alia serventur; valet ad sex menses post morbi cessationem etc.; 2) ad testamentum conditum *in itinere super mari*, quod a superioribus navis potest recipi: hic pariter sufficiunt duo testes, qui sint mares et ætate majores: valet ad tres menses, ex quo testator in terram descendit, et venit ubi testamentum ordinarium scribere potest; 3) ad testamentum *militare*, quod recipi potest a superiore militiæ aut chirurgo, si miles ægrotet: et satis est, si duo sint testes, etiam alterutrius sexus, si tamen sexdecim annos compleverint. Hoc testamentum (quod valet ad tres menses a cessatione impedimenti) confici potest ab iis, qui sunt actu in expeditione militari tam

[1] Art. 776; — *C. A.* 578; — *C. G.* 976; — *C. S.* 992; — *C. P.* 730; — *C. M.* 703; — *C. T.* 366.

intra quam extra ditionem; vel occupant præsidia extra ditionem, vel sunt captivi apud hostes, aut in locis belli causa omni ex parte interclusis *(art.* 789) [1].

342. Q. 5. *An testamentum cui desunt tantummodo solemnitates extrinsecæ, a jure tamen civili sub validitate præscriptæ, nullum sit etiam in foro conscientiæ?*

R. Quod sit nullum in foro externo testamentum, cui desunt solemnitates seu formulæ a jure civili præscriptæ, certum est; cum expresse declarent omnes civiles codices [2]. Quæ necessariæ solemnitates, seu formulæ habentur superius notatæ quæstionibus 1, 2, 3 et 4. An autem testamentum illud valeat saltem in foro interno et conscientiæ, dissident inter se Theologi [3].

Alii cum s. Antonino, Lessio, Molina, Roncaglia, Reginaldo, Sa, Sylvestro satis probabiliter docent adhuc valere testamentum in conscientia; nam a voluntate oritur obligatio, cum lex sit tantum in subsidium juxta illud: *non fit locus provisioni legis, nisi quando cessat provisio hominis;* hic porro hominis provisio habetur, licet erratum sit in forma. Hinc dicunt hæredem ab intestato, si certus sit de voluntate testatoris, teneri restituere hæreditatem hæredi vocato.

Alii cum Alasia, Bonacina, Carrière, Continuatore Tournely, Covarruvia, Laymano, Lugo, Suarez docent testamentum nullum esse; quia lex solemnitates præscribens, cum sit lata ob bonum publicum, ad fraudes præcavendas, in conscientia ligat. Unde hæres sic institutus aut legatarius nequeunt tuta conscientia adire seu retinere hæreditatem vel legatum, sed tenentur eam dimittere ipsi hæredi ab intestato.

Verum alii plurimi cum Bannez, Beja, Billuart, Cabassutio, Ferraris, Gousset, Talento, Sanchez, Soto dicunt, eo in casu (cum nempe partium jura sint utrinque incerta ob tantorum Doctorum inter se discrepantiam) præferendum esse possessorem, semper ac donatio illa per testamentum sit libere facta, inter personas jure habiles ac in parte disponibili. Hanc sententiam probabiliorem et in praxi omnino tenendam dicimus; quia potius omni jure est jus possessionis: sane nimis durum esset in tanta animorum conflictatione, ut quis proprio marte re, quam jam possidet, expoliare se debeat. Quapropter legitimus hæres non tenetur solvere legata ex tali testamento indicta; at e contrario legatarius si jam bona fide ipsa legata sit consecutus, non tenetur illa hæredi restituere, nisi accedat

[1] *C. A.* 598; — *C. G.* 988; — *C. S.* 907; — *C. P.* 740; — *C. M.* 715; — *C. T.* 406.
[2] Art. 804; — *C. A.* 591; — *C. G.* 1001; — *C. S.* 927; — *C. P.* 742; — *C. M.* 719.
[3] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 927; et fusius n. 711; et l. I, n. 35.

judicis sententia, cui parendum est ob bonum commune, ut paci consulatur, simulque litibus imponatur finis. Unde semel judicialiter rescisso testamento, et hæres et legatarius tenentur etiam in foro conscientiæ bona accepta reddere, quin via compensationis uti valeant *(H)*.

343. *An* (quæres) *dato quod testamentum etiam in conscientia nullum sit defectu legalis solemnitatis, valeat quoad legata pia?*

R. Alii negant cum Collet, Carrière, etc., quia corruente principali, nempe testamento, corruit etiam accessorium, nempe pium legatum. Et hoc ideo magis, quia testamentorum leges essentialiter ad civilem potestatem pertinent, quæ porro vult dispositionem testatoris nullius esse roboris, si desint præscriptæ solemnitates. Verum communius affirmant cum Covarruvia, Laymano, Lessio, Roncaglia; nam specialis ratio hic habetur in accessorio, quæ non est in principali, nempe favor Religionis. Adde: piæ causæ cum ad Ecclesiam pertineant, ejus subjacent jurisdictioni; et Ecclesia passim declarat talia legata firma esse debere, si duo interfuerint testes; vel si jam aliunde certo constet ipsi hæredi voluntas testatoris sive per verba, sive per nutum aut scripturam. Et ita pluries respondit S. Pœnitentiaria; et hoc certo obtinet in Statu Pontificio, unde pro eo nulla quæstio esse potest.

Diximus *legata pia;* satis enim probabiliter cum Lugo aliter dicendum est de legatis profanis, quia respectu laicorum Papa nihil disponit: unde quod de testamento, idem valet de hisce legatis [2]. Ceterum quoad ipsa legata pia addit Frassinetti: *Dice il Gousset che se gli eredi ottengono dal governo la riduzione dei legati pii, senza falsare i fatti e senza esagerare le proprie necessità, non sono da inquietarsi* (si in bona fide).

344. Q. 6. *Quid de hæredis institutione?*

R. Hæredis institutio est *designatio personæ, quæ succedat titulo universali in jus, quod defunctus habet tempore mortis.* Quæ designatio fieri potest variis modis.

1. *Pure*, si testator instituat hæredem, quin causam indicet aut conditionem apponat; sed simpliciter illum nominet, ut passim fit.

2. *Sub causa*, quando exprimitur ratio, quæ ad disponendum movet: quæ si sit falsa ac finalis, nulla est dispositio. Si tamen

[1] *Decr.*, l. III, t. XXVI, c. *Relatum;* et alibi. Sed Monent cum Gury et Gousset, ut omni quidem modo confessarius legatorum solutionem suadeat, vel inducat saltem hæredem ad rem cum legatariis ipsis piisve locis componendam; ast caveat ne rigidam obligationem imponat, si renuentes viderit hæredes; neque certe agatur de satisfaciendo per legata obligationi justitiæ, et illi sint in bona fide.

2 *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 922; — Gury, *Casus conscientiæ*, t. I, n. 958; — *Acta S. Sedis*, t. II, pag. 369.

dignosci non potest eam unicam fuisse, quamvis illa tantum fuerit indicata, non ideo dispositio est invalida.

3. *Sub demonstratione*, quando testator non nominat expresse personam quam constituit hæredem vel rem de qua disponit; sed personam et rem circumlocutionibus satis demonstrat et indicat. Falsa demonstratio non nocet, si aliunde certo nota fiat; demonstratio enim per se habetur uti quid accessorii [1].

4. *Sub modo*, quando hæredi aliquid faciendum injungitur vel omittendum: modus non suspendit institutionem, sed cautio præstanda est de illo implendo. Nonnunquam tamen modus vestit indolem veræ conditionis [2].

5. *Sub conditione*, quando nempe testamentaria dispositio habet aliquam conditionem adjectam: vel *resolutivam*, quæ dispositionis validitatem ligat ad incertum eventum; vel *suspensivam*, quæ suspendit dispositionis executionem, non ejus valorem. Dispositio sub conditione *resolutiva* nulla est, si hæres ante illius verificationem, moriatur [3]: non autem, si conditio sit suspensiva [4].

345. Ceterum loquendo de conditionibus generatim in testamentis, istæ validæ sunt, si sint possibiles ac licitæ; nam unusquisque potest pro suo libitu de re sua disponere, modo non faciat contra leges: ideo suspendit successionem usque ad conditionis illius eventum. Si vero conditiones sunt impossibiles, turpes aut legi contrariæ, habentur uti non adjectæ, id est vitiantur (seu nullæ sunt), sed non vitant testamentum [5]. Porro conditiones *impossibiles* sunt quæ naturaliter ab hominibus poni nequeunt: esset si quis,

[1] « Per *esempio:* sarebbe di niun effetto un legato o un'istituzione di erede fatta in favore di Pietro, senza nulla più aggiungere, perchè essendovi senza numero persone di quel nome, non può mai divenir certo chi sia colui del quale il testatore intese parlare. Che se il testatore avesse dimestichezza e familiarità con una persona di tal nome, e che niun'altra di questo nome fosse legata con tali vincoli al testatore, si potrebbe sostenere l'istituzione, tanto più se il testatore fosse stato solito in sua vita di designare unicamente con tal nome quella persona. Al contrario sarebbe valido il legato seguente: *lascio lire mille a colui che primo interverrà a' miei funerali:* questa persona incerta dapprincipio, può divenir certa nel tempo successivo. »

[2] Modus exprimi solet per verbum *ut;* conditio per particulam *si;* causa per particulam *pro.* Richieri, *Institutiones;* et Faber.

[3] « Per *esempio:* io lego a Paolo 8,000 lire, se sua madre si rimarita. Sino al momento in cui il matrimonio di sua madre non si effettua, non vi ha per lui un legato, ma solo una speranza. Se Paolo muore prima che la condizione sia adempiuta, il legato diverrà caduco, ed i suoi eredi non avranno diritto a cosa alcuna. Al contrario di quanto avviene nelle obbligazioni, perchè il contratto si suppone fatto per sè e pe' suoi eredi; mentre il testatore si suppone non aver fatto il legato, che in vista del legatario. »

[4] « Per *esempio:* io lego a Paolo una somma di lire 3,000, che gli si pagherà se suo padre viene a morire: siccome è certo che suo padre morrà, Paolo dal momento della mia morte acquista un diritto irrevocabile sul legato delle lire 3,000; ma l'esecuzione è sospesa sino alla morte di suo padre. Se Paolo muore prima di quest'epoca, i suoi diritti passeranno ai suoi eredi, che potranno riclamare il pagamento del legato, allorchè il padre di Paolo sarà morto. » *Cod. spieg.*

[5] Art. 849; — *C. A.* 700; — *C. G.* 900; — *C. S.* 995; — *C. P.* 752; — *C. M.* 747; — *C. T.* 422.

Titium instituere hæredem, si cœlum manu tetigerit. Conditiones *turpes* sunt quæ fiunt contra hominum honestatem, ut si quis aliquem vocet hæredem, si furtum faciat vel patrem occidat. Conditiones *contra leges* sunt illæ, quæ pugnant cum ordinationibus a legitimis superioribus constitutis: talis est conditio, quæ præfinit diem, qua inchoare vel cessare debet institutio hæredis, ut si quis diceret: *Titius meus hæres esto ad biennium tantum*, vel *hæres esto post biennium tantum a morte mea* (quoad legatarium tamen hæc conditio staret) [1].

Item conditio quæ impedit nuptias sive primas sive ulteriores; interest enim Reipublicæ, ut proles augeatur et multiplicentur cives [2]. Excipe: 1) si agatur de aliqua pensione, usu vel usufructu præstando, durante tali statu; nam tunc non proprie conditio prohibens ponitur; sed determinatur tantum duratio præstationis faciendæ tali tempore perdurante; 2) si conditio a conjuge sit posita conjugi superstiti; hoc enim postulat fides data primo marito.

Art. II. — *De testatore, de legitima et hærede.*

346. Q. 1. *Quinam testari possunt* [3]?

R. Jure naturæ facultas testandi de rebus suis competit omnibus, qui gaudent animi integritate, et nullo laborant corporis vitio, quo impediantur declarare quid de rebus suis fieri velint post mortem. Nihil enim vetat, ut ille qui potest rem suam in alium transferre, ita provideat, ut ejus dominium quoad vivit sibi adhæreat, post mortem vero transeat in alium.

Legibus tamen civilibus, quarum officium est bono publico prospicere, nonnulla hac super re inducta sunt; unde iis inhærentes dicimus, eos libere testari posse, qui testari non prohibentur a civili lege. Prohibentur autem: 1) minores ætate annorum octodecim completorum, etsi militares vel clerici, qui bona castrensia vel quasi-castrensia possideant: quod si in illa ætate testamentum conficiant, non fit validum, postquam illa completa est, utpote invalidum ab

[1] Conditio qua quis aliquem hæredem vel legatarium vocaret, dummodo et ipse ab alio vocetur hæres vel legatarius nullum facit ipsum testamentum (*art.* 823).

Quid vero de conditione *ingrediendi Religionem, amplectendi statum ecclesiasticum*? Civiles disputant de licitate hujus conditionis vel illicitate. Quidquid sit hæc conditio (nisi rerum adjuncta aliter suadeant) non est impeditiva conjugii, nec ideo contra bonos mores; neque enim status ecclesiasticus ac religiosus ex natura sua est in nuptiarum odium; cum directe nonnisi perfectionem excellentiorem intendat.

[2] Jure tamen canonico conditio servandæ viduitatis sustinetur, quia honestum est a secundis nuptiis abstinere. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 930, dub. 7.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 942 et seqq. — Ferraris; V. *Testamentum*, art. 3.

initio; 2) interdicti ob mentis imbecillitatem, toto tempore interdictionis; 3) quos constat tempore conditi testamenti fuisse mentis non sanæ, uti amentes, furiosi, vel quovis imbecillitatis genere laborantes; etsi interdicti non sint [1]; 4) damnati ad mortem, vel perpetuo ad triremes [2].

347. Q. 2. *An testator ad hæreditatem possit vocare quem voluerit?*

R. Testator potest vocare hæredem quem voluerit, salva portione legitima, si cui hæc a lege concedatur; et modo vocatus capax sit ad acquirendum per testamentum, ac vocans aliis obligationibus non obstringatur saltem quoad conscientiam: quisquis sane rei suæ dominus est, si lex nulla obstet. Legitima autem, quæ semper salva esse debet, quæque danda est sine onere vel gravamine, definitur: *quædam portio hæreditatis defuncti ex legum civilium præscripto pleno jure personis quibusdam debita.*

Dicitur: 1. *Quædam portio hæreditatis;* ideo legitimarius habetur, etsi in quota minori, ut verus hæres. Additur *defuncti*, quia legitima non conceditur, nisi post mortem testatoris.

2. *Ex legum civilium præscripto*, quia ex Lege naturæ patres filiis filii parentibus non legitimam, sed tantum quod necessarium est ad sustentationem suppeditare tenentur. Additur: *pleno jure*, quia ab omni testatoris arbitrio subducitur, cum vi legis debeatur.

3. *Personis quibusdam debita*, quia leges civiles indicant personas, quibus legitima tribuenda est, et dicuntur *legitimarii*. Sunt autem: omnes filii (emancipati vel non) legitimi, legitimati et adoptivi; et omnes eorum descendentes, cum advertentia: *I discendenti però non si contano che per quel figlio, che rappresentano.* Deficientibus autem filiis aut eorum descendentibus, veniunt ascendentes testatoris, quibus successio esset concedenda etiam *ab intestato*. Tandem deficientibus descendentibus simul et ascendentibus testator disponere potest ad libitum de omnibus bonis, si quædam excipiantur, quæ conjugi superstiti et filiis naturalibus debentur.

Sed (quæres) *quænam legitimæ quantitas, et quomodo computanda?* Si agitur de hæredibus in linea ascendentali, legitima tribuenda erit tertia pars totius assis hæreditarii, sive unciæ quatuor ex duodecim: et ideo testator in hoc casu non poterit disponere, nisi de octo. Si vero agitur de linea descendentali, quicunque sit numerus descendentium, legitima erit dimidium totius assis, sive unciæ sex

[1] Art. 762; — *C. A.* 566; — *C. G.* 25, 502, 901; — *C. S.* 817; — *C. P.* 618; — *C. T.* 320; — *C. M.* 685. — Idem resolvunt, si testamentum conditum sit in iræ æstu, vulgo *ab irato;* nempe invalidum esse contendunt, ob consilii defectum; quanquam nulla fit mentio hujusce rei in *Codice novissimo.*

[2] *Cod. pœn.* art. 20 ex *Cod. civili Albertino*, art. 44.

ex æquo dividendæ, ita ut testatori non liceat disponere, nisi de sex aliis unciis, quæ supersunt [1]. Quod si in parte disponibili adsit excessus, tempore quo successio aperitur, fieri debet dispositionum reductio quousque legitima salva sit juxta Codicis normam.

Per determinare la riduzione, si forma una massa di tutti i beni del testatore al tempo della morte, detraendone i debiti. Si riuniscono quindi fittiziamente i beni di cui è stato disposto a titolo di donazione; quanto ai beni mobili, secondo il loro valore al tempo delle donazioni, e quanto ai beni immobili, secondo il loro stato al tempo delle donazioni, e il loro valore al tempo della morte del donatore, e sull'asse così formato si calcola quale sia la porzione di cui il testatore ha potuto disporre, etc. (art. 822). Porro ante donationes inter vivos reducendæ sunt donationes causa mortis, nempe legata seu testamentariæ dispositiones, quæ ideo nullæ sunt, si pars diponibilis a donationibus inter vivos tota consumpta sit. Si vero non est tota consumpta, etiam computatis illis donationibus, tunc omnia legata æque reducuntur, nulla habita ratione temporis prioritatis [2] nisi testator ipse prælationem voluerit pro aliqua liberalitate *(art.* 825) [3].

348. Q. 1. *An parentes teneantur, si non ex Jure civili, saltem in conscientia filios suos instituere in toto asse?*

R. Parentes non videntur teneri neque in conscientia omnia bona testamento relinquere filiis propriis; sed sufficit, si eis relinquant portionem legitimam a jure præscriptam, saltem si hæc ipsis sufficiat ad vivendum secundum propriam conditionem. Nam aliter ipsi potius fructuarii, quam domini bonorum suorum dicendi essent, exitu inspecto. Quare si pauperes gravi premerentur necessitate, vel opus aliquod est perficiendum in bonum publicum, v. g., hospitale vel templum non peccant parentes, si relicta filiis portione bonorum legitima pro eorum statu congrue sustentando idonea, reliquum in dictos pauperes vel opus publicum impenderent. Sed peccarent, si ita se gererent ex odio in filios; vel etiam, juxta multos, si absque causa sufficienti reliquam hæreditatem darent extraneo; cum hoc videatur contrarium ordini charitatis, et illi Proverbiorum: *Bonus relinquit hæredes filios et nepotes* [4]. Sunt tamen qui docent ad id parentes non obligari sub peccato, si filii bona jam habeant propria statui convenientia.

An (quæres) *parentes teneantur filios instituire in parte æquali?*

[1] Art. 805. « La disponibilità di una parte dei beni concilia al padre maggiore autorità; è sprone ai figli per meritarsene l'affetto; e serve ad impedire lasciti ad estranei, o ad uno dei figli. » *Cod. spieg.*

Art. 20 *Statuti* decernit: « Il re può disporre del suo patrimonio privato sia per atti fra' vivi, sia per testamento, senz'essere tenuto alle leggi civili, che limitano la quantità disponibile.

[2] Attamen reducendo donationes inter vivos habetur ratio temporis, quo ipsæ factæ fuerunt ex dicendis infra n. 474.

[3] *Reductionis exemplum:* « Antonio in vita fece due donazioni, a Cajo di lire 24,000, a Sempronio di lire 20,000. Alla sua morte si trova una sostanza di lire 19,000 con lire 3,000 di debiti; e di più nel suo testamento dispose in legati per lire 4,000; gli eredi sono due figli. Colle due donazioni e l'attivo lasciato abbiamo 63,000 lire; detratti i debiti, restano per la massa lire 60,000.

» Avendo Antonio lasciato due figli non poteva disporre che della metà della sostanza, cioè di lire 30,000, e però la disposizione testamentaria è nulla, poichè la disponibile è già più che assorbita dalle due donazioni; anzi vi dee essere riduzione anche sulle donazioni, e però, a tenore dell'art. 1093, si ridurrà l'ultima; e però Sempronio dovrà restituire lire 14,000, acciò sia intatta la legittima. » *Cod. spieg.*

[4] Cap. XIII — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 946.

R. Si in familia adsint filii, qui de ea et de parentibus ipsis specialiter præ aliis fratribus sint benemeriti, nihil impedit, quominus in testamento parentes eos ceteris præferant aliqua ex parte, salva semper legitima. Ratio dictat plus merentibus plus deberi: imo per se id licere videtur, quamvis filii talia merita non habeant; nam semper parentes domini sunt. Quod magis locum habet, si aliqui filii magis egeant, pusilli sint, vel primogeniti quorum interest, ut familiæ decus tueantur. Attamen caveant ne ideo concitent odia et discordias: meminisse juvat Josephi historiam.

349. Q. 4. *Si testator habeat tantum fratres aut sorores, teneturne eos vocare hæredes pro conscientia?*

R. Si fratres et sorores non sint pauperes, testator non tenetur eos vocare hæredes; cum non sint necessarii. Imo neque si graviter indigeant; sed satis est illis relinquere quantum sufficit ad levandam eorum indigentiam: idque ex præcepto tum charitatis generali, tum speciali pietatis quam habere debemus erga illos: propter quod certum est ex communi, talem læsionem habere specialem malitiam in Confessione aperiendam. Addit Roncaglia, quod si fratres et sorores sint pauperes, etsi graviter non indigeant, adhuc esset saltem veniale sine causa eos omnino præterire.

Quoad alios consanguineos remotiores, tradunt communiter non esse tam gravem pietatis obligationem; quamvis non videatur posse excusari a veniali ipsorum præteritio, si graviter indigeant; cum erga illos adsit quoque aliqua, licet non ita stricta, obligatio pietatis.

350. Q. 5. *Quid si testator habeat conjugem, vel filios naturales?*

R. Ad 1: Conjux superstes hæc habet jura ex Codice civ.: a) *Il conjuge contro cui non sussista sentenza di separazione personale, passata in giudicato, ha diritto sull'eredità dell'altro conjuge, nel caso che questi lasci figli legittimi o loro discendenti, all'usufrutto d'una porzione uguale a quella che spetterebbe a ciascun figlio a titolo di legittima, comprendendo nel numero dei figli anche il conjuge* (art. 812) [1]; b) *Se il testatore non lascia discendenti, o ascendenti, la parte riservata al conjuge è il quarto in usufrutto* (art. 813); c) *la quota di usufrutto del conjuge è il terzo, quando il testatore non lascia nè discendenti nè ascendenti aventi diritti a legittima* (art. 814).

Hæc sunt conjugis superstitis jura, quibus expoliari nequit. Ceterum poterit testator cum superstite conjuge magis abundare quoad partem disponibilem; cum hac tamen advertentia, si ipsi testatori supersint filii ex alio matrimonio: *Il binubo non può lasciare al nuovo conjuge una porzione maggiore di quella che abbia lasciato al meno favorito dei figli del precedente matrimonio* (art. 770) [2].

[1] « Per *esempio:* Tizio lascia sei figli ed il conjuge. La legittima di ciascun figlio sarà la dodicesima parte della sostanza. La porzione dovuta al conjuge sarà la quattordicesima parte della sostanza in usufrutto. »

[2] « Per *esempio:* Cajo, Sempronio e Mevio sono figli di primo letto. A Cajo il suo padre lasciò 10, a Sempronio 20, a Mevio 30. Il secondo conjuge non potrebbe conseguire più di 10. » *Cod. spieg.*

351. R. Ad 2: Quoad filios naturales, qui sint ex legis præscripto a genitore recogniti, statuitur: *Quando il testatore lascia figli o ascendenti legittimi e figli naturali legalmente riconosciuti, questi ultimi hanno diritto alla metà della quota che loro sarebbe spettata se fossero legittimi* (art. 815). *Quando non vi sono discendenti nè ascendenti legittimi, i figli naturali* (vel si præmortui, eorum filii legitimi) *hanno diritto a due terzi della quota che loro sarebbe spettata se fossero legittimi* (art. 816) [1].

Notandum: portio quæ debetur conjugi superstiti ac filiis naturalibus est detrahenda ex parte disponibili; neque enim legitima minui potest [2]. Et in hac portione conjux computare debet omnia quæ illi obvenerunt ex conventionibus matrimonialibus; filii vero naturales omne quod a vivente testatore receperunt, si talis sit naturæ ut conferri debeat in divisione *(art.* 818, 1007 et seqq.).

352. Q. 6. *Quid est hæres?*

R. Hæres dicitur ille, cujus favore testator disposuit in sua ultima voluntate titulo universali: quod evenit quando testator uni vel pluribus totam bonorum universalitatem relinquit, vel quando relinquit portionem totius universalitatis, v. g. tertiam partem totius assis. Unde discriminatur a *legatario*, pro quo testator non disponit nisi titulo particulari, uti si leget Titio hanc domum, illam vineam. Hæres est vel necessarius, vel legitimus vel extraneus.

Necessarius, quem testator debet saltem in parte necessario instituere, nisi ex lege incapax habeatur ad succedendum: hæredes necessarii sunt descendentes, et in eorum defectu ascendentes defuncti [3]. *Legitimus* qui de ipso jure succedit, deficiente testamento, ideoque *ab intestato* ex vi legis ipsius: legitimi habentur omnes consanguinei in linea collaterali usque ad decimum gradum in civili, usque ad quintum in computatione canonica. *Extraneus* seu *voluntarius*, qui pro arbitrio institui potest. Ubi notandum quamcunque dispositionem testamentariam nullam esse, si ille in cujus favore facta est, testatori non prævixerit.

[1] « Per *esempio:* Tizio ha un figlio naturale ed un patrimonio di lire 60,000; se il figlio fosse stato legittimo, la sua legittima sarebbe stata di lire 30,000; ma siccome è naturale, sarà di lire 20,000. »

[2] « *Esempio:* Tizio possiede lire 28,000 con cinque figli legittimi, e quindi la legittima complessiva è di lire 14,000 (per ciascuno 2,800). Ha altresì due figli naturali riconosciuti, e quindi per determinare la loro porzione si fa il calcolo di sette figli. Ora la legittima dei figli naturali sarà la quattordicesima parte di lire 28,000 che corrisponde a lire 2,000 per ciascuno; ma siccome i figli naturali devono avere soltanto la metà della quota che sarebbe loro toccata se legittimi, così avranno solo lire mille per ciascuno, e verranno detratte dalla parte disponibile. » *Cod. spieg.*

[3] Huc ex parte hodie revocantur filii naturales si legaliter recogniti, et conjux superstes, si non fuerit legaliter separata a testatore; quibus nempe aliqua portio semper debetur (saltem quoad usumfructum), sive ab intestato, sive ex testamento. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 943. — Ferraris; V. *Hæres.*

353. Q. 7. *Quinam possunt institui hæredes?*

R. Omnes qui ex lege non sunt incapaces ad succedendum, et capiendum possunt institui hæredes [1]. Incapaces autem alii sunt tales absolute et in universum; alii relative et secundum quid; alii tandem partialiter, seu pro parte dumtaxat.

Incapaces absolute et in universum ad succedendum, seu in omni casu sunt: — 1) filii, qui *nondum concepti* sunt tempore aperitionis successionis; qui enim nondum concepti sunt, nihil sunt; at *nihil nullæ sunt proprietates.* Attamen excipiuntur filii immediati alicujus personæ determinatæ et viventis tempore mortis testatoris [2] *(art.* 764); 2) *non vitales*, idest vitæ non capaces; etenim idem est a jure *non nasci et natum mori.* Verum in dubio tales non præsumuntur, qui enascuntur vivi, etsi brevi moriantur *(art.* 724); — 3) *personæ incertæ*, si nullo modo certificari possint. Item est si persona incerta sit determinanda ab aliquo tertio, ut si dicatur, *erit meus hæres ille, quem designaverit Titius; ma* (addit Codex) *è valida la disposizione a titolo particolare in favore di persona da scegliersi da un terzo fra più persone determinate dal testatore od appartenenti a famiglie o corpi morali da lui determinati; ed è pur valida la disposizione a titolo particolare a favore di uno fra più corpi morali determinati parimenti dal testatore* (art. 830 et seqq.); — 4) *Instituta et Congregationes, quarum existentia legaliter non est probata* [3] (art. 433). Et art. 833 statuitur: *Sono nulle le disposizioni ordinate al fine di istituire o dotare benefizi semplici, cappellanie laicali od altre simili fondazioni;* — 5) *indigni:* et sunt ex Codice civ.: a) *Chi avesse volontariamente ucciso o tentato di uccidere la persona, della cui successione si tratta;* b) *chi la avesse accusata di reato punibile con pena criminale, quando l'accusa sia stata dichiarata calunniosa in giudizio;* c) *chi là avesse costretta a far testamento od a cangiarlo;* d) *chi là avesse impedita di far testamento o di rivocare il già fatto: o avesse soppresso, celato od alterato il testamento posteriore.* Hæc tamen exhæredatio, seu indignitas, non præjudicat filiis aut descendentibus indigni; nam personalis culpa suos auctores tenere debet: unde ad illos adhuc spectat portio legitima, in qua tamen indignus parens omn i jure carebit sive usus fructus

1 Quoad *extraneas* vide supra n. 335.

2 Art. 764. « Per *esempio:* Tizio chiama erede il figlio primogenito nascituro dal suo figlio pure primogenito: questa disposizione è valida, ancorchè l'erede instituito non sia ancor concepito alla morte del testatore; ma si richiede, che a quell'epoca il detto figlio di primo grado sia in vita, perchè ove non fosse ancor nato o già morto, sarebbe nulla la disposizione. » *Cod. spieg.*

3 « Son validi i legati fatti per fondare in una città un ospizio, un asilo per l'infanzia, un museo, una biblioteca pubblica, ecc., quantunque la città non sia stata istituita legataria. » *V.* Lissoni, *Trattato pratico del testamento.* Milano, 1866.

sive administrationis. Cessat autem indignitas, si testator vel testamento vel alio actu authentico, indignum habilitaverit [1].

Incapaces relative ad accipiendum per testamentum: sunt 1) notarius vel alius officialis civilis militaris, maritimus vel consularis, qui testamentum publicum recepit relate ad ipsum testamentum (quod valet etiam de legatis). Item incapaces sunt testes eidem præsentes; 2) qui testamentum secretum conscripserunt, nisi dispositio eorum favore peracta expresse approbetur in ipso testamento manu ipsius testatoris, vel in actu præsentationis; 3) tutores ex testamento sui minoris, nisi rationes administrationis jam redditæ sint, et recognitæ ante ipsam testamenti confectionem. Excipe, nisi tutor sit ascendens, aut descendens, frater, soror aut conjux ipsius testatoris *(art. 769)*: tunc valent dispositiones minoris in ejus favore actæ.

Incapaces partialiter ad capiendum, seu pro parte sunt: 1) filii qui legitimationis incapaces sunt, utpote nati ex nefario damnatoque connubio, qui nempe consequi non possunt, nisi alimenta *(art. 767)*. Item est ex *Cod. pœnali* de iis, qui damnati sunt ad mortem vel perpetuo ad triremes *(lavori forzati a vita);* (art. 20); 2) filii naturales legaliter agniti, non legitimati (si tamen legitimari non prohibentur): qui si adsunt descendentes aut ascendentes legitimi ipsius testatoris, per testamentum illud tantum capere possunt quod lex ipsis assignat, si succederent ab intestato; 3) conjux qui nequit percipere ex testamento præmortui conjugis, qui ex alio matrimonio filios superstites relinquat, majorem portionem quam uni ex istis filiis minoris considerato tribuerit.

Id notandum: testamentariæ dispositiones factæ favore incapacis, nullæ habentur etsi fiant sub simulatione contractus onerosi; vel sub nomine personæ interpositæ, ut sunt pater, mater, descendentes et conjux ipsius personæ incapacis; nempe si isti vocentur in testamento, sed ideo ut incapaci clam bona tribuant [2].

354. Q. 8. *An anima propria, et Ecclesia possit vocari et institui in legatum vel in hæreditatem?*

R. Ad 1: Quoad animam Lex civilis habet: *Le disposizioni per l'anima, o a favore dell'anima, espresse generalmente sono nulle* (art. 831). At Jure naturæ sistendo utique potest testator suam hæreditatem relin-

[1] Art. 725; — *C. A.* 760; — *C. S.* 848; — *C. P.* 627; — *C. M.* 841; — *C. T.* 323. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 948; — Ferraris; V. *Exhæredatio.*

[2] Art. 752, 767; — *C. A.* 540, 573; — *C. G.* 727; — *C. S.* 648; — *C. P.* 618; — *C. M.* 721; — *C. H.* 9; — *C. T.* 324. Ex nova lege civili apud nos religiosa instituta utpote suppressa incapacia habentur ad acquirendum; e contra ipsi religiosi capaces declarantur sicuti ceteri cives (art. 22: *Disposizioni transitorie per l'attuazione del Codice civ.* 30 nov. 1865). At aliter resolvendum est coram Ecclesiæ lege, uti diximus *De Obligationibus religiosorum*, lib. I, n. 496.

quere animæ suæ, si aliis non sit ligatus obligationibus, cum sit dominus rei suæ; idque congruenter, ut a pœnis peccatorum redimat animam suam juxta illud Prov. III: *redemptio animæ viri divitiæ suæ.* Et tunc (nisi lex vel consuetudo regionis aliud determinet) hæreditas esset impendenda in celebratione Officiorum et Missarum pro testatore; talis enim videtur genuinus et proprius sensus illorum verborum *animæ suæ;* non ideo in pauperum aut hospitiorum levamen.

R. Ad 2: Ecclesia utique potest institui in legatum vel hæreditatem; nam est vera ac perfecta societas, quæ ideo potest acquirere. Et pluribus indiget non solum ad suos ministros alendos, sed ad ipsum cultum divinum, qua par est, sustinendum: quantum autem in ecclesiasticis cæremoniis pompa ad populi devotionem faciat, nemo sane ignorat. Qui vero clamat: *ut quid perditio hæc? potuit enim istud venumdari multo et dari pauperibus* [1], sciat ea verba non a divino Magistro, sed a discipulo traditore prolata fuisse. Ceterum Ecclesiæ bonis et pauperes et opifices non parum fruuntur: et hic omnium populorum unus sensus est; neque enim Hebræi tantum veri Dei cultores, sed ipsi quoque gentiles Templa et Sacerdotes ingentibus ditabant divitiis, ut Romani, Galli, Ægyptiaci, Syri, Mexicani, Sinæ, Turcæ, etc. Consentientes habemus vel ipsos politicos homines, ut Mirabeau, Silhon, Lopez de Sierra. Imo protestantes: Springerum, Winestandium, Wood, Grotium, Melanctonem, Voet. Id ipsum confirmatur etiam ipsa civili lege, si quædam excipiantur; quæ tamen pro corporibus moralibus sicut ad alienandum, ita ad acquirendum requirit gubernii auctorizationem [2].

Art. III. — *De hæreditatis aperitione, renuntiatione, divisione et collatione.*

355. *Quid de hæreditatis aperitione?*

R. Aperitur successio, sive ab intestato, sive testamentaria ipso momento mortis testatoris, in loco ultimi sui domicilii [3]; et immediata bonorum possessio transit pleno jure, quin necessaria sit naturalis apprehensio, ad hæredem, si sit capax [4]. Porro hæredis capacitas requiritur tempore mortis testatoris, quia tum tantum obtinet testamentum. Si tamen testatoris mens ea sit, ut sua dispositio valeat tantum casu quo talis eventus succedat, tunc capacitas acquirendi spectanda est etiam tempore quo purificatur illa conditio resolutiva, adeo ut si persona in cujus utilitatem quis testatus est

1 Matth. XXVI. — *V.* Muzzarelli, *Buon uso della logica*, opusc. XXVII: *Ricchezza e magnificenza delle Chiese.* — Scotti, *Teoremi di politica cristiana.*

2 Art. 2, 433 et 931; — *C. A.* 26; — *C. G.* 910; — *C. P.* 638; — *C. M.* 737; — *C. H.* h. t. 12; — *C. T.* 333.

3 Si testamentum est *publicum* nulla solemnitas requiritur pro ejus aperitione; sed satis est copia testamenti a notario danda. Si est *holographum*, tunc prius deponendum penes notarium coram prætore et duobus testibus cum suis subscriptionibus (*art.* 26 et 912). Si tandem est *secretum*, ad instantiam interesse habentium a notario aperiendum est cum suis solemnitatibus, et publicandum coram prætore et saltem duobus testibus, qui ad præsentationem (si fieri potest) interfuerint (*art.* 912, 915).

4 Art. 923; — *C. A.* 25; — *C. G.* 720; — *C. S.* 640; — *C. P.* 866. Potest etiam retardari hæreditatis aditio, si sigilla apponantur ad instantiam interesse habentium: vide *Cod. proc. civ.*, art. 82, 93 et 817.

moriatur ante illius conditionis purificationem, cadat institutio *(art.* 724, 848 et seqq).

Notandum item ex *civili Codice: Se fra due o più chiamati rispettivamente a succedersi è dubbio quale abbia pel primo cessato di vivere* (puta in communi naufragio), *chi sostiene la morte anteriore dell'uno o dell'altro, deve darne la prova; in mancanza di prova si presumono morti tutti ad un tempo, e non ha luogo trasmissione di diritto dall'uno all'altro* (art. 924) [1].

356. Q. 2. *Quid de hæredis juribus atque oneribus?*

R. Ad 1. Hæredis jura hæc sunt: 1) ipse statim post mortem testatoris succedit in omnia ejus jura realia, eorumque fit verus dominus (etenim hæres ab hero dictus est). Jura vero personalia, quibus testator fruebatur, ut ususfructus, abitationis, una cum ipso testatore extinguuntur, cum personam comitentur; 2) hæres gaudet *jure accrescendi*, nempe acquirit etiam portionem cohæredum, si hi testatori præmoriantur, vel si eam renuntiaverint, aut acceptandi sint incapaces. Hoc tamen intelligendum, si hæredes sint conjunctim vocati; si enim testator singulis suam quotam expresse determinaverit, jus accrescendi non obtinent et portio cohæredum volvitur non ad alios a testatore vocatos, sed ad legitimos ejus hæredes cum onere adimplendi onera adnexa [2].

R. Ad 2. Sicut hæres succedit in omnia bona et jura defuncti, ita et omnibus ejusdem oneribus subjicitur, æquitate ipsa postulante, ne commoda ab incommodis sejuncta sint: quod si hæredes sint plures, unusquisque onera ferre tenebitur pro parte sua. Ceterum omnes res immobiles hæreditatis sunt quasi sub hypotheca pro omnibus debitis ejusdem hæreditatis: unde singuli hæredes, hoc onere hypothecario, tenentur ad totum solvendum debitum in cohæredis defectu, salvo jure regressus erga cohæredem, si ultra suam partem quis solverit. Hisce tamen hæreditatis oneribus non subjiciuntur legatarii: unde si quid solverint ad liberandum legatum ab onere hypothecario, habent regressum erga hæredes [3].

[1] « Per *esempio:* in un naufragio muore Tizio padre e Carlo suo figlio, rimanendo superstite il padre di Tizio e la moglie dello stesso Tizio, madre del naufragato Carlo. Siccome non si fa luogo a trasmissione di diritto da Tizio nel figlio nè viceversa, così la madre di Carlo consegue la intera eredità del figlio se ha beni; e il padre di Tizio consegue sulla sostanza di queste due terze parti, e la moglie una terza parte.»

[2] « Vi sarebbe chiamata congiuntiva quando il testatore disponesse così: *lascio a Pietro e Paolo la mia sostanza.* La distribuzione di parte si intende fatta soltanto nel caso in cui il testatore ha espressamente indicata una quota per ciascuno: p. e. *lascio a Pietro due terzi della mia sostanza, a Paolo l'altro terzo.* Ma la semplice espressione *per parti eguali, o in eguali porzioni*, non esclude il diritto di accrescimento. » *Carabelli.* — *Cod.* art. 879; — *C. A.* 869; — *C. G.* 1044; — *C. S.* 702; — *C. P.* 899; — *C. M.* 972; — *C. T.* 317.

[3] Art. 1029; — *C. G.* 871; — *C. S.* 791; — *C. P.* 1031; — *C. M.* 1103; — *C. T.* 382. Imo hæreditatis creditores ac legatari jus habent ut separentur bona testatoris a bo-

Cum autem *supremæ defuncti preces sacræ sint*, hæreditatis onera tempore suo statim implenda sunt. Quod si nullum sit definitum tempus, quoad primum poterit, compleri debent; quod si in his hæres graviter deficiat, tenetur de damnis quæ inde obveniunt; et indignus est absolutione. Si tamen timeat, ne oneribus hæreditatis opprimatur, non pure ac simpliciter sed cum beneficio inventarii hæreditatem acceptet, ut ei supetat tempus ad deliberandum.

357. Q. 3. *Quid de acceptatione hæreditatis cum beneficio inventarii?*

R. *Beneficium inventarii*, quo hæres neque per contrariam dispositionem expoliari potest, hoc præstat: 1) ut non teneatur ad debita solvenda ultra vires hæreditatis, et potest etiam cedere omnia bona creditoribus; 2) ut non confundantur sua bona cum bonis hæreditatis; et ideo ipsi fas sit suum creditum repetere ab hæreditate uti quilibet alius creditor [1]; 3) ut possit offerre hæreditatis immobilia sub hasta publica vendenda [2].

Si inter plures hæredes unus velit invocare beneficium inventarii, aliis renuentibus, hæreditas cum tali beneficio ab omnibus acceptari debet. Quæ quidem acceptatio, facta sub ea conditione, declaranda est Cancellario præfecturæ mandamentalis, ubi successio aperta est, ut eam transcribat intra mensem et publicet in Diario præscripto. At talis declaratio, ut habeat suum effectum illico bonorum inventarium conficiendum est [3]. Porro si hæres jam teneat realem hæreditatis possessionem, trimestre ipsi conceditur a die quo aperta fuit successio vel notitia habita devolutæ hæreditatis, ad inventarium conficiendum; et si hoc tempore inceptum confici nequiverit, prætor poterit illud prorogare ad aliud trimestre, vel etiam majus præficere, si particulares ac graves circumstantiæ id postulent. Interim vocatus hæres hæreditatem administrat; at si quæ sint vendenda, requiritur auctorizatio; tenetur autem de sua administratione rationem reddere creditoribus et legatariis. Omnes tamen expensæ, etiam pro apponendis sigillis, sunt ipsius hæreditatis.

Si vero hæres non est in reali possessione hæreditatis, nec se in illa immiscuerit, si compellatur ab interesse habentibus, trimestre ad inventarium conficiendum incipit a die determinationis judicialis. Quod si a nullo compellatur, hæres semper gaudet jure conficiendi inventarium, et acceptandi hæreditatem, etsi illi renuntiaverit (modo interim non fuerit ab alio acceptata), nec jus acceptandi triginta annorum spatio sit præscriptum. Attamen hæres potest ab eo cui interest,

nis hæredis, ad hoc ut prius sibi solvatur, et prælationem habeant quoad ipsos hæredis creditores; sed hoc petendum est intra tres menses a successionis aperitione (*art.* 1032, 2054).

[1] Art. 955; — *C. A.* 800; — *C. G.* 793; — *C. S.* 710; — *C. P.* 898; — *C. M.* 983; — *C. T.* 478.

[2] *Cod. proced. civilis*, art. 673.

[3] Qui negligit inventarium, civili Jure censetur adire hæreditatem pure et absolute et ideo tenetur etiam ultra vires hæreditatis debita solvere. Utrum vero ad id teneatur etiam in conscientia, plures absolute negant cum Vasquez: alii affirmant cum Alasia, sed post sententiam judicis; alii cum Lugo et Molina absolute affirmant quoad creditores, quibus hæres debet ex quasi-contractu: quoad legata autem non tenetur hæres, nisi in pœnam omissi inventarii, ideo nonnisi post sententiam, et casu quo intercesserit culpa. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 932, 961.

in judicium vocari, ut declaret an velit acceptare vel non hæreditatem: judex tempus congruum designabit, quo elapso. si nulla fiat declaratio, hæreditas uti repudiata habetur. Quod si nulla adsit oppositio, hæres cum beneficio inventarii, elapso mense a facta transcriptione ac publicatione in Diario, potest satisfacere creditoribus et legatariis qui petunt, salvis juribus prælationis. Ceteri creditores qui comparent, bonis omnibus liquidatis, habent regressum contra legatarios, sed solum intra tres menses ab ultima solutione [1].

Nota: Hæreditas quæ defertur interdicto, minori, aut majori inhabilitato et corpori morali semper est acceptanda cum beneficio inventarii: et pro corpore morali insuper requiritur gubernii auctorizatio [2].

358. Q. 4. *An hæres possit hæreditatem repudiare?*

R. Generatim loquendo potest quilibet hæreditatem sibi delatam repudiare, cum nemo sit cogendus ad beneficium accipiendum invitus, juxta axioma: *nemo hæres, nisi velit;* et ideo conceditur beneficium inventarii et tempus deliberandi. Attamen repudiatio non supponitur, sed forma juridica fieri debet apud Cancellarium præfecturæ, ubi aperta fuit successio. Ut tamen quis valide repudiet hæreditatem, requiritur non tantum, ut hæreditas jam actu favore ipsius aperta sit; nam hæreditas futura, itemque jura eventualia ad eandem renuntiari non possunt; sed insuper necesse est:

1) Ut renuntians capax sit alienandi: et ideo absque formis legalibus nequeunt hæreditatem alienare uxores, minores et interdicti ab administratione bonorum suorum; 2) ut renuntians non it jam a trimestre in possessione hæreditatis absque implemento conditionum, quæ in jure præscriptæ sunt, ut gaudeat beneficio inventarii; tunc enim hæres absolutus habetur; 3) item non amplius potest renuntiare qui aliquid ab hæreditate subtraxerit, et poterit etiam puniri ut fur. Vel aliquid in inventario mala fide omiserit; vel mobilia aut immobilia hæreditatis vendiderit, non servatis regulis a lege præscriptis [3]. Qui vero, confecto inventario, nondum emiserit declarationem hæreditatem acceptandi cum beneficio inventarii, si intra 40 dies non renuntiet, habetur ut purus et absolutus hæres [4].

Repudiando autem quis hæreditatem, non censetur item repudiare legata in sui ipsius favorem relicta [5]. *Nelle successioni legittime* (addit Codex) *la parte di colui che rinunzia si accresce ai suoi coeredi; se è solo, la successione si devolve al grado susseguente* (art. 946). *Nelle successioni testamentarie la parte del rinunziante si devolve ai*

[1] Art. 959, 964, 976, 943. Et *Cod. proc. civil.* art. 64, 876, ubi etiam de modo inventarium conficiendi.
[2] Art. 930 et seqq., item art. 963.
[3] *Cod. pœn.* 605 etc. *Cod. proc. civil.*, art. 875 etc. *Cod. civ.* 953, 973.
[4] Art. 944; — *C. G.* 775; — *C. S.* 692; — *C. P.* 875; — *C. M.* 958.
[5] Art. 945, 952, 960, 967, 973 et seqq.

coeredi ed agli eredi legitimi, si nempe cohæredes non gaudeant jure accrescendi *(art.* 948).

359. Q. 5. *Quomodo hæreditas dividenda, si hæredes sint plures* [1]*?*

R. Si testator ipse hæreditatis dividendæ modum præscripsit, patet illum esse servandum, nisi sit læsa legitima. Item est si nihil præscripserit testator, sed hæredes consentiant circa modum dividendæ hæreditatis: tunc non requiruntur aliæ solemnitates, nisi concurrant minores, interdicti vel absentes. Si hæredes non conveniant in hæreditate dividenda, conditiones a judice sunt definiendæ [2].

Divisio autem peti potest, non obstante quacunque prohibitione: at testator eam poterit impedire usque post elapsum annum a die, qua postremus ex hæredibus majorem ætatem attigerit; facta nihilominus judiciariæ auctoritati facultate divisionem permittendi, urgente gravi causa. Semel autem facta divisio rescindi nequit, nisi causa vis aut doli, aut causa læsionis ultra quartum propriæ quotæ; sed si quid fuit simpliciter omissum, non rescinditur divisio, sed res omissa erit dividenda. Addit vero Codex: *Compiuta la divisione, si devono rimettere a ciascuno de' condividenti i documenti relativi ai beni e diritti particolarmente loro assegnati. I documenti d'una proprietà divisa rimangono a quello che ne ha la maggior parte, coll' obbligo però di comunicarli agli altri condividenti che vi abbiano interesse, ogniqualvolta ne venga richiesto. I documenti comuni all' intera eredità si consegnano alla persona scelta a tal uopo da tutti gli eredi, la quale ha l' obbligo di comunicarli ai condividenti ad ogni loro domanda. Se vi sia contrasto nella scelta, la persona verrà determinata dall' autorità giudiziaria* (art. 999).

360. Q. 6. *Quæ conferenda et imputanda in hæreditatis divisione?*

R. *Descendentes, cum succedunt ascendentibus suis* (etiam cum beneficio inventarii), *bona sibi ab iis inter vivos donata sive directe sive indirecte, simul in unum conferre debent æqualiter dividenda cum fructibus et usuris, nisi ab ipso defuncto aliter fuerit dispositum* [3].

Diximus: 1. *Descendentes;* unde fratres succedendo fratribus, ascendentes descendentibus nihil conferre debent.

2. *Cum succedunt ascendentibus suis:* ex quo capite simplices legatarii et donatarii ad collationem non tenentur, nisi aliter disposuerit donans, vel donatio ut excedens sit reducenda [4].

[1] Art. 984, 1044 (*Cod. proc. civ.*, art. 882); — *C. A.* 830; — *C. G.* 815; — *C. S.* 734; — *C. P.* 938; — *C. T.* 496; — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 954; et Pavone, *Spicilegio*, § 70.

[2] Art, 989; et *Cod. prov. civ.*, art. 888 et seqq.

[3] Art. 1001; — *C. A.* 787; — *C. G.* 834; — *C. S.* 762; — *C. P.* 988; — *C. M.* 1072.

[4] « Per *esempio:* Antonio donò e legò a Isacco figlio del suo figlio Carlo e allo stesso

3. *Bona inter vivos sibi donata sive directe sive indirecte* [1]. Hac de re addit Codex civilis: *È soggetto a collazione ciò che il defunto ha speso per la dote e il corredo nuziale delle discendenti, per costituire al discendente il patrimonio ecclesiastico, o per procurargli qualche uffizio o collocamento, o pagarne i debiti. Se il dotante ha pagata la dote al marito senza le sufficienti cautele, la figlia dotata è soltanto obbligata a conferire l'azione verso il patrimonio del marito:* quæ actio poterit minoris æstimari ob difficultatem solutionis *(art.* 1007). Excipiuntur autem a collatione munera usualia, expensæ in die nuptiarum, sumptus pro educatione, bona immobilia si absque culpa perierint, utilia quæ hæres perceperit, non tamen ab initio, ex conventione cum defuncto [2]; et quæ obvenerunt ex societate inter testatorem et hæredem sine fraude inita, si conditiones firmatæ fuerint scriptura certa *(con un atto di data certa)* [3].

4. *Cum fructibus et usuris;* quæ debentur a die qua aperitur successio. Quare si ante donatoris obitum donatarius ex fructibus rei donatæ immobile sibi comparaverit, non tenetur illud conferre.

5. *Nisi a defuncto aliter fuerit dispositum;* nam testator rei suæ dominus est, modo tamen legitimam non defraudet *(I)*.

Corollarium. — *De Legatis, substitutionibus, executore testamentario ac testamenti caducitate.*

361. Q. 1. *Quid est legatum, et quomodo res legatur?*

R. Ad 1: Legatum definitur: *donatio impropria a defuncto, titulo particulari relicta, ab hærede præstanda* [4]: 1) *donatio impropria*, ut intelligatur legatum proficisci quidem a liberalitate, sed esse liberalitatem impropriam, maxime quia potest pro libitu revocari; 2) *a defuncto relicta*, ut a donationibus inter vivos distinguatur; 3) *titulo particulari* (seu singulari), ut distinguatur ab hæredis institutione,

Carlo lire 3,000 cadauno. Morto Antonio l'eredità si devolve ai suoi tre figli Carlo, Luigi ed Andrea. Ora Carlo dee conferire nella eredità le sue lire 3,000; ma non quelle lasciate ad Isacco suo figlio, se è illesa la legittima. »

[1] « Il defunto diede *indirettamente*, se cercò di palliare la sua donazione, dando, per esempio, ad una persona interposta incaricata segretamente di trasmetterla al suo erede presuntivo. Diede *direttamente*, se diede alla sua liberalità la forma d'un contratto oneroso, come una vendita. »

[2] « Per *esempio:* Il padre ha venduto al suo figliuolo per lire 6,000 una casa che ne valeva 12,000 al momento della vendita. Giusta il sistema che tutti i vantaggi indiretti debbono essere conferiti, il figlio dovrebbe rappresentare nella massa 6,000. »

[3] « Per *esempio:* sarebbe fraudolento se il defunto avesse associato uno de' suoi eredi nel suo commercio, supponendo falsamente che avesse somministrato dei fondi. »

[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 932 et seqq. — De-Luca, *Opera*, l. XI. — Ferraris; V. *Legatum.* — A-Montazo, *De Legatis et Causis piis.*

quæ fit titulo universali; 4) *ab hærede præstanda*, quæ verba significant, legatarium, etiamsi rei legatæ dominium ipso jure ab ipsa testatoris morte adipiscatur, ejus tamen possessionem peti debere ab ipso hærede; nemo enim jus sibi dicere debet. Legata autem generatim sustinentur et cadunt iisdem fere causis, quibus aliæ testamentariæ dispositiones [1].

R. Ad 2: Legatum illis modis fit, quibus testamentum: insuper *in diem*, ut cum quis dat aliquid ad quinquennium; *ex die*, ut cum non dat nisi post certum tempus a suo decessu. *Disjunctim*, si diversis tribuat, puta domum Titio, agrum Cajo, hortum Sempronio. *Conjunctim*, si pluribus aliquid leget, ut si leget domum suam Cajo, Titio, Sempronio. *Alternatim*, quando tribuit facultatem eligendi inter plura: esset si quis alicui legaverit vel annulum vel equum vel librum. Electio hæredi tributa supponitur; si tamen una tantum res supersit, ceteris pereuntibus, illa esset tribuenda.

Est etiam legatum *generis* vel *speciei:* quando res aliqua mobilis legatur indeterminata, sed vel determinati generis, v. g., equus; vel determinatæ speciei, v. g. equus arabus. Jam vero sic legata res est tribuenda, etsi nulla sit in patrimonio testatoris; sed electio, nisi aliud sit declaratum, spectat ad hæredem, qui neque optimam debet neque infimam dare potest. Tandem distinguitur legatum *alimentorum*, quod comprehendit victum, vestitum, habitationem, et quandoque etiam institutionem legatarii conditioni respondentem [2].

362. Q. 2. *Quinam legare possunt, et quæ res?*

R. Illi possunt legare, qui possunt testari; et sane qui potest majus, etiam minus posse dicendus est. Iis autem, ut patet potest legatum assignari, qui recipiendi capaces sunt. Res vero quælibet legari possunt, modo:

1. *Res legatæ sint legantis;* hinc nullum est legatum de re, quæ alterius sit, nisi id sciverit testator, et in testamento expresserit: quo in casu hæres tenetur vel rem illam procurare, vel ejus pretium legatario tribuere. Item non valet legatum rei, quæ dum testamentum condebatur, jam erat legatarii; si tamen ipsam legatarius post testamentum acquisiisset a testatore vel ab alio, jus haberet ad ejus pretium, nisi eam gratuito habuisset.

[1] Art. 862; — *C. A.* 566; — *C. G.* 902; — *C. S.* 817; — *C. P.* 618; — *C. M.* 685.
[2] Art. 867 habet *Codex:* « Nel legato di una determinata quantità da soddisfarsi a termini periodici, come in ciascun anno, in ciascun mese, od in altro tempo, il primo termine comincia dalla morte del testatore, ed il legatario acquista il diritto a tutta la quantità dovuta pel termine in corso, ancorchè fosse in vita soltanto al principio di esso. Il legato però non può esigersi, se non dopo scaduto il termine. Si può tuttavia esigere al principio del termine il legato a titolo di alimenti. » — *C. A. civ.* §§ 560 et 652; — *C. A.* 900; — *C. G.* 968; — *C. P.* 795; — *C. M.* 787; — *C. T.* 367.

2. *Res legatæ adhuc existant;* hinc cadit legatum si res legata perierit, vivente testatore; vel etiam post ejus mortem, non tamen culpa vel facto hæredis. Item nullum est legatum, si res legata a testatore alienata fuerit, etiam sub pacto rivendicationis, imo etsi alienatio nulla sit. Item est si testator rei legatæ formam omnino mutaverit, ut si leget alicui sua coclearia argentea, sed ex illis calicem conflaverit. Si vero res legata, morte testatoris adveniente, diminuta inveniatur, hæc tantum debita est, ut si legaverit duodecim a suis cochleariis, et sex tantum supersint. Item si res tribuenda est ex tali loco, non est supplendum si ex parte vel ex toto deficiat, v. g. si quis legaverit decem hæminas frumenti quotannis tribuendas ex tali fundo determinato, et ex illo fundo nonnisi quinque percipiantur, sufficit tribuere quinque.

3. *Sint aliquo modo determinatæ:* hinc nullum est legatum, si ex omni parte determinatio quantitatis relicta sit arbitrio hæredis vel tertii, nisi agatur de remunerandis præstitis servitiis in ultimo testatoris morbo [1]. Possunt etiam legari res incorporales, uti si testator alicui leget quod sibi debetur ab altero, et dicitur *legatum nominis* (et tunc sufficit ut hæres cedat legataria actiones quas testator habebat in creditum); vel leget quod sibi debetur a legatario ipso, et dicitur *legatum liberationis.*

363. Q. 3. *Quænam sunt jura et onera legatarii?*

R. Ad 1: Legatarius jus habet ad legatum: si sit *simplex*, ab ipsa morte testatoris, illudque jus ad legatarii hæredes transmittitur. Si sit *conditionale*, verificatio expectanda est; adstringi tamen potest hæres ad dandam cautionem [2]. At notandum est: quando quis legavit proprietatem alicujus immobilis, et eandem proprietatem auxit aliis novis fundis acquisitis, isti licet contigui non constituunt partem rei legatæ, nisi testator novam condiderit dispositionem: rei tamen legatæ partem costituunt ornatus, novæ extructæ ædes in fundo legato, et ampliationes locorum septorum. Gaudet autem legatarius etiam jure accrescendi, sicut ipse hæres, quando deficit conditio sub qua aliquis ex legatariis fuerat vocatus, vel si res una pluribus sit legata separatim [3].

[1] Art. 837, 862; — *C. A.* 662; — *C. G.* 1021; — *C. S.* 975; — *C. P.* 800; — *C. M.* 763.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 930. Duo præcipui solent communi usu distingui legati effectus: unus est ut ejus dies cedat, alter ut veniat. *Cedere legati diem* significat incipere deberi legatum nec esse revocationi obnoxium; *venire legati diem* significat legatum peti cum effectu posse (*art.* 862). — *C. A.* 686; — *C. G.* 1014; — *C. S.* 969; — *C. P.* 808; — *C. M.* 767; — *C. T.* 367.

[3] « Per *esempio:* Lascio a Pietro la mia casa di campagna, semprecchè Paolo si faccia laureare. Se Paolo muore senza laurea, avrà luogo il diritto d'accrescimento a favore di Pietro. »

Res porro legata tradenda est non tantum cum suis accessionibus necessariis; sed etiam usuræ peti possunt et fructus rei legatæ a morte testatoris: 1) si testator id imperaverit; 2) si legatus sit fundus, pecunia vel res frugifera; 3) si titulo alimentorum sit legata pensio. In aliis casibus fructus decurrunt a die judicialis petitionis: aut a die quo promissa fuit legati præstatio.

R. Ad 2: Quoad *onera* legatarii statuit *Codex civilis* art. 877: *Le spese necessarie per la prestazione del legato sono a carico dell'eredità senza che possano diminuire la porzione riservata dalla legge. Il pagamento della tassa di successione è a carico degli eredi salvo il regresso di questi verso i legatari, ove la cosa legata vi sia soggetta* [1]. Et art. 878: *Se la cosa legata è gravata di un canone, di una rendita fondiaria, di una servitù o di altro carico inerente al fondo, il peso ne è sopportato dal legatario* [2]. At si res legata hypotheca sit subjecta ob debita hæreditatis, ad ea solvenda non tenetur legatarius, nisi testator aliter disponerit; et si solverit, habet regressum apud hæredes ad repetendum solutum (*art.* 1033).

361. Q. 4. *Quinam possunt legata reducere, aut commutare?*

R. Certum est, hæredes et executores nec licite nec valide posse neque in melius commutare legata, nisi clare ab ipso testatore sit illis relicta facultas; nam eorum munus est exequi, non invertere voluntatem defuncti [3]. Utrum autem id possint supremi rerum moderatores, videndum an legatum sit profanum, an pium: legata pia sunt quæ intuitu Religionis et impulsu pietatis facta existimantur, uti sunt legata relicta Ecclesiæ, locis piis, vel pauperibus, pro puellis nupturis, vel Religionem ingressuris; item eleemosynæ pro anniversariis, pro cereis, luminaribus et ceteris ad cultum divinum, et multo magis stipendia Missarum (unde huc revocantur etiam Capellaniæ laicales et similia) [4]. Cetera vero legata habentur uti profana, prout sunt ea quæ testator reliquit alicui communitati sæculari simpliciter, vel alicui particulari ob affinitatem, amicitiam, etc.

Porro si legatum est profanum, poterit sæcularis Princeps illud commutare in aliud profanum, et etiam in pium, quia commutaret in melius; poterit autem Romanus Pontifex legatum pium in aliud pium convertere [5]. Hæ tamen legati commutationes nequeunt fieri, nisi justa

1 Taxa constituta est Lege 14 julii 1866; et modificata 1868.

2 « Se perciò il testatore dopo aver legato un immobile vi consente una servitù, il legatario sarà obbligato a soffrirla. Se vi costituì un usufrutto, il legatario non potrà godere della cosa se non dopo l'estinzione del medesimo. » *Cod. spieg.*

3 C. III *de test.* et *ult. volunt.* Clem. c. II *de relig. domib.* — *Acta S. Sedis*, t. IV, p. 38.

4 *V.* Barbosa, *Jus Eccl.*, l. III, c. 27. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 931. — Suarez, *De lege canonica, quousque extendatur.* — Berardi, *De auctoritate Ecclesiæ in causas pias*, etc.

5 L. IV *de administr. rerum ad civ. pert.* — *Clement.*, l. III, t. IX *de rel. domib.*, c. 2, *quia contingit.* Neque obstat clausula, si forsan in legato sit apposita: *non poterit neque ipso Pontificio indulto legatum commutari*; nam legatum pium natura sua Ecclesiæ subest: et nemo privatus potest innatam ejus auctoritatem infirmare. Non rationabilis est conditio, cum dari possint rerum adjuncta, in quibus aliter sit resolvendum. Idem est de legatis profanis. *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. ult.

Resolutio causarum quoad pia legata est mixti fori (nisi aliter ferat loci consuetudo); unde illas et secularis judex et ecclesiasticus cognoscere potest, nempe qui primus eos suscipit. *V. Acta S. Sedis*, t. I, pag. 609; et t. II, pag. 353.

de causa, adeo ut aliter peractæ in communi et veriori sententia invalidæ sint; quia tam Princeps, quam Pontifex non tanquam domini agunt, sed uti boni communis moderatores, et testatorum voluntatis tutores *(J)*.

365. Q. 5. *Quid est substitutio, quotuplex et an licita?*

R. Substitutio est *dispositio, qua quis a testatore vocatur ad hæreditatem vel legatum in alterius defectu.* Duplex est: alia *directa* seu vulgaris qua nempe quis directe, absolute et proprio nomine vocatur ad hæreditatem vel legatum in locum primitus vocati qui nolit aut non possit hæreditatem vel legatum accipere: ut si dicas *Lucius meus hæres esto; si Lucius hæres non erit, tunc Petrum voco hæredem.* Alia est directa, qua nempe quis vocatur hæres vel legatarius, sed sub onere hæreditatem vel legatum conservandi ac suo tempore illud tradendi tertiæ personæ. Si onus exprimatur in ipso testamento quibuscunque verbis, dicitur *fideicommissum, seu substitutio fideicommissaria;* si vero hoc onus nullimode exprimatur, sed clam sit data fides de tali restitutionis onere, dicitur substitutio *fiduciaria.* Hoc posito, dicimus:

1. Substitutio *directa* legitima habetur et obtinet; at substituti tenentur onera implere quæ imposita fuerint eis, in quorum locum substituuntur, nisi tantum primitus vocatis præsumantur imposita. Si inter plures cohæredes vel legatarios qui vocati sint in parte inæquali, substitutio ad invicem præscripta sit, illa hæreditatis vel legati inæqualitas observanda est in ipsa etiam substitutione [1]; attamen si una cum ipsis alia persona substituatur, portio vacans inter singulos in parte æquali dividenda est [2]. Possunt autem substitui plures uni, et unus pluribus [3].

2. Substitutio *fideicommissaria*, nullius est roboris ex lege civili et ideo habetur tanquam non scriptum onus reddendi hæreditatem vel legatum tertio. Addit autem Codex: a) *La disposizione colla quale è lasciato l'usufrutto o altra annualità a più persone successivamente, ha soltanto effetto in favore dei primi chiamati a goderne alla*

[1] Art. 898; — *C. A.* 604; — *C. G.* 898; — *C. S.* 936; — *C. P.* 664; — *C. M.* 850; — *C. T.* 352. « Suppongasi che il testatore lasci un'eredità di lire 40,000 e chiami eredi per una metà Giacomo, per un quarto Pietro, e per un ottavo cadauno Carlo e Giovanni, sostituendo detti eredi reciprocamente fra loro. Ove Pietro non possa o non voglia accettare la parte allegatagli che sarebbe di 10,000, questa somma spetterà per tre quarti (7,500) a Giacomo; e per un ottavo (1,750) cadauno a Carlo e Giovanni per la ragione che Giacomo era chiamato ad una parte maggiore di tre quarti di quella, in cui erano istituiti tanto Carlo che Giovanni. » *Cod. spieg.*

[2] « Per *esempio:* nomino erede Antonio di due quinti, Carlo, Andrea, Luigi di un quinto ciascuno della mia sostanza, e li sostituisco fra loro con Tommaso. Premorendo Carlo, la sua quota si divide in parti eguali fra Antonio, Andrea e Luigi e Tommaso. »

[3] « Per *esempio:* Nomino erede Antonio, e nel caso che non possa o non voglia accettare, gli sostituisco i suoi fratelli Carlo e Pietro. Nomino erede Antonio, Luigi e Pietro, e sostituisco a ciascun di essi Andrea. »

morte del testatore [1] (art. 901); b) *non è vietato di stabilire annualità da convertirsi in perpetuo o a tempo, in soccorsi all' indigenza, in premio alla virtù o al merito, o in altri oggetti di pubblica utilità, quantunque nella disposizione siano chiamate persone di una data qualità o di determinate famiglie* (art. 902).

3. Item substitutio *fiduciaria* nulla est *in foro externo;* et hæreditas vel legatum ei adjudicatur qui nominatur in testamento; neque admittitur ulla contraria probatio, etsi forsan in testamento aliquod verbum suspicionem ingerat. Excipe nisi suspicio sit, quod obtineat substitutio in favorem eorum, qui sunt ad accipiendum incapaces. Diximus *in foro externo;* nam cum sic institutus verus non est hæres, hæreditatem retinere non potest; sed tenetur clam datam fidem exequi, si legitima ea sit; secus hæreditati renuntiare, ut sic illa ad hæredes suos transeat *(K)* [2].

366. Q. 6. *Quid de executore testamentario?*

R. Præter hæredem solent aliquando a testatoribus una vel plures designari personæ, quibus officium incumbat executioni donandi extremas ipsorum voluntates: istæ dicuntur *executores testamentarii.* Hoc munus nemo tenetur suscipere, cum non sit officium publicum; semel tamen quis acceptat, illud adimplere tenetur, et potest etiam per procuratorem. Hoc autem onus suscipere prohibentur minores, etiam cum patris, tutoris aut curatoris auctorizatione; item illi omnes qui non possunt se obligare.

Cum autem executio testamenti sit argumentum fiduciæ testatoris erga illum, patet hanc qualitatem penitus extingui per mortem ejusdem; excipe nisi testator respexerit primario ad personæ qualitatem, ut si eligeret Curatum suæ Parœciæ, qua curatum. Omnes autem expensæ hac de re sustinendæ sunt ab hæreditate; nam *nemini proprium officium debet esse damnosum.* Neque executor tenetur cautionem dare de re bene abministranda, cum officium suscipiat de sui natura gratuitum, etsi testator illi aliquid donare soleat grati animi ergo [3]. Ex ipso autem Codice hæc præcipua notanda sunt.

1. *Il testatore può concedere all'esecutore testamentario l'immediato possesso di tutti o di una parte soltanto dei suoi beni mobili, ma tale*

[1] « Se Tizio chiama all'usufrutto Cajo, dopo Sempronio, dopo i figli di costui; se Tizio all'epoca della morte del testatore fosse in vita, non potrà più ottenersi tal usufrutto nè da Sempronio nè da' suoi figli. Ma benchè Tizio, come posto in primo grado, sia il solo a cui spetti l'usufrutto; se però fosse morto o privato dei diritti civili all'epoca in cui dee cominciare l'usufrutto, allora spetterà a Sempronio. »

[2] Art. 829. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 952.

[3] Art. 903; — *C. A.* 816; — *C. G.* 1015; — *C. S.* 983; — *C. P.* 773; — *C. M.* 885; — *C. T.* 424.

possesso non può oltrepassare un anno computabile dal giorno della sua morte (art. 806). Quæ possessio non illi conceditur, ut bonis ipsis fruatur, sed ut tutam reddat solutionem legatorum mobilium; unde si hæres ipse ea solvat, talis possessio statim cessat.

2. *Gli esecutori testamentari faranno apporre i sigilli, quando fra gli eredi vi sieno minori, interdetti o assenti od un corpo morale* [1]. *Faranno stendere l'inventario dei beni dell'eredità in presenza dell'erede presunto, o dopo averlo citato. Non essendovi danaro bastante per soddisfare i legati, faranno istanza per la vendita dei mobili. Vigileranno perchè il testamento sia eseguito, ed in caso di controversia possono intervenire in giudizio per sostenerne la validità. Spirato l'anno dalla morte del testatore, devono render conto della loro amministrazione* (art. 908 et seqq.)

3. *Se vi sono più esecutori testamentari che hanno accettato, uno solo può agire in mancanza degli altri; ma sono tenuti in solido a render conto dei beni mobili loro affidati, purchè il testatore non abbia divise le loro funzioni, e ciascuno di essi non siasi ristretto a quella che gli fu attribuita* (art. 910).

367. Q, 7. *Quomodo cadit testamentum?*

R. Testamenti caducitas multipliciter contingit:

a) Ex parte testamenti vel ejus objecti, si nempe illud deficiat in forma substantiali, vel res ipsa testatoris perierit, vel alienata fuerit (*art.* 804, 893).

b) Ex parte hæredis, si nempe ipse renuntiaverit vel non supravixerit testatori; vel incapax sit ad succedendum, etsi vocatus fuerit per interpositas personas; esset, v. g., si Titius vocet hæredem Cajum sub pacto ut secreto hæreditatem tribuat Sempronio incapaci utpote adulterino; interpositæ personæ sunt pater, mater, ascendentes et conjux ipsius incapaci. Aliquando tamen præmortui et incapaces repræsentantur ex civili jure ab eorum descendentibus (*art.* 890, 891, 764).

c) Ex parte testatoris: — 1) si ex lege ipse incapax sit ad testandum, v. g., si nondum annum decimum octavum compleverit; — 2) si tempore conditi testamenti non erant ei filii aut descendentes, vel ignorabat se habere; sed revera existat vel illi superveniat filius aut descendens (etsi postumus, nempe *post humum* seu sepulcrum, id est natus post mortem patris), legitimus vel legitimatus vel adoptivus, qui tamen non præmoriatur testatori [2]

[1] Quoad sigilli appositionem vide *Cod. proc. civ.*, art. 847.

[2] « Non avrebbe però luogo la rivocazione qualora il testatore avesse nel testamento preveduto al caso che esistessero o sopravenissero figli o discendenti da essi

(*art.* 889); — 3) si testator a notario cui consignavit suum secretum testamentum illud subduxerit: quod ut fiat, actus hac de re confici debet a notario coram testatore et duobus testibus, et coram mandamenti prætore qui certiorari debet de persona testatoris. Qui actus oportet ut subscribatur ab omnibus, et notarius mentionem faciet, si forte testator nequeat subscribere [1]: quod item observandum est quoad testamentum holographum, si forte apud notarium depositum fuerit; vel apud aliquod publicum archivium: et tunc ejus officialis sustinet vices notarii; — 4) si testator illud invalidaverit vel *expresse*, nempe publico instrumento a notario confecto coram quatuor testibus; vel *tacite*, si aliud conficiat testamentum validum (licet non obtinuerit effectum, aliqua causa superveniente, uti si in eo vocati hæredes præmoriantur testatori). Si tamen testator expressis verbis anteriora testamenta non revocaverit, adhuc valent in iis, quæ non sunt contraria vel incompatibilia cum novis dispositionibus [2] (*art.* 916 et seqq.).

CAPUT SECUNDUM

DE HÆREDITATE AB INTESTATO ET HÆREDITATE JACENTE.

368. Q. 1. *Quid est hæreditas ab intestato?*

R. Hæreditas *ab intestato* seu legitima, est cum ob defectum testamenti lex decernit quis debeat succedere in bonis defuncti. Ideo huic hæreditati non fit locus, nisi deficiente testamento, ex illo juris: *Non fit locus provisioni legis, nisi cum cessat provisio hominis.* Testamentum autem deficere dicitur, cum non est conditum, aut conditum est invalide, vel vocati hæredes nolunt aut nequeunt illud acceptare [3].

Hæc successio fit *in capita* et *in stirpes*: in capita, quando hæreditas dividitur in tot partes *viriles* seu æquales, quot sunt capita,

(*art.* 888). » Item si testator non ignoret filium ex istere, sed illum non nominet, testamentum non esset invalidum, sed fieri debet reductio, ut filium suam consequatur legitimam.

[1] Hæc revocatio non habet locum pro testamentis publicis, quæ cum jam nota sint frustra subducuntur.

[2] « Sarebbero *contrarie*, per esempio, se avendo il testatore legato a Paolo una designata casa con un primo testamento, nel secondo non gli leghi che l'usufrutto. *Incompatibili*, per esempio, se con un primo testamento siasi legata una casa a Pietro, che nel secondo vien legata a Sempronio (*art.* 917). — *C. A.* 716; — *C. G.* 1035; — *C. S.* 909; — *C. P.* 744; — *C. M.* 793; — *C. T.* 352.

[3] Art. 720; — *C. A.* 727 et 728; — *C. G.* 731; — *C. S.* 684; — *C. P.* 820; — *C. R.* 9; — *C. M.* 894; — *C. H.* hic art. 1; — *C. T.* 433. — *V.* Ferraris; V. *Successio ab intestato;* Carrière, Bouvier.

seu personæ proprio jure concurrentes ad hæreditatem [1]. In stirpes, cum succeditur *jure repræsentationis*, seu cum succedentes obtinent tantum illam partem hæreditatis, quam si viveret, accepisset defunctus, cujus personam repræsentant; unde hic non attenditur numerus personarum, sed stirpis suæ familiæ [2]. Repræsentatio non fit in linea ascendentali, in qua proximior excludit remotiorem; sed tantum in linea recta descendentali, in infinitum, et in transversali ad decimum gradum. Porro etiam absentes, et incapaces repræsentantur [3]. Nemo tamen, neque ipse, neque ejus descendentes succedunt repræsentando hæredem qui hæreditatem renuntiaverit; etsi ille possit repræsentari, cujus successio renuntiata fuit [4].

369. Q. 2. *Quid est stipes, linea ac gradus?*

R. 1: *Stipes* est illa persona, ex qua descendunt aliæ, de quarum parentela et conjunctione quæritur; ideoque esse potest tam pater quam mater, sive simul accipiantur sive etiam separatim.

R. 2: *Linea* est ipsa series personarum ab uno eodemque stipite descendentium. Alia est *recta*, quæ exhibet seriem personarum, quarum una ab altera genita est: et dicitur *descendentalis*, si in ea conficienda descendamus a stipite ad posteros; *ascendentalis* vero, si a posteris ascendamus ad stipitem. Utraque maschilis est vel fœminilis, prout masculos comprehendit vel fœminas: item paterna vel materna, prout patrem respicit vel matrem. Alia est *obliqua*, et dicitur etiam *transversa* vel *collateralis*, quæ exhibet seriem personarum, quarum una non est procreata ab alia: hæc vel est æqualis, quando personæ quas exhibet, æqualiter distant a stipite, uti sunt duo fratres; vel inæqualis si personæ quas exhibet, distant inæqualiter a stipite, uti frater et fratris filius.

R. 3: *Gradus* est ipsa distantia personarum inter se. In civil computatione (quæ quidem semper intelligitur, cum de rebus agi tur civilibus) tot sunt gradus in linea recta et transversali, quot

[1] *Exemplum:* Titius genuit Petrum ac Paulum, Petrus et Paulus succedunt Titio patri per capita, ideo in parte æquali: cum ambo sint in uno et eodem gradu.

[2] *Exemplum:* Titius genuit Petrum ac Paulum; Paulus, qui nunc defunctus est, genuit Joannem ac Jacobum. Titii hæreditas dividitur in duas partes: una erit Petri; altera filiorum Pauli, qui iterum illam dimidiam partem æqualiter dividunt inter se.

[3] *Exemplum:* Titius genuit Petrum *(qui nunc abest)*, Joannem *(qui est incapax)*, et Jacobum; Petrus, et Joannes singuli habent duos filios. Titii hæreditatis dividitur in tres partes æquales: una erit Jacobi, qui succedit in capita, altera filiorum Petri, tertia filiorum Joannis, qui omnes succedunt jure repræsentationis. Art. 711, 729, 742 et 792; — *C. A.* civ. § 541 e 780; — *C. T.* 444.

[4] « *Esempio:* Tizio ha due figli Pietro e Giovanni; e Giovanni ha pure due figli Giacomo e Andrea. Muore Tizio; se Giovanni rinunzia alla eredità del padre, la eredità si devolve tutta a Pietro fratello, e non a' suoi due figli, i quali non possono più rappresentarlo dacchè rinunciò. Però se non vi fosse Pietro, l'eredità di Tizio passerebbe a Giacomo e Andrea, poichè succederebbero per conto proprio; poichè la rinunzia del discendente all'eredità del padre, non toglie di rappresentarlo per conseguire l'eredità dell'avo. *Art.* 735, 947; — *C. G.* 724; — *C. P.* 822; — *C. M.* 942; — *C. T.* 450.

sunt personæ genitæ, quæ generationem multiplicant, dempto stipite: sic fratres sibi invicem sunt in secundo gradu, filius fratris mei in tertio gradu ad me est *(art.* 48). In computatione vero canonica (quæ est communis ac vulgaris) quoad lineam rectam nihil diversitatis est; sed quoad obliquam sic gradus computantur, ut in obliqua æquali eo gradu distent collaterales inter se, quo gradu unus eorum distat a stipite: sic fratres distant uno tantum gradu inter se. At in obliqua inæquali eo gradu distant, quo remotior distat, semper dempto stipite: sic frater et filius alterius fratris distant duobus gradibus *(L)*.

370. Q. 3. *Quos complectitur hæreditas ab intestato seu legitima?*

R. En verba legis quoad has successiones: *La legge devolve la successione ai discendenti legittimi, agli ascendenti, ai collaterali, ai figli naturali ed al conjuge, nell'ordine e secondo le regole in appresso stabilite* [1]; *ed in loro mancanza al patrimonio dello Stato* (art. 721).

1ª *Est successio descendentium*, quam sic exponit Codex civilis: *Al padre, alla madre e ad ogni altro ascendente succedono i figli legittimi, o i loro discendenti senza distinzione di sesso, quantunque nati da matrimoni diversi* [2]. Succedunt autem per capita, si omnes sint in primo gradu: per stirpes, si omnes vel aliqui ipsorum primum gradum excesserint. Nomine filiorum legitimorum etiam legitimati intelliguntur [3]. Itemque adoptivi eorumque descendentes succedunt adoptanti in concursu aliorum filiorum; sed excluduntur a successione parentum adoptantis [4].

2ª *Est successio ascendentium.* Si nulli sint descendentes, totam hæreditatem sibi vindicant ascendentes: ac 1) pater et mater defuncti, si adhuc vivant (secus eorum ascendentes proximi): qui succedunt in capita filio defuncto una cum fratribus et sororibus ejusdem germanis, si quos habeat (et si mortui, repræsentantur ab eorum filiis). Quod si adsint fratres aut sorores consanguinei vel uterini et ipsi quoque succedunt, sed tantum in dimidia parte quotæ, quæ

[1] Si nempe non sint incapaces succedendi, prout sunt nondum concepti successionis tempore, qui nati non sunt vitales et indigni *(art.* 724); ex dictis supra n. 353.

[2] Art. 736; — *C. A.* 771; — *C. G.* 745; — *C. S.* 668; — *C. P.* 838; — *C. R.* § 10; — *C. M.* 911; — *C. H.* 6; — *C. T.* 451. Titius habuit ex primis nuptiis cum Titia, Petrum et Paulum; ex secundis nuptiis cum Sempronia, Joannem. Petrus *(nunc defunctus)* genuit filium: item Joannes *(pariter defunctus)* duos habet filios. Titii hæreditas dividitur in tres partes æquales: una erit filii defuncti Petri, secunda Pauli, tertia duorum filiorum defuncti Joannis. Isti autem respective succedunt propriæ matri vel aviæ, nempe filius Petri et Paulus succedunt Titiæ; filii autem Joannis succedunt Semproniæ.

[3] Titius habet duos filios legitimos Petrum et Paulum, et Joannem filium naturalem legitimatum. Hæreditas Titii in tres partes æquales erit dividenda.

[4] *Exemplum:* Titius genuit Petrum; Petrus autem habet tres filios, Paulum quem adoptavit, Joannem legitimum, et Jacobum naturalem, quem legitimavit. Patri Petro omnes tres filii æqualiter succedunt, sed avo Titio soli succedunt Joannes et Jacobus.

spectat ad germanos (sint vel non sint germani). At si nulli sint fratres aut sorores, tunc genitores succedunt soli, et quidem in parte æquali; si vero non supersit, nisi vel pater vel mater, succedit solus superstes. Sed notandum quod portio ascendenti vel ascendentibus debita non potest esse minor tertia hæreditatis parte [1]; 2) ubi non adsint neque genitores neque fratres aut sorores germanæ, neque istorum descendentes, succedunt usque ad decimum gradum inclusive ascendentes lineæ tam paternæ quam maternæ pro parte æquali, si sint in gradu æquali; si vero sint in gradu inæquali, magis proximus excludit remotiorem absque lineæ discrimine [2].

3ª *Est successio collateralium.* Si defunctus non habeat neque descendentes, neque ascendentes, hæreditatem sibi vindicant fratres ac sorores germani, consanguinei ac uterini, ipsi per capita; et eorum descendentes per stirpes. Cum hac tamen advertentia, quod fratres aut sorores consanguinei vel uterini non succedunt nisi in dimidia parte quotæ, quæ ad germanos spectat; alia dimidia dividitur inter ipsos germanos. Quod si neque sorores neque fratres neque istorum descendentes habeat defunctus, hæreditas devolvitur ad ejus propinquum proximiorem, vel proximiores absque discrimine lineæ paternæ aut maternæ usque ad gradum decimum [3].

4ª *Est sucessio filiorum naturalium:* 1) si filii naturales legaliter agniti aut declarati sint, succedunt una cum filiis legitimis aut eorum descendentibus. Sed eorum portio est tantum dimidia pars illius quotæ quæ ad ipsos spectaret, si legitimi essent: quæ portio non transit pleno jure ad illos, sed a filiis legitimis expostulanda est [4]; — 2) *Quando il genitore non lascia superstiti figli legittimi o loro discendenti, ma il padre, e la madre o l'un d'essi od altro ascendente, oppure il conjuge, i figli naturali succedono nei due terzi dell'eredità, e il resto si devolve agli ascendenti o al conjuge* [5]. *Se i figli naturali,*

[1] « Tizio muore con un patrimonio di lire 90,000 lasciando indietro il padre, tre fratelli germani e due consanguinei. Al padre spettano lire 30,000; ai tre fratelli germani lire 15,000 cadauno; ai due consanguinei cadauno lire 7,500. »

[2] Titius genitus fuit a Paulo et Lucia. Paulus *(qui mortuus est)* adhuc suum habet patrem; Lucia *(item mortua)* viventem habet avum. Si Titius moritur, tota hæreditas devolvitur ad patrem patris ipsius seu avi cum exclusione avi matris seu ipsius proavi; quia nempe avus paternus utpote proximior excludit proavum maternum utpote remotiorem.

[3] *Exemplum:* Titius genuit Petrum, Paulum et Joannem. Petrus autem genuit Jacobum; Paulus Josephum et Ernestum; Joannes autem Honoratum. — Cuinam debetur Jacobi hæreditas, si soli supersint Joseph, Ernestus et Honoratus? Istis in partes æquales est danda, cum æqualiter distent; neque inter consobrinos fit locus repræsentationi. At si Jacobus relinqueret fratrem consanguineum vel uterinum, iste omnes excluderet. — *Cod.*, art. 740 et seqq

[4] Art. 927, 743 et seqq.; — *C. A.* 166, 754; — *C. G.* 756; — *C. S.* 675; — *C. P.* 850; — *C. M.* 927; — *C. H.* 26; — *C. T.* 458.

[5] « Lucio morì lasciando lire 90,000 viventi padre e madre, e tre figli naturali riconosciuti. Ai figli naturali competono due terzi del patrimonio, cioè lire 20,000 per ciascuno (in tutto 60,000). Al padre e alla madre una terza parte, 15,000 per ciascuno (in tutto l. 30,000). »

concorrono ad un tempo cogli ascendenti e col conjuge del genitore, detratto il terzo dell'eredità a favore degli ascendenti e il quarto a favore del conjuge (in proprietatem), *la rimanente eredità si devolve ai figli naturali* (art. 745) [1]. Sed in omni casu filii naturales computare debent omne quod a suis genitoribus jam perceperunt, si tale sit ut conferri debeat; — 3) si genitor non habeat neque descendentes legitimos neque ascendentes, neque conjugem, tota devolvitur hæreditas ad filios naturales: qui tamen nullum jus habent in bona propinquorum patris aut matris; sicut neque ipsi propinqui in bona filiorum naturalium; — 4) si filius naturalis non habeat neque descendentes neque conjugem, ejus hæreditas devolvitur ad patrem et matrem qui illum agnoverunt vel sibi filium declararunt; aut ad unum ipsorum, si unus tantum agnovit vel declaravit. Quod si relinquat superstitem conjugem, dimidia hæreditatis pars pertinet ad ipsum conjugem, et alia dimidia ad patrem et matrem, vel ad unum ipsorum, ut supra dictum est.

5ª *Est successio conjugis superstitis* (si tamen non fuerit a conjuge defuncto legaliter separatus; quia tunc nullum jus illi competit): 1) si defuncto conjugi supersint filii legitimi, conjux superstes succedit cum iisdem in parte æquali (conjugem in filiorum numero computando), sed tantum quoad usumfructum. Quod si cum legitimis etiam filii naturales recogniti vel agniti concurrant, usufructus conjugis æqualis esse debet quotæ quæ spectat ad filios legitimos, modo non superet quartam partem hæreditatis *(art.* 753) [2]; — 2) si non supersint filii legitimi, sed soli ascendentes aut soli filii naturales, aut soli fratres aut sorores vel eorum descendentes, conjugi devolvitur tertia pars hæreditatis in proprietatem. At si conjux una simul concurrat cum legitimis ascendentibus, et filiis naturalibus, tunc ipsi in proprietatem nonnisi quarta pars debita est. Ceterum quoties conjux ad successionem vocatur cum aliis hæredibus, computare debet in sua portione hæreditaria quidquid jam obtinuit ob conventiones matrimoniales et lucra dotalia; — 3) si supersint cum conjuge alii propinqui defuncti successibiles, propinquis devolvitur tertia pars hæreditatis, conjugi duæ tertiæs partes in proprietatem. Demum conjux succedit in omnibus substantiis, si defunctus non relinquat propinquos intra sextum gradum successibiles.

1 « *Esempio:* Tizio morì lasciando superstiti padre e madre, la consorte e tre figli naturali riconosciuti; la sua sostanza è di lire 9,000. Un terzo agli ascendenti, cioè lire 3,000; un quarto al conjuge, e però lire 2,250; il rimanente in lire 3,750 ai tre figli naturali, per cadauno, lire 1,250. »

2 « Carlo morì con un patrimonio di lire 80,000 lasciando superstiti la moglie, due figli legittimi, e due figli naturali riconosciuti. I figli legittimi conseguiranno lire 60,000, per cadauno 30,000; i figli naturali lire 20,000 cadauno lire 10,000; al conjuge spetta l'usufrutto di lire 20,000, poichè la sua porzione non può passare il quarto dell'eredità. »

6ª *Successio fisci.* Deficientibus omnibus vocatis, prout supra declaratum est, tota hæreditas devolvitur ad fiscum: *fiscus post omnes*, est regula juris *(art. 758)*.

371. Q. 4. *Quid de hæreditate jacente?*

R. Quando alicujus substantiæ non agnoscitur hæres, vel ii qui cogniti sunt, hæreditati renuntiaverunt, hæreditas illa dicitur *jacere* vel *jacens*, quasi nempe sit sine domino. Quando hæreditas talis evadit, deputatur ad eam administrandam idonea persona, *curatoris* nomine nuncupata, quæ quidem ad ea omnia tenetur, ad quæ obligatur hæres cum beneficio inventarii.

Interim exquiritur si qui sint veri hæredes, qui si inventi omnes renuntient, vel nullus post triginta annos compareat, hæreditatem præscribit fiscus, tanquam vacans [1].

DISSERTATIO TERTIA

DE PRÆSCRIPTIONE.

372. Q. 1. *Quid est præscriptio, et an legitime inducta?*

R. Præscriptio definitur: *medium institutum ad acquirendum aliquod jus, vel ad se liberandum ab aliqua obligatione per certum temporis lapsum, servatis conditionibus a lege statutis* [2]. Ex quo patet duplicem esse præscriptionem, unam *acquisitivam* et *liberativam* alteram. Medium est præscriptio legitimum apud omnes populos pro acquirendo rerum dominio in utroque Jure civili et canonico approbatum; vim proinde habens in utroque foro: externo idest judiciali, et interno idest conscientiæ [3].

Imo præscriptio si non oriatur immediate a Jure naturali, ei tamen valde conformis est, et in eo fundamentum habet; cum tota inni-

[1] Art. 980, 2135 (et *Cod. proc. civ.*, art. 896). — *C. G. civ.* 811; — *C. S.* 730; — *C. P.* 634; — *C. M.* 1015; — *C. T.* 462, 484.

[2] Præscriptio hodie non distinguitur ab usucapione; etsi res per se diversa sit; usucapio est acquisitio juris; præscriptio est liberatio ab aliqua obligatione. Usucapio dicitur, quia res *capitur usu;* præscriptio sic dicitur, quasi *exceptio*, quia per eam exceptio opponitur domino rei: *præscriptio*, ait Forcellini, *in re forensi est exceptio, qua quis alterum ab agendo summovet et repellit.*

Differt præscriptio a consuetudine; etenim illa est *quid facti*, quia per se non constituit jus legale vel mutat; sed mutat directe dominia rerum vel æquivalentia jura. At consuetudo est *quid juris*, quia habet primario et ex se vim legis, ut notat Suarez, *De Religione*, l. 1, c. 12.

[3] De Jure civili communi patet ex *art. 2105 et seqq.* — *C. A.* 1451; — *C. G.* 2219; — *C. S.* 2125; — *C. P.* 2332; — *C. M.* 2260; — *C. T.* 1187. De Jure canonico patet ex causa 16, q. 3, c. 2. *Præsulum*, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 504 et 517. — Ferraris; V. *Usucapio, Titulus.* — Carrière, *De Justitia et Jure*, nn. 395 et seqq.

tatur bono communi, quatenus boni communis summopere interfuit: 1) *ne quarundam rerum diu, et fere semper incerta dominia essent;* 2) *ut aliquis litium finis esset;* 3) ut possessores tranquillo animo in possessione sua serventur, neque *ipsi prope immortali timore teneantur;* 4) *ad vitandam dominorum segnitiem, et longi temporis errorem et confusionem* [1]. Quare Angelicus: *Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem* [2]. Imo tanta vis est præscriptionis, ut aliquando ipsa currat etiam in delictis nempe quoad pœnam ferendam coram hominibus [3].

Præscriptio, licet ex natura sua sit una semper et eadem, potest tamen claritatis gratia in triplicem quasi speciem dividi ratione temporis, quod requiritur in jure ad eam legitime peragendam. Alia est *brevis temporis*, quam appellamus ordinariam sive particularem: et complectitur spatium sex mensium ad decennium. Alia est *longi temporis*, quam appellamus generalem: et complectitur spatium annorum triginta. Alia est *temporis longissimi*, quam appellamus generalissimam: et complectitur spatium annorum quadraginta, sexaginta, vel centum; de qua maxime in Jure canonico.

373. Q. 2. *Quinam præscribere possunt, et quænam conditiones ad rite præscribendum?*

R. Ad 1: Regula generalis est, ut omnes præscribere possint, qui capaces sunt acquirendi dominii: sicque etiam corpora moralia, uti Ecclesia, communitas, publica instituta non secus ac privatæ personæ præscribere possunt et præscriptioni subduntur [4]. At nemo contra se ipsum præscribit; neque sane actus ex errore gesti nocere debent erranti: hinc si beneficiatus jam a multo tempore ex errore quatuor celebraverit in hebdomada Missas, cum tamen ex Beneficii fundatione non obligetur nisi ad duas, non ideo tenebitur in posterum ad quatuor.

R. Ad 2: Conditiones a lege statutæ ad legitime præscribendum sunt, ut res ad hoc sit apta, ut adsit bona fides, titulus, possessio et tempus definitum. Quæ quidem conditiones sunt de necessitate; nam lex humana, a qua vim habet præscriptio, nonnisi sub illis eam admittit. Quæ omnia hisce versiculis exprimi solent:

Non usu capies, nisi sint tibi talia quinque:
Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.

[1] *Digest.*, l. XIV, t. IV *De usur.* lege 1. — T. X, *Pro suo*, l. V. — *Cod.*, l. VII, t. XXXIX *De præscript.* 30 *vel* 40 *annorum*, l. VII. — *Decr.* Greg., l. II, t. XXVI. c. 5.
[2] Quodl. 2, a. 7i.
[3] *Cod. pœnalis*, art. 131.
[4] Art. 2114; — *C. A.* 1472; — *C. G.* 2226; — *C. S.* 2132; — *C. P.* 2339; — *C. M.* 2268.

1. *Res apta:* neque enim res omnes præscribi possunt: sic præscribi nequeunt: *a)* quæ sunt *Juris naturalis* aut *divini*; ita subditus quandiu talis, nequit præscribere immunitatem ab obedientia erga suum superiorem; *b)* quæ sunt *ordinis publici;* ita non præscribitur actio ad reclamandum proprium statum contra filium [1]; neque res publicis usibus deputatæ, uti forum, via publica, platea, pontes et similes, nisi earum usus in populo cessaverit; *c)* quæ *non sunt in commercio,* uti res sacræ, Ecclesiæ, cœmeterea, et jura spiritualia in laicis, puta absolvendi; *d)* quæ lex ipsa declarat *imprescrivibilia:* sic non præscribuntur *immobilia dotalia* durante matrimonio [2]; non præscribuntur *servitutes* prædiales aut non apparentes aut non continuæ, si excipiatur servitus transitus necessarii [3].

2. *Fides,* nempe *bona:* cujus nomine intelligitur *illa animi affectio* seu *persuasio, qua quis prudenter judicat rem, quam possidet, esse suam, quamvis revera non sit: unde bona fides supponit ignorantiam invincibilem* [4]. Hinc jus: *oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ;* iterum: *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit* [5]. Et sane *possessor malæ fidei est in continuo statu peccati mortalis, rem alienam scienter detinendo; illa autem, quæ sine peccato esse non possunt, nulla præscriptione firmantur,* ait Angelicus [6]. Non est ergo dubitandum, quin civiles Codices bonam fidem supponant saltem initio præscriptionis, cum certe nequeat in mentem venire legislatorum transferre dominium alicujus rei in possessorem malæ fidei: quod esset approbare ipsum furtum; at res furtivæ a fure non præscribuntur.

Quod autem præscriptione generali annorum triginta generatim cautum sit, ut omnes actiones reales et personales extinguantur omnino illo spatio [7], hoc sensu intelligitur quod nulla detur actio in foro externo, ne prætextu malæ fidei turbentur possessiones, et lites in infinitum protrahantur. Certum est enim, quod neque centum annorum præscriptio et ultra potest sine bona fide valere: *synodali judicio definimus,* ita Patres Concilii Lateranensis, *ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quam civilis.*

3. *Titulus:* titulus generatim est causa, propter quam aliquid possidemus. Hic non agitur de titulo vero; nam tunc non esset ne-

[1] Art. 197; — *C. G.* 328; — *C. S.* 250; — *C. T.* 360; — *C. M.* 394; — *C. T.* 1193.
[2] Art. 630; — *C. A.* 480; — *C. G.* 439; — *C. S.* 561; — *C. P.* 593; — *C. M.* 517.
[3] Art. 2120 et 2146; — *C. G.* 2270; — *C. S.* 2185; — *C. P.* 2369; — *C. M.* 2313.
[4] Et quidem bona fides *theologica* requiritur, quæ nempe excludit peccatum; etsi in foro externo habeatur ut sufficiens bona fides *juridica,* ea nempe quæ excludit indicia, ex quibus in foro civili mala fides probari possit.
[5] *Decret.* Greg., l. II, t. XXVI, c. 20, *Quoniam;* et Reg. II Juris.
[6] In 4, dist. 41. q. 1, a. 5; et q. 4, a. 2.
[7] Art. 2135; — *C. A.* 1460; — *C. G.* 2262; — *C. S.* 2168; — *C. P.* 1304; — *C. M.* 2301

cessaria præscriptio, quia nemo rem suam præscribit ; sed de titulo qui suapte natura habilis habeatur ad transferendam proprietatem, ut esset venditio, donatio. Claritatis vero gratia quadruplex hoc in loco distinguitur titulus: coloratus, existimatus præsumptus et vitiosus. *Coloratus* sive apparens est qui occulta laborat nullitate: esset, si a Titio rem emerim, quam putabam esse Titii, cum tamen esset Sempronii. *Existimatus* est qui prudenter creditur interfuisse, licet non interfuerit: ut si filius ex hæreditate possideat rem, quæ a patre putetur empta, cum empta non sit. *Præsumptus* est quando allegari non potest certus titulus, sed ob temporis diuturnitatem præsumitur interfuisse. *Vitiosus* est qui caret aliqua conditione a lege statuta. Jam vero ad legitimam præscriptionem titulus vitiosus allegari non potest; quia dispositiones legis nunquam reputantur ignotæ: unde axioma : *melius est non habere titulum, quam titulum vitiosum.* Titulus autem vel coloratus vel existimatus requiritur et sufficit, cum tunc satis salvetur bona fides. Imo ad præscriptionem annorum triginta sufficit præsumptus, cum recte supponatur titulum adfuisse, etsi probari nequeat ob temporis diuturnitatem [1].

4. *Possessio*, quæ solet definiri: *detentio rei vel fruitio juris per se aut per alium, qui nostro nomine rem illam detinet, vel illud jus exercet.* Hæc porro est fundamentum præscriptionis; unde in jure: *sine possessione præscriptio non procedit.* Ut tamen valeat possessio, ex civili lege debet esse *continua*, proinde sine interruptione toto tempore præfixo: qui tamen in re succedit sive titulo universali nempe ex hæreditate, sive titulo particulari, puta quia rem emit, ad præscribendum recte unit tempus quo ipse possidet cum tempore quo possidebant ejus antecessores. *Pacifica*, unde si vis adhibeatur ad acquirendam possessionem, nulla præscriptio; esset furtum, non vera possessio. *Publica*, id est tali ut is, contra quem currit præscriptio, eam cognoscere possit et reclamare, si vellet accurate attendere: sic qui furtim aquam haurit ex alieno puteo, licet per longum tempus, jus non acquirit illo clandestino usu. *Non æquivoca* seu dubia, sed certa, id est demonstrata per actus attestativos veræ possessionis, ita ut qui possidet, moraliter certus sit de sua possessione: alioquin deesset bona fides. *Titulo proprietarii:* hinc qui detinet rem nomine alterius, ut colonus, depositarius, usufructuarius nequit præscribere [2] (neque eorum successor titulo universali). Hinc ne-

1 « Prescritto il debito del capitale per esser giunti al loro termine gli anni 30, più non sono dovuti nè anche quegli interessi e proventi, pei quali presi isolatamente non sarebbe per anco corsa la prescrizione. » Della-Margherita, *Delle prescrizioni.*

2 « È su questo fondamento, che colla celebre sentenza del Parlamento di Parigi del 21 aprile 1551, il vescovo di Clermont fu condannato a restituire alla regina Ca-

que actus meræ facultatis aut simplicis tolerantiæ possunt esse fundamentum præscriptionis. Actus *meræ facultatis* illi sunt quos eliciendi vel non eliciendi potestatem habemus a natura; hoc porro nihil confert ad præscriptionem: sic ex eo quod per 30 annos non ædificaverim in fundo meo, vicinus nequit impedire quin hodie ædificem. Actus *simplicis tolerantiæ* ii sunt qui fiunt ex tacitò vel præsumpto consensu domini; titulo porro amicitiæ, aut viciniæ multa tolerantur aut permittuntur, quin ex iis aliquod jus acquiratur.

5. *Tempus a lege definitum:* tempus computatur in dies, non in horas: et si fiat computatio in menses, hi sunt triginta dierum, et præscriptio completur ultima die completa [1].

374. Q. 3. *Quod temporis requiritur ad præscribendum?*

R. 1: Spatio triginta annorum (seu per generalem præscriptionem) omnes actiones præscribuntur sive reales sive personales, quin possit opponi mala fides aut tituli defectus. Duo tamen notat civilis lex: 1) *Il debitore di una rendita o di una prestazione annua qualunque, la quale debba durare più di trent' anni, deve a richiesta del creditore somministrargli a proprie spese un documento nuovo dopo vent' otto anni dalla data dell'ultimo documento* (art. 2136) [2]; 2) *chi acquista in buona fede un immobile o un diritto reale sopra un immobile, in forza di un titolo che sia stato debitamente trascritto e che non sia nullo per difetto di forma, ne compie in suo favore la prescrizione col decorso di dieci anni dalla data della trascrizione* (art. 2137) [3].

terina De-Medici la signoria di Clermont, quantunque da molti secoli posseduta dai Vescovi di quella città. Era provato dal titolo originario del possesso, che quella signoria era stata data in custodia ad un vescovo di Clermont da Giovanni di Bourbon, che rappresentava la regina. Ferrero, *Trattato delle prescrizioni*. Torino.

Huc spectat illud *Cod.* art. 2118: *Nessuno può prescrivere contro il proprio titolo in questo senso che nessuno può cangiare riguardo a sè medesimo la causa ed il principio del suo possesso.* Et post habet: *Ciascuno può prescrivere contro il proprio titolo in questo senso che si può colla prescrizione conseguire la liberazione dalla obbligazione.* Per esempio, mi sono obbligato per iscrittura a pagarvi 1,000 franchi; omettete di domandarne il pagamento; non adempio alla mia obbligazione per 30 anni; sono liberato, ho prescritto contro il mio titolo. » *Cod. spieg.*

[1] Art. 2133; — *C. A.* 1472; — *C. G.* 2226; — *C. S.* 2132; — *C. P.* 2339; — *C. M.* 2268 et seqq.

[2] « Per *esempio:* Costituisco a Tizio una rendita perpetua di lire mille annue da lui ricevendo un capitale di 20,000 lire; ricevo annualmente le quitanze da Tizio creditore; se questi dopo ventotto anni non potesse esigere un nuovo titolo, chi m'impedirebbe di sopprimere le quitanze che sono in mia mano, e di dire che pendente trent'anni, non avendo io fatto alcun pagamento, il mio debito è prescritto? Quest'articolo è dunque a tutela del credito.

» Ad ovviare a questo pericolo, si può domandare al debitore una contro-quitanza ossia dichiarazione di essere stato quitanzato, oppure una lettera in cui dichiari il suo debito; allora si ha in mano un documento per interrompere la prescrizione. Però se il fondo ipotecato fosse passato ad un terzo, sarebbe di necessità la rinnovazione del documento autentico; se no, si avrebbe bensì l'azione personale contra del primo debitore, ma non la reale contro quel terzo, e anche rinnovando l'ipoteca sul fondo non basterebbe per rompere la prescrizione, a termine dell'art. 2127 del *Codice.* » *Cod. spieg.*

[3] « La trascrizione o iscrizione è il mezzo con cui si rendono pubblici alcuni atti indicati dalla legge e si effettua mediante la copia letterale dell'atto sopra un registro

395. R. 2: Quod pertinet ad præscriptiones *particulares*, istæ non uno tempore perficiuntur; sed ratio personarum habenda est.

Spatio sex mensium præscribuntur actiones *cauponum* tum quoad cibaria, tum etiam quoad præstita ab ipsis hospitia.

Spatio unius anni præscribuntur actiones: 1) *magistrorum* aut eorum, qui vel scientias, vel artes edocent, pro eorum lectionibus ad dies vel ad menses; 2) *janitorum* (vulgo *uscieri*), pro mercede ipsis debita quoad actus ab ipsis notificatos, et ea quæ exequuntur mandata; 3) *mercatorum* pro mercibus quas vendiderunt privatis non mercatoribus [1]; 4) eorum, qui *contubernia* habent, pro pensione ipsis debita ob alimenta vel instructionem alumnorum aut discentium; 5) *servorum*, *mercenariorum* et *opificum* pro mercede ipsis debita, aut pro pretio materiæ ab iis suppeditatæ aut pro pactis salariis.

Spatio biennii præscribitur actio proprietarii vel possessoris ad vindicandam rem mobilem subreptam vel amissam. Item *janitores* post biennium ab actuum tribunalis consignatione non amplius tenentur de illis rationem reddere.

Spatio triennii præscribuntur actiones: 1) *magistrorum*, quoad eos ut supra, qui tamen stipendio conducti sunt ad tempus, quod ultra mensem perdurare debeat; 2) *medicorum*, *chirurgorum* et *pharmacopolarum* pro medicinis suppeditatis, pro cura et operationibus; 3) *advocatorum* et *procuratorum* a die terminatæ litis vel revocati patrocinii vel actæ compositionis, pro expensis et honorariis quæ ipsis essent persolvenda. *Riguardo agli affari non terminati*, addit lex (art. 2140), *essi non possono domandare di essere soddisfatti delle spese e degli onorari di cui fossero creditori da tempo maggiore di cinque anni;* 4) actiones *notariorum* pro expensis et honorariis; 5) actiones contra *architectos mensores*, *calculatores* pro eorum honorariis; computantur anni ab operis complemento [2].

Spatio quinque annorum præscribuntur: 1) actiones contra *cancellarios*, *advocatos*, *procuratores* ad lites et *alios patrocinantes* ob onus

dell'Ufficio delle ipoteche, nel Circondario del quale è situato l'immobile contemplato nell'atto, o si è aperta la successione ereditaria (*art.* 955, 1938). » *Carabelli.* Vide it. *Lex transitoria* 30 nov. 1865, art. 33 etc.

[1] « Questo non ha luogo contro i possidenti che vendono derrate provenienti dalle loro terre, come il loro frumento, vino o legna; perchè il Codice non vi assoggetta che i mercatanti o bottegai. Riguardo a ciò devesi considerare possidente, e non mercante quella persona, la quale non fa commercio, come sarebbe se uno speziale avesse venduto il vino della sua vigna. » *Ferrero.*

[2] Præscriptio pro omnibus hucusque recensitis locum habet etiamsi, ea perdurante, suppeditatæ sint aliæ materiæ, factæ operæ aliæ. *Perciò ciascuna somministrazione è considerata come un credito distinto sottoposto egli pure ad una prescrizione particolare.* Cassazione, 29 ott. 1810. — Addit Codex art. 2141: *Non è interrotta, se non quando vi è stato un riconoscimento del debito per iscritto, o una domanda giudiziale non perenta* (la perenzione è una specie di prescrizione che annulla le processure degli affari civili, quando vi è stata interruzione d'istanza per anni tre). » *Ferrero.*

reddendi rationem scripturarum, quæ lites terminatas respiciunt; 2) actiones pro exhibendis pensionibus *census perpetui* vel *alimentarii* vel *domus conductæ* aut *fundi* item conducti; 3) actiones pro exigendis *usuris* pecuniæ mutuatæ; et generatim quod solvi debet annuatim vel periodis brevioribus [1].

376. Hæc specialius notanda quoad præscriptiones particulares: 1) istæ præscriptiones obtinent etiam contra minores, interdictos, absentes ac milites: attamen minores et interdicti habent regressum adversus eorum tutores. 2) A solutione debiti non liberant in conscientia, si revera constet eam factam non fuisse. Quod supponit Codex in præscriptionibus biennii et infra, et etiam quinque annorum, si agatur de cancellariis, advocatis, procuratoribus ceterisque defensoribus quoad reddendam rationem scripturarum [2]. Etenim in hisce casibus illis qui præscriptionem invocant, potest ab interesse habentibus deferre juramentum, ut pronuncient an debitum revera solverint.

Quod quidem dicendum est de ceteris quoque præscriptionibus particularibus liberativis, licet in iis non admittatur juramentum: quia communiter deest in illis bona fides [3]; nam fere semper notum est debitum adhuc subsistere; cum hac notitia quomodo bona fides potest existere? Unde harum præscriptionum vis in eo tantum sita est, ut denegetur actio in judicio, ne lites multiplicentur, neque casus veniat ut iterum debita solvantur, cum facillime minima debita a mente excidere possint: non vero ut conscientiæ obligatio extinguatur. Hinc absit, ut tuti esse possint in conscientia qui cum mala fide has præscriptiones opponunt, vel malitiose differunt satisfacere propriis justitiæ obligationibus de anno in annum, ut sic valeant ipsi eas opponere. Quod enim amplius convenire non possint in judicio, non est ope præscriptionis, sed vi præsumptæ solutionis: qui ergo certus est solutionem non esse factam, ab obligatione solutionis per talem præscriptionem minime eximitur *(M)*.

377. Q. 4. *Quid speciatim de mobilium præscriptione?*

R. Ad præscribendas res mobiles, v. g., gemmas, numismata, equos, ex lege civili generatim sola possessio sufficit: unde hic præscribitur statim ac possidetur, et valet illud: *possideo quia possideo*. Re-

[1] Præter adnotatas, plures aliæ habentur præscriptiones, ut innuit Codex art. 2147. — *V.* Carabelli, *Pratica del Cod. civile*, in fine: *Raccolta di varie prescrizioni*, pag. 559.

[2] Art. 1243; — *C. A.* 1475 et 1495; — *C. G.* 2252; — *C. S.* 2158; — *C. P.* 2341; — *C. M.* 2291; — *C. T.* 1212.

[3] Si tamen revera adsit bona fides, sunt qui cum Talento valde probabiliter docent tenere etiam in conscientia præscriptionem quinque et decem annorum, quia ex Codice in hisce præscriptionibus nulla probatio admittitur in gratiam creditoris. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 516. — Gury, *Casus conscientiæ*, v. I, n. 542.

quiritur tamen: 1) ut possessio sit titulo proprietatis; sic qui mutuum habet librum, illum nunquam potest præscribere, etsi plurimis annis librum retineat; 2) ut possessio sit in bona fide: ideo fur aut inventor rei alienæ (nondum præmissa diligentia a lege præcepta ad dominum inveniendum) nequeunt præscribere, cum probe sciant rem non esse suam; 3) ut res mobiles tales sint ex natura sua (quibus æquiparantur *i titoli al portatore);* non autem ex destinatione legis, atque agatur de mobilibus in particulari, non vero de generalitate mobilium [1].

Sed quid de eo, qui a fure vel ab inventore rem mobilem emit bona fide, tuto credens, illam esse propriam venditoris? Tunc ad præscribendum requiritur biennium, et ideo eo durante, dominus rei eam repetere potest a quovis possessore. Tamen si possessor eam emerit occasione nundinarum aut publicæ venditionis, vel a mercatore, qui hujusmodi res vendere soleat, dominus ut illam recuperet, debet solvere quanti empta fuit [2]. Quæ singulares legum civilium dispositiones (ubi vigent), ut communius dicunt Lyonet, Gousset, Gury contra plures, obtinent etiam in conscientia; cum sint in bonum commerciorum, ne incerta reddantur dominia in iis rebus quæ facile de manu in manum venire possunt, uti sunt mobilia. Ideo magis quia casus possessionis rei alienæ cum omnibus suis conditionibus sunt rari; unde non sunt timenda incommoda.

378. Q. 5. *Quandonam infirmatur præscriptio?*

R. Infirmatur, renuntiatione, suspensione, interruptione:

1. *Renuntiatione ;* quisque enim potest generatim juri suo renuntiare; cessat autem præscriptio per renuntiationem non solum expressam, sed etiam tacitam, quæ ex aliquo facto deducitur, ut si quis, non obstante præscriptione quæ ipsum liberat a solutione, adhuc sciens solvat. Diximus *generatim,* nam ut valeat renuntiatio requiritur: 1) ut renuntians sit capax alienandi, quia per renuntiationem alienat jus recurrendi ad præscriptionem; 2) ut alienatio non lædat jus creditorum et aliorum interesse habentium, qui secus subingrediuntur debitori exercendo omnia ejus jura *(art.* 2112).

2. *Interruptione,* cum nempe impedimentum supervenit, quod præscriptionem penitus extinguat. Idque contingere potest naturaliter et civiliter. *Naturaliter,* cum quis a possessione dejicitur, et rei fruitione privatus fuit ultra annum: tunc de novo incipienda est. *Civiliter,* quando intervenit litis contestatio vel injunctio, aut cum quis sequestrum indicit. Idem evenit per citationem coram judice, licet incompetenti (modo tamen non sit citatio nulla defectu formæ, si actor a petitione

[1] *Art.* 707. V. g. Titius donavit gemmam Sempronio, sed nunc vult eam repetere sub prætextu quod donatio non sit solemnitate legali facta. Sempronius cum eam possideat bona fide, potest nihilminus retinere. Aliter esset si ageretur de omnibus mobilibus alicujus domus; tunc non sufficit sola possessio, sed ceteræ conditiones ad præscribendum requiruntur.

[2] Art. 2146; — *C. A.* 369; — *C. M.* 2279; — *C. S.* 1141; — *C. P.* 2356; — C. *T.* 1213.

rejiciatur [1]). Item interrumpitur, si debitor vel rei possessor recognoscit jus illius, contra quem præscribitur. Interrupta autem præscriptione contra præcipuum debitorem, interrumpitur etiam contra ejus fidejussores; item quicunque actus qui præscriptionem interrumpit favore unius ex creditoribus solidariis, favet etiam aliis creditoribus. At inscriptio vel renovatio hypothecæ, præscriptionem non interrumpit (*art.* 2127 et seqq.) [2].

3. *Suspensione* seu dormitione, quando nempe durantibus talibus rerum vel personarum adjunctis, inchoata præscriptio in suspenso est, dormit, seu non currit; et tantum cessantibus illis adjunctis tempus præcedens potest conjungi cum subsequenti. Ac *primo* ex *Codice civili* non currit præscriptio inter ipsos conjuges; inter administratos et administrantes; inter eos qui gaudent patria potestate et eos qui subduntur; inter minorem, interdictum et tutorem, nisi rationes jam redditæ sint et recognitæ; inter minorem emancipatum, majorem inhabilitatum et eorum curatorem; inter hæreditatem et hæredem cum beneficio inventarii. *Secundo* non currit præscriptio contra minores non emancipatos, interdictos ob infirmitatem mentis, et milites in actuali servitio tempore belli, nisi agatur de præscriptionibus particularibus ex dictis. *Tertio* non currit quoad jura, nondum purificata conditione [3]; neque quoad fundum dotale uxoris proprium, ac fundum speciali hypotheca subjectum ob dotem et executionem conventionum matrimonialium, ipso matrimonio durante: attamen hæc non obtinent in præscriptione 30 annorum contra possessorem immobilis, vel juris in re quoad immobile. Item notandum quod suspensio præscriptionis quoad unum tantum ex creditoribus solidariis aliis non favet (*art.* 2119 et seqq.) [4].

---

1 Art. 2128; — *C. A.* 1497; — *C. G.* 2232; — *C. S.* 1148; — *C. P.* 2357; — *C. M.* 2282; — *C. T.* 1189. *Ingiunzione* è un atto con cui si ordina ad alcuno di dare eseguimento ad una sentenza, ovvero ad un titolo esecutorio; quest'atto dà al possessore sufficiente cognizione dei diritti di colui che reclama e lo costituisce in mala fede. *Sequestro;* è un modo d'esecuzione, in virtù del quale un creditore pone i beni del debitore sotto la mano della giustizia all'oggetto di farli vendere per essere pagato. V. *Cod. proc. civ.*, art. 338, 342 et seqq.

2 « Per interrompere la prescrizione vi vogliono atti diretti contro il possessore, contro del suo credito espressamente. Ora l'iscrizione, fatta spesso ad insaputa del terzo possessore sul registro delle ipoteche, non potrebbe essere considerata come un legale avvertimento al medesimo. » *Cod. spieg.*

3 « La ragione è manifesta: il creditore non può agire sino a tanto non è ancora assoluta l'obbligazione, o non cominciò ad essere esigibile. » *Cod. spieg.*

4 » *Esempio:* Tizio minore e Carlo maggiore sono creditori in solido verso Antonio; la sospensione della prescrizione a favore di Tizio minore, non giova a Carlo; e quindi Antonio può opporre la prescrizione a Carlo e andar liberato per la porzione di questo creditore. »

DISSERTATIO QUARTA

DE OBLIGATIONIBUS ET CONTRACTIBUS

CAPUT PRIMUM

DE OBLIGATIONIBUS GENERATIM.

379. Obligatio est *vinculum juris, quo ad aliquid adstringimur vel dandum vel faciendum vel omittendum.* Obligatio duplex: *imperfecta* solo charitatis titulo fundatur gratitudinis aut religionis, quæ proinde non supponit jus strictum; *perfecta*, quæ in justitia commutativa fundatur, et jus strictum inducit.

Obligatio perfecta oritur: 1) ex lege, ut obligatio quæ afficit tutores, executores testamentarios, etc., de quibus jam dictum est; 2) ex contractu; 3) ex quasi-contractu, ex delicto et quasi-delicto, nempe ex facto hominis.

ART. I. — *De contractibus in genere.*

380. Q. *Quid est contractus, et quomodo dividitur?*

R. Ad 1: Contractus sic dictus, quia duorum vel plurimum voluntates in unum veluti trahit, sumitur late vel stricte. Late idem est ac pactum seu pactio, ac definitur: *duorum pluriumve in idem placitum consensus*, obligationem videlicet pariens in una saltem parte, uti subintelligunt. Stricte vero acceptus contractus definitur: *conventio, qua unus, vel plures erga unum vel plures se obligant ad aliquid dandum aut faciendum aut omittendum* [1]. Contractus saltem duos supponit, cum nemo secum contrahere possit: hinc simplex promissio unius, si nondum ab alio acceptata, nullam parit obligationem.

R. Ad 2: Contractus dividitur præcipue:

1. In *nominatum* et in *innominatum*. Contractus nominati sunt qui habent speciale nomen, uti emptio, venditio. Innominati qui carent nomine speciali; sed retinent genericum contractus vocabulum. Istorum autem classes ex romana lege quatuor numerantur, nempe: *do ut des*, v. g., do tibi frumentum, ut tu des mihi vinum; *do ut facias*, do tibi frumentum, ut nepotem meum edoceas; *facio ut des*,

[1] In *novissimo* Codice art. 1098 definitur contractus: *il contratto è l'accordo di due o più persone per costituire, regolare, o sciogliere fra loro un vincolo giuridico.* — *C. A.* 859; — *C. S.* 1055; — *C. G.* 1101; — *C. P.* 1068; — *C. T.* 518.

servus meus vestimenta tibi poliet, ut des mercedem ideo constituendam; *facio ut facias*, facio pro te iter usque Romam, ut tu amicum meum subleves.

2. In *purum* et *non purum*. Purus, qui absolute fit: v. g. vendo tibi equum. Non purus, cui adjungitur aliquid, puta aliqua conditio, ut promitto tibi 100 aureos, si lauream consequeris. Primus dicitur etiam *simplex*, alter *qualificatus*.

3. In *formalem* et *virtualem*. Ille adnexum habet expressum contrahentium consensum: ut si expresse duo contrahant de aliqua re. Iste nonnisi tacitum consensum habet adnexum; seu est contractus in quo implicite suscipitur obligatio justitiæ ex susceptione alicujus munus diligenter obeundi, et hic dicitur *quasi-contractus*.

4. In *bilateralem* et *unilateralem* [1]. Bilateralis est, in quo uterque contrahentium essentialiter obligantur, ut in venditione; unilateralis, in quo unus tantum obstringitur, ut in donatione. Primus vocatur etiam *onerosus (a titolo oneroso)*; quia onus importat ex parte utriusque. Alter *gratuitus*, *beneficus* seu *lucrativus (a titolo gratuito)*; quia vergit in utilitatem unius tantum, quin hic erga alterum ad aliquid grave obligetur. Addunt alii contractum *mixtum*, qui nempe sit ex parte gratuitus et ex parte onerosus, ut si donatio fiat boni notabilis, sub aliqua conditione levi. Quæ divisio ideo est attendenda, quia aliquando lex alicui permittit contractum onerosum, non vero gratuitum; quo in casu si fiat mixtum, valebit tantum ex ea parte, qua onerosus est.

5. In *principalem* et *accessorium*: principalis ille est, qui independenter ab alia conventione, et ideo de se subsistit, ut venditio; accessorius qui ab alia pendet conventione aut eam supponit, ut fidejussio. Hæc divisio sua habet consectaria ex illo: *corruente principali, corruit et accessorium*.

6. In *solemnem*, ad cujus valorem requiritur certa formalitas ex lege præscripta, v. g., scriptura publica, homologatio. Et *non solemnem*, qui subjicitur tantum dispositionibus generalibus. Primus dicitur etiam *vestitus*, secundus *nudus*.

7. In *realem* et *consensualem*: realis est qui in sua specie non perficitur nisi per rei, de qua convenitur, traditionem: uti est pignus, commodatum, mutuum, depositum. Consensualis est qui solo contrahentium consensu rite exhibito completur, uti est locatio [2].

[1] Bilateralis dicitur etiam *synallagmaticus*, nempe a græco *syn* una simul, et *allassô* contrahere.

[2] In *contractum bonæ fidei, et stricti juris* solet etiam dividi contractus. Hic bona fides sumitur pro bono et æquo; unde contractus bonæ fidei est qui non ex rigore verborum accipitur, sed ex benigna interpretatione: ut evenit, v. g. in deposito, in commodato.

§ 1. — *Necessaria ad validitatem contractuum.*

Essentialia ad contractuum validitatem sunt : 1) contrahendi *capacitas ;* 2) validus contrahentium *consensus ;* 3) *res* apta, ac determinata; 4) *causa* ad se obligandum.

381. *Quinam sunt contrahendi capaces?*

R. Contrahendi capax est, qui sufficiens animi judicium habet, neque a lege prohibetur; nam ubi nulla lex obstat, facultatibus naturalibus pro libito uti possumus. Porro ratione nondum maturi vel non satis expediti consensus, alii sunt quibus fere omnes; alii quibus certi contractus in quibusdam casibus prohibentur a civili lege.

Primo: fere omnes contractus prohibentur [1] : 1) *minoribus*, nisi agatur de iis rebus, de quibus liberam habent administrationem *(art.* 317); — 2) *interdictis*, qui nempe damnati sunt ad tempus ad triremes vel reclusionis pœna mulctati [2]; vel habituali detinèntur imbecillitate, dementia aut furore. Qui vero mente sunt infirmi, sed talis non est eorum infirmitas, ut det locum interdictioni, poterunt prohiberi a tribunali ab omnibus actibus quæ excedunt simplicem administrationem: et idem valet de *prodigis* qui bona sua dilapidant; — 3) *surdo-mutis et cœcis a nativitate*, qui tamen facti majores possunt habilitari ad providendum rebus propriis *(art.* 335, 339 *et* 340) [3]; — 4) *uxoribus*, pro quibus ad contrahendum in iis, quæ simplicem rerum domesticarum administrationem excedunt, ordinarie requiritur consensus mariti. Hæc tamen auctorizatio non est necessaria, si uxor mercaturam exerceat in iis quæ ad illam referuntur; si legaliter sit ex mariti culpa ab illo separata; item si maritus sit minor, interdictus, absens vel damnatus ad carcerem ultra annum, hac pœna durante *(art.* 134): aliquando requiritur etiam auctorizatio tribunalis.

Secundo: certi contractus, in quibusdam casibus prohibentur: 1) *conjugibus*, qui matrimonio perdurante, nequeunt sibi invicem donare, nisi in actu ultimæ voluntatis *(art.* 1054); 2) *sponsis* qui bonorum societatem universalem secum inire prohibentur *(art.* 1333); 3) *genitoribus* quoad bona filiorum sub patria eorum potestate; 4) *tutoribus* et *curatoribus* cum suis administratis; item *judicibus*, *nota-*

[1] Contractus vero stricti juris est, in quo id unum spectandum est, de quo expresse fuit conventum, puta in donatione scripta, in mutuo, etc. Hæc tamen distinctio non amplius videtur obtinere in *Cod. civili* art. 1124, ex quo contractus non solum obligant ad ea, quæ in iis exprimuntur; sed etiam ad omnia eorum consectaria, quæ postulant æquitas, usus, vel lex; ideo omnes sunt contractus bonæ fidei.

[2] Art. 1105; — *C. A.* 865; — *C. G.* 1124; — *C. S.* 1079; — *C. P.* 1071; — *C. R.* 53; — *Cod. pœn.* art. 22. Et *Cod. proc. civ.* art. 836.

[3] *C. A.* art. 275; — *C. P.* 154; — *C. T.* 111, 112, 523.

riis, cancellariis, advocatis et *procuratoribus*, quibus pacta interdicuntur circa res, de quibus agunt patrocinium vel causam *(art.* 1457).

Nota. Contractus ad quos prædictæ personæ inhabiles declarantur, non omnes videntur esse ipso facto nulli; nam variæ assignantur regulæ pro eorum rescissione: quod probat, æquitate naturali servata, valere quoadusque rescindantur. Imo ex lege civili qui cum dictis personis contraxerunt, opponere nequeunt talem capacitatis defectum; cum in ipsorum beneficium rescissio inducta non sit *(art.* 1107).

382. Q. 2. *An et qui consensus ad contractus valorem requiritur?*

R. Consensus est veluti anima contractus; contractus enim est duorum vel plurium in unum conventio: at nulla conventio sine consensu. Qui consensus debet esse:

1. *Internus* et *verus*. Requiritur nempe, ut contrahens veram habeat voluntatem explicitam vel implicitam sese obligandi [1]. Hinc in jure: *stipulatio quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est.* Et sane: ideo contrahens dicitur obligari, quia vere et ex animo vult talem in se obligationem suscipere; ergo si talis in eo voluntas desit, contractus nullius roboris est [2].

2. *Liber* ac *plene deliberatus*, ita ut contrahens non solum sit compos, sed etiam agat cum ea deliberatione, quæ ad peccatum grave requiritur. Secus non esset nisi voluntas imperfecta, ac proinde actus imperfectus, qui perfectam obligationem parere non posset: hinc nullus esset contractus initus a perfecte ebrio.

3. *Exterius manifestatus*, talis nempe, ut consensus unius possit ab alio cognosci et acceptari: est enim actus humani commercii, atqui talis esse non potest, nisi exterius manifestetur.

4. *Mutuus*, quia contractus est conventio saltem duorum: hinc necesse est, ut ambo consentiant, id est ut consensus unius ab altero acceptetur. Attamen non requiritur, ut etiam notificetur ista acceptatio, nam ad contractum perficiendum satis est, quod adsit duorum consensus in idem: porro ille consensus existit statim ac intentio unius fuit alteri intimata et ab isto acceptata. Excipe nisi aliud jus decernat, ut patet de donatione, quæ ex lege civili non habet effectum nisi a tempore, quo acceptatio donationis ipsi donanti fuerit expresse notificata *(art.* 1057).

383. Q. 3. *Quænam adversantur consensui in contractibus?*

R. 1: Consensui in contractibus adversantur: error, dolus, metus. 1) *Error* est æstimatio unius pro alio; *errare enim*, ex Augustino,

[1] Dixi *explicitam* vel *implicitam*: quia sufficit, ut quis velit aliquid, cui obligatio ex natura sua inhæreat. Sic qui judicis officium suscipit, censetur *implicite* velle se obligare ad justas edendas sententias, quia hæc obligatio officio illi inhæret.

[2] *Digest.*, l. II, t. 14 *de pact.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 709.

est aliud pro alio putare [1]; — 2) *dolus* est astutia, seu calliditas: duplex distinguitur, bonus et malus. Primus est *solertia in agendo*, de qua Apostolus, *cum essem astutus, dolo vos cœpi* [2]; et hoc sensu legitur in Jure civili: *Pomponius ait, in pretio emptionis et venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire*, nempe intra limites justi pretii. Secundum *definiunt esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam* [3]: calliditas sita est in tacendo, fallacia in mentiendo, machinatio vero in faciendo; — 3) *metus* est trepidatio mentis ob malum imminens: duo igitur importat metus, et periculum mali et trepidationem mentis. Hoc posito:

R. 2: Error versatur vel circa contractus substantiam [4]; vel circa accidentia; vel circa personam, quacum contrahitur. Si 1, ut si quis emat vitrum credens esse gemmam, contractus invalidus est; quia error circa contractus substantiam impedit consensum, cum tollat ipsam substantiæ cognitionem. Si 2, v. g., si emerim equum decennem putans esse quinquennem, valet in opinione communi et probabiliori contractus, sive accidentia illa dent causam contractui, sive illa nullimode dent causam contractui inito. Error enim circa accidentia non tollit consensum circa contractus substantiam, nisi ipsa qualitas in contractum sit exprèsse deducta; quia tunc transit in rei substantiam [5]. Si 3, contractus est nullus, quando qualitas personæ fuit principalis contrahendi causa, ut si nummum aureum præcise dare intendas Pietro, et dones Paulo: error enim rei substantiam ingrederetur.

R. 3: Dolus malus invalidat contractum, si evidenter colligatur ipsum totam illius causam fuisse, adeo ut pars una minime contraxisset, si non intervenisset dolus ex altera parte; tunc liber consen-

1 Causa 22, q. 2, c. 6. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 714.
2 II, Corinth. 12.
3 *Digest.*, l. IV, t. III, l. I, § 3. Et punitur etiam; vide *Cod. pœn.* art. 626 et seqq.
4 Illud est habendum ut substantiale, vel cui stricte alligatus est consensus, vel cujus defectus rem facit ad intentum inutilem, aut tollit omne motivum consentiendi.
5 Nec refert, quod eo remoto, contractus non fuisset initus; nam in contractibus non attenditur quod factum fuisset, sed quod factum fuit: alioquin non sine maxima societatis perturbatione contractus pauci subsisterent. At tenetur deceptor damna omnia compensare. Plures tamen excipiunt contractus gratuitos, quia isti natura sua plenam, voluntariam et omnimodam spontaneitatem requirunt. Sed alii omnino negant, cum adhuc hi contractus sint vere liberi et omnino voluntarii. — *V.* Liguori, *Opus. Mor.*, l. III, n. 715.
Error personæ generatim non invalidat contractum; « per *esempio*: quando si vuol vendere o comprare un immobile o merci è irrilevante la qualità della persona colla quale si contratta; la cosa e il prezzo è la causa principale della convenzione. » Aliquando tamen invalidat: « se invece credendo di contrattare con un celebre scultore io convengo una somma pel prezzo d'una statua che gli commetto, e rilevo che mi sono diretto ad uno scultore mediocre che porta lo stesso nome, questo contratto sarebbe nulla per mancanza di consenso, avendo avuto speciale considerazione all'abilità che dovea aver la persona pel contratto *(art.* 1110). »

sus non haberetur. Dolus tamen non præsumitur, sed probandus est: quod generatim valet etiam de errore et vi, cum actus semper supponatur positus juxta regulas præscriptas.

R. 4: Quod ad vim sive metum pertinet, si ille sit levis, contractum non invalidat, neque rescindibilem facit; quia talis metus non impedit, quominus in contractum vere et libere consentiatur: hinc ex regula juris, *vani timoris justa excusatio non est.* Item est si metus sit gravis sed juste incussus, quia nulla intercedit injuria. Si vero sit injuste incussus, communissime et probabilius cum d. Thoma docent, ordinarie loquendo, talem contractum esse validum, sed rescindibilem ex parte illius, qui passus est metum. *Validus*, quia non invalidatur neque Jure naturæ, cum metus hic non tollat voluntarium simpliciter; neque jure positivo, quia jus civile præcipit judicibus ut tales contractus rescindant, quod supponit eos esse validos. *Rescindibilis* tamen ex parte illius qui passus est metum, ratione injuriæ illi irrogatæ, ut commune est [1].

Diximus *ordinarie loquendo*, talem contractum esse validum; quia excipiuntur præcipue sequentes contractus, qui celebrati ex metu gravi injuste incusso sunt invalidi ex Jure canonico: 1) matrimonium, et probabilius etiam sponsalia; nam connexorum idem debet esse judicium; 2) professio religiosa; 3) electio Papæ; 4) traditio rerum ecclesiasticarum; 5) jurisdictio ecclesiastica per metum acquisita; 6) absolutio a censuris; 7) renuntiatio ecclesiasticorum Beneficiorum [2]. — Insuper ex *civili Codice* notandum: 1) ad gravitatem metus rationem habendam esse ætatis, sexus, etc.; 2) nihil referre sive ille a contrahente sive ab alio incutiatur; si incutiatur ipsi contrahenti, vel ejus uxori aut marito, aut illius ascendentibus vel descendentibus, vel eorum bonis: quoad alias personas judicis erit pronuntiare habita ratione circumstantiarum; 3) non dari locum rescissioni, si metum passus ratum habuerit (etiam implicite) contractum, vel labi sinat tempus ad illum impugnandum, quod est regulariter quinquennium a die metus cessationis (*art.* 1112, 1300).

381. *Quid* (dices) *de metu reverentiali in contractu?*

R. Metus tantum reverentiatis, qui concipitur erga personas reveren-

[1] *Digest.*, l. IV, t. II, lege 21. Qui tamen metum gravem passus est, potest in conscientia pro suo arbitrio etiam sine auctoritate judicis contractum rescindere: quod si alter renuat, potest occulte sibi compensare: ita communiter, et ratio est: qui metum injuste incussit, injuriam intulit, unde tenetur istum in priorem statum restituere, et alter jus habet id exigendi. Quod autem hic uti debeat opera judicis, est tantum modus a lege præstabilitus ad facilius jus suum consequendum, a quo quidem modo sæpe adesse potest causa excusans, v. g., impensæ, difficultas probandi in foro externo, etc. Quod valet etiam de metu reverentiæ, si ei adjiciantur verbera aut minæ, aut diuturna indignatio sive torvus aspectus, dura verba, etc., quæ vere mali gravis timorem immittant. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 717.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 844; et l. III, n. 716.

tia dignas, qualis esse solet metus filii erga parentes, subditi erga Principem, uxoris erga maritum, clerici erga Episcopum, contractum non invalidat ex *Codice civile* (art. 1114). Ceterum pro foro interno merito distinguunt: si subditus operatur ex sola reverentia superiori debita, subsistit contractus. At si hæc ejus reverentia induat timorem alicujus gravis damni imminentis ex inobedientia, v. g. diuturnæ indignationis, potest in conscientia irritari. Quod verius dicendum est etiam de precibus importunis, si minas includant.

385. Q. 4. *Quid requiritur, ut res in contractum deducatur?*

R. Requiritur, ut res sit possibilis, honesta, determinata, pretio æstimabilis, in civili commercio posita et propria tradentis.

1) *Possibilis*; nam impossibilium nulla obligatio; quod si res ex parte tantum sit possibilis, valet contractus pro hac parte, si dividi queat; quia utile non debet per inutile vitiari; — 2) *honesta*, ut nempe neque legibus neque bonis moribus adversetur: nam *quæ legibus, aut bonis moribus adversatur, ea nec nos facere posse, credendum est;* — 3) *determinata* saltem in specie, secus contractus esset incertus ac illusorius, hinc si non constat, an in contractum deducatur vinum vel frumentum, contractus est nullus. Attamen non officit quod ignoretur quantitas, modo ex adjunctis determinari possit [1]; — 4) *propria tradentis;* quia illa, quæ nostra non sunt, nequeunt a nobis in obligationem deduci; — 5) *in civili commercio,* quæ ideo æstimari possit; secus non esset apta ad contractus: hinc irritus est contractus de domo quæ tempore quo venditur combusta fuit; quia quod non existit, nullam habet æstimationem. Excipe nisi res extitura speretur; res enim futuræ constituunt objectum contractus, ut si quis venderet uvas anni advenientis; et sane spes rerum futurarum apud omnes habetur prætio æstimabilis. Attamen omne pactum circa successionem hæreditariam personæ viventis ex jure civili habetur nullius roboris; et merito ne locum præbeat captandæ mortis alienæ *(art.* 1118).

386. Q. 5. *Quid de causa in contractibus?*

R. Conventio valida est, etsi causa non fuerit expressa; ea enim semper legitime præsumitur, donec non probet contrarium qui se obligavit. At si causa sit quidem expressa, sed sit nulla, falsa, illicita, tunc est invalida conventio: quia deficit in substantiali.

1 Art. 1117; — *C. A.* 878; — *C. G.* 1126; — *C. S.* 1080; — *C. P.* 1096; — *C. M.* 1175; — *C. T.* 532. « *Basta che la cosa sia determinata nella specie:* per esempio, se mi obbligo a darvi un cavallo, l'obbligazione è valida, e così vi darò un cavallo ordinario e comune. Ma se fosse solo determinata quanto al genere, il contratto sarebbe nullo, per esempio, se vi promettessi un animale.

» *Può essere incerta la quantità:* per esempio, se mi obbligassi a darvi del grano in genere l'obbligazione è nulla, la qualità essendo troppo incerta, e potendo liberarmi con qualche esigua quantità di grano. Ma se vi prometto del grano per il nutrimento di un anno, l'obbligazione è valida potendo essa farsi determinata. »

Causa *nulla* est, quando ratio, ob quam quis se obligavit, non subsistit, ut si donaveris 100 Titio intuitu illius initi matrimonii, et matrimonium non fuerit initum. Causa vero est *falsa*, si ea non sit nisi apparens; ut si Titio debeas 100 ex testamento patris tui, et tribuas; sed postea invenias aliud posterius testamentum, in quo a tali solutione liber es. Tandem causa est *illicita*, si opponatur vel legi civili, ut est obligatio imposita non nubendi; vel bonis moribus, ut si aliquid tribuas judici ideo ut male judicet; vel bono publico, uti esset omnis conventio circa statum personarum, v. g., ut quis habeatur uti legitimus, cum non sit, uti major cum adhuc sit minor *(art.* 1119).

§ 2. — *De contractuum effectibus et interpretatione.*

387. Q. 1. *Quinam est effectus e contractu prosiliens?*

R. Effectus e contractu valido prosiliens est perfecta obligatio, quæ in contractu bilaterali utrumque contrahentem afficit: in unilaterali non afficit, nisi alterutrum; contractus enim est conventio inita animo contrahendi obligationem ad aliquid juxta naturam conventionis ipsius. Quæ obligatio non revocatur nisi mutuo contrahentium consensu, aut ex dispositione legis: ita lex tribuit venditori alicujus immobilis jus rescindendæ venditionis, si ultra dimidium pretii fuerit læsus *(art.* 1123, 1529). Hæc insuper notat Codex civilis: 1) *I contratti devono essere eseguiti di buona fede, ed obbligano non solo a quanto è espresso nei medesimi, ma anche a tutte le conseguenze che secondo l'equità, l'uso o la legge ne derivano* [1] (art. 1124); 2) *nei contratti, che hanno per oggetto la traslazione della proprietà o di altro diritto, la proprietà o il diritto si trasmette e si acquista per effetto del consenso legittimamente manifestato, e la cosa rimane a rischio e pericolo dell'acquirente, quantunque non ne sia seguìta la tradizione* (ita art. 1125).

388. Q. 2. *An contractus initus sine solemnitatibus seu forma a lege civili præscripta nullum pariat effectum etiam in foro conscientiæ?*

R. 1. Nomine formæ seu solemnitatum hic intelliguntur actus seu conditiones, quæ ex legum humanarum præscripto in contractu adhibendæ sunt. Aliæ sunt *accidentales*, quæ pertinent tantum ad majus complementum, quæque proinde omissæ actum non invalidant: de qui-

[1] « *Æquitas*: Così se un sarto si obbliga a farmi un abito, l'equità vuole che io non possa dispensarmi dal prenderlo per qualche capriccio mio particolare. *Consuetudo:* Così per dar congedo al mio colono devo osservare l'uso dei luoghi. *Lex:* Così nella vendita sarò tenuto di guarentire il mio acquisitore da ogni evizione; e ciò sebbene nulla siasi espresso a tale riguardo nel contratto. » *Cod. civ.*, art. 1124. — *C. A.* 945; — *C. G.* 1156; — *C. S.* 1019; — *C. P.* 1130; — *C. M.* 1210; — *C. T.* 545.

bus nulla quæstio. Aliæ sunt substantiales, quæ ex legum vi sic pertinent ad substantiam contractus, ut omissæ illum invalident: hinc natum est illud axioma: *forma dat esse rei, ex forma non servata resultat nullitas actus.* Talis est conditio, ut nonnulli contractus fiant coram tot testibus, coram notario vel alia persona legaliter ad id deputata. De hisce triplex est Theologorum sententia.

Prima cum s. Antonino, Molina et Sa, docet contractum nullum in foro civili quia legali forma destitutum, adhuc obligare in foro conscientiæ; nam lex humana quamvis neget actionem civilem, non tollit tamen obligationem naturalem, ad quam solus consensus sufficit.

Secunda cum Lugo, Salmanticensibus et aliis docet nullam e contractu sic inito oriri obligationem; quia leges contractus hujusmodi irritantes fundantur in præsumptione non solum doli, sed etiam periculi. Et ideo potest lex humana funditus tollere obligationem naturalem, quemadmodum Ecclesia nullum declarat et invalidum matrimonium contractum sine Parocho et sine testibus.

Tertia vero opinio cum Billuart, Cabassutio, Henriquez, Lopez, Sanchez aliisque docet, quod dubium est, an lex civilis in hac re etiam conscientiam attingat, vel possit eam attingere ratione publici boni; cum tot maximi nominis auctores hinc inde disputent. At in dubio, semper est præferendus rei possessor, donec per judicis decretum ad restitutionem non condemnetur. Hæc ultima sententia est probabilior et in praxi omnino tenenda; nam cum possessio jus certum tribuat possessori, nequit ipse expoliari, nisi certo constet de jure alterius [1].

389. Q. 3. *Quomodo contractus sunt interpretandi?*

R. Si quid inveniatur obscuri, contractus non abolendi sunt, sed interpretandi juxta juris regulas; quæ sunt:

1. In conventionibus contrahentium voluntas potius quam verba spectanda est, v. g. Titius locavit Lucio dimidiam domum pretio libellarum mille; si finita locatione, Titius renovet contractum dicendo: *eodem pretio domum loco*, intelligenda est non tota domus, sed dimidia tantum *(art.* 1131).

2. Quoties non appareat quod actum est, erit consequens ut id sequamur quod in regione circa illum contractum intelligi solet: v. g. Titius vendidit vinum tot libellis ad mensuram; mensura erit illa, quæ in illa regione in usu est *(art.* 1134).

3. Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipiatur quæ rei gerendæ aptior est, juxta morem et consuetudinem: v. g. Carolus locavit agrum per annos decem libellis tercentum; pretium intelligitur solvendum quolibet anno *(art.* 1136, 1153).

4. Casus specialiter indicatus in contractu non excludit alios ad quos obligatio naturaliter extendi potest: v. g. Petrus stipulavit revocationem donationis, si ejus filius revertatur ab America; tenit conventio etsi filius ab alia regione revertatur *(art.* 1139).

5. Clausulæ quæ in usu sunt in contractu, etsi non expressæ, subintelliguntur; unæ autem per alios explicandæ sunt; et remanente

1 Possessio videlicet jus tribuit insistendi in re possessa, quousque nempe certo probetur clausulam civilem irritantem bene obtinere etiam in conscientia: quod certo probari non potest, cum in diversa abeant Doctores hac de re. Quod autem teneamur obtemperare judici, si postea judicet ad normam legis civilis, ideo est quia ejus sententia fundatur in periculo generali fraudum; et etiam quia quisque tenetur parere judici præcipienti semper ac ejus sententia non est evidenter injusta, ob bonum commune pacis, ac ut litibus et jurgiis finis imponatur. — V. *De testamentis*, art. 1. Quoad matrimonium autem est specialis ratio ob Sacramentum ex dicendis *De matrimonio.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 711 et 927.

dubio, ambiguitas resolvitur contra stipulatorem in favorem illius qui se obligavit; cum quisque censeatur se minus quem potuit, voluisse se obstringere *(art.* 1135, 1136, 1137) *(N).*

Art. 2. — *De quasi-contractu, de delicto ac quasi-delicto.*

390. Q. 1. *Quid est quasi-contractus?*

R. Quasi-contractus ad sensum Jurisperitorum est *factum hominis voluntarium et licitum, ex quo enascitur aliqua obligatio erga tertium, aut etiam mutua partium inter se obligatio.* Duæ sunt illius species:

1. *Negotiorum gestio,* et evenit quando quis alterius negotium suscipit, sive inscio sive sciente proprietario [1]: qui tenetur negotium prosequi ut bonus paterfamilias, et subire omnes negotii consequentias. At ipse proprietarius debet implere obligationes ab illo contractas, et eum indemnem facere.

2. *Solutio rei sibi indebitæ,* idque contingit quando quis aliquid non suum accipit. Hic tenetur rem domino restituere, cum clamet ad illum; imo si sit in mala fide, debet etiam fructus reddere licet consumptos, et tenetur quoque de deterioratione et casu fortuito; attamen illi debentur expensæ factæ pro rei conservatione. Si sit in bona fide, non tenetur, nisi ad id in quo factus est ditior, si rem distraxit; ad nihil vero, si res ex toto perierit etiam ejus negligentia; nam *qui quasi suam rem neglexit, nulli querelæ subjectus est* [2].

Diximus: *ad sensum Jurisperitorum;* juxta Theologos enim quasi-contractus solet communiter definiri: *assumptio alicujus officii,* ut sic omnia omnino comprehendantur munera, quæ quis quoque modo suscipit; qualia sunt judicis, tutoris, advocati, parochi, famuli, opificis, etc., in quibus tacita censetur existere conventio inter eos qui hæc exercent, et eos qui opus illorum requirunt.

391. Q. 2. *Quid delictum et quasi-delictum?*

R. Factum hominis voluntarium et culpabile, ex quo alter damnificatur, si cum directa damnificandi intentione ponatur, erit *delictum.* Si vero ponatur quidem cum culpa, sed absque directa nocendi intentione, ut si adsit peccaminosa ignorantia vel inadvertentia, habe-

[1] Art. 1140; — *A.* 1035; — *C. S.* 1325; — *C. G.* 1382; — *C. T.* 1089. *Inscia;* « esempio: Paolo è assente dalle sue possessioni; giunge il tempo della vendemmia. Pietro, uno dei suoi amici, si trova sopra il luogo, e fa raccogliere le uve: per tal modo contrae la tacita obbligazione di farle pigiare, e di adoprare nella fabbricazione del vino la necessaria diligenza e di riporlo in sicuro dopo che sarà fatto. — *Sciente;* esempio: Se io mi trovo sul luogo, allorquando il mio amico si ingerì nel raccolto del mio vino, e gli permetto la gestione. » Gousset, *Theol. Mor.* — Carrière, *De contract.*, n. 343.

[2] Lib. II *de pet. hæred.*

tur *quasi-delictum* [1]. Damna quæ ex hisce factis eveniunt, resarcienda sunt; qui enim est in culpa, tenetur de damnis.

Qua obligatione quisque tenetur ex facto: — 1) *personarum*, quæ sunt suæ custodiæ, uti est filius respectu patris, vel in ejus defectu matris, si una secum moretur; minor respectu tutoris quocum una cohabitet; domesticus ac commissionarius respectu domini et committentis quoad munia proprii officii; discipulus et addiscentes respectu præceptorum et artificum, quamdiu sunt sub eorum tutela. Excipe nisi probent se non potuisse damnum impedire: culpa caret qui scit, sed prohibere non potest; — 2) *animalium*, quæ proprio servitio sunt, uti si alicui noceant: quod valet sive animalia sint sub custodia sive fugitiva aut amissa; — 3) *rerum*, quibus nostrum est providere, ut si tuum ædificium ruens, quia illud instaurare culpabiliter neglexisti, vel ob vitium constructionis, damnum intulerit (*art.* 1153) [2]. Adde illud Codicis civ.: *Chi ha ragionevole motivo di temere che da qualsivoglia edifizio, da un albero o da altro oggetto sovrasti pericolo di un danno grave e prossimo ad un fondo o oggetto da lui posseduto, ha diritto di denunziare il fatto al giudice, e di ottenere, secondo le circostanze, che si provveda per ovviare al pericolo, o s'ingiunga al vicino l'obbligo di dare cauzione pei danni possibili* (art. 699).

CAPUT SECUNDUM

DE VARIIS OBLIGATIONUM SPECIEBUS.

392. Q. 1. *Quotuplex distinguitur obligatio in contractu?*

R. Triplex distinguitur obligatio in contractu: *mere naturalis*, quæ obligat conscientiam, sed nullam dat actionem in foro externo: ut est obligatio certum debitum solvendi, quod juridice nequit probari. *Mere civilis*, quæ actionem parit in foro externo ob aliquam facti præsumptionem, quæ cum non subsistat, non obligat conscientiam: ut si quis ex falsis depositionibus damnetur a judice ad mulctam, et nulla ei suppetat via ad suam innocentiam probandam. *Mixta*, quæ obligat in utroque foro: et sic generatim se habet obligatio, cum generatim contractus et honestati naturali et legi civili innitantur.

Conventionalis obligatio solet distingui in simplicem (seu puram) et qualificatam: *simplex* est quæ nullam habet adjunctam clausulam,

[1] *Cod. civil.* art. 1151; — *C. G.* 1832; — *C. S.* 1336; — *C. P.* 2085; — *C. M.* 2393; — *Cod. pœn.*, 685.

[2] V. *Cod. pœnal.*, art. 662, 665 et seqq.

quæ proinde statim vim exerit suam; qui enim simpliciter debet, statim debet. *Qualificata*, quæ aliquam secum affert clausulam seu modificationem; et hæc multiplex est [1]:

1. *Ad diem*, quæ nempe statuit diem executionis, ut si dicas: *promitto tibi centum scuta sequenti anno solvenda.* Hæc non obligationem ipsam, sed illius tantum executionem suspendit. Dies præsumitur apposita in favorem debitoris, nisi aliud constet; vel nisi debitor cadat a beneficio præstabilitæ diei, quia deficit in suis obligationibus, aut impar solvendo evaserit *(art.* 1172) [2].

2. *Ad modum*, quæ continet aliquod onus, v. g. *do tibi hoc prædium cum obligatione dotandi tot puellas annuatim.* Porro hic contractus statim valet, manente in comparte onere implendi obligationem: quam si compars non impleat, peccat contra justitiam; at non ideo tamen corruit contractus, ut communius dicunt. Nam modus non se habet uti conditio cui adnectitur consensus (si aliud non exprimatur); sed tantum ut onus ipsi consensui adjectum.

3. *Alternativa*, quando duæ res (vel etiam plures) obligatæ sunt: sed debitor, cujus est electio, si aliter conventum non sit, liberatur alterutram solvendo, ut si ex contractu tenearis dare vel fundum vel domum. Quando una res ex duabus nequit esse materia contractus vel perierit, puta si illa domus in contractum deducta non sit tua, vel tua quidem sit, sed perierit in incendio, res superstes debetur: et creditor eam tenetur acceptare, nec rei perditæ pretium exigere potest, etiamsi culpa debitoris periisset, si tamen electio sit ipsius debitoris. Si vero ambæ res perierint, si debitor sit in culpa, tenetur solvere pretium rei quæ ultimo periit; si non sit in culpa, rebus pereuntibus, obligatio extinguitur *(art.* 1177).

4. *Solidaria*, est quando vel totum creditum potest exigi a singulis creditoribus, ideoque solutio facta uni creditori liberat debitorem ab aliorum creditorum molestia; vel ad totum debitum solvendum singuli debitores adigi possunt, ita ut solutio facta ab uno debitore ceteros liberet quoad ipsos creditores. Debitor potest solvere cui voluerit ex creditoribus, nisi horum quispiam solutionem postulet apud judicem. Ceterum solidaria obligatio non præsumitur; unde est in pactum deducenda, nisi jam sit inducta vi legis: ita

[1] Art. 1172; — *C. A.* 888; — *C. G.* 1185; — *C. S.* 1138; — *C. P.* 1160; — *C. M.* 1238; *C. T.* 547.

[2] « Per *esempio:* Se il debitore atterrasse molte piante del bosco su cui Tizio ha l'ipoteca a garanzia del suo credito verso di lui, a pagarsi nel corso di dieci anni, decaderebbe dal benefizio di tal termine. Invece se non seguisse, per fatto proprio, la diminuzione delle cautele, p. e., se rovinasse in parte per terremoto la casa gravata dalla ipoteca, senza che però divenga insolvente il debitore, godrebbe ancora questi del termine fisso. »

ex jure executores testamentarii, si plures, tenentur in solidum respondere de eorum administratione *(art.* 910). Et id præsumitur in delictis ac quasi-delictis cum plures accusantur; itemque in rebus commercii [1] *(art.* 184 et seqq.).

5. *Divisibilis* vel *indivisibilis;* si nempe coalescat ex aliqua re quæ dum traditur, aut ex aliquo facto quod, dum executioni mandatur, dividi potest vel non. *Ex re:* sic qui Titio debet equum, contraxit obligationem indivisibilem, neque enim equus potest dividi; qui vero debet centum libellas, habet obligationem divisibilem. *Ex facto:* sic esset indivisibilis servitus transitus, etsi a multis sit debita: dominus enim ea uti non potest, nisi in sua totalitate. Ceterum debitoris obligatio etsi in se possit dividi, attamen debet executioni mandari tanquam indivisibilis, ut esset obligatio solvendi mille libellas; divisibilitas non valet nisi quoad hæredes debitoris vel creditoris *(art.* 1202 et seqq.) [2].

6. *Sub clausula pœnali:* est cum quis ad firmandam obligationem se adstringit ad aliquid, si eam non servet: v. g., *si pretium domus intra sex menses non solvam, duo alia addam scuta sex jam statutis.* Invalida obligatione, est invalida pœna; non vicissim. Pœna a judice moderari potest, si debitor obligationem suam jam exequi cœperit in parte [3]. Clausula pœnalis obtinet etiam contra hæredes debitoris qui illam stipulavit; et tunc si res tribuenda est indivisibilis (vel divisibilis sed uno tempore integra reddenda) uno hærede deficiente, pœnæ solutio potest peti vel tota ab hærede qui est in culpa vel pro rata ab aliis cohæredibus [4]. Si secus, tota pœna solvenda est ab eo, qui suam non adimplet obligationem. [5]

1 *Cod. commerc.*, art. 90, 225 et seqq.

2 « Per *esempio:* Muore Tizio e lascia eredi i suoi tre figli Carlo, Andrea e Tommaso; Carlo per una metà, Andrea e Tommaso per una quarta parte ciascuno. Essi possono percepire il credito o dovranno pagare il debito in proporzione dell'eredità, e quindi Carlo percepirà o pagherà al doppio di quanto spetta o incombe ai fratelli, a meno che il credito non sia ipotecato, chè allora dovrebbe il proprietario del fondo ipotecato pagare interamente il debito, salvo il regresso verso i coeredi *(art.* 1029). »

3 Art. 1209, 1230; — *C. A.* 909 et 1336; —*C. C.* 1126; — *C. S.* 1179; — *C. P.* 1203; — *C. M.* 1279; — *C. T.* 611. « Per *esempio:* Mi sono obbligato a darvi due cavalli, e a pagarvi 500 lire, se non adempio la mia promessa. Ve ne do uno che gradite; il giudice potrà ridurre la clausola penale a 250: questa riduzione è commessa all'arbitrio del giudice... il giudice prende norma dalle circostanze. »

4 « Per *esempio:* Fu stipulato che Tizio non avrebbe eretto il muro di cinta che divide la sua casa da quella di Carlo, sotto pena di pagare a questi lire 3,000. Tizio muore, e Luigi, uno dei tre eredi, viola la convenzione; la somma della penale si può da Carlo domandare tutta dal contravventore Luigi, oppure lire 1,000 presso ciascuno erede. Se però la somma della penale fosse ipotecata, allora la somma si può domandare tutta dall'erede che ha quell'immobile dell'ipoteca; salvo sempre il regresso contro il colpevole. »

5 Tizio ha stipulato con Carlo di consegnargli nel corrente mese 300 bottiglie di vino di Marsala, sotto pena di lire 200 in caso di mancanza. Muore Tizio lasciando eredi Giovanni, Tommaso e Carlo; ciascuno di essi è tenuto per cento bottiglie; ma se Giovanni manca alla consegna della sua parte, egli solo dovrà le lire 300; e nulla dovranno gli altri che hanno compiuta la loro obbligazione.

Addit lex: *Quando non risulta una diversa volontà dei contraenti, ciò che si dà anticipatamente, nella conclusione del contratto, si considera come una cautela per il risarcimento dei danni in caso d'inadempimento della convenzione, e si dice* caparra. *La parte che non è in colpa, se non preferisce di ottenere l'adempimento della convenzione, può tenersi la caparra ricevuta, o domandare il doppio di quella che ha data* (art. 1217).

7. *Conditionalis:* conditio est *accidens quoddam, quod contractum suspendit, vel resolvit ad incertum aut futurum eventum.* Suspendit contractum, donec eventus ille eveniat; contractum vero resolvit, casu quo talis eventus contingat vel non contingat. Conditio semel verificata suum obtinet effectum a die initæ obligationis; si ante verificationem creditor mortuus est, eo in casu illius hæredes succedunt in ipsius jura.

Conditio alia est *casualis*, quæ ponitur a contrahentibus, sed ejus eventus non pendet a voluntate contrahentium, cum respectu eorum sit fortuitus, v. g., si gratiam a rege obtinuero, tibo dabo 100: hæc conditio, nisi agatur de eventu impossibili, vel bonis moribus aut legi contraria, suum potest effectum habere. — Alia *potestativa*, quæ pendet ab eventu, qui est in potestate alterutrius contrahentis, v. g., dabo tibi 100, si lauream consequaris. Si hæc conditio pendeat a sola promittentis voluntate, ut si dicat *dabo tibi* 100, *si voluero*, nulla est, cum res negatoria sit. Aliter dicendum si pendeat ab aliquo facto quod est in ipsius potestate, ut si dicat *dabo tibi centum, si intra annum Romam iero*, adest enim tunc obligatio, nempe vel non eundi vel solvendi. — Alia *mixta*, quæ pendet tum a tertio, tum ab una contrahentium parte, v. g., dabo tibi 100, si Titius mihi vendiderit domum suam. — Alia *suspensiva*, quæ pendet ab aliquo futuro vel ignoto, v. g., dabo tibi 100, si talis opera suum habuerit complementum. Si ante verificationem opera perierit absque culpa debitoris, obligatio extincta est; si cum ejus culpa, adhuc subsistit obligatio: nam sua fraus nemini patrocinari debet. — Alia *resolutiva*, quæ ubi non impleatur, contractum qui illico effectum suum produxerat, solvit: v. g., tibi vendo domum meam; venditio nulla erit, si non potuero emere domum Titii, de qua tractatum habeo. Hæc conditio semper intelligitur adesse in contractu bilaterali, ut inter venditorem et emptorem; et pars quæ suam non implet obligationem compelli potest vel ad eam exequendam, vel ad solvendum ipsum contractum, præter damna quæ resarcire tenetur Attamen solutio in judicio petenda est; et judex potest moram concedere reo, juxta circumstantias *(art. 1157 et seqq.)*. — Alia est *expressa* vel *tacita;* expressa quæ dicitur etiam *conditio facti*, ea est quæ in contractu verbis enuntiatur. Tacita, quæ dicitur etiam *conditio juris*, est quæ non enunciatur quidem, sed adesse præsumitur vel ex dispositione legis, vel ex natura contractus, vel ex præsumpta contrahentium voluntate.

Tandem conditio alia est *possibilis*, alia *impossibilis* physice vel moraliter. *Possibilis* quæ locum habere potest; de hac nulla difficultas, potest enim quilibet se obligare modo quo vult. *Impossibilis*, et quidem physice si absolute contingere nequeat; moraliter, si sit contra bonos mores, vel contra legem. Porro generatim contractus initi sub conditione physice impossibili, v. g., si cœlum manu tetigero, nulli

sunt et invalidi; nam uti fert vulgare adagium: *de re impossibili nulla est obligatio* [1]. Quod etiam valet de conditione turpi seu impossibili moraliter, ut do tibi 100, si homicidium perpetraveris; certum est enim ante patrationem peccati nullam esse conventionem, et nullam parere obligationem, quoniam justitia nullo modo potest obligare ad illicitum. Diximus *generatim;* nam: 1) si contractui matrimonii apponatur conditio turpis vel impossibilis, habetur pro non adjecta, nisi sit contra substantiam matrimonii, quia tunc vitiat contractum [2]; 2) omnes turpes et impossibiles conditiones appositæ in testamentis reputantur pro non adjectis [3]; nemo enim præsumitur in morte nugari. Quæ dispositio probabilius valet etiam in foro conscientiæ, nisi constet testatorem revera voluisse voluntatem illi conditioni alligare.

393. Q. 2. *Si opus turpe et illicitum pars una præstiterit, debetne altera solvere pretium promissum, et solutum poterit ab acceptante in conscientia retineri?*

Quoad meretrices videtur communiter et universim receptum, eas posse sibi meretricii pretium petere et retinere, dicente s. Thoma: *Cum quis dat meretrici propter fornicationem, mulier potest sibi retinere quod ei datum est; sed si superflue aliquid per fraudem vel dolum extorsisset, teneretur eidem restituere* [4]. Dat enim meretrix usum sui corporis, qui pretio æstimabilis est: unde Jus civile ait, meretricem *turpiter facere*, quod *sit meretrix; non turpiter accipere, cum sit meretrix* [5]. Et S. Pœnitentiaria sequentem decisionem dedit 22 apr. 1822: *Mulier pœnitens non cogenda est, sed hortanda ut pretium meretricii, juxta prudentis confessarii judicium, eroget in usus pios.*

Agendo autem de aliis peccatis, v. g., pro patrato maleficio, furto, sacrilegio, homicidio, pro injusta sententia lata vel propugnata, pro adulterio, fornicatione, etc., duplex opinio. Prima cum Adriano, Concina, Continuatore Tournely, Gousset et aliis probabiliter negat adesse strictam obligationem solvendi pretium, quia *pacta contra leges et bonos mores nullam vim habere indubitati juris est* [6]; et sane peccatum non est vendibile: et si esset, non præstaret mala promissa servari [7]. Secunda vero probabilior et communis sententia cum Alasia, Antoine, Billuart, Cajetano, Covarruvia, Croix, Lessio, Lugo, Vasquez et Viva docet teneri etiam in hoc casu promittentem ad solvendum, et recipientem e contrario non teneri ad restitutionem; in quocunque enim contractu oneroso lex naturæ dictat, quod cum quis partem suam præstiterit, teneatur et alter implere suam. Unde Juris regula quod *in malis promissis fidem non expedit observari*, vera est ante patrationem criminis; non posito contractu, et ab uno præstita parte sua *(O)*.

ART. UNICUS. — *De obligationum probatione, effectibus et extinctione.*

394. Q. 1. *Quomodo sustinetur ac probatur obligatio conventionalis?*

R. In *foro civili* ad fraudes præcavendas qui petit executionem

1 Art. 1160; — *C. A.* 898; — *C. G.* 1172; — *C. S.* 1125; — *C. P.* 1146; — *C. M.* 1223; — *C. T.* 567.
2 *Decr.* Greg., l. IV, c. 7, *si condit.* — Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 891.
3 *Cod. civ.*, art. 849; — *. G.* 900; — *C. M.* 748.
4 2, 2, q. 30, a. 7, et q. 63, a. 5. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III.
5 *Digest.*, l. XII, t. V *de condit. ob turpem vel injustam caus.*, lege 4, § 3.
6 In hac sententia restituendum est acceptum juxta Sotum illi qui dedit; juxta Lessium communius et probabilius pauperibus vel locis piis; absurdum enim est, ut illi fiat restitutio, quem leges potius punire intendunt.
7 Lege *pacta*, c. de pactis.

alicujus obligationis a tertio susceptæ, eam probare debet aliquo ex argumentis a lege præscriptis. Sunt autem:

1. *Scriptura publica* vel *privata* juxta diversitatem contractus. Scriptura publica seu publicum instrumentum, ubi rite confectum (idest coram duobus testibus et a publico ministro ac insinuatum) omnem facit fidem. Quod si actus nullius sit roboris ex incapacitate ministri vel defectu formæ, valet uti scriptura privata, seu ut simplex chirographum, si a partibus fuerit subscriptum, et in casu quo actus ille confici etiam potuerit scriptura privata *(art.* 1305) [1].

Scriptura privata habet vim ac publica inter illos et eorum hæredes, qui illam subscripserunt manu propria cum nomine ac cognomine proprio, semel admissa ab eo contra quem producitur, vel a judice [2]. Quando unus tantum se obligat ad dandam alicui certam pecuniæ summam vel rem pretio æstimabilem, ipse schedam totam exaret et subscribat: *o per lo meno* (addit lex) *è necessario che questi alla sua sottoscrizione aggiunga di propria mano un* buono, *od* approvato, *indicante in lettere per esteso la somma o la quantità della cosa* (art. 1325). Si scriptura privata *insinuetur*, evadit certa etiam quoad tertias personas: et sic fraudibus clauditur via [3] *(art.* 1320) *(P).*

Porro non tantum ipsa scriptura publica, sed etiam illius exempla *(copia)* authenticitate donatum a publico notario vel alio officiali ad id deputato, plenam fidem facit. Imo etiam scripturæ privatæ exemplar (si autographum publico archivio concreditum sit) ab ejus tabulario remissum juxta præscripta fidem obtinet *(art.* 1333).

2. *Libri negotiatorum*, *tabulæ*, et *chartæ familiares* ac *tesseræ*. *Libri negotiatorum* fidem non faciunt quoad res suppeditatas contra personas quæ non negotiantur; attamen a judice deferri potest juramentum tam contra commercatores quam contra non commercatores, ut veritas elucescat [4]. Qui autem hosce libros (per decem annos conservandos [5]) admittit, omnia acceptare debet in illis contenta, etsi sibi non faveant [6] *(art.* 1329). — *Tabulæ* autem et *chartæ*

[1] *C. A.* 887; — *C. G.* 1317; — *C. P.* 1107; — *C. T.* — 540; — *C. S.* 5. 1271.

[2] « Le scritture private sono quelle che si fanno senza il ministero di un pubblico officiale, come i chirografi, i pagherò, le polizze, le quietanze, i libri dei mercanti, le carte domestiche, le fedi di Battesimo, di morte, di catasto e simili. » *Ferrero.* — Charta autem quo conficitur ipsa scriptura privata ordinarie debet esse munita publico sigillo *(bollata)* majoris vel minoris pretii juxta contractuum vel actuum diversitatem; secus et pretium sigilli et mulcta quæ non sit minor 25 libell. solvenda est. — *V.* Regio Decreto concernente le tasse di bollo, 14 luglio 1866; e Legge 16 luglio 1868.

[3] « Fra le parti la data è certa; esse parti però poteano all'oggetto di far frode ai terzi, messisi in accordo, antidatare una scrittura; e così l'insinuazione previene ogni frode in proposito. »

[4] « Vale a dire, che potrà il giudice nei registri e libri dei negozianti riconoscere un principio di prova sufficiente per deferire il giuramento. » *Art.* 1328.

[5] *Cod. commerc.*, art. 24 et. seqq.

[6] « Il vostro libro attesta che vi consegnai lire 1,000; vi aggiunge però che me ne deste 600; non posso più farmi creditore di 1,000. »

familiares (registri et *carte domestiche)* non prosunt quidem illi qui eas descripsit; at fidem faciunt contra ipsum in iis casibus, in quibus formaliter annuntiant factam fuisse solutionem pecuniæ sibi debitæ. Item adnotatio creditoris, apposita ipsi documento, fidem facit quoties eo tendat ut liberet debitorem a solvendo, etsi non fuerit subscripta nec dies apposita *(art.* 1327) [1]. *Tesseræ* tandem fidem faciunt inter contrahentes, qui hoc probationis medio utuntur quoad merces minutas, uti solent lactarii, pistores, etc. *(art.* 1332).

3. *Actus recognitionis* et *ratihabitionis*, actus nempe quo debitor suam obligationem erga creditores recognoscit. Hic primario inservit ad impediendam præscriptionem; obtinet autem contra ipsum debitorem, ejusdemque hæredes et illos quorum causa communis est, nisi documento primitivo valeant probare intervenisse errorem. Inter plures autem recognitionis actus valet posterior *(art.* 1340).

4. *Partis confessio;* quæ vel judicialis est vel extrajudicialis, prout in judicio vel extra emittitur: hæc plenam fidem facit contra confitentem qui se valeat obligare; dividi tamen nequit in ejus detrimentum, sed tota qua est admitti debent [2]. Poterit autem revocari si intervenerit error facti, non vero si error sit juris [3] *(art.* 1355).

5. *Præsumptio* quæ nihil aliud est quam consectarium quoddam quod lex vel judex prudentia sua deducit a facto notorio ad ignotum [4]. Judex illam admittere potest si gravis sit pro conventione, pro qua testes licet allegare. Legalis autem præsumptio contra quam ordinarie nulla probatio admittitur, respicit vel quædam facta quæ annullat, vel quasdam circumstantias vi quarum de proprietate decernit, vel aliquam datam sententiam quam firmat *(art.* 1350) [5].

6. *Probatio per testes:* hæc probatio ordinarie non admittitur quoad conventionem 500 libellas excedentem, quamvis excessus a fructibus pervenerit [6]. *Non è pure ammessa tale prova contro o in*

[1] *Cod. pœn.*, art. 350 gravissime punitur qui privatas scripturas adulterat.

[2] « Mi chiamate in giudizio per farmi pagare lire 4,000. Mi confesso debitore; ma che già ne pagai la metà. Non potete dividere la mia confessione ammettendo la prima, rigettando la seconda. » — Vide *Cod. proc. civ.*, art. 165, 218, etc.

[3] « Per *esempio:* Devo lire 1,000 a Tizio; Cajo suo nipote mi stringe al pagamento, ed io credendolo erede di Tizio confesso il debito; potrò ritirare il mio denaro, se verifico che Cajo non è altrimenti l'erede di Tizio; *è error di fatto.* Invece se confesso il mio debito di lire 3,000 verso Luigi e vengo condannato, non posso più ritirare la confessione allegando che il debito era prescritto, e che ignorava il disposto della legge in proposito. »

[4] « Così la quietanza del pagamento d'una seconda rata d'interessi dà a supporre che sia stata già pagata la precedente. »

[5] « *Quædam facta*, p. e.: una donazione fatta al padre d'una persona incapace, si presume fatta per l'incapace, e si annulla. *Quædam circumstantiæ:* per esempio, un muro che serve di divisione tra cortili, giardini e recinti nei campi, ambi recinti in totale, si presume comune. *Aliqua sententia:* cioè se la causa sia stata giudicata irrevocabilmente, si presume vera senza che possa venir ammessa prova in contrario, secondo l'assioma *res judicata pro veritate habetur.* »

[6] Art. 1342. « Se chieggo, per esempio, un capitale di 490 lire e 30 lire d'interesse arretrato, siccome agirei per 520 lire, la prova testimoniale vuol essere rejetta. »

aggiunta al contenuto in atti scritti... ancorchè si trattasse di somma o valore minore di lire cinquecento (art. 1341) [1]. *Nè può essere ammessa la prova testimoniale sopra la domandn di somma anche minore di lire* 500, *quando sia dichiarato che tale somma è residuo o parte di un credito maggiore, il quale non è provato per iscritto* (art. 1244). Diximus *ordinarie*, nam probatio per testes admittitur etsi agatur de valore qui superet libellas 500: 1) si adsit aliquod vel leve initium probationis scriptæ; 2) si agatur de quasi-contractu, delicto aut quasi-delicto; 3) in depositis necessariis causa incendii, ruinæ, naufragii, vel apud caupones aut vectores; 4) in casu inopinato quo non potuit actus scribi, vel scriptus fuit amissus; 5) favore uxoris aut filiorum hæredum circa res ipsis debitas titulo donationis aut successionis (*art.* 1445); 6) in rebus commercii, si hæc probatio a judice admittatur [2].

7. *Juramentum*, quod semper personaliter præstandum est, duplex. Aliud est *decisorium*, quod ab una parte alteri defertur, ut inde lis finiatur; et potest deferri generatim in quolibet specie controversiæ civilis; excipit lex: *Non si può deferire sopra un fatto delittuoso nè sopra una convenzione, per la cui validità la legge esige un atto scritto, nè per impugnare un fatto che un atto pubblico attesti seguìto avanti l'ufficial pubblico che l'ha ricevuto* (art. 1364) [3]. — Aliud est *suppletorium*, seu *delatum a judice* vi officii sui, qui tamen non potest illud deferre, si petitio et exceptio sint vel plene probatæ, vel omnimodo probatione destitutæ [4]. Nam si plene probatæ, evadit inutile juramentum; si omne probatione destitutæ, juramentum temere indicitur.

Diximus: *in foro civili*; qui enim certus est, se valide contraxisse, nec suam adimplevisse obligationem, tenetur in conscientia ad satisfaciendum, etsi legaliter altera pars probare non possit sibi nondum fuisse satisfactum. Quæ enim requiruntur probationis argumenta, necessaria non sunt ad contractus valide perficiendos, sed ad probandos jam perfectos: uno verbo solemnitates hic præscriptæ non faciunt conventiones, sed probant; si igitur probatio jam certo

[1] « *Contro:* p. e., se l'atto contenesse la clausola che dovesse il debito produrre interesse; e colla prova testimoniale si volesse provare il contrario. *In aggiunta:* p. e., se si volesse provare che gli interessi si sono convenuti, sebbene non sia fatto alcun cenno nella scrittura. »

[2] *Cod. commerc.*, art. 92.

[3] « Per *esempio:* Sul pagamento della somma attestata nell'atto notarile versata alla presenza del notajo. » Ceterum de juramenti forma, præstatione, revocatione, dispensatione etc., vide *Cod. proc. civ*, art. 220 et seqq, et quæ disputavimus, *De juramento*.

[4] *Petitio* dicitur, cum auctor ad juramentum provocat reum; *exceptio* vero, cum reus opponit, ne judex actoris provocationi cedat (*art.* 1362 et seqq.). — *C. A.* 1412, — *C. G.* 1235; — *C. S.* 1188; — *C. P.* 1212; — *C. M.* 1289.

Et art. 252 *Cod. proc. civ.*, agitur de probationibus *per peritos*.

habeatur, frustra quæstio instituitur. Hinc si tu scriptura contractum legitime iniisti, etsi compars nequeat probare, quia scriptura in incendio periit, adhuc in conscientia ligaris.

395. Q. 2. *Quinam sunt effectus obligationum?*

R. Etsi quilibet contractus suos habeat speciales effectus juxta cujuscunque naturam, omnes tamen reguntur generalibus Juris regulis, quarum præcipua est, ut qui aliqua obligatione devincitur, teneatur illam complere tempore definito sub conditione, si eam non adimpleat resarciendi damna, et lucra amissa compensandi; nisi intervenerit vis aut casus fortuitus.

Ceterum notandum: qui deficit suæ obligationi, si sine dolo, non tenetur nisi ad damna quæ tempore conventionis prævideri potuerunt [1]; si vero cum dolo, tenetur insuper ad lucra, quæ ideo creditor amisit, immediate tamen et directe provenientia ab obligatione non impleta [2]. Notat autem Codex civilis: *In mancanza di patto speciale nelle obbligazioni che hanno per oggetto una somma di danaro, i danni derivanti dal ritardo nell' eseguirle consistono sempre nel pagamento degli interessi legali, salvo le regole particolari al commercio, alla fidejussione ed alla società. Questi danni sono dovuti dal giorno della mora senza che il creditore sia tenuto a giustificare alcuna perdita* (art. 1231). — *Le rendite scadute, come i fitti, le pigioni ed i frutti maturati delle rendite perpetue o vitalizie producono interessi dal giorno della domanda giudiziale o della convenzione* (art. 1233).

396. Q. 3. *Quomodo contracta obligatio solvitur?*

R. Contracta obligatio solvitur [3]:

1. *Solutione* ipsius debiti, uti patet; attamen non valet solutio, si creditor est incapax ad accipiendum, nisi probetur in ejus utilitatem factam solutionem cessisse. Si autem creditor injuste renuat solutionem accipere, debitor potest illam judicialiter deponere, et ex tunc omnis ejus obligatio extinguitur [4]. Huc refertur *imputatio solutionum*, et est jus indicandi debitum pro quo satisfit, si plura sint debita, nec omnia possint extingui. Ad solutionem revocatur etiam *cessio bonorum*, et est cum quis solvendo impar, omnia bona sua cedit creditoribus *(art.* 1238 et seqq.).

[1] « Per *esempio:* Vendo a Tizio una botte che riteneva buona, ma è guasta, ed il vino postovi diventa guasto; io non sarò tenuto che pel valore della botte, giacchè ignorando che fosse guasta, non vi fu dolo. »

[2] « Così nel surriferito esempio, se io sapea della botte guasta, sarò tenuto anche pel valore del vino; ma non per quel guadagno che avrebbe ricavato il compratore vendendolo. »

[3] Ex *Codice*, art. 1236, obligatione solvitur etiam debiti *remissione* et *compensatione*, de quibus erit in sequendi n. 690; item *præscriptione* et *conditione resolutiva*, de quibus supra nn. 372 et 392. — *C. A.* 1412; — *C. G.* 1235; — *C. S.* 1118; — *C. P.* 1212; — *C. M.* 1189; — *C. T.* 617.

[4] Vide circa modum depositionis *Cod. proc. civ.*, art. 902 et seqq.

2. *Novatione;* quæ tamen non præsumitur, sed probari debet. Evenit quando vel nova erga creditorem constituitur obligatio, veteri extincta: esset si quod tu mihi debes ex empto, paciscamur ut illud ex tunc mutuum habeas [1]; vel novus debitor substituitur antiquo qui ideo a creditore liberatur; vel antiquo creditori novus subintrat *(art.* 1267 et seqq.).

3. *Confusione*, idest debiti et crediti in eandem personam reunione, uti esset si creditor fiat hæres sui debitoris *(art.* 1296).

4. *Rei debitæ interitu*, si agatur de re certa et determinata, quæ absque culpa debitoris interierit, ut est, v. g. talis equus: cessat obligatio debitoris, si equus ille pereat, nisi ipse se obligaverit etiam ad casus fortuitos. Aliud dicendum, si agatur de debito rei incertæ et indeterminatæ; nam genus non perit: unde si tibi promiserim non unum ex meis equis, sed equum in genere, manet obligatio, etiamsi omnes equi mei perierint, et teneor emere alium equum, quem tibi tradam [2]. Ceterum, quocunque tandem modo res furto ablata perierit, nunquam liberat furem ab ejus pretio reddendo *(art.* 1298).

5. *Actione nullitatis* vel *rescissionis.* Nulla declaratur obligatio si defecerit in substantialibus, ut si intervenerit dolus, vis, error in re substantiali. Rescinditur si intervenerit læsio; gravis tamen, alioquin vix ullus contractus firmus esset [3]. Unde licet in conscientia semper adsit obligatio corrigendi excessum, ne quis ex alieno locupletetur; attamen si læsio non sit gravis, rescissio in judicio non admittitur. Ipsa autem nullitatis et rescissionis actio per quinque annos durat, nisi aliter cautum sit: quod tempus quoad vim incipit a die ejus cessationis; quoad errorem vel dolum a die qua illorum cognitio habita fuit; quoad interdictos et inhabilitatos a die qua interdictio vel inhabilitas cessavit; quoad minores a die qua majorem ætatem adepti sunt; quoad uxores a die soluti matrimonii [4].

Quoad actionem *nullitatis* insuper notandum est: hæc actio generatim admittitur: 1) si non fuerint observatæ solemnitates, quæ speciatium lex præscribit pro nonnullis contractibus; 2) si minor non emancipatus actum perfecit sine illius concursu, qui ipsum legitime repræsentat; 3) si minor emancipatus a se ipso actum per-

[1] « I privilegi e le ipoteche del credito anteriore non passano in quello che gli è sostituito, se il creditore non ne ha fatto espressa riserva *(art.* 1274). »

[2] « Se l'oggetto dell'obbligazione non fosse determinato che quanto alla specie, il che chiamano gli autori *obligatio generis* (per esempio, se io vi doveva 50 sacchi di grano, 3 botti di vino), la mia obbligazione non potrebbe dirsi estinta per la perdita della cosa dovuta, giacchè le specie non periscono: *genus nunquam perit.* »

[3] Erit gravis læsio sive dimidium justi pretii excedat, et dicitur enormis; sive excedat duas tertias partes aut eas æquet tantum, et dicitur læsio *enormissima.*

[4] Art. 1300; — *C. S.* 1238; — *C. P.* 1285; — *C. M.* 1363; — *C. G.* 1304; — *C. T.* 663.

fecit sine sui curatoris concursu. Non poterit tamen obligatio impugnari, si minor dolose hanc suam qualitatem occultaverit: imo æquiparatur majori, si agatur de illius delicto aut quasi-delicto. Ceterum nemo jus habet ut sibi restituatur quod tribuit minori, interdicto aut inhabilitato, aut uxori, si conventio nulla declarata fuerit, nisi probetur solutum in dictorum commodum cessisse *(art.* 1303). — Quod vero pertinet ad *rescissionem* causa læsionis, ejus actio proponi nequit, etsi agatur de minoribus, nisi quando et quomodo lex expresse declarat *(art.* 1308) [1].

CAPUT TERTIUM

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

Articulus I. — *De emptione et venditione*

397. *Quid est emptio-venditio, et quomodo perficitur?*

R. Ad 1: Res primum inter homines permutabantur; sed magna, quæ passim occurrebat difficultas permutationis, in causa fuit cur nummus inventus fuerit, qui res omnes repræsentaret. Inde orta *emptio-venditio*, quæ solet definiri: *contractus quo merx determinata datur vel danda convenitur pro pretio determinato.* Ex *Codice* autem *civili est conventio, qua quis se obligat ad rem aliquam tradendam, alter vero ad ejus pretium solvendum.*

R. Ad 2: Emptio-venditio perfecta est, et rei proprietas pleno jure ad emptorem spectat, statim ac absolute conventum est circa rem et pretium, etsi res ipsa nondum sit tradita. Sed cum hac Codicis limitatione: *Se la cosa che taluno si è obbligato con successive convenzioni di dare o consegnare a due persone, è un mobile per natura o un titolo al portatore, quella fra esse a cui fu dato il possesso, sarà preferita all' altra, sebbene il suo titolo fosse posteriore di data, purchè il possesso sia di buona fede* (art. 1126).

Item quoad merces distinguendum est: si merces vendantur juxta earum pondus, numerum aut mensuram, venditio non est perfecta, quin pondere, numero vel mensura reipsa quantitas determinata fuerit. Hinc si quis vendat alicui totum frumentum, quod habet in arca, decem libellis pro singulo modio, usquedum mensuratum non

1 « Per *esempio:* Nella divisione di eredità, quando la lesione oltrapassi il quarto a danno del coerede *(art.* 1038); e nella vendita di un immobile se oltrapassa la metà a sacrificio del venditore *(art.* 1520). »

sit, venditio perfecta non est; et si perit, stat periculo venditoris. Si vero rei venditio fiat in corpore (vulgo *in massa)*, quod evenit quando merx pro uno ac certo pretio venditur, quin ponderis, numeri aut mensuræ ratio habeatur, ut si quis 100 libellis vendat totum frumentum quod habet in arca, tunc venditio ab ipsa conventione statim perficitur, et ideo ex tunc in conscientia stat periculo emptoris. Attamen si vendatur res quæ antequam emantur, soleant prælibari, ut sunt vinum, oleum, etc., venditio non est perfecta, quoadusque res gustatæ et approbatæ non sint: quod valet etiam casu, quo aliqua alia res sit vendita sub pacto præviæ degustationis [1].

Contractus venditionis fieri debet sub pœna nullitatis vel actu publico vel scriptura privata authentica ac transcripta, si agatur de immobilibus aut alio jure hypotheca capaci [2]. Expensæ autem necessariæ pro scriptura, et ceteris actibus, nisi aliter conventum sit, pertinent ad emptorem. nam emptoris interesse debet habere documenta suæ acquisitionis *(art.* 1314, 1455, 1932) [3].

398. Q. 2. *Quinam possunt inire contractum emptionis-venditionis?*

R. Omnes possunt emere aut vendere qui consensum præstare valent, nec prohibentur a lege cujus est contractus moderari.

Diximus 1: *Qui consensum præstare valent;* cum tota vis obligationis in contractu a voluntate proficiscatur, patet necessitas consensus ad venditionis valorem. Unde si quando quis ad rem suam alienandam cogitur causa publicæ utilitatis, adhuc supponitur consensus, rationabilis videlicet; nam quisque tenetur pro viribus publico bono concurrere: quod omnes leges præscribunt [3].

Diximus 2: *Nec prohibentur a lege:* porro ex lege civili sub pœna nullitatis contractus omnes *absolute* prohibentur minoribus, interdictis et inhabilitatis. *Relative* vero, sive quoad quosdam personas ac quædam bona, prohibetur *uxori* sine auctorizatione viri in omni casu vendere bona dotalia, et cetera immobilia, nisi ipsa mercaturam exerceat [4]. — Item, sive per se sive per interpositas personas, emere prohibentur etiam sub hasta pubblica: *genitores* bona filiorum, qui sunt sub eorum potestate; *tutore, protutores* et *curatores* bona quorum curam et tutelam habent; *procuratores* bona, quæ ex officio alienant; *administratores* communitatis ac publici instituti, bona administrata (nisi illis specialis facultas facta sit quoad res quæ venduntur ad hastam); *ufficiarii publici*, bona quæ ipsorum inter-

[1] Art. 1447 et 1595; — *C. A.* 996 et 1053; — *C. C.* 1582; — *C. S.* 1427; — *C. P.* 1387; — *C. M.* 1467; — *C. T.* 704. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 793; — Ferraris; V. *Contractus.*

[2] *Salve le disposizioni relative alle rendite sopra lo Stato,* art. 1314.

[3] Art. 438, et Statutum *Regni Subalpini,* § 29. — *C. A.* 365; — *C. G.* 545; — *C. S.* 470; — *C. P.* 408; — *C. M.* 438; — *C. T.* 544.

[4] Art. 134, 1405; et *Cod. comm.*, art. 9.

ventu alienantur [1]. Item *judices, cancellarii, janitores, advocati, patrocinantes* et *notarii* prohibentur suas facere lites in tribunali, ubi resident, nisi agatur de actionibus hæreditariis inter cohæredes, vel de cessionibus ad crediti satisfactionem, aut ad tuenda bona jam possessa. Imo *advocati* et *procuratores* sub pœna nullitatis, damnorum et expensarum prohibentur pacta quæcunque inire cum eorum clientibus in rebus circa quas suum præstant patrocinium *(art.* 1457) [2].

399. Q. 3. *Quænam res cadunt sub emptione et venditione?*

R. Cadere possunt sub emptione et venditione res omnes, quæ sunt in humano commercio, nisi lex vetet. Sic vetatur:

1. Emptio-venditio rei alienæ, quæ ipso jure nulla est, etiamsi facta bona fide. Quod si facta mala fide a venditore, emptor bonæ fidei potest ab illo repetere non solum pretium solutum, sed etiam damnorum compensationem et usuras. Hæc tamen nullitas nunquam potest opponi a venditore [3].

2. Emptio-venditio jurium successionis alicujus personæ adhuc viventis, etiamsi ista consentiat. Item alienatio bonorum dotalium, perdurante matrimonio, nisi in contractu matrimoniali id statutum fuerit vel permittat auctoritas *(art.* 1404). Item venditio salis, tabaci, pulveris ignescentis, etc. sine gubernii licentia.

3. Emptio-venditio rei quæ jam perierit: si pars tantum perierit, in arbitrium erit emptoris vel resilire a contractu, vel sibi expostulare partem superstitem, æstimato ejusdem pretio.

4. Emptio-venditio rerum, quæ noxiæ esse possunt: unde illicita est per se loquendo venditio rei, qua emptor prævideatur certe abusurus; nam lex charitatis est, ut nemini occasio præbeatur peccandi. Hinc *Codex pœnalis* sub pœna mulctæ, carceris, reclusionis, juxta circumstantias, prohibet claves adulterinas aut venena conficere, retinere, vendere iis, quibus a lege permissum non est [4]. Diximus 1) *illicita est:* valide enim vendi potest, cum etiam res nociva ratione substantiæ sit pretio æstimabilis; 2) *per se loquendo:* justa enim extante causa, etiam licite venditur; nam ex una parte hæc traditio est tantum occasio, ex altera cooperatio materialis non est prohibita, si gravis causa sit; 3) *certo abusurus;* in dubio enim nemo præsumitur velle rebus male uti, secus nulla ferme res vendi posset; cum nulla sit, qua homo non possit abuti. Ceterum si res non tantum sint indifferentes ad bonum et malum, ut arma, chartæ lu-

[1] Vide *Cod. proc. civil.*, art. 673.
[2] Ex *Cod. pœn.*, art. 309, lata est pœna suspensionis ab officio et mulcta.
[3] Art. 1459; — *C. A.* 923; — *C. P.* 1406; — *C. M.* 1485; — *C. T.* 719.
[4] Art. 406 et 646; — *C. A. pœn.*, p. II, § 115. — *V.* Liguori, *Opus. Mor.*, l. III, n. 793. — It. exceptio vide in *Cod. proced. civil.*, art. 585.

soriæ; sed ex natura sua vel forma ita ad pravum usum sint determinatæ, ut nunquam aut fere nunquam ad bonum adhibeantur uti libri obscœni, libelli famosi, idola, tunc moraliter constare debet de bono usu ut vendi licite possint, habita ratione qualitatis emptoris.

490. Q. 4. *Quænam sunt venditoirs obligationes?*

R. Præcipua hæc est: rem tradendi emptori, atque ipsum servandi indemnem *(garantire)* quoad rem ipsi venditam, tum ab evictione, tum etiam a vitiis.

Primo: *tenetur venditor rem tradere emptori.* Qua in re notandum, quod si agatur de rebus incorporeis, traditio fit per consignationem documentorum, quæ rerum illarum dominium respiciunt: aut per usum earundem rerum de consensu domini [1]. Si vero agatur de rebus corporeis, tunc si immobilia sint, traditio fit per consignationem clavium, ubi agatur de aliquo ædificio; vel documentorum, ubi de alia proprietate sit sermo. Si vero sint mobilia, traditio fit vel eorum reali consignatione, vel consignando claves quæ ea continent, vel mutuo partium consensu si tempore venditionis realis consignatio locum habere non possit, aut si emptor ea jam habeat in sua potestate alio titulo, puta ratione depositi [2].

Expensæ ob traditionem rei factam emptori, a venditore; expensæ vero adsportationis rei de uno in alium locum, ab emptore ferendæ sunt, nisi aliter stipulatum sit. — Tempus autem traditionis illud erit, quod fuerit constitutum; quod si a venditore non observetur, jus erit emptori vel venditionem dissolvere vel rem sibi venditam exposcere, et insuper in utroque casu sub compensatione damnorum et quidquid interest ob talem dilationem. Attamen venditor a re tradenda liberatur, quoties emptor pretium non solvat, nec ei concessa sit mora: imo etiam concessa mora ad solvendum, non tenetur venditor rem tradere, si de pretio in periculum veniat, nisi emptor cautionem pro solutione tribuat. — Res tandem tradenda est in loco, quod a partibus præstabilitum fuit: quod si nihil statutum sit, in loco quo res erat cum venundata fuit. Et quidem in eo statu, quo erat tempore venditionis, una cum suis fructibus et accessionibus; nam statim a venditione res emptori fructificat.

Addit autem lex plura pro praxi: 1) *Se la vendita di un immobile si è fatta coll'indicazione della quantità, in ragione di un tanto per ogni misura, il venditore è obbligato di consegnare al compratore, che lo esige, la quantità indicata nel contratto. Quando ciò non è possibile,*

[1] Art. 1464; — *C. A.* 426; — *C. G.* 1605; — *C. S.* 1430; — *C. P.* 1418; — *C. M.* 1497; — *C. T.* 727.

[2] « Per *esempio:* Trattandosi di un diritto di attinger acqua, sul fondo altrui, la tradizione verrà effettuata coll'esercizio di tale diritto. »

o il compratore non lo esige, il venditore è obbligato a soggiacere ad una proporzionata diminuzione del prezzo: art. 1473 [1]. — 2) *Se all'opposto, nel caso dell'articolo precedente, la quantità si trova maggiore di quella espressa nel contratto, il compratore deve corrispondere il supplemento del prezzo: ha però la facoltà di recedere dal contratto, se l'eccedenza oltrapassa la vigesima parte della quantità dichiarata nel medesimo* art. 1474 [2]. — 3) *In tutti i casi, in cui la vendita riguarda un corpo determinato o limitato, o fondi distinti e separati, ovvero comincia dalla misura, o dall'indicazione del corpo venduto, susseguita dalla misura* [3], *l'espressione della misura non dà luogo ad alcuno supplemento del prezzo in favore del venditore per l'eccedenza della medesima, nè ad alcuna diminuzione di prezzo in favore del compratore, se essa sia minore; salvo quando la differenza della misura reale, in confronto di quella indicata nel contratto, ecceda la vigesima parte in più o in meno del valore intero della cosa venduta, purchè non vi sia stipulazione in contrario:* art. 1475. — 4) *Nel caso in cui, secondo il precedente articolo, vi è luogo ad accrescimento di prezzo per eccedenza di misura, il compratore ha la scelta o di recedere dal contratto, o di corrispondere il supplemento del prezzo cogli interessi, se ha ritenuto l'immobile:* art. 1476. — 5) *Nei casi sopra espressi l'azione pel supplemento del prezzo che spetta al venditore, o quella per la diminuzione del prezzo o pel recesso dal contratto che spetta al compratore, debbono proporsi nel termine di un anno dal giorno del contratto, sotto pena della perdita delle rispettive ragioni:* art. 1478.

Secundo: *venditor tenetur emptorem indemnem reddere ab evictione*, id est ab omni molestia circa rem venditam et ab oneribus, quæ indicata non fuerunt in ipso contractu [4]. Evictio, ipsa natura dictante, obtinet etsi nulla sit facta illius mentio: quod si conventum fuerit de re nullatenus assecuranda, si tamen fiat evictio restitui debet pretium a venditore (nisi emptor tempore venditionis cognoverit periculum evictionis vel emerit proprio periculo). Ratio quia pretium datur pro dominio; ergo si non transfertum dominium, venditor nullum jus habet in pretium; ideo tunc conventio de re non assecuranda eximit tantum venditorem a damnorum compensatione *(art.* 1485) [5]. Si vero evictio fuerit promissa (vel de ea nulla facta mentio, cum tunc obtineat ex jure) ea interveniente contra-

[1] « Per *esempio:* Vendo il pezzo di terreno che indico di pertiche 60, a lire 150 alla pertica, per la somma di lire 9,000. Se si verificasse essere solo di pertiche 55, il prezzo dovrebbe diminuirsi, e importerebbe solo lire 8,250. »

[2] « Per *esempio:* Se invece di pertiche 600 di terreno, se ne riscontrassero 631, vi sarebbe un eccedenza sopra il vigesimo. »

[3] « Per *esempio:* Vi vendo il fondo detto la *Baraggia*, di pertiche 600, posto in Caluso, pel prezzo di lire 8,000. »

[4] Evictio est *deturbatio juridica emptoris a possessione rei, quam emit:* v. g., Titius vendit vineam Cajo: Sempronius probat vineam esse suam; et ideo judex decernit illam esse Sempronio reddendam, cum res clamat ad dominum.

[5] Quando jura dant facultatem rescindendi venditionem, ea dicuntur tribuere actionem redhibitoriam; *redhibere est facere, ut rursus habeat venditor quod habuerat, et quia reddendo id fiebat, iccirco redhibitio est appelluta quasi redditio:* ita l. XXI, *ff. de ædit.*

ctus resolvitur [1]; et tenetur venditor: 1) pretium intergrum restituere, etsi valor rei venditæ imminutus fuerit, nisi emptor ex deterioratione aliquid perceperit [2]; 2) fructus, si ipse emptor eos debeat domino rei; 3) sumptus (pro intentanda revendicatione) ab emptore tributos; 4) damna quæ patitur emptor; item augmentum pretii quod tempore evictionis res consecuta est; necnon compensare impensas omnes utiles et necessarias in re ab emptore factas; imo etiam voluptuarias *(di abbellimento)*, si venditor fuerit in mala fide.

Hæc si evictio fuerit circa totam rem venditam; si enim fuerit una tantum pars evicta, tunc si ea talis sit ut emptor si id scivisset, rem ipsam emere noluisset, liberum adhuc ipsi est contractum solvere et jura prosequi, quæ jam numerata sunt. Sed si res evicta non sit ita momentosa, venditio non resolvitur, sed emptor gaudet jure, ut sibi compensetur juxta æstimationem quam habet res tempore evictionis [3].

Tertio: *tenetur venditor emptorem indemnem servare a vitiis quoad rem venditam;* adeo ut si hac de causa res perierit (non tamen casu fortuito) teneatur venditor, et pretium solutum et omnes expensas emptori restituere. Sed hic vitium a vitio distinguere opus est: etenim vitium in merce vel est circa substantiam, ut si vendatur stamnum pro argento, vitrum pro gemma, et eo in casu venditio nulla est, etsi fiat ex ignorantia et sine malitia; cum tota deficiat contractus materia. Vel est circa quantitatem, ut si dentur quinque pro octo; vel circa qualitatem, ut si vendatur vinum aqua commixtum pro vino puro, et tunc venditio valida est, modo tale vitium non impediat, quominus adhuc res emptori sit conveniens, et de pretio subtrahatur quantum oportet: quod quidem merito statutum est; secus vix ulla negotiatio subsisteret [4]. *Cum aliqui sophisticant*

[1] Art. 1481; — *C. A.* 922; — *C. C.* 1602; — *C. S.* 1448; — *C. P.* 1417; — *C. M.* 1496; — *C. T.* 749. — Et *Cod. proced. civil.*, art. 203.

[2] Per *esempio:* Se il compratore avesse demolito parte del fabbricato, e avesse ricavato il prezzo dei materiali.

[3] « Per *esempio:* Fu comprata una casa con giardino annesso, per la complessiva somma di lire 40,000, essendosi valutata la casa 30,000 e il giardino 10,000. In oggi quel podere vale lire 50,000: e la evizione colpisce il solo giardino, il quale viene ora stimato lire 15,000, e però sarà dovuta al compratore tal somma, sebbene all'epoca dell'acquisto fosse la stima minore. E così dicasi del contrario, se la somma fosse decresciuta. »

[4] Patet eos ad restitutionem teneri, qui guttam hydrargirii in aures equi infundunt, ut generosus appareat. Qui in sacci summitate melius triticum, in dolii extremitate majores pisces reponunt, ut sic emptores decipiant. Qui angulum et tenebras quærunt, ne mercium suarum detegatur vitium. Qui lanam aut avenam aspergunt aqua, ut majoris sit ponderis. Qui pannum adustum pro bono vendunt, etc.

E contrario dicimus: illi, qui vinum minus exquisitum eis præbent, qui vinum magis exquisitum vellent, contra justitiam non peccant, si illis non noceat, nec inutile sit ad finem, propter quem illud quærunt, modo pretium sufficienter imminuant; secus si vinum istud ad medicinam peteretur, vel ut diu conservaretur. Denique peccant contra charitatem, et etiam contra justitiam, si efficiant, ut emptor nimio pretio gra-

ait s. Antoninus, *ea quæ vendunt, ut se servent indemnes et cum aliquo lucro congruo, quia si venderent puras res, emptores non vellent dare justum pretium, quia alii vendunt alia sic mixta minori pretio, videntur posse excusari, dummodo non fiant mixturæ quæ noceant corporibus in his quæ venduntur in cibum et potum, et præcipue in medicinalibus* [1]. Attamen ex Jure civili emptor potest vel rescindere contractum vel petere compensationem, si vitium tale sit, ut eo cognito, non contraxisset. Venditor vero si vitia non ignoraverit, tenetur de damnis: imo eidem in illo casu pœna constituta est tum carceris, tum mulctæ pecuniariæ [2].

401. Q. 5. *Teneturne venditor rei venditæ vitium aperire?*

R. 1: Si vitium sit circa substantiam, tenetur venditor in conscientia illud aperire; cum tunc afficiat ipsam venditionis naturam: item est, si vitium sit circa quantitatem; esset enim damnosa deceptio. Si tamen ob injustam taxam vel injustum monopolium quis non possit consequi justum pretium dando totam quantitatem, non est improbabile, uti dicunt Lugo, Lessius, Palaus, Salas, Salmanticenses et Sporer, vendentem posse uti mensura tantum manca quantum ad pretium justum consequendum sufficiat; hoc enim est vexationem redimere: videlicet est injustam pretii diminutionem sibi juste compensare. Hoc tamen periculosum est, si enim emptor velit verificare, venditor habebitur uti dolosus.

R. 2: Si vitium sit circa qualitatem, distinguendum est: vel vitium illud patens est et manifestum, vel occultum et latens.

Si vitium illud est patens et manifestum, venditor non tenetur vitium aperire ex communi sententia; tunc enim emptor illud sibi imputet: neque venditor tenetur manifestare quod omnibus manifestum est; consonat ipsa lex civilis. Sed excipe pro foro saltem interno: 1) si venditori constet de emptoris ignorantia, si v. g. esset puer, vel fœmina rerum prorsus ignara; 2) si qualitas transierit in substantiam, uti si emptor expresse declaret, se velle rem talis qualitatis, et non talis, vinum, v. g. vetus, non recens.

vatus alios gravet, et deceptus alios decipiat. — Fieri potest, ut res vitiata minoris sit valoris respectu quorundam hominum, non vero respectu aliorum; tunc his secundum totum valorem vendi potest absque revelatione vitii. Sic bos, qui propter aliquem defectum ad arandum est inhabilis, vendi potest, sine revelatione vitii et absque imminutione pretii, lanio aut mercatori, qui ad lanium eum præparabit.

[1] Sic videtur posse excusari qui herbas aqua aspergit, ut majoris sint ponderis, qui aliquantulum oryxæ farinæ admiscet ut panis majus habeat pondus, si revera aliunde non possit consequi quod justum est, ob morem regionis. Idem dicunt de pharmacopola qui aliquando unam medicinam pro alia tribuat, si tamen pretium sit æquum, et medicina æqualis virtutis. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 821.

[2] Art. *Cod. civ.* 1491; *Cod. pœn.* 392; — *C. A. civ.* 922; *pœn.*, p. II, n. 156; — *C. G. civ.* 1642; — *C. S.* 1489; — *C. P.* 1458; — *C. M.* 1535; — *C. T.* 774.

Si vero vitium circa qualitatem est occultum et latens, tenetur venditor vitium aperire casu, quo illud ita noxium emptori futurum esset, ut usus rei non amplius sit ei conveniens; alioquin illum deciperet, et injustitiam patraret. At si vitium non ita noxium futurum est, tunc si rogetur ab emptore de illo vitio occulto in specie, v. g. de ætate equi vendendi, tenetur responsum dare pro veritate rei; nam mendacium semper est illicitum, et emptor jus habet, ut sibi de quæsita rei qualitate recte respondeatur. Verum si non rogetur, non tenetur vitium illud aperire, alioquin fere nulli contractus firmi essent; oportet tamen ut venditor tantum *subtrahat quantum oportet de pretio*, uti ait Angelicus [1].

402. *Quid* (dices) *si venditor protestetur se nolle rationem reddere de quolibet rei suæ defectu?*

R. Videtur tunc ad nihil teneri venditorem; quia per hanc protestationem censetur omnem a se labem injustitiæ repellere, et emptor satis apparet admonitus ut sibi consulat. Hinc merito Tamburini approbat consuetudinem alicubi vigentem, præsertim in magnis nundinis, ita vendendi *(ad saccum ossium fractorum*, ut ajunt) animalia, etsi vitia sint occultissima. Ad tollendas enim innumeras lites hoc satis videtur cohonestari: modo (quod caute perpendendum) res ultra pretium justum saltem supremum non vendatur, habita ratione illius vitii occulti. Id probatur etiam a lege civili, quoad vitia quæ ignota fuerunt ipsi venditori *(art.* 1500).

403. Q. 6. *Quænam sunt emptoris obligationes* [2]*?*

R. Duæ sunt præcipuæ emptoris obligationes: 1ª ut pretium solvat eo loco ac tempore, quo res est ipsi tradenda, nisi aliud pactum sit, vel nisi a possessione rei molestari timeat, et venditor cautionem non præstiterit; 2ª ut solvat pretii usuras (nempe quinque pro quolibet centenario; est enim interesse legale); si tamen hæc fuerit conventio, vel si res vendita et tradita fructus producat, vel sit in mora solvendi.

404. Q. 7. *Quid est pretium justum et quotuplex?*

R. Pretium justum dicitur quod rei venalis valorem adæquat: est aliud legitimum vel legale, quod taxatur a lege vel a magistratu; aliud vulgare (seu naturale), quod, spectatis circumstantiis, peritorum judicio determinatur. *Legitimum* situm est in indivisibili, ita ut non liceat plus accipere, quam per legem fuerit statutum, et restitutionis urgeat obligatio, si quid ultra pretium illud exigatur: talis

[1] 2, 2, q. 77, a. 3. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 823.
[2] *V.* Pavone, *Spicilegio* etc., ubi plurima ad praxim. — *Cod.* art. 1507; — *C. A.* 1052 et 1062; — *C. G.* 1650; — *C. S.* 1496; — *C. P.* 1467; — *C. M.* 1554; — *C. T.* 783.

est venditio salis [1]. *Vulgare* vero patitur latitudinem, cum communiter in unum peritorum judicium convenire non soleat. Triplex iccirco distinguitur: *summum*, supra quod a prudentibus æstimari non solet; *infimum*, infra quod intelligentes non solent judicare; *medium* stat inter summum et infimum. Hæc autem regula communiter assignari solet in determinatione pretii vulgaris: ut res vilior minorem, pretiosior vero majorem habeat latitudinem. Unde vinum, v. g., quod valet 5, potest vendi 6 vel 4; res autem pretiosa, quæ valet 100, potest vendi 95 vel 105. Imo si res rarius soleat comparari, admittit latitudinem maximam: v. g., domus quæ elapso anno vendita fuit 1,500, hoc anno vendi potest 2,500 [2].

Est contra justitiam rem vendere supra pretium legitimum, vel vulgare summum, nisi speciales interveniant circumstantiæ honestantes; si enim pretium excedat valorem rei, vel e converso si res excedat pretium a lege aut a prudentibus hic et nunc præfixum, tollitur justitiæ æqualitas. Hinc Apostolus: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus* [3]. Hinc quamvis in foro externo non invalidetur venditio, nisi deceptio sit ultra dimidium justi pretii; in foro tamen interno omnis damnosa deceptio obligat ad restitutionem: injustitia enim et in parvis et in magnis locum habet.

Quid si venditio supra pretium legitimum vel vulgare bona fide contigerit? Vel si utrique contrahentes valorem rei prorsus ignorent; et ideo sese mutuo commiserint sorti in contrahendo?

R. In primo casu, venditor tenetur id saltem restituere, in quo factus est ditior, id est in quo suis ideo pepercit, ne ditescat de alienis. In secundo casu, si contrahentes expresse se sorti commiserint, utpote de vero valore dubitantes, valet contractus, etsi postea detegatur deceptio; quia censetur uterque sibi invicem voluisse excessum liberaliter concedere.

405. Q. 8. *Quandonam licite potest pretium ordinarium seu vulgare augeri vel minui sine læsione justitiæ?*

R. Ad 1: Pretium vulgare augeri potest, seu venditor sine justitiæ læsione potest aliquid supra summum pretium exigere:

1. Ratione *damni emergentis* vel *lucri cessantis*, quod ideo ipsi evenit (modo emptor admoneatur, si velit, rem illam sibi diversimode comparare); nulla enim ratione tenetur incommodum illud in

[1] Excipe: 1) si a majori parte non servetur, principe sciente et tacente; 2) si mutatis circumstantiis, taxa evadat injusta; 3) si merces sint notabiliter pretiosiores solito vel deteriores. *Gury.*

[2] Pretium non tam æstimatur secundum rei dignitatem, quam secundum illius usum in commercio; alioquin musca, quæ est animal sensibile, majoris esset pretii, quam gemma, quæ est inanimata. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 808.

[3] I, Thess. IV. — *V.* Carrière, *De contractibus*, nn. 877 et seqq.

re sua venditor sustinere: quod valet, etsi res sit a Principe taxata; nam taxa respicit rem tantum secundum se.

2. Ratione *singularis bonitatis aut raritatis mercium:* quæ quidem etsi probabilius vendi nequeant quanti plurimi, utique tamen aliquo pretio majori: cum raritas ac bonitas peculiaris augeant communem æstimationem. Item ratione penuriæ seu caritatis mercis et pluralitatis emptorum; quia tunc pluris solet mercis æstimari.

3. Ratione *specialis molestiæ* obventuræ ipsi venditori ob peculiarem affectum erga rem suam, ut tradunt communiter ac verius; quia privatio rei, erga quam dominus est specialiter affectus, v. g., si eam accepisset a Principe vel a majoribus suis, pretio æstimabilis est [1]. Si vero iste affectus sit tantum in emptore, carioris vendere non licet, ut docent communiter cum Angelico: nemo videlicet vendere potest quod suum non est; atqui in hypothesi affectio illa peculiaris est in emptore, non vero in venditore: ergo iste non potest eam pluris vendere [2].

4. Ratione *modi*, quo merces venduntur, si pretium non sit taxatum. Sic qui res minutim vendunt, possunt aliquantulo carioris vendere; quia majores debent labores et expensas effundere ad merces eas conservandas. Sic excusant caupones et stabularios, qui fœnum, avenam ac paleas carioris vendunt quam alii.

5. Ratione *temporis*, quo pretium tradendum est: sic certum est rem posse carioris vendi, si pretium tradendum sit tempore, quo res ipsa pluris est valitura, modo a venditore ad illud usque tempus servanda fuisset: alioquin damnum emergeret venditori.

6. Ratione *periculi* in pretio exigendo. Hoc satis communiter ac probabilius defendunt plures [3]; nam tali periculo se exponere, si revera adest, est pretio æstimabile: quod in periculo est, minoris æstimatur a prudentibus. Cum porro tale onus, scilicet mercem suam periculo exponendi in se suscipiat venditor, jus habet, ut aliquid de pretio sibi augeatur.

R. Ad 2: Pretium vulgare potest infra pretium infimum minui, seu emptor potest quid minoris tuta conscientia solvere: 1) ratione copiæ mercium et paucitatis emptorum: quia merces eo minoris

[1] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. x, n. 174; et *Op. Mor.*, l. III, nn. 806, etc. Neque dicas, affectum hujusmodi non ferre emptori peculiare commodum: si hoc valeret, neque ob damnum emergens et lucrum cessans posset res pluris vendi; nihil enim utilitatis emptori venit ex venditoris damno emergente et lucro cessante.

[2] 2, 2. q. 77, a. 1. — Sunt tamen plures moderni, qui etiam hoc secundum licere affirmant; ex eo quod venditor emptori illud commodum procuret, et consequenter justum sit, ut idem cum ipso dividat pretium rei adaugendo. Ita nunc in praxi admitti tradit card. Gousset, n. 480, ubi exposita priori sententia olim communissima, posteriorem amplectitur.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 765 et 810.

æstimantur, quo communiores, et a paucioribus appetuntur: 2) ratione modi, quo res venditur: sic emptor potest minoris emere, eo quod multa simul emat (vulgo *all'ingrosso*); quia venditorem liberat a multis curis, et expeditum reddit ad nova sibi comparanda; 3) ratione temporis, quo res tradenda est: sic poterit vilioris emi, si tradenda tempore, quo minoris valebit; nam tunc tantum res incipit esse utilis emptori. Hæc omnia continet versus:

Merx, modus et tempus, comminuunt pretium.

406. Q. 9. *An liceat minoris pretio vulgari emere merces ultroneas?*

R. Communius et verius licet minoris emere merces, quas ultro quisquam offert, emptorem quæritando et quasi compellendo ad eas emendas; quia cum merces sic offeruntur, adest parvus emptorum numerus, ut docent Concina, Roncaglia cum aliis: hinc ex d. Hieronymo tritum proverbium est: *ultronea putere merces* [1]. Probabilius autem Cajetanus, Filliucius, et Sporer censent rem istam vilescere pro tertia parte ordinarii valoris.

Quid (dices) *si merces fiant ultroneæ ob solam paupertatem vendentis?* Busembaum, Vasquez et alii tradunt, illas adhuc minoris emi licite posse; quia res ultronea pretio decrescit ex communi hominum æstimatione, nulla habita ratione inopiæ vendentis. Verum Salmanticenses et Tournely cum aliis negant; quia charitati et justitiæ adversari videtur rem vilioris emere a paupere, qui vendit necessitate coactus, nisi emetur in solam gratiam venditoris ipsius, ita ut alias non emeretur. Hæc sententia est æquior et omnino suadenda; sed prima non videtur carere sua probabilitate, spectata ratione.

407. Q. 10. *Quid dicendum de illis, qui mendaciis atque perjuriis alios inducunt ad merces carioris emendas?*

R. Qui mendaciis et perjuriis pretium exaggerant, ut emptores inducant ad merces carioris emendas, peccat non solum peccato mendacii et perjurii, sed etiam peccato injustitiæ; quilibet nempe jus habet, ne fraude inducatur ad carioris emendum. Quod multo magis dicendum, si despiciant aliorum mercatorum merces, ut suas attollant; tunc enim tenentur de damno erga mercatores illos. Attamen hic notandum est:

1. Regulariter fidem non haberi venditorum mendaciis ac perjuriis; cum hæc communiter habeantur ut quædam tantum stratagemata ad emptores facilius alliciendos. Unde nisi certo constet, emptorem mendaciis venditoris revera credidisse, et ideo majoris

[1] *In quæst. hebraic.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 802.

justo emisse, et alios mercatores deseruisse, venditor qui illis utitur, peccat quidem saltem venialiter mentiendo et graviter perjurando; sed non tenetur ideo restituere.

2. Esse contra justitiam pacisci cum emptore de pretio infimo, ac postea pretium summum recipere occulte minuendo pondus, vel mensuram: quia esto quod illud non excedat latitudinem justi; at celebrato contractu, pondus, mensura ac pretium ita remanent determinata, ut nullam amplius patiantur variationem. Pactum enim ita conclusum fuit, prout commune ac certum est cum Laymano, Lugo, Medina, Navarro, Soto, Sporer, etc. [1].

408. Q. 11. *An pretio currenti vendi possint merces, quas ex notitia peculiari dominus certo scit mox valituras esse multo minoris?*

R. Affirmant communiter Antoine, Billuart, Collet, Lessius, Sylvius, cum d. Thoma, qui habet: *Venditor, qui vendit rem secundum pretium quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est, non exponat* [2]. Ratio quia pretium præsens est justum et nondum immutatum. Eadem de causa fas erit cuilibet emere merces pretio currenti, etiamsi certo sciat contra omnem dominorum expectationem brevi pretium augendum fore, uti patet exemplo Josephi in Ægypto [3]. Imo in justitiæ rigore potest etiam quis in emendo adhibere illas pecuniæ species, quas privatim scit brevi esse prohibendas, modo absint (quod semper intelligendum) mendacia, vis et fraudes. Neque etiam contra charitatem peccabitur; nam quilibet consulere potest rebus suis, etsi per accidens alteri damnum obveniat.

Excipe: 1) si ideo emptor reduceretur ad gravem necessitatem; sicut enim charitas præcipit, ut subveniamus graviter indigenti, sic vetat ne proximus in paupertatem per nos redigatur, ut nobis divitias comparemus; 2) si venditor posset mercem vendere pluribus et vendat uni: vel cum posset vendere alicui, qui statim iterum venderet rem consumpturis, venderet alteri rem servaturo ad tempus diminutionis pretii. An autem in his quoque casibus peccatum contra charitatem sit grave, merito dubitatur; quia charitas non vetat, ne quis consulat sibi utendo jure suo, etsi alteri damnum per accidens ideo obveniat *(Q)*.

409. Q. 12. *Quomodo solvitur emptio-venditio?*

R. Emptio-venditio generatim iis solvitur modis, quibus ceteræ conventiones; speciatim vero solvitur: 1) mutuo contrahentium consensu: sive contrahentes de novo conveniant, sive antea de rescissione pactum posuerint, juxta leges tamen: *per quas enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur;* 2) ipso jure; quod locum habet (et quidem in utilitatem solius venditoris, ac circa res mobiles), quando emptor tempore præfinito non se obtulerit ad rem reci-

[1] *V.* Pavone, *Spicilegio* etc., §§ 6 et seqq. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 805.
[2] 2, 2, q. 77, a. 3,
[3] Gen. XLI. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 824.

piendam: vel si obtulit se, non tamen pretium solvit; 3) judicis sententia, quam cum causa et venditor et emptor invocare potest [1].

a) Venditor causa læsionis (licet huic beneficio renuntiaverit) scissionem petere potest in judicio: 1) si agatur de immobilibus, nisi illa vendita sint hasta publica, judicis auctoritate; 2) si læsio sit ultra dimidium; 3) si intra biennium scissionem petat: *Questo termine*, addit Codex, *decorre contro gli assenti, contro gli interdetti, ed i minori aventi causa da un venditore di maggiore età; lo stesso termine decorre e non si sospende durante il tempo stipulato pel riscatto* (art. 1531). Ceterum emptor poterit semper rem sic emptam retinere, soluto pretio justo [2].

b) Emptor poterit rescissionem contractus urgere: 1) si venditor mercem non tradat tempore debito; 2) si immobile excedat vigesimam partem quantitatis in contractum deductæ, et intra annum rescissio petatur (rescissio tamen causa læsionis in pretio non admittitur in favorem emptoris); 3) in casu evictionis, licet una tantum rei pars evicta sit; 4) si agatur de fundo servitutibus onusto, quæ declaratæ non fuerint neque sint apparentes; 5) si res vitiosa sit, modo vitium non sit parvi momenti, neque de re agatur judicialiter vendita: ac modo actio redhibitoria fuerit proposita intra annum, si agatur de immobilibus ab eorum consignatione; intra dies 40 a traditione, si sermo sit de animalibus; vel intra tres menses, si de aliis rebus mobilibus agatur, nisi majus vel minus temporis spatium ex particularibus usibus sit determinatum. Item actio redhibitoria quoad animalia locum non habet, nisi ob vitia vel a lege determinata vel ab usibus localibus [3].

Corollarium. — *De venditione ad creditum, crediti, per proxenetas, sub regressu, de contractu mohatra, de monopolio, de venditione sub hasta ac permutatione.*

410. Q. 1. *An licet merces carioris vendere ad creditum (vulgo* a credenza), *quam numerata pecunia?*

R. Non licet merces carioris vendere tantummodo et præcise ob dilatam solutionem; esset enim pluris facere pecuniam numeratam

[1] Art. 1512, 1529; — *C. A.* 1070; — *C. G.* 1656; — *C. S.* 1504; — *C. P.* 1474; — *C. M.* 1559.
[2] Art. 1529; — *C. A.* 934 et 1060; — *C. G.* 1487; — *C. S.* 1487; — *C. P.* 1499; — *C. M.* 1576.
[3] Art. 1494, 1505; — *C. A.* 902; — *C. G.* 1610; — *C. S.* 1487; — *C. P.* 1441; — *C. M.* 1520.

numeranda, quod damnavit Innocentius XI sub n. 41; cum ratione hujus causæ per se nulla fiat diversa rerum æstimatio [1].

Sed quæstio est, an id licitum sit, titulo communis æstimationis, sive spectata consuetudine: alii negant cum Garcia, Medina et Navarro; quia consuetudo non potest efficere, ut numerata pecunia pluris sit numeranda, si de ejus solutione nullum sit dubium. Verum alii probabiliter affirmant cum Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Soto et Victoria, quia communis æstimatio auget pretium rerum, quæ ad creditum venduntur, cum plures soleant emptores concurrere: at communis æstimatio taxat pretium. Item dicunt licere rem minoris emere, numerata pecunia, non quia anticipatur solutio, sed ex communi existimatione; nam tunc pauci emptores, multi venditores: et apud mercatores nunc passim obtinet [2].

411. Q. 2. *An credita vel chirographa vendi possint, et quanti?*

R. Ad 1: Credita, quæ dicuntur *jura incorporea*, vendi possunt, quamvis non adsit consensus debitoris; nam quilibet potest pacisci de eo, quod suum est, et est pretio æstimabile. Jure tamen civili hæc notantur: — 1) possessio crediti transfertur traditione documenti illud comprobantis [3]; debet autem venditio denuntiari debitori, vel ab ipso per actum authenticum acceptari; — 2) venditor crediti tempore cessionis assecurare debet debiti subsistentiam; non tamen tenetur fidejussorem pro debitore se constituere: quod si se constituat, non tenetur nisi ad illud solvendum quod pro cessione illa percepit [4]. Et talis fidejussio (si nullum sit mora determinata) durat annos decem, si agatur de censu perpetuo: uno tantum, si agatur de aliis creditis; — 3) qui vendit hæreditatem sibi jam delatam, non censetur nisi jus ad illam vendere: ideo tenetur tantum assecurare, quod ipse verus sit hæres; — 4) crediti venditio vel cessio omnia accessoria includit, uti cautelas *(cauzioni)*, privilegia et hypothecas quæ illud spectant; non tamen fructus ac census jam maturos, seclusa speciali conventione [5].

R. Ad 2: Si credita non sunt litigiosa, sententia suadenda ac communior docet cum Angelico, minoris emi non posse; quia actio

[1] Ita Angelicus, 2, 2, q. 78, a. 2. — *V.* Liguori, *Opus. Mor.*, l. III, n. 811.

[2] Mercatores sic agentes inquietandos non esse arbitror, propter rationes superius expositas, et quia in dubio prudentia non sinit conscientias turbari. *Bouvier.*

[3] « Ad *esempio:* Se io fossi creditore per mutuo verso Tizio di lire 2,000, e cedessi questo credito a Cajo, ne trasferisco il possesso col rimettere a questi la scrittura, in cui Tizio si dichiarò mio debitore. » Chirographum est a greco *cheir* manus, et *graphô* scribere.

[4] « Per *esempio:* Ho ceduto per lire 2,000 un credito di lire 7,000; se ho garantito la solvenza e questa non si verifica, non sono tenuto che a restituire le lire 2,000 ho che percepito. »

[5] Art. 1538; — *C. G.* 1686; — *C. S.* 1535; — *C. M.* 1589; — *C. T.* 812. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 825.

ad creditum liquidum, certum et tutum, quin adsit difficultas in eo exigendo, tanti valet quanti ipsa pecunia debita. Attamen alii plurimi cum Anacleto, Bellarmino, Cajetano, Tournely et Sanchez non improbabiliter volunt etiam credita tuta emi posse pretio minori quam infimo, quia non emitur pecunia, sed actio ad illam: porro ex jure *minus est habere actionem quam rem.* Revera hæc credita æstimantur minoris a negotiatoribus in communi praxi; ideo magis, quia vix unquam libera sunt a molestiis et incommodis.

At si credita sunt incerta vel litigiosa fatentur omnes minoris emi posse, habita ratione periculi, laboris, difficultatis, etc., quæ omnia sunt pretio æstimabilia. Ex lege autem civili credita reputantur litigiosa quando jam de illis adest judicialis contestatio. Facta autem cessione talis crediti, debitor potest se liberare solvendo emptori pretium ab eodem emptore solutum cum expensis et usuris [1]. Excipe ex jure: 1) *se la cessione fu fatta ad un coerede o comproprietario del diritto ceduto;* 2) *se fu fatta ad un creditore in pagamento di quanto gli è dovuto;* 3) *se fu fatta al possessore del fondo soggetto al diritto litigioso* (art. 1548) [2].

412. Q. 3. *An ille, cui res a domino traditur vendenda pretio designato possit sibi retinere excessum, quem forte traxerit?*

R. Res vendenda a domino tradita est vel suo famulo vel amico vel proxenetæ (vulgo *sensale, commissionario)*, qui a republica deputatur ad aliorum negotia gerenda stipendio a partibus tribuendo. Si agatur de *famulo*, certum est eundem non posse excessum sibi retinere; quia famulus jam tenetur domini sui negotia utiliter agere, et bonum procurare ratione stipendii annui. Item est de illo qui agit uti *amicus;* ex hoc enim censetur renuntiasse mercedi. Si vero sermo sit de *proxeneta* speciali salario conducto, vera sententia iterum negat, quia debet esse illo salario contentus; assignatio autem pretii facta a domino communiter intelligitur, ne infra pretium illud venditio sequatur, non autem ne supra; ideoque excessus pertinet semper ad rei dominum. Excipiunt tamen communiter:

1) Si res per proxenetæ industriam non debitam melioris conditionis evasit, et ob id pluris vendi queat; 2) si expressum vel tacitum pactum cum domino intercesserit; hoc tamen non præsu-

[1] « Per *esempio:* Tizio comperò il credito litigioso di lire 8,000 per 2,000 che ha verso Carlo. Il debitore Andrea può farsi liberare da Carlo cessionario col pagargli le lire 2,000, le spese e gli interessi. »

[2] « Per *esempio:* Io ho l'usufrutto d'una casa, e Carlo la proprietà. Un terzo pretende d'esserne il proprietario assoluto; ed io per conservarmi il diritto di usufrutto acquisto il diritto litigioso di proprietà che quel terzo pretende. Carlo non potrebbe pretendere di versarmi il prezzo della cessione, e così aver il diritto litigioso tolto di mezzo. »

mitur, nisi quando dominus nullum venditoris stipendium assignaverit pro ejus labore, vel si adhibita communi diligentia et pretio majori non invento, rem sibi emat, et postea suo tempore vendat pluris; quia tunc venderet rem propriam. Caveatur tamen fraus et illusio; 4) si lucrum sit parvi momenti, quia tunc dominus facile præsumitur consentire. Quod si te gratis ei obtuleris ad vendendum vel emendum, adhuc dicunt quod probabilius potes aliquid retinere, si revera nemo alius id gratis omnino faceret; sic enim (ajunt Sporer et Roncaglia contra Lessium) fuisti quidem mendax, sed non injustus; nam tuus labor jam pretio dignus erat.

413. *Quid* (dices) *de sartoribus, qui pannum pro aliis emunt?* Si sartor fideliter negotium domini gerat minoris mercem emendo, et ex alia parte mercator aliquid ei donaverit vere gratis, quia officinam suam frequentat, vel ut eum alliciat ad ipsam frequentandam, licite potest sibi retinere donatum; nam diminutio pretii vere fieret in ejus gratiam. Ita Filliucius, Tournely et alii. Sed caute hic procedendum, ne justitia lædatur; nam mercatores potius simulant se sartoribus quidpiam donare, cum tamen si dominus ipse officinam adiret, pro eodem pretio rem certo obtineret [1].

414. Q. 4. *An liceat rem vendere cum pacto, ut emptor teneatur iterum venditori eam cedere, si hic eam repetat?*

R. Venditio cum pacto redimendi ea est, qua venditor facultatem sibi reservat rem suam repetendi sub conditione, quod pretium ejus restituat, sumptus venditionis solvat, aliaque damna resarciat, et compenset instaurationes necessarias ac meliorationes, quibus res pretiosior evasit. Hæc venditori licita est, si rationem habeat gravaminis, quod imponit; cum tunc servetur æqualitas: imo in ipsa veteri lege hæc præcipiebatur [2]. Ipsi etiam emptori probabilius Jure naturæ spectato permittitur, si habeatur ratio hujus conditionis; nam solo consensu pacta per se firmantur, et hoc nil continet inhonesti.

Diximus: *Jure naturæ spectato;* nam ne diu incerta maneant dominia, *Codex civilis* retractum conventionale pro solo venditore admittit, et quidem tantum ad quinquennium in omni casu; quo elapso, emptor irrevocabiliter proprietarius evadit [3]. Quando autem locum habet redemptio, venditor recipit rem suam a quovis onere per emptorem imposito liberam: excipe locationem, quam sustinere

[1] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. ult., n. 34. — Famuli, qui emunt pro dominis suis cibaria, possunt parva munuscula a mercatoribus accipere, ut fert usus, et quatenus mercatores eos alliciant, vel quia frequentius ad se recurrunt empturi; sed caveatur semper fraus.

[2] Lev. XXIII. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 812.

[3] Art. 1515; — *C. A.* 1067; — *C. G.* 1659; — *C. S.* 1505; — *C. P.* 1475; — *C. M.* 1560; — *C. T.* 790.

debet, si neque in venditoris fraudem, neque ultra triennium inita fuerit ab emptore. Quod si plures sub onere redemptionis fundum uno contractu vendiderunt, quilibet eorum potest hoc jus exercere, sed tantum quoad suam quotam [9] *(art.* 1523): idem est si venditor plures relinquat hæredes, qui quidem jus redemptionis non habent nisi quoad propriam hæreditatis portionem *(art.* 1524). Addit autem: *Il compratore però, nei casi espressi nei due precedenti articoli, può pretendere l'intervento in causa di tutti i venditori del fondo comune,* [1] *di tutti i coeredi, affinchè concordino tra loro pel riscatto del fondo intero. Se non concordano, egli sarà assoluto dalla domanda. Tuttavia non volendo uno, o più de' coeredi, o dei venditori del fondo comune, effettuare il riscatto, possono gli altri ed anche un solo eseguirlo nella totalità per proprio conto* (art. 1525).

115. Q. 5. *Quid est contractus mohatra, et an licitus?*

R. Contractus *mohatra* ille est, quo quis mercem a te emit majori pretio ad creditum cum pacto explicito vel implicito, ut tibi eandem statim retrovendat pretio minori, numerata pecunia [2]. Uti si Titius indigens nonaginta nummis, petat illos mutuo a Sempronio mercatore: hic quia lucrari cupit, denegat mutuum; sed offert tot frumenti mensuras, quas Titio vendit summo pretio credito convento, nempe 100 nummis: addito pacto, ut Titius emptor Sempronio venditori, numerata pecunia, illico revendat infimo vel medio pretio, v. g., nonaginta nummis, quibus de facto indiget Titius.

Talis contractus illicitus est, cum usuram palliatam includit; venditor enim dat 90, ut statim recipiat 100 sine ullo vero titulo, sicque imponitur emptori onus vendendi vili pretio absque compensatione. Porro quando, sine compensatione, aliquod onus alicui imponitur sustinendum, sive quando nullus est titulus aliquid exigendi, et exigitur, injustitia est, latrocinium est, usura est a Deo gravissime prohibita [3]. Hinc Innocentius XI damnavit hanc sub n. 40 propositionem: *Contractus* mohatra *licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retroventionis previæ inito, cum intentione lucri.* Attamen si res sine prævio pacto retrovendatur etiam minoris et eidem venditori, modo absit omnis usurarius animus, contractus de se licitus erit; quia tunc nulla conventio extat, quæ lædat æquitatem.

116. Q. 6. *An liceat, sine justitiæ lœsione, merces sub hasta quolibet pretio vendere et emere?*

R. Venditio sub hasta (vulgo *incanto)* est quæ fit voce præconis, et in qua uniuscujusque licitatio sub datis regulis admittitur, ac ultimo licitanti res adscribitur. Hæc venditio sive privata sit sive

1 « Per *esempio:* Tizio, Carlo, Giovanni, tre fratelli, mi vendono unitamente e mediante un solo contratto, la loro casa in comunione, col patto di riscatto. Nessuno di essi fratelli può esercitare il riscatto per l'intera casa, ma ciascuno soltanto lo potrebbe per una terza parte o per la sua quota; altrimenti sarebbero lesi i diritti degli altri fratelli. »

2 Est a voce hispana *mohatrar*, italice *scroccare, truffare:* unde ab Italis dicitur *scrocco;* a Pedemontanis tamen *carrozziuo.*

3 Ps. XIV; Ezec. XVIII; Luc. VI; etc. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 813.

a judice indicta, licita est, si absit fraus; nam tam ementes, quam vendentes in pari conditione constituuntur lucri et damni. Res autem, quæ sic exponuntur, possunt quanti carius vendi et quanti vilius emi; quia potestas publica vel communis æstimatio approbat pro justo pretium illud quod publico emptorum concursu probatur.

Diximus *si absit fraus*, quæ esse potest tam ex parte venditoris, si immittat fictos licitantes, quam ex parte emptoris, si alios dolo impediat a licitatione; et ex parte illorum qui non habent intentionem emendi, sed simulant concurrere, ut aliquid a veris licitantibus extorqueant. Hoc valet etiam de proxenetis, si ex industria mercem exponant, cum pauci sunt emptores, ut sic amicis faveant: hac de re fraudes lex punit [1]. Verum inspecto modo, quo hodie licitationes fieri solent, non tam facile est damnandus venditor, qui per se vel alios licitaretur; tum quia emptores jam de hoc suspicantur, ideoque possunt sibi providere; tum quia adhuc libertas remanet licitandi. Sicut neque illico damnandus est emptor, qui alios rogat ne licitentur; sic enim non aufertur libertas.

Imo non immerito (ait Bouvier) aliqui docent, neque duos vel plures amicos damnandos, qui conveniunt, ut unus eorum tantum licitetur, modo cum aliis tale quoque non ineant pactum: hæc enim habenda est uti quædam commercii societas, cujus membra utique contra se non licitantur. Imo aliqui addunt non tam facile damnandum emptorem qui pactum faciat cum aliis, ne licitentur aut ne plus offerant, si alicubi sit usus, ut venditor rem suam retrahat, quando pretium inferius ei offertur; quia si ipse potest impedire, ne pretium nimis decrescat, æquitas postulat, ne conqueratur, quod emptores conveniant, ne pretium nimis augeatur [2].

417. Q. 7. *Quid est monopolium, et an liceat?*

R. Ad 1: Monopolium aliud est *publicum;* et privilegium est a Principe concessum uni vel pluribus, ut soli quasdam merces vendant. Aliud *privatum*, quod privata auctoritate inducitur, quodque ordinarie monopolii nomine solet intelligi, et definitur: *machinatio, qua unus vel plures ex industria efficiunt, ut soli quasdam merces vendant vel soli emant, statuto ab iisdem pretio* [3].

R. Ad 2: Monopolium publicum jure admittitur; cum illud sit a legitima auctoritate ad commercii prosperitatem, ad industriæ in-

[1] *Cod. pœn.*, art. 402 et seqq. — De hac venditione vide *Cod. proc. civ.* Illis autem restituendum est, quibus damnum evenit.

[2] Excepta contraria consuetudine aut lege non licet venditori rem suam retrahere incepta licitatione, ut patet.

[3] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 814; — *Homo Apost.*, tract. X, n. 183; — Pavone, *Spicilegio* ecc., n. 16. Monopolium est a *monos* solus, et *pôleô* vendere.

crementum atque in laboris præmium. Monopolium vero privatum illicitum est et injustum in hisce casibus:

1. Si mercator impediat fraude vel mendacio, ne aliæ merces advehantur, ut ipse solus merces suas carius vendat cum gravi et publico damno.

2. Si unus vel pauci emant merces omnes, ut illas solito carius vendant; vel si emptores conveniant de non emenda merce, nisi infra pretium infimum. Item si venditores conspirent inter se, ut supra pretium summum vendant; neque enim privatorum est mutare communem ac legitimam pretii taxationem. Item est si ad hoc falsam notitiam spargant, v. g., naves esse submersas, gelu periisse oliveta, res publicas tali in loco esse turbatas et similia mendacia, ut sic publici census descendant (vulgo *fondi publici*); eos ipsi emant minoris et postea vendant supra justum pretium.

3. Si artifices conveniant, ut non doceant artem suam, nisi pretio injusto: vel ut nullus operariorum perficiat opus ad hoc, ut sic injuste compellantur domini ad augendum pretium. Item dicendum si officinarum magistri inter se injuste conveniant de minuendo opificum salario: quod etiam a lege punitur [1].

418. *Quid de mercatore qui tempore messis aut vindemiæ omne triticum aut vinum regionis pretio vili tunc currenti emit, ut caritatem inducat, et sic vendat ultra pretium, quod ipso secluso monopolio, non venderetur?*

R. Communis et vera sententia tenet, hoc esse contra justitiam et charitatem; nam talis emptor in causa est, cur pretium injuste augeatur; cum non sit privati illud mutare: quare tenetur ceteris emptoribus ac reipublicæ restituere. Excipe: 1) nisi res emerit, quæ non sint ad sustentationem necessariæ, uti gemmæ pretiosæ, equi generosi, ornatus mulierum: nullus tunc damnificatur; 2) nisi emerit triticum, vinum, etc., ut postea vendat reipublicæ justo pretio, quo venderent alii ea de longe adsportantes; vel ut vendat civibus moderato lucro, postquam ipsi jam emerint sibi necessaria, ut fecit Joseph in Ægypto, qui tempore fertilitatis emit triticum, ut illud venderet cum lucro tempore caritatis, providendo simul publico bono ac regni necessitati.

Mercatores (addes) *qui conspirant, ne merces suas vendant, nisi summo, licet justo pretio, peccantne contra justitiam et charitatem?*

R. Quoad justitiam duplex sententia: alii cum Continuatore Tournely, Laymano, Roncaglia, etc., probabiliter affirmant illos contra

1 V. *Civiltà Catt.*, ser. 6ª, t. x: *Gli scioperi internazionali.* Et *Cod. pœn.*, art. 385.

justitiam delinquere; quia per medium iniquum cives pretio supremo emere cogunt. Verum alii forte probabilius cum Billuart, Lessio, Lugo, Sylvio negant, si mercatores non conspirent vi vel mendaciis; nam tunc nulla injuria: neque enim ipsi cogunt emptores, sed a propria necessitate coguntur ad emendum pretio summo: aliunde pretium summum adhuc justum est. Attamen peccant contra charitatem, quæ etsi non te obliget ad vendendum infra pretium summum, videtur te obligare ad non dissuadendum aliis, ut non vendant pretio mitiori. Unde merito hæc conspiratio sub pœna carceris ac mulctæ prohibita est [1].

Sed (dices) *facto semel monopolio ab aliquibus mercatoribus pretio injusto vendendi, licetne aliis merces eodem pretio vendere?*

R. Aliqui affirmant, quia pretium illud jam commune est et currens: et est per accidens quod de injustitia natum est. Sed sententia, quæ nobis melior videtur, negat; nam pretium sic adauctum, cum proveniat ex injustitia, ad justitiam reducendum est.

419. Q. 8. *Quid est permutatio?*

R. Permutatio est *contractus, quo contrahentes rem aliquam sibi vicissim dant ad aliam habendam.* Hæc ex lege civili iisdem legibus regitur, quibus venditio, his exceptis [2]:

1) *Se uno dei permutanti ha già ricevuta la cosa datagli in permuta, e prova in seguito che l'altro contraente non è proprietario della stessa cosa, non può essere costretto a consegnare quella, che egli ha promesso di dare: ma solamente restituire la cosa ricevuta* (art. 1551); — 2) *il permutante, il quale ha sofferto l'evizione della cosa in permuta, può a sua scelta domandare il risarcimento dei danni, o ripetere la cosa data* (art. 1552); — 3) *la rescissione, per causa di lesione, non ha luogo nel contratto di permuta. Se però siasi convenuta a carico di uno dei permutanti un rifacimento in danaro che supera il valore dell'immobile da lui dato in permuta, tale contratto si considera come una vendita, e l'azione di rescissione spetta a chi ha ricevuto il rifacimento* (art. 1554) [3].

[1] *Cod. pœn.*, art. 289. Ad rem faciunt neque satis divitibus ac mercatoribus hæc verba Proverbiorum, c. XI, repetuntur: *Alii dividunt propria, et ditiores sunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Anima quæ benedicit, impinguatur, et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium.*

[2] Art. 1549; — *C. A.* 1045; — *C. G.* 1782; — *C. S.* 1548; — *C. P.* 1517; — *C. M.* 1603, et seqq.

[3] « Per *esempio:* Tizio dà in permuta a Cajo la sua casa, che vale lire 20,000, e inoltre gli versa lire 25,000, perchè da Cajo riceve un fondo che si valuta fra le parti lire 45,000; ma che poi viene peritato lire 91,000. L'azione di rescissione per lesione spetterebbe a Cajo, perchè potrebbe dirsi un venditore, avendo egli ricevuto il rifacimento, e la lesione starebbe nell'avere ricevuto meno della metà di quanto diede. »

ART. II. — *De locatione et conductione, de censu et vitalitio.*

420. Q. 1. *Quid de contractu locationis-conductionis* [1] ?

R. Locatio-conductio est *contractus, quo quis, constituto pretio, se obligat vel ad concedendum alteri ad certum tempus alicujus rei usum, vel ad aliquam operam illiberalem pro ipso præstandam, pacta mercede.* Diximus *illiberalem;* opera enim liberalia artis, scientiæque a mercedis ac locationis nomine abhorrent, et pro eo quod tribuitur, *stipendii* et *honorarii* nomine appellari amat: attamen in Codice nulla inter operas distinctio.

Qui rem confert vel mandat operam perficiendam, *locator;* qui vero re fruitur, vel operam perficiendam suscipit, generatim *conductor* vocatur, vel *locatarius.* Substantialia locationis consistunt in re quæ usu non consummitur, ac in mercede. Qui contractus si fiat ultra novennium ad ejus validitatem requirit scripturam publicam, vel etiam privatam modo authenticam. Secus sufficit etiam si fiat verbis; quanquam in omni casu ad ejus majorem securitatem præstat semper scripturam adhibere *(art.* 1314, 1932, 1935).

421. Ex allata definitione patet, duplicem esse locationis speciem, *rerum* et *operum:* quæ duæ species in alias distinguuntur.

1) Quoad res, si locatur domus, dicitur *dare a pigione, a nolo;* et qui eam conducit, appellatur *inquilino.* Si locatur ager ruralis, ut alter eo fruatur, dicitur *colonia, affittanza;* et qui eum conducit, *colono, affittuario.* Si ager locatur, ut cum domino dividantur fructus, dicitur *mezzadria, colonia parziaria;* et qui eum conducit, *mezzajuolo, massaro, colono parziario.* 2) Quoad operas, si quis eo obligat ad alicui famulandum, vel ad res aut personas transferendas, dicitur *prestazione d'opera.*

Operas aliquas perficiendas suscipere, dicitur *appalto, cottimo, a prezzo fatto* [2]. Huc item revocatur locatio animalium, qua unus dat alteri animalia custodienda et nutrienda; et dicitur *a soccida o soccio.*

422. Q. 2. *Quænam sunt regulæ communes pro locatione tum domorum, tum fundorum rusticorum* [3] ?

R. Regulæ communes ac generales hac de re a civili lege statutæ aliæ respiciunt locatorem; aliæ respiciunt conductorem.

a) Quod *locatorem* attinet, ipse vi contractus, alia conventione seclusa, præcipue tenetur: 1) rem locatam tradere aperiendo vitium, si quod sit, v. g., si domus sit ruinosa; 2) solvere expensas extraordinarias ad conservationem necessarias, v. g., servare te-

1 *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 857 et seqq.
2 *De operum* susceptoribus vide Lib. I *De obligationibus.*
3 Arl. 1571; — *C. A.* 1090; — *C. G.* 1708; — *C. S.* 1554; — *C. P.* 1626; — *C. M.* 1641; — *C. T.* 828.

ctum domus locatæ, publica tributa persolvere, nisi aliter sit consuetudo; 3) rei locatæ formam non immutare. Quod si, urgente causa, reparari contingat, conductor id pati debet, quin pretium conductionis imminuatur, si non ultra 20 dies labor producatur. At si reparationes tales sint ut conductor et ejus familia nequeat frui domo, habita ratione circumstantiarum, poterit solvi locatio; 4) conductorem indemnem tueri ut re pacifice fruatur [1].

b) Quod *conductorem* spectat, hæc ille debet præcipua: 1) ut re locata fruatur tanquam bonus paterfamilias ad eum usum, ad quem locatio facta est, vel facta præsumitur, parvas etiam reparationes agendo, si opus. Poterit autem rem a se conductam tertio locare, nisi expresse fuerit interdictum; 2) ut locationis pretium suo tempore solvat; et si nullum statutum tempus, solvat juxta regionis consuetudinem: quod si fuerit in mora culpabili, tenetur etiam ad usuras solvendas a die judicialis petitionis; et locator quoad hoc privilegio gaudet super fructus et mobilia domus vel fundi locati; 3) ut rem restituat, finito locationis tempore, eo statu quo in principio locationis fuit descripta; quod si nulla descriptio, restituenda in statu laudabili, exceptis iis rebus, quæ vetustate vel vi majori corruerint aut detritæ sint; 4) ut teneatur de detrimentis, quæ culpabiliter in re locata contingunt, etiam ob factum personarum suæ familiæ, aut tertii sui conductoris [2]. Item de incendio, nisi probet illud non contigisse sua culpa [3].

423. Q. 3. *Quod tempus pro locatione rerum determinatum est?*

R. Res Ecclesiæ ut locentur ultra triennium, requiritur sanctæ Sedis auctoritas ex canonico Jure [4]. Quod autem pertinet ad bona profana, quoad mobilia nullum tempus constitutum est, ideoque id contrahentium arbitrio relinquitur. Quoad immobilia autem, si agatur de bonis prorsus incultis atque silvestribus, quæ locantur cum pacto, ut ad debitam culturam redigantur, locatio fieri potest etiam ad annos centum, non ultra. Si de bonis immobilibus jam cultis, locatio fieri non potest ultra annos 30, nisi agatur de domo quæ potest locari ad vitam inquilini, et etiam ad biennium post ejus mortem favore hæredum. Attamen ii, quibus actus simplicis administrationis permittuntur, nequeunt locare ultra novennium.

[1] « Al conduttore che in dipendenza d'una costruzione d'una ferrovia attraversante i fondi locati, soffre pregiudizio, compete l'azione per indennità contro il locatore. » *Sent. della Corte di Cassaz. subalpina*, 1855.

[2] Regulas speciales pro locatione *domorum* vide in *Codice*, art. 1603; *fundorum rusticorum*, art. 1614; quoad *colonam partiarium*, art. 1047; quoad *soccitam*, art. 1665.

[3] In incendiarios gravissimæ sunt constitutæ pœnæ ex *Cod. pœn.* art. 633 et seqq. Qui culpabiliter incendit domum assecuratam, debet assecuratori totum refundere, quod ille domino solvit; et insuper dominum resarcire si aliud patitur damnum; cum societas non totum semper tribuat. — *V.* Ferraris; V. *Incendiarii.*

[4] Ex Paulo II, Const. *Ambitiosæ;* vide Lib. III, *De beneficiis, De alienatione.*

424. Q. 4. *Qui succedit locatori in re locata, potestne ante completum terminum conductorem expellere?*

R. Qui in re locata succedit titulo emptionis, non potest conductorem expellere, si locatio sit emptioni anterior et simul facta publico actu vel scriptura privata et certa *(di data certa)*; nisi in ipsa locatione aliter pactum sit [1]. Quod si locatio sit quidem anterior, sed inita sine scripto, conductor poterit locationem continuare toto illo tempore quo fieri solent locationes temporis indeterminati juxta morem illius regionis. Quo tempore consummato, si emptor velit expellere conductorem, potest; sed illum monere debet juxta quod fert loci consuetudo, attamen conductor potest petere a locatore compensationem damnorum.

Si ex ipsa locationis conventione facta sit facultas (casu quod res vendatur) conductorem dimittendi, nulla ipsi debetur indemnitas, citra pactum. Attamen conductor monendus de dimissione tempore a loci consuetudine præstabilito: et si res sit de fundis rusticis, erit monendus ad minimum anno ante. Addit autem lex civilis: *Il compratore con patto di riscatto non può usare della facoltà di licenziare il conduttore sino a che, collo spirare del termine fissato per il riscatto, non divenga irrevocabilmente proprietario* (art. 1602).

Qui in re locata succedit alio titulo quam emptionis (uti legatarius, hæres, creditor) tenetur stare locationi sui auctoris; nam generatim decernitur, quod quisque contractum iniisse præsumatur pro se et a se jus habentibus, nisi contrarium statutum sit aut ex rei natura clare eruatur [2]. Lex autem expresse statuit locationem non solvi morte conductoris vel locatoris [3].

425. Q. 5. *Quomodo solvitur locatio-conductio?*

R. Locatio-conductio rerum solvitur: 1) si res totaliter perit: perit autem locatori; cum ipse dominus sit, modo conductor non sit in culpa; 2) elapso tempore præfinito, quin necesse sit, ut detur dimissio; si tamen, elapso tempore definito, conductor non rejiciatur, habetur repetita locatio; 3) partium tum instantia, si nempe compars in suis deficiat obligationibus, aut res fiat inutilis; tum mutua voluntate, nam *unumquodque eodem modo dissolvitur, quo colligatum fuit* (art. 1578 et seqq.).

426. Q. 6. *Quid est census et quotuplex?*

R. Census sic dicitur a *censeo*, quia cives eorumque bona recen-

[1] Vide etiam *Cod. proc. civ.*, art. 687.
[2] Art. 1127; — *C. G.* 1122; — *C. S.* 1076; — *C. P.* 1095; — *C. M.* 1160; — *C. T.* 850.
[3] Art. 1596; — *C. A.* 1112; — *C. G.* 1736; — *C. S.* 1582; — *C. P.* 1651; — *C. M.* 1671.

sebantur seu describebantur, ut data proportione tributa solverent. Hic census modo sumitur pro annua pensione solvenda; modo pro jure eam exigendi; modo pro contractu, quo tale jus acquiritur. Et hoc sensu acceptus definitur: *contractus, quo quis obtinet jus pensionem annuam percipiendi vel in pecunia vel in re frugifera, mediante cessione alicujus immobilis, vel pecuniæ solutione, quam cedens se obligat ad nunquam repetendam.* Qui jus ad talem pensionem acquirit seu emit, dicitur *censualista, censitor, emptor, creditor;* qui vero pensionem solvit, *censuarius, venditor, debitor.* Ipsa autem pensio dicitur *canon* vel *reditus*, quia ipsa quotannis redit et redditur.

Si censualista alteri vendit, vel cedit rem immobilem titulo sive oneroso sive gratuito, reservata sibi super ea re annua pensione, appellatur *census reservativus* (in *Codice* census fondiarius, *rendita fondaria* [1]). Si vero censualista solvit seu alicui consignat pecuniæ summam, sibi reservando jus percipiendi annuam pensionem, tunc dicitur census *consignativus;* a Codice autem civili *census* simpliciter *(rendita semplice* o *censo)*. Quæ summa assecuranda est hypothecam constituendo super aliquo fundo determinato; secus illa semper potest repeti *(art.* 1782).

427. Census solet distingui in *realem*, si in re frugifera, puta vinea, pensio illa constituatur ac fundetur; in *personalem*, si in aliqua persona obligante se ad annuam pensionem ex arte sua vel labore præstandam fundetur; in *mixtum*, si constituatur in persona simul et ejus bonis, ita ut, re pereunte, persona adhuc remaneat obstricta erga creditorem. In *Codice* tamen *civili* de reali tantum fit mentio: qui quidem census ad validitatem actu publico aut scriptura privata confici debet; imo si agatur de immobilium cessione requiritur, ut actus publicus aut scriptura privata authenticitate donetur et inscribatur *(art.* 1778).

Census tam reservativus quam consignativus, alius est *redimibilis*, alius *irredimibilis*, prout potest vel non potest redimi. Item alius est *perpetuus*, qui nempe semper durat, nisi redimatur; alius *temporarius*, et est qui durat vel ad certum tempus, v. g. ad 10 annos; vel ad tempus incertum, v. g. ad vitam alicujus, et tunc census dicitur *vitalitius*, qui suis specialibus regitur legibus [2].

428. Q. 7. *An census reservativus et consignativus sit licitus?*

R. Affirmative: de *reservativo* non est dubium; nihil enim impedit,

[1] Cessio immobilium transfert plenum dominium in cessionarium, non obstante quacunque contraria clausula; et illa si facta sit titulo oneroso, regitur juxta leges pro venditione constitutas; juxta regulas donationis, si titulo gratuito *(art.* 1781).

[2] Art. 2778; — C. C. 1911; — C. S. 1783; — C. P. 1615; — C. M. 1733; — C. T. 1016.

quominus quis rei suæ proprietatem vendat, reservato jure ad partem fructuum, si in venditionis pretio hujusce reservationi ratio habeatur. Hoc fecit Joseph, qui reddens Ægyptiis prædia Regi vendita pro tritico in annonæ caritate subministrato, pensionem ipsi Regi quotannis solvendam reservavit [1]. — Item licitus est census *consignativus*, si suæ sint conditiones, et census realis sit. Constat tum ex Bulla Nicolai V *Sollicitudo* 1452, tum ex Bulla s. Pii V *Cum onus* 1568. Et ipsa ratione; nam quilibet alteri donare potest jus percipiendi annuam pensionem ex re sua frugifera; ergo et hoc jus alteri vendere. Nec refert quod tractu temporis pensiones percipiendæ excedant pretium solutum: id etiam in venditione rei frugiferæ contingit; neque illicitam dicunt.

Diximus: 1. *Si suæ sint conditiones;* quæ quidem de Jure *naturali* duæ tantum notantur: 1) ut sit æqualitas inter censum et pretium; 2) ut pacta præter naturam census adjecta juste compensentur. De Jure autem *canonico* plures habentur præscriptæ, ut videre est in Bulla Piana; quæ tamen apud omnes non obtinet. De Jure tandem *civili* requiritur, ut pensio solvenda sit speciali hypotheca in aliquo determinato fundo assecurata.

Diximus: 2. *Et si census realis sit;* nam si agatur de censu personali, certum est illud lege Ecclesiæ prohiberi per Bullam Pianam ob periculum usuræ; nam qui emit hunc censum, non tam videtur emere jus ad pensionem ex industria alterius obtinendam, quam dare pecuniam mutuo, ut ex ea annuum fructum recipiat sine titulo. Quod autem adjiciatur personæ industria, hoc tantum videtur fieri ad assecurandam summam capitalem.

Utrum vero iste census lege naturali dicendus sit prohibitus, etiam remota omni usuraria intentione, alii cum Concina et Lugo affirmant, quia hoc esset vendere personam; at persona liberi hominis est invendibilis. Sed multi graves auctores cum Abelly, Habert, Bouvier, Continuatore Tournely, Merbesio, Lessio, Soto, etc., probabilius ac communius negant; quia jus percipiendi pensionem ex alterius industria et labore, tam est pretio æstimabile, quam jus illa percipiendi ex re frugifera. In tali contractu proprie non emitur persona, sed improprie; nam proprie emitur jus super industriam personæ: ex quo etiam patet, hic non haberi contractum mutui, sed tantummodo emptionis-venditionis. [2].

429. Q. 8. *An census redimibilis sit licitus?*

R. *Jure naturæ*, sat probabile videtur cum Laymano, Lessio, Gury, Sporer, etc., contra alios, censum esse redimibilem ex parte cen-

1 Gen. XLVII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 839.
2 *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. X, c. 5.

suarii et censualistæ; quia in censu vera venditio habetur, in qua redemptio licita est. At Jure ecclesiastico (ex Bulla Piana) permittitur quidem censuario, ut possit redimere censum, facta denuntiatione per bimestre; non autem censitori.

Quod vero pertinet ad *Jus civile* statuitur, quod censuario semper sit jus censum redimendi, adeo ut pactum huic juri adversum sit nullum. Attamen conveniri potest, ne census redimatur durante vita censualistæ, vel ne redimatur ante præfinitum aliquod tempus, quod non potest excedere annos 30 in censu fundiario, 10 in censu simplici. Licet quoque pactum inire, ut censuarius censum redimere nequeat, quin primum censualistam præmonuerit, et a monitione tempus aliud (quod anno longius esse nequit) effluxerit. Tandem potest debitor annui proventus seu censuarius, præter casus in conventione ipsa declaratus, adstringi ad censum redimendum: 1) si post legitimam interpellationem per duos annos successivos pensionem non solverit; 2) si omittat exhibere creditori cautelas, quas in ejus securitatem spoponderat; 3) si cautelis datis deficientibus, alias idoneas non substituat; 4) si fundus pro censu datus, vel hypothecæ subjectus plusquam inter tres possessores dividatur; 5) si debitor evaserit decoctus vel obæratus, juxta tamen ipsius legis limitationes [1] *(R)*.

430. Q. 9. *Quid de vitalitio?*

R. Contractus vitalitius est quædam species census, qua quis pro certa pecuniæ summa, vel etiam pro re mobili vel immobili pretio æstimabili et censuario tradita, ab eodem sibi jus emit pensionem annuam recipiendi ex ipsa pecunia vel re, usque ad finem vitæ propriæ aut alterius in contractu indicati. Cum adsit periculum tum in censitore accipiendi plus vel minus, quam traditum ab eo est, tum in censuario solvendi plus vel minus, quam fuerit acceptum; iccirco vitalitium potius considerant pro contractu sortis, quam pro vero contractu emptionis et venditionis: et cum puro eventu fortuito innitatur, ab omnibus licitus existimatur.

Hunc contractum Jus canonicum [2] et leges civiles admittunt tam titulo oneroso, quam gratuito [3] (v. g. donationis et testamenti), modo non excedat quotam pro liberalitatibus a lege concessam. Ad validitatem vitalitii si fiat titulo gratuito, requiritur actus publicus; si titulo oneroso, et in re mobili, satis est actus publicus vel scri-

[1] Art. 1785; — *C. G.* 1912; — *C. S.* 1784; — *C. P.* 1616; — *C. M.* 1735; — *C. T.* 1022.
[2] Arguitur ex *Clement.*, l. III, t. IV *De rebus Eccl. non alien.*, c. 1.
[3] Art. 1789; — *C. A.* 1284; — *C. C.* 1968; — *C. S.* 1840; — *C. P.* 1839; — *C. M.* 1823; — *C. T.* 934.

ptura privata, qui tamen actus vel scriptura debet authenticari; et etiam inscribi, si vitalitius in re constituatur hypothecæ capaci, aut immobili *(art.* 1314, 1932, 1935).

Ad constituendum vitalitii prætium volunt Theologi habendam esse rationem ætatis et sanitatis in censitore. Sed lex civilis illud liberum relinquit, cum sit contractus meræ sortis, modo tamen pensio annuatim tribuenda superet fructum rei traditæ: quæ quidem pensio debetur proportionatim ad numerum dierum, quibus proprietarius vivit, nisi ex conventione anticipate solvenda sit. Sed necesse est, ut persona illa acquirendi sit capax: non tamen extinguitur amissione jurium civilium, semel valide celebrato vitalitio; sed solutio fit ex legis præscripto, v. g. ejus curatori vel filiis [1]. Ceterum ille, in cujus utilitatem census vitalitius constitutus fuit mediante pretio, petere potest resolutionem contractus, si censuarius qui pretium accepit, cautelas pactas non servet. Non tamen illam resolutionem petere potest, si annua pensio a debitore non solvatur; sed ad solvendum judicialiter debitorem compellat. Item si vitalitius sit titulo gratuito, in contractu constitui potest, ut proventus vitalitius sequestro non subjiciatur a creditoribus *(art.* 1800).

Art. III. — *De emphyteusi, pignore, hypotheca, cambio et transactione.*

431. Q. 1. *Quid de emphyteusi dicendum?*

R. Emphyteusis definitur: *contractus, quo rei immobilis in perpetuum vel ad tempus alteri conceditur dominium utile sub onere eam meliorem efficiendi, et domino annuum canonem præstandi.* Emphyteusis græca vox est, quæ sonat *inserere;* quia hoc est in ea præcipuum, quod fundo est aliquid inserendum et sic meliorandum. Differt autem a feudo; quia huic inest onus obsequii personalis; emphytheusi vero onus pensionis realis. Quæ pensio ecclesiastica est vel est civilis, prout constituitur super bona ecclesiastica vel civilia. Is cui res sic traditur, dicitur *emphyteuta* vel dominus utilis; qui rem tradit, *proprietarius* vel dominus directus vel directarius; res tradita, *emphyteutica (bene livellario);* tandem annuus canon præstandus nuncupatur a Latinis *libellus*, et inde natum est, ut Itali ex hujus verbi corruptione illum dixerint *livello.* Emphyteusis, ad validitatem confici debet actu publico vel scriptura privata authenticitate donata a notario vel judice, et inscripta.

Ex *Codice civili* hæc veniunt observanda: 1) *L'enfiteuta può disporre tanto del fondo enfiteutico, quanto delle sue accessioni, sia per atto tra vivi, sia per atto di ultima volontà. Per la trasmissione del fondo en-*

[1] Art. 22 *Cod. pœnal.*

fiteutico, in qualunque modo avvenga, non è dovuta alcuna prestazione al concedente [1]. *La subenfiteusi non è ammessa* (art. 1562). — 2) *Ogni ventinove anni* (ad evitandum præscriptionis periculum) *il concedente può chiedere la ricognizione del proprio diritto da chi si trova nel possesso del fondo enfiteutico. Per l'atto di ricognizione non è dovuta alcuna prestazione: le spese di essa sono a carico del possessore del fondo* (art. 1563). — 3) *L'enfiteuta può sempre redimere il fondo enfiteutico mediante il pagamento di un capitale in danaro corrispondente all'annuo canone, sulla base dell'interesse legale; od al valore dello stesso canone se è in derrate, sulla base del prezzo medio di queste negli ultimi dieci anni* [2]. *Le parti possono tuttavia convenire il pagamento di un capitale inferiore a quello sopra accennato. Ove si tratti di enfiteusi, concessa a tempo determinato e non eccedente i trent'anni, possono anche convenire il pagamento di un capitale superiore, che non potrà però eccedere il quarto di quello sopra stabilito* (art. 1564). Quoad cetera videantur conventiones; quæ si deficiant, en regulæ a lege tum quoad emphyteutam tum quoad proprietarium.

a) Emphyteuta: 1) solvit omnia tributa prædialia et cetera fundi onera; 2) tenetur integrum canonem tribuere, non obstante insolita sterilitate, vel fructuum interita; a quo tamen liberatur si ex integro fundus perit. Si ex parte tantum destruatur, adhuc totus canon solvendus est, si totus ex fundo percipiatur; at si fundus perit in parte notabili, emphyteuta potest rescindere emphyteusim; 3) sibi acquirit omnes fructus fundi et ejus accessiones; et iisdem juribus utitur quibus proprietarius quoad thesaurum ac fodinas quæ in fundo inveniuntur (quod jus non habet simplex usufructuarius).

b) Proprietarius vero potest fundi devolutionem petere (nisi emphyteuta jure redemptionis uti velit): 1) si post legitimam interpellationem duobus annis successivis emphyteuta canonem non solverit (sed et compensanda sunt melioramenta, si quæ facta sint juxta legis præscriptum); 2) si fundo detrimento afferat, vel de eo meliorando non curet; cum hac tamen advertentia: *I creditori dell'enfiteuta possono intervenire nel giudizio per conservare le loro ragioni, valendosi anche all'uopo del diritto di affrancazione spettante all'enfiteuta, offrire il risarcimento dei danni, e dare cauzioni per l'avvenire* (art. 1565) [3].

Ex Jure autem ecclesiastico nova investitio in casu affrancationis non potest fieri in mensis nummulariis, capsis publicis vel parsimonialibus (vulgo *cassa di risparmio*). Item neque in schedis debit. publici, quia non est canonicum et verum investimentum; sed fieri debet in bonis stabilibus tutis et fructiferis; iisque deficientibus, in censu (nisi agatur de legato Missarum, pro quo census non admittitur). Ita pluries S. C. Concilii [4].

[1] In translatione emphyteusis novus emptor solvere tenebatur 'duo in centum domino, quod pretium *laudemium* dicebatur, quasi sit translationis laudatio. Cum laudemium non sit proprie loquendo fructus rei, sed simplex recognitio dominii, si illud percipiat beneficiatus, poterit facere suum sub nullo onere, etsi ejus Beneficium sit *ad ratam reditus*. Sunt tamen qui laudemium habent ut fructus rei; imo sunt qui illud volunt habendum esse uti sit pars ipsius capitalis, ideoque illius naturam sortiri, maxime si emphyteusis redimatur. At prima opinio generatim prævalet. Verum ex civ. cod. *laudemium* non amplius obtinet. De hoc contractu vide Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 865. — Alasia, *De Just. et Jure*, disp. II. — Molina, *De Justitia*, disp. CDXLIV.

[2] « In forza della Legge 24 gennajo 1864, e Regolamento 11 marzo, può aver luogo la redenzione dei beni enfiteutici a qualunque epoca si riferiscono, quando il concedente o così detto direttario sia il demanio, o qualunque altra amministrazione dello Stato, o corpi morali. — Vide etiam *Lex transitoria*, 30 nov. 1865, art. 20 et seqq.; et disputata *de censu* in adnotationibus, n. 612.

[3] *C. A.* 1123; — *C. S.* 1679; — C. *M.* 1617.

[4] Ceterum in præsenti rerum statu S. C. Congregatio, summo Pontifice auctorizante,

432. Q. 2. *Quid de pignore?*

R. Pignus generatim acceptum definitur: *contractus quo a debitore vel alio illius nomine res aliqua traditur creditori in securitatem crediti sui.* Si traditur res mobilis, habetur pignus simpliciter; si immobilis, pignus est improprium et a juristis appellari solet *antichresis* (a greco *anti* contra et *cresis* usus) [1].

R. 2: In pignore simplici duo sunt jura creditoris: 1) est retinendi usque ad totius crediti extinctionem rem pignori datam. Imo a judice potest postulare, ut sub hasta vendatur pignus, si quod sibi debitum est, non solvatur: privata tamen auctoritate, quocunque pacto non obstante, de illo disponere prohibetur; 2) est exigendi solutionem sui crediti cum privilegio et prælatione relate ad ceteros creditores, si qui extent. Tenetur vero creditor: *a*) rem pignori sibi traditam custodire uti bonus paterfamilias; secus debitor potest velle, ut illud sub sequestro ponatur; *b*) usuras a re ipsa perceptas compensare debitori; eique rem restituere ubi debitum fuerit penitus extinctum. Debitor autem compensare debet expensas, si quæ forte peractæ sint pro pignoris conservatione. Addit autem lex: *Le precedenti disposizioni non derogano alle leggi e ai regolamenti particolari concernenti le materie commerciali e gli instituti autorizzati a far prestiti sopra pegni* (art. 1890) [2].

R. 3: In pignore improprie dicto, sive in *antichresi*, creditor non acquirit jus proprietatis; sed jus percipiendi fructus ex immobili sibi tradito, eos computando primo in solutionem interesse si debetur, inde sortis. Hinc creditor tenetur bonum illud custodire diligenter uti suum; solvere tributa annua eidem inhærentia, nisi secus convenerint: item alias utiles et necessarias expensas, sed cum jure compensationis ex fructibus rei. Tandem illud restituere domino, debito extincto [3].

Nota: Ad antichresim requiritur actus publicus vel scriptura privata, sed authentica et transcripta in Officio hypothecæ. Ad pignus autem simplex requiritur scriptura tantum, si agatur de re excedente valorem 500 libellarum *(art.* 1880, 1881, 1314, 1952 et 1933).

permittere solet investimenta, dummodo fiant in schedis debiti publici pontificii nominalibus, exclusis schedis ut ajunt *al portatore*, et prævia facultate obtinenda. — V. *Acta* etc., t. I, pag. 554.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 912. — Ferraris; V. *Pignus*. Pignus differt a *deposito*, in quo sola custodia; a *mutuo*, in quo dominium; a *commodato*, in quo usus rei transfertur. Pignus in securitatem traditur tantum.

Possunt rem pignori tradere qui liberam habent bonorum suorum administrationem. Pignori autem generatim subjiciuntur quæ possunt emi et vendi: hinc non possunt oppignorari res sacræ, nisi urgente causa gravissima. — *Cod. civ.* 1878; — *C. A.* 1368; — *C. G.* 2071; — *C. S.* 1941; — *C. P.* 2098; — *C. M.* 2072; — *C. T.* 1131.

[2] Vide *Cod. commerc.*, art. 188 et seqq.

[3] Art. 1891; — *C. A. civ.*, §§ 451, 452 et 1372; — *C. G.* 2071; — *C. S.* 1491; — *C. P.* 2093; — *C. M.* 2063; — *C. T.* 1096. Quæ a lege civili de antichresi decernuntur, nullo modo officiunt juribus, quæ tertio cuipiam competere possunt in bona ipsa immobilia antichretico pacto alteri tradita.

433. Q. 3. *Quid est hypotheca?*

R. Hypotheca (sic dicta a græca voce, quæ idem sonant ac *res supposita;* quia per eam res aliqua speciali obligationi supponitur vel subjicitur) definitur: *jus creditoris in rem immobilem debitoris constitutum ad securitatem ejus, quod sibi debetur.* Differt a pignore in eo, quod pignus traditur; hypotheca vero nuda conventione firmatur. Constitui potest non tantum in bona immobilia quibus jugiter inhæret ad quascunque manus illa transierint cum suis accessoriis ac meliorationibus, quousque totaliter debita extinguantur [1]; sed etiam in eorundem usufructu (si excipiatur qui debetur ascendentibus). Item in jura proprietarii et emphyteutæ quoad bona in emphyteusim data; item in census in gubernio fundatos.

Hypotheca triplex distinguitur: alia *legalis* seu implicita et tacita, et ea est, quæ ab ipsa lege inducitur: *Hanno ipoteca legale* (ex Codice): 1) *il venditore od altro alienante sopra gli immobili alienati, per l'adempimento degli obblighi derivanti dall'atto di alienazione;* 2) *i coeredi, i soci od altri condividenti sopra i mobili caduti nell' eredità, società o comunione, per il pagamento dei rifacimenti e conguagli;* 3) *il minore e l'interdetto sui beni del tutore...;* 4) *la moglie sui beni del marito per la dote e per i lucri dotali...;* 5) *lo Stato sopra i beni dei condannati per la riscossione delle spese di giustizia in materia criminale, correzionale e di polizia, compresi in essi i diritti dovuti ai funzionari ed agli ufficiali giudiziari* (art. 1969). — Alia *judicialis*, quæ procedit a tribunalis sententia in illius gratiam, qui sententiam obtinuit contra eum, qui causa cessit 2. — Alia *conventionalis*, quæ pendet a mutua contrahentium voluntate et confici debet scriptura publica, vel etiam privata, quæ tamen sit a notario vel judice confirmata, seu authenticitate donata. Hypotheca legalis et judicialis potest complecti bona immobilia cum suis accessoriis præsentia et futura; conventionalis vero sola præsentia [3].

Illi solum possunt hypothecam concedere, qui alienandi habentur capaces: sic prohibentur minores, et uxores (nisi mercaturam exerceant) sine auctorizatione tribunalis vel mariti. Interdicti sine deliberatione consiliifamilias quæ homologari debet; inhabilitati sine assistentia curatoris, etc. [4]. Ut vero hypotheca suam habeat vim:

[1] « Così per esempio: Muore Antonio lasciando tre eredi, trovandosi il di lui fondo gravato da un' ipoteca di lire 9,000 a favore di Carlo. Se uno degli eredi paga la sua quota di lire 3,000, il fondo resta tuttavia gravato interamente e vincolato pel residuo importo di lire 6,000. *Hypotheca est tota in toto et tota in qualibet parte.* »

[2] Vide etiam *Cod. proced. civ.*, art. 24, 554, 941 et seqq.

[3] Art. 1964 et seqq. — *C. G.* 2114; — *C. S.* 2000; — *C. P.* 2165; — *C. R.* 103; — *C. M.* 2146; — *C. H.* 56 hoc tit. — *C. T.* 1154. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 913.

[4] Art. 134, 224, 296, 301, 329, 334, 1974; *Cod. commerc.*, art. 6; et *Lex transitoria*, 30 nov. 1865, a. 37.

1) debet constitui super capitale, jura, vel immobilia specialiter designata, tria saltem confinia indicando, et ob determinatam pecuniæ summam. Quæ bona supplenda sunt, si detrimentum ita patiantur, ut non sufficiant ad tuendum creditorem; 2) publica fieri debet, quod evenit per inscriptionem ad Ufficium hypothecæ, et in loco ubi sita sunt bona: hæc autem inscriptio intra 20 dies fieri debet pro uxore, interdicto et minori *(art.* 1965, 1989).

Hypotheca statim ab inscriptione suum exerit jus; et primus qui inscriptus fuit, potior est in jure: quod si plures una simul petant inscribi, æque concurrunt contra debitorem. Hæc autem maxime sunt notanda etiam a Parochis et beneficiatis, qui inter bona propriæ præbendæ habent jura fundata in hypotheca: 1) *L'iscrizione conserva l'ipoteca per trent' anni dalla sua data; l'effetto dell' iscrizione cessa se non è rinnovata prima della scadenza del detto termine:* art. 2001; 2) *le spese dell' iscrizione e della rinnovazione sono a carico del debitore, se non vi è stipulazione in contrario:* art. 2000; 3) *l'iscrizione dell' ipoteca legale della moglie conserva il suo effetto senza la rinnovazione durante il matrimonio, e per un anno successivo allo scioglimento del medesimo:* art. 2004; 4) citius quoad potest hypoteca inscribatur, ne contingat ut tertius jus nostrum usurpet [1].

Hypotheca extinguitur: 1) credito extincto, nisi in creditoris jura succedat qui pecuniam ad satisfaciendum dedit; 2) expressa creditoris renuntiatio; 3) præscriptione, scilicet præscripto debito, si bona vinculo ligata sint penes debitorem [2]: secus lapsu triginta annorum [3]; 4) modis a lege statutis ad hoc, ut tertius possessor rem liberet a tali onere; 5) ipsa re gravata pereunte; 6) verificata conditione, si quæ apposita [4].

134. Q. 4. *Quid est cambium, quotuplex, et an licitum?*

R. Ad 1: Cambii nomine venit *contractus, quo fit permutatio pecuniæ pro pecunia cum aliquo lucro supra sortem.* Ille, a quo petitur

[1] « Per *esempio:* Tizio constituì l' ipoteca a favore di Luigi e di Andrea sulla sua casa a garanzia dei loro crediti; ma i detti creditori non si dettero premura di fare la iscrizione. Tizio intanto vende la casa a Tommaso, e questi fa inscrivere il titolo d'acquisto, e perciò da quel momento Luigi ed Andrea non possono più inscrivere la ipoteca che era stata loro costituita da Andrea. »

[2] « Per *esempio:* Devo 100 franchi, per i quali ho consentita un'ipoteca sopra uno stabile che fu sempre presso di me; se il mio creditore, dopo di essere stato in silenzio per anni 30, reclama questa somma, potrò opporgli la prescrizione, e l'ipoteca sarà prescritta col medesimo trascorso di tempo. »

[3] « Così l'usurpatore di un fondo non ne prescrive il dominio che in 30 anni. »

[4] Hypotheca potest restringi ad minorem partem fundi vel summa minui; vel ex partium consensu, cancellari potest. Art. 2029, 2040; — *C. G.* 2146; — *C. S.* 240; — *C. P.* 2252; — *C. R.* 131; — *C. M.* 2186; — *C. H.* 78; — *C. T.* 1159. Ante annum 1821 nondum in vigore hypotheca, ad assecurandum mutuum, illud concedebatur sub nomine venditionis, re vendita quasi hypothecata, et tunc coram lege mutuum est, non venditio. Id dignoscitur tum si contractus sit initus sub pacto redemptionis, tum si pretium non respondeat rei, tum maxime si res vendita adhuc remanebat in manu ipsius venditoris, qui fructus emptori solvere tenebatur.

Aliquando etiam urgeri potest, ut debitor conjiciatur in carcerem: vide *Cod. civ.*, art. 2093: *Dell'arresto personale;* et *Cod. prov. civ.*, art. 750.

cambium, vocatur *campsor, collybistes, bancarius, mensarius, nummularius, trapezita, publicanus;* ille vero qui petit, *campsarius* dicitur. Cambium differt a venditione quia in hac merx pro pecunia, in cambio pecunia pro pecunia commutatur; a commodato et deposito quia in his dominium non transfertur, utique in cambio; a mutuo, quia mutuum locum habet in qualibet re fungibili, est gratuitum et fit ad tempus, e contrario cambium solum exercetur circa pecuniam, fit cum lucro et statim consummari potest.

R. Ad 2: Cambium aliud est siccum, aliud reale. *Siccum* sic dictum, quia succo et humore caret, non aliud est quam usura palliata; nam datur pecunia tanquam in loco distanti trasferenda et recipienda (et ideo pretium pro translatione recipitur), quæ tamen nullimode transfertur, sed illico et statim recipitur in præsenti loco. Hoc Pius V, Bulla *In eum* 1571, prohibuit uti usurarium: et merito, cum nullus sit titulus percipiendi lucri. *Reale* autem seu verum est illud, in quo vere et realiter pecunia commutatur: si commutatur pecunia præsens pro præsenti, v. g. aurum pro argento, habetur *cambium minutum* seu *manuale*. Si commutatur pecunia præsens pro distanti, v. g., numero campsori pecuniam Novariæ, mihi restituendam Taurini, habetur *cambium locale* seu *trajectitium:* quod hodie maxime fit per *literas* (sic dictas) *cambiales*, ac moderatur a *Codice commercii*. Si tandem Novariæ detur campsario pecunia ea lege, ut post aliquod tempus, v. g. ad proximas nundinas, Taurini restituatur cum majori vel minori lucro seu auctario, prout magis vel magis vel minus distant nundinæ, dicitur *cambium ad nundinas*.

R. Ad 3: Cambium tum *minutum* tum *locale* tum *ad nundinas*, omnibus de Jure naturæ licitum est [1]; quia in eo adest justus titulus aliquid lucrandi, nempe labor campsoris in numeranda pecunia eaque transferenda, diligentia in nummis cujuscunque generis conquirendis, curæ in detinendo telonio, expensæ in famulos, pericula tum furum tum cessionis debitorum, tum imminutionis monetæ, etc. In cambio tamen per literas campsor debet minus exigere, quam si realiter pecuniam transtulisset; quia minus est oneris [2].

435. Q. 5. *An accipiens pecuniam adulterinam possit eam expendere?*
R. Negative: non potest eam expendere, si intrinsece sit falsa, ut

[1] Jure tamen ecclesiastico vetitum est clericis cambia exercere etiam sub alieno nomine, idque sub pœnis statutis in clericos negotiatores, nempe ex Bulla Clementis XIII *Cum primum*. — V. *De Clericorum negotiatione*, lib. I.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 850; — Ferraris; V. *Cambium*. Qui artem cambiendi non exercet, potest nihilominus lucrum ex commutatione percipere; quisque enim jus habet ad lucrum pro suo labore et industria. Hinc famulus recipiens pecuniam auream a domino, ut satisfaciat creditoribus domini, potest eam commutare cum alia lucrum pro se retinendo: excipe nisi dominus voluisset satisfacere pecunia aurea.

si des stamnum pro argento; non enim justum pretium solveres. Neque obstat, quod tibi fuerit tradita; non enim quia tu ab aliis deceptus fuisti, tibi licet decipere alios. Si vero pecunia falsa sit quoad formam tantum extrinsecam accidentalem, non est contra justitiam commutativam per se loquendo eam expendere. Cavendum tamen in omni casu ne quis se vel alios eam expendendo gravi damno exponat; cum ex lege civili monetas falsificare, alterare vel falsas expendere sit sub maximis pœnis vetitum [1].

436. Q. 6. *Quid est transactio, quotuplex, et quid de ea?*

R. Transactio est *contractus, quo partes contrahentes, singulæ aliquid cedendo, promittendo vel retinendo, finem imponunt liti alicui, quæ vel jam intra ipsas incœpta sit, vel quæ prævideatur nascitura.* Ad transactionem de necessitate requiritur actus publicus, vel scriptura privata quæ tamen inscribenda est, et ideo prius authenticanda, si respiciat immobilia vel alia bona aut jura hypothecæ capacia [2]. Transactio non respicit nisi lites quæ nominatim declaratæ fuerunt, et tantum in ea parte in qua fuerunt notatæ [3]. Qui transegit in una parte, quæ nunc est sui juris, non censetur transegisse in alia quæ postea sua fit [4]. Ex lege autem civili: *Si può fare transazione sopra un'azione civile che provenga da un reato. La transazione non è di ostacolo al procedimento per parte del pubblico ministero* (art. 1766). *Nelle transazioni si può stipulare una pena contro chi non le adempie. Questa pena tiene luogo di compenso pei danni cagionati dal ritardo; fermo tuttavia l'obbligo di adempiere la transazione* (art. 1767).

Nemo potest valide transigere, nisi habeat facultatem disponendi de rebus, quæ sub transactione cadunt: unde tutores transigere nequeunt super bonis minorum, nisi interveniant formulæ juris. Quando transactio permittitur, illius magna vis est; nam, ea semel admissa, nequit amplius impugnari neque causa læsionis neque ignorantia juris, etsi casu inveniantur documenta, et quidem constet rem fuisse certo unius partis quæ transegit. Et si error contigerit in calculo, error corrigitur, sed transactio subsistit. Rescinditur tamen, si error sit vel in persona, vel in objecto controverso, vel si intervenerit dolus aut vis; item nulla est, si fundata fuerit super falsa documenta. *È parimenti nulla* (addit Codex) *la transazione di una lite che fosse finita con sentenza passata in giudicato, della quale*

1 *Cod. pœn.*, art. 316 et seqq.

2 Art. 1764; — *C. A.* 1389; — *C. G.* 2044; — *C. S.* 1916; — *C. P.* 1867; — *C. M.* 1838; — *C. T.* 949.

3 « Per *esempio:* Si è transatto sul diritto di passaggio da un fondo all'altro, e si rinunziò a tutte le ragioni ed azioni; ma tale rinunzia non sarebbe operativa sulla questione che in ipotesi sussistesse per titolo di stillicidio fra i due fondi. »

4 « Per *esempio:* Cajo e Tizio sono creditori verso Andrea di lire 4,000, e dopo promossa la lite, Cajo transige per la sua parte in lire 1,000; ma Tizio continua la lite. Morto Tizio diventa erede Cajo; Cajo non sarà vincolato verso Andrea dalla transazione che già aveva fatto in riguardo alla sua parte di credito. »

le parti od una di esse non avesse notizia (art. 1776); cum tunc deficiat elementum transactionis, seu lis incæpta vel nascitura; ea enim jam absoluta est. *Si può egualmente impugnare una transazione che sia stata fatta in esecuzione di un titolo nullo, salvo che le parti abbiano espressamente trattato della nullità* (art. 1774) [1].

Art. IV. — *De bonorum communione in genere, de contractu societatis et contractu trino.*

437. Q. 1. *Quid de bonorum communione in genere?*

R. Bonorum communio generatim sumpta est *duorum vel plurium ad eandem rem, cujus quidem comproprietatem tenent, partecipatio* [2]. Tunc autem communio contractus veræ societatis indolem induit, cum inita est ad lucra inde provenientia dividenda. Hac de re si deficiant speciales a partibus constitutæ leges, en Codicis civilis normæ: 1) partecipantium concursus in juribus et oneribus debet proportionari quotæ singulorum; 2) quilibet potest suam portionem alienare, cedere, hypothecæ subjicere, vel etiam in suo jure fruendi alium substituere, nisi agatur de jure personali; 3) si major pars non consentiat, in re communi fieri nequeunt innovationes etsi utiles: potior autem pars est eorum qui majoribus fruuntur juribus. Si non concordant, vel si inde grave detrimentum res patiatur, controversia erit a judice definienda; 4) quilibet potest a communione recedere, nisi tempus determinatum sit, quod non erit ultra decennium. Imo judex, si urgeant circumstantiæ, potest communionem dissolvere ante terminum præstabilitum; 5) quoad pascua habet lex: *Nei territori ove è stabilita la reciprocità dei pascoli, il proprietario che vuole recedere in tutto od in parte dalla comunione del pascolo, deve farne la denunzia un anno prima, e al termine dell'anno perderà il diritto di pascolo nell'altrui fondo in proporzione del terreno, che ha sottratto all'uso comune. La denunzia sarà notificata all'amministrazione comunale e pubblicata nel luogo degli affissi del Comune, ecc.* (art. 682).

[1] « Per *esempio:* L'erede testamentario transige col legatario sull'oggetto del legato (per ipotesi sulla valuta), ed indi viene giudicato nullo il testamento; la transazione sarebbe nulla. Se invece fra l'erede testamentario e il legatario si fosse transatto sul legato in virtù della possibilità che il testamento venisse dichiarato nullo, la transazione non potrebbe impugnarsi, quand'anche il testamento venisse dichiarato nullo. »

[2] « Nel Codice si riscontrano vari casi di comunione, come nel caso di mescolanza di materie *(art.* 471); di comunione di muri *(art.* 436); di partecipanti all'uso di un'acqua *(art.* 657); fra i coeredi, fra i conjugi, i soci *(art.* 1433, 1701). E nei rispettivi titoli sono date le norme speciali, contenendo invece il presente titolo le norme generali spettanti a tutte o alla maggior parte di esse. » *Carabelli.*

438. Inter fratres societas seu communio bonorum tacite inita censetur, si ipsi habeant patrimonium indivisum et de communi mensa vivant. At si unus plus laborem conferat, potest plus accipere juxta æstimationem sui laboris. Item dicunt, fratrem posse sibi compensationem facere (secluso pacto contrario aut consuetudine), quando alter frater qui filios habet pro societate non laborantes, multo plus insumit in alenda familia, quam insumat qui filios non habet. Si autem aliquis frater absens negotietur communi nomine ex communibus bonis, intelligitur habere societatem, usquedum moneatur a ceteris fratribus, velle ipsos divisionem facere; et tunc de se neque desinit societas pro negotiis jam incæptis. Ita Bartolus, Bonacina, Roncaglia, Giribaldus et alii communiter [1].

439. Q. 2. *Quid est ac quotuplex societatis contractus* [2]*?*

R. Societas est *contractus*, *quo duo, vel plures aliquid conferunt ad commune lucrum dividendum*: potest etiam sine scriptura confici; excipe nisi agatur de immobilium fruitione per tempus indeterminatum aut ultra novennium. Tunc requiritur actus publicus vel scriptura privata authenticitate donata et inscripta. — Societas est vel universalis vel particularis. *Universalis* duplex: alia complectitur omnia bona præsentia, et evenit quando socii omnia, quæ nunc possident sive mobilia sive immobilia et lucra obvenientia, in commune ponunt (bona autem quæ donatione vel successione erunt acquisituri, ita conferri possunt, ut eorum fruitio tantum, non proprietas communis evadat). Alia complectitur omnia lucra, quæ socii, durante societate, quovis titulo erunt comparaturi: at bona quæ jam a sociis possidentur tempore contractus, non comprehenduntur in hac societate, nisi quoad eorum fruitionem.

440. Societas vero *particularis* respicit tantum res determinatas ac particulares, aut earum usum vel fructus, uti si duo simul fundum sibi comparent, ut eo simul fruantur. Huc pertinet etiam societas, qua plures conveniunt de certo opere perficiendo, aut de exercitio alicujus artis vel professionis, uti si duo pictores contractum ineant de exercenda arte propria in communione. Societas vero particularis subdividitur in civilem et commercialem, prout ipsa respicit actus privatorum civiles vel actus commerciorum [3].

441. Notandum: 1) societas universalis inter eos non obtinet qui ex lege incapaces sunt dandi et accipiendi, vel sociari non possunt

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 907, q. 3.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 904. — Pavone, *Spicilegio canonico, morale* ecc., § 54. — Ferraris; V. *Societas.*
[3] Art. 1697; — *C. A.* 1778; — *C. G.* 1832: — *C. S.* 1704; — *C. P.* 1730; — *C. M.* 1736; — *C. T.* 890.

sine violatione juris aliorum [1]; 2) societas universalis absque ulla alia declaratione inita non inducit, nisi societatem universalem quæstuum; 3) quilibet sociorum, absque aliorum consensu, potest sibi adjungere alium quoad suam portionem, non tamen in societatem admittere: hinc illud *socius mei socii meus socius non est;* 4) socii non tenentur in solidum ob debita societatis non commercialis: neque unus alium potest obligare sine facultate expressa *(art.* 1703, 1725).

442. *An contractus societatis sit licitus?*

R. Contractus societatis est utique licitus quando requisitis conditionibus fulciatur; quia nihil tunc eidem deesset ex iis, quæ in jure præcipiuntur; illam apud omnes gentes esse in usu, ac valde ad commercium conferre, notum est. Porro conditio præcipua est, ut societas fiat in negotiatione honesta; nam *delictorum turpis atque fœda communio est* [2].

443. Ex lege autem civili, ipsa ratione dictante, hæc maxime sunt observanda in hoc contractu:

1. Socius qui est in mora ad conservandum quod promisit, ipso jure tenetur ad usuras solvendas (vulgo *interessi)*, atque ad damna compensanda. Si unus sociorum accipiat a suo particulari debitore (qui etiam debitor sit erga societatem) quod ipsi debetur, tenetur imputare, habita debitorum proportione, partem solutæ pecuniæ in societatis favorem [3]. Item si recipit totam suam portionem crediti socialis a debitore qui postea incapax evadat quoad alios socios, portio illa conferenda est in societate [4].

2. Si res quæ est subjectum societatis, usu consummitur, vel servando servari non potest, vel decernatur vendenda, vel sit æstimata, si casu perit, perit ipsi societati; perit autem domino si res collata certa ac determinata sit, quæ non consummitur usu. Hinc in vera sententia finita societate, prius reddenda est sors domino pecuniæ et postea lucrum, si quod remanet, inter socios dividendum. Et hoc firmatur a Sixto V Bulla *Detestabilis:* quare si quis ad ne-

1 « Così tra padre e un figlio non potrebbe aver luogo tale società, perchè il figlio di famiglia non può avvantaggiare a pregiudizio dei suoi fratelli. »

2 *Digest.*, l. XVII, t. II, *Pro socio*, lege 53. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 907.

3 « Per *esempio:* La società è in credito verso Carlo di lire 3,000, e il socio Luigi è pure in credito verso Carlo di lire 2,000 per un affare suo speciale. Ora Carlo pagò a Luigi lire 1,500 in acconto del suo debito; Luigi dovrà passare lire 900 alla società e non potrà ritenere che lire 600 in acconto del suo credito particolare, ancorchè colla quitanza avesse fatta l'intera imputazione al suo credito particolare. Per contrario se ha dichiarato nella quitanza che l'imputazione è fatta interamente al credito della società, questa dichiarazione ha il suo pieno effetto *(art* 1712). »

4 « Per *esempio:* Tizio deve ad una società composta di tre persone lire 12.000. Luigi, uno dei soci, si fa pagare la sua quota di lire 4.000, ed indi Tizio diventa insolvibile, per cui nulla possono conseguire gli altri due soci. Luigi in tal caso deve versare alla società le lire 4,000, quantunque abbia rilasciata la quitanza a sconto della sua porzione (*art.* 1713). »

gotium confert navem et alter operam, completo negotio, navis ipsa tota debetur domino (navis enim nonnisi ad usum data fuit), dein lucrum dividendum: et quidem pro rata, habita nempe ratione industriæ ex una parte, et commoditatis per pecuniam habitæ ex altera. Quum enim socii in jure habeantur quasi fratres, certo repugnat quælibet inæqualitas, ut si quis vellet percipere de lucris, et nulli subjici damno: hæc esset illa societas, quam *leoninam* appellant, merito reprobata [1].

3 Lucrum juxta præstabilitam determinationem sociorum ex æquo dividendum est, vel juxta illud quod quisque sive de re sive de industria ad societatem confert, cum hac legis declaratione: *Riguardo a colui che non ha conferito che la propria industria, la sua parte nei guadagni o nelle perdite è regolata come la parte di colui che nella società ha conferito la somma o porzione maggiore* (art. 1717). Quod si hæc determinatio uni sociorum vel alicui tertio commissa sit, impugnari nequit causa læsionis, nisi contra æquitatem evidenter contraria dignoscatur, et intra tres menses querela proposita fuerit.

4. Deficiente speciali determinatione, hæc maxime obtinent a lege: *Si presume che i soci siensi data reciprocamente la facoltà di amministrar l' uno per l' altro; l' operato di ciascuno è valido anche per la parte de' consoci, ancorchè non abbia riportato il loro consenso, salvo a questi ultimi o ad uno di essi il diritto di opporsi all' operazione prima che sia conclusa. Uno de' soci non può fare innovazioni sopra gli immobili dipendenti dalla società, ancorchè le reputi vantaggiose ad essa, se gli altri soci non vi acconsentano* (art. 1723).

5. Quilibet socius subire debet proportionatim onus damnorum et expensarum societatis. Nomine *damnorum* veniunt damna illa quæ solo intuitu societatis obveniunt socio, puta si ipse causa custodiendi aut transferendi aut comparandi merces diripiatur a latronibus. Non autem (seclusa conventione) damna quæ remote occasione societatis socius patitur, uti si ideo prætermittat acquirere legatum sibi relictum, negotiis domus suæ providere, etc. Si vero causa societatis vulneretur socius vel ejus servus a latronibus, tunc ex jure solum expensæ curationis debent a consociis in communi sustineri [2].

444. Nomine *expensarum* veniunt sumptus itinerum, transvectionum, solutionis vectigalium, conservationis mercium, etc. An socius itinerans societatis causa possit sibi deducere omnes itineris

[1] Sic dicitur ab apologo leonis, qui pactum inierat cum ceteris feris, ut ipse participaret prædis omnibus; non tamen labori et periculis. — *Cod. civ.* art. 1719; — *C. A. civ.* § 1196; — *C. G.* art. 1855; — *C. S.* 1727; — *C. P.* 1745; — *C. M.* 1759; — *C. T.* 894. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 907.

[2] Lege *Cum duobus*, § *Quædam*, ff. *pro socio*. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 905

expensas, ex pecunia communi, alii negant; quia societas non tenetur ad sumptus quos socius domi fecisset: ergo neque illos quos fecit in itinere, nisi fuerint excedentes. Ita si necessario in itinere quis consumpsit centum, et domi non consumpsisset ex propriis nisi quinquaginta, societas debet illi refundere alia quinquaginta. Verum alii concedunt omnes itineris sumptos posse deduci, nisi diversa sit consuetudo aut conventio: quod videtur probabilius utpote juri conformius [1]; sed quia primum non audeo improbabile dicere, ideo censeo, quod si bona fide socius sibi omnes expensas deduxit, poterit esse tutus in conscientia; non autem si mala fide, quia cum opinione tantum probabili nequit inchoari possessio.

445. Q. 4. *Quot modis finitur societas?*

R. Contractus societatis finitur: 1) *finito tempore* ad negotiandum constituto, aut *finita negotiatione;* aut rei in societatem datæ *extinctione.* Item si res, quam unus sociorum conferre promittit, antequam realiter tributa sit, pereat, societas dissolvitur [2]; 2) *morte* alterius socii; etenim in societate primario spectatur personalis industria mercatoris. Pactio tamen potest fieri, ut morte interveniente unius socii, societas vel cum ejus hærede, vel tantum cum sociis qui supersunt, continuetur; 3) *interdictione* vel *decoctione* unius sociorum; item mutuo sociorum *consensu* ut patet; 4) solvi potest etiam *voluntate* unius tantum, modo talis renuntiatio non sit intempestiva, id est in grave damnum societatis, et modo res sit de societate temporis indefiniti. Ut enim aliquis sociorum valedicat societati ante tempus determinatum, requiritur auctoritas judicis, qui sua prudentia perpendere debet an causæ sint sufficientes, ut si habituali detineatur infirmitate, etc. *(art.* 1729 et seqq.).

446. Q. 5. *Quid est contractus trinus, et quid de eo?*

R. Ad 1: Contractus trinus *est ille, in quo simultanee cum una eademque persona concurrunt contractus societatis, assecuratio sortis et emptio lucri:* v. g., Lucius confert mille aureos in societatem cum Titio; en primus contractus *societatis.* Cum vero ex ea speret quindecim pro singulis centum, veritus ne negotiando sua pecunia pe-

1 Lege *Si fratres,* § *Si quis ex sociis;* et Lege *Secundum Julianum,* § *Pro socio.*

2 « Due persone comprano un cavallo; se questo cavallo muore, la società è disciolta. Non vi ha difficoltà quando la cosa che è perita formava essa sola il fondo comune; ma che cosa dovrem dire quando ciascuno dei soci conferì uno speciale oggetto? La perdita dell'oggetto che formava la quota d'uno di essi, trarrà seco l'annullamento della società? Vuolsi distinguere: se la proprietà delle cose venne portata in comunione, la società non è sciolta per la perdita di una di esse; imperocchè questa proprietà è divenuta comune fra tutti i soci dal momento in cui il contratto fu perfetto. Ma se esse non vennero poste in comunione che pel solo godimento, questa perdita dà luogo allo scioglimento della società; giacchè il socio ha promesso il godimento successivo della cosa, e se non lo procura, non può pretendere di goder della cosa dell'altro; egli trovasi senza quota effettiva, e non è più socio. »

reat, quinque ex eis cedit Titio, ut sortem sibi assecuret; en secundus contractus *assecurationis*. At sciens melius esse modicum certum, quam majus incertum, quinque alios sic speratos cedit Titio ipsi, ut quinque certa quiquid eveniat, sibi solvat; en tertius contractus *emptio lucri*. Duo Lucio certa sunt, sors et lucrum.

447. R. Ad 2: Contractum trinum simultanee cum eadem persona initum Habert, Bouvier, Concina, Continuator Tournely, Merbesius, etc., negant esse licitum; nam per tales contractus societati adjunctos, societas ipsa destruitur, cum de hujus natura sit, ut damnum et lucrum stent ex utraque parte. Unde solum remanet lucrum fœneratitium; amovere enim omne periculum sortis mutuum est; ex mutuo autem lucrum pacisci, usura est. Hinc merito contractus trinus a Sixto V damnatus fuit Bulla *Detestabilis*.

Alii vero cum Lugo, Lessio, Laymano, Navarro, Roncaglia, Salmanticensibus, Sylvio, Sporer, etc., affirmant contractum trinum licitum esse; nam si tres hi contractus disjunctim valent, etiam conjunctim valere debent. Neque enim in contractibus per se attenditur diversitas personæ; sed æqualitas rei ad rem: et hæc adest, cum pro majori periculo et major tribuatur spes lucri. Neque destruitur societas; quamvis enim unus non sentiat incommodum periculi, sentit tamen incommodum minoris lucri. Neque obstat Bulla; *vel* enim usum non obtinuit, *vel* usu contrario est abrogata, *vel* dicendum per eam solos usurarios contractus fuisse reprobatos, uti ajunt Pontificem respondisse: quod quidem confirmavit Romana Rota. Hæc secunda sententia quam plures tuentur Universitates, licet communior sit ac satis probabilis, est tamen valde periculosa in praxi: hinc expedit, ut prima universim suadeatur. Et Benedictus XIV ait, eam *minus congruere Sixtinæ Constitutioni* [1]. Imo ipsa civili lege videtur expresse reprobata [2].

448. Si autem duo tantum ex dictis contractibus simul cum eadem personam fiant, v. g., societas et venditio lucri, non assecurata sorte: vel societas et assecuratio sortis, non venditio lucri, illicitus non est. Nam tunc societatis natura non resolvitur in mutuum usurarium; quando enim non assecuratur sors, manet ipsa in tribuentis dominio, ideoque ipsi crescit, decrescit aut perit. Cum vero sors quidem assecuratur, sed non venditur lucrum, socius assecurans non fit dominus pecuniæ; de hac proinde disponere non valet, sed eam in negotiationem tenetur impendere. — Item est si tres dicti contractus fiant utique cum eadem persona, sed successive, id est diverso tempore; et adsit bona fides, id est absit intentio tales contractus jungendi, tunc adhuc licent; nam idem est, ac si fierent cum diversis personis.

Art. V. — *De mutuo* (o prestito di consumazione) *et usura.*

449. Q. 1. *Quid est mutuum?*

R. Mutui nomen juxta veteres juresconsultos significat *aliquid ex meo tecum fieri* [3]; sed mutuum aliquando sumitur pro ipsa re mutuo

[1] *De Syn. Diœc.*, l. x, c. 7. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 908.

[2] Art. 1719 legitur: « È nulla la convenzione, per cui i capitali, o effetti posti in società da uno o più soci si dichiarassero esenti da qualunque contributo nelle perdite. » — *C. A.* 1196; — *C. G.* 1855; — *C. S.* 1727; — *C. P.* 1745; — *C. M.* 1759.

[3] Lib II, *ff. de rebus creditis.* — In sensu proprio et genuino *mutuum* retributionem

donata: aliquando et sæpius pro contractu, quo ea res alteri datur. Et hoc ultimo sensu mutuum solet definiri: *contractus, quo rei primo usu consumptibilis, per traditionem, dominium in alterum transfertur, cum obligatione tantundem reddendi in eadem specie et in eadem bonitate post aliquod temporis spatium.*

Dicitur: 1. *Contractus, quo rei primo usu consumptibilis:* quæ res est illud omne, quod illico usu destruitur vel reipsa seu physice, vel commutatione, sive moraliter sive civiliter. *Physice* destruitur quod natura sua consumitur ad humanis necessitatibus subveniendum, ut panis, frumentum, oleum, vinum, sal, butyrum, fructus. *Moraliter* vero destruitur pecunia mutuo data, quæ licet usu non pereat in se, ei tamen perit qui illam alteri tradit. Unde patet in rebus, quæ usu non consumuntur proprie mutuum obtineri non posse, sed commodatum aut locationem haberi *(Cod.* art. 1820) [1].

2. *Per traditionem, dominium in alterum transfertur.* Dicitur *per traditionem*, ut indicetur hunc esse contractum realem, qui sola rei traditione fit. *Dominium transfertur;* qui enim rem mutuo accipit, ea uti potest, alioquin merum esset depositum: at concipi nequit quomodo illa uti queat, si ejus dominium non habeat; cum illa sit usu consumptibilis, et nemo possit ad libitum consumere quod suum non est. Ex quo etiam patet, omne rei mutuatæ periculum devolvi ad eum qui illud accipit.

3. *Cum obligatione tantundem reddendi*, et quidem *in eadem specie*, v. g., pecuniam pro pecunia. Hoc patet per se; si enim res traderetur absque ulla obligatione eandem restituendi, esset donatio. Si autem res non similis esset reddenda, v. g., vinum pro frumento, esset permutatio. Si vero res identica, seu eadem physice et in individuo esset reddenda, v. g., idem equus, qui traditus fuit, esset commodatum vel locatum, non mutuum. Additur: *et in eadem bonitate;* quia qui mutuum dat, servari debet indemnis; atqui talis non servaretur, si res similis in eadem bonitate non redderetur: uti si vinum commune redderetur et ordinarium pro generoso et optimo.

4. *Post aliquod temporis spatium:* sic mutuum distinguitur a cambio, in quo aurum, v. g., pro argento statim datur: a precario, quo res ad mentem concedentis tribuitur, sed reddi debet statim ac a domino expostulatur. Ex his colligitur mutuum esse contractum gratuitum, quia per se censetur dumtaxat in mutuarii gratiam initum.

quandam et reciprocationem significat, qua dato par redditur: hoc sensu Tullius ait, *quod in amicitia mutuum adest.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 754.

[1] *C. A.* 983; — *C. G.* 1892; — *C. S.* 1764; — *C. P.* 1973; — *C. M.* 1955; — *C. T.* 1002.

450. Qui mutuum dat, dicitur *mutuans* vel *mutuator;* qui illud accipit, *mutuatarius.* Res quæ mutuo datur et capitale constituit, *sortis* nomine solet appellari [1]. Mutuum dare possunt omnes, qui liberam habent bonorum suorum administrationem, neque lege prohibentur. Illud vero recipere, qui ex contractu velent obligari.

451. Q. 2. *An aliquando adsit præceptum dandi mutuum?*

R. Quadruplex personarum classis distinguenda. *Prima* divitum, eorum nempe, qui mutuum postulant ad suas augendas opes. *Secunda* item divitum, qui hic et nunc mutuo indigent, v. g., ad litem magni momenti definiendam, vel ad grave damnum declinandum. *Tertia* pauperum, qui tamen fundatam spem habent fore, ut sibi bona obveniant, v. g. ex hæreditate vel industria. *Quarta* item pauperum, sed quorum talis conditio sit ut rationabiliter nunquam erunt habituri quo solvere queant. His positis:

Dicimus: nullum est præceptum dandi mutuum personis primæ et quartæ classis. Non *primæ;* quia nulla laborant necessitate: non *quartæ;* quia frustra daretur sub onere restituendi, cum bona quibus restituant neque habeant neque præsumi valeant habituri: unde ipsis per eleemosynam subveniendum est. At stricta adest charitatis obligatio mutuum ex superfluis suppeditandi personis *secundæ* classis; nam quilibet ex charitate tenetur alteri facere quod sibi fieri rationabiliter ipse vult; atqui rationabiliter vellet quilibet, ut alter sibi de superfluis mutuo subvenerit, si in dicta divitum conditione esset constitutus. Strictissima vero est hæc obligatio, si agatur de personis *tertiæ* classis; adest enim strictissima obligatio pauperibus indigentibus subveniendi vel per mutuum vel per eleemosynam: atque eleemosynam elargiri non oportet iis, qui bona præsumuntur aliquando consecuturi; ergo restat, ut subveniatur illis per mutuum.

452. Q. 3. *Quænam sunt obligationes mutuantis ac mutuatarii?*

R. Mutuans tenetur: 1) de damnis, si quæ obvenerint, casu quo scienter rem vitiosam tradiderit; 2) non repetere mutuum ante tempus præfinitum; et si nullum sit tempus hujusmodi, judicis erit ratione adjunctorum definire. — Mutuatarius vero regulariter loquendo tenetur: 1) res mutuatas restituere eo tempore ac loco, quo conventum; et in eadem quantitate ac qualitate: quod si nequeat, attendi debet æstimatio rerum ipsarum; 2) solvere rerum usuras a judiciali petitione, si non restituat tempore statuto. Imo, si sit in mora culpabili, tenetur etiam de damnis, quorum est causa [2].

453. Q. 4. *Quid est usura, et quomodo dividitur?*

R. *Usuræ* nomen ab usu deductum est, et significat usum quem-

[1] A veteribus latinis hoc vocabulum desumptum est; nam Terentius ut indicaret se timere ne amitteret bona sua *capitalia,* sic ait: *de sorte nunc venio in dubium.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.,* l. III, n. 757; — Ferraris; V. *Mutuum.*

« Il mutuo può farsi per contratto verbale: ma nelle materie civili richiedesi lo scritto per gli interessi che eccedono la misura legale *(art.* 1831). Se poi è garantito con ipoteca, richiedesi un atto pubblico o una scrittura autentica, per poter praticare la iscrizione all'ufficio delle ipoteche *(art.* 1978, 1989). » *Carabelli.*

[2] Art. 1231, 1826; — *C. G.* 1898; — *C. S.* 1770; — *C. P.* 1974; — *C. M.* 1957; — *C. T.* 1610.

cunque rei sive bonus sit sive malus: mos tamen invaluit, ut in malam partem assumatur [1]. Usura autem communiter definitur: *lucrum ex mutuo proveniens immediate, seu præcise vi ipsius mutui.*

Dicitur 1. *Lucrum*, quo nomine intelligitur non solum pecunia, sed res quælibet pecunia æstimabilis, vel onus quodcunque mutuatario impositum, ad quod alioquin non teneretur; quod ideo nequit in pactam deduci. Ideoque quod non est pretio æstimabile, vel quod jam aliunde debitum est ex justitia, non erit objectum usuræ; quia non est lucrum indebitum. Hoc lucrum ex mutuo proveniens appellatur etiam *auctarium* (vocabulum a Plauto adhibitum ad significandam utilitatem *alicui rei quasi superadditam).* Sed vulgari vocabulo nuncupatur *interesse.*

2. *Ex mutuo proveniens;* quia ex communi hominum sensu in solo mutuo usura proprie habet sedem: et si in aliis contractibus aliqua contingat injustitia, non appellatur *usura,* nisi ibi revera existat mutuum saltem implicitum. Additur: *immediate, seu præcise vi ipsius mutui;* quia non est usura aliquid percipere solum occasione mutui, ob titulum honestum et mutuo ipsi extrinsecum.

454. Usura alia est *explicita*, si nempe expressa fiat conventio de illa solvenda. Alia *implicita*, et locum habet cum mutuans nullam quidem init conventionem de lucro; sed sufficienter declarat aliquo suo actu, se illud expectare: veluti si dicat, se indigere ut sua pecunia aliquid sibi producat. Alia *palliata* quæ intervenit, quando in alio contractu implicite continetur, ut evenit in contractu mohatra. Iterum alia est *realis*, et est quando ex aliquo pacto sive explicito sive implicito ea percipitur. Alia *pure mentalis*, quando nempe in solo animo intenditur vel speratur, sine ulla vera usuræ datione. Alia *mentalis;* est quando usura revera percipitur, nullo tamen præcedente sive implicito sive explicito pacto.

455. Q. 5. *An usura proprie dicta, id est lucrum ex mutuo immediate proveniens vi ipsius mutui prohibeatur?*

R. Id negant Judæi putantes, sibi a Deo omnem usuram erga extraneos licitam esse [2]. Id negant quoque Pseudo-Reformati, Calvino duce, ac præsertim Molinæus et Salmasius affirmantes usuram non esse prohibitam, nisi in quantum est contra charitatem; secus licitam esse uti pretium locatæ pecuniæ, etsi ratione ipsius mutui exigatur. Quam sententiam fortiter tenuerunt Jansenistæ in Bataviam

[1] Hæc dicitur etiam *fœnus* a græca voce, quæ fœtum significat, eo quod pecunia licet de se sterilis, fœtum tamen seu fructum pariat. Ab Hebræis autem appellatur *nascebech*, id est morsus; *tharbith*, id est incrementum, seu superabundantia. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 758.

[2] Deut. XXIII.

profugi. Nonnulli autem catholici duplex mutui genus distinguentes, alterum *comsumptionis*, quo pecunia ad consumptionem datur maxime pauperibus, alterum *incrementi* seu *commercii*, quo res traditur ad negotiandum; in illo lucrum reprobant, in hoc permittunt.

456. Nos dicimus cum Benedicto XIV [1]: *Omne lucrum ex mutuo præcise ratione mutui, ut loquuntur Theologi (hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto) usurarium atque omni Jure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico illicitum esse, perpetua fuit et est catholicæ Ecclesiasticæ doctrina, omnium Conciliorum, Patrum et Theologorum unanimi consensione firmata;* et de hoc nequit amplius dubitari post Encycl. Benedictinam *Vix pervenit* 26 junii 1749, quæ in eo tota est, ut usuram proprie dictam, id est vi mutui perpetuo damnet. Quare usuræ acceptæ restituendæ sunt cum sint res alterius; non tamen fructus ab illis provenientes, quia cum pecunia de se sit sterilis et res usu consumptibilis, fructus non producit ex se, ideo illi sunt fructus industriæ, non rei: unde ei debentur qui industrie egit. Hinc patet diversitas a re, quæ non consumitur usu; tunc enim cum usura sit a re quæ usumfructum importat, ut domus vel ager, qui illam accepit, *non solum tenetur restituere domum vel agrum: sed etiam fructus inde perceptos; quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus, et ideo ei debentur.* Ita Angelicus Doctor [2].

457. Q. 6. *Quid de iis, qui sunt causa, ut usuræ solvantur?*

R. Isti non solum peccant; sed tenentur etiam ad restitutionem casu quo usurarius, qui primo loco tenetur, non restituat; cum efficaciter influant in alterius damnum. Hinc tenentur: 1) consulentes, nisi id egerint in gratiam mutuatarii; consentienti enim nulla fit injuria; 2) judices, advocati, notarii, consules, legislatores, omnesque potestates, quæ vel non excludendo a proprio territorio usurarios (nisi tamen ad majora vitanda mala eos permittant), vel aliter in causa sunt, ut solvantur usuræ: qui insuper a Clemente V in Concilio Viennensi ipso facto excommunicantur. At legislatores etiam benemorati in manifestos et habituatos usurarios tantum animadvertere solent illius Baconis rationem quasi habentes: « si usura penitus extirpari nequit, saltem illius dentes limandi sunt, ut sic minus mordeat. »

[1] *De Syn. Diœc.*, l. x, c. 4. — *V.* Alasia, Billuart, etc.

[2] 2, 2, q. 78, a. 3. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 763, 773, 783 et seqq. — Ferraris; V. *Usura.* — Zech, *Rigor moderatus doctrinæ pontificiæ circa usuras.* — Biner, *Dissertatio juridica de usuris.* — Barth, *De Statuto principis.* — Boyer, *Apologie du Saint-Office dans des décisions sur le prêt à intérêt.* — Carrière, *De Contractibus*, ubi de usura.

458. Q. 7. *Quid de hæredibus usurarii qui usuras non restituerit?*

R. Tenentur hæredes usuras restituere secundum vires hæreditatis, si usurarius ipse non restituat; cum collective sumpti in bonis defunctum repræsentent. Utrum autem hæredes usurarii (sicuti alterius debitoris) teneantur in solidum ita, ut uno deficiente, alter totum debitum solvere debeat, affirmant plures Canonistæ cum Sylvio [1]; nam singuli hæredes repræsentant personam testatoris et succedunt in ejus jura et onera. Verum satis prababiliter negant Habert, Billuart, Cajetanus, Collet, etc. Imo ex Bouvier hæc sententia certa videtur; nam obligatio debita solvendi afficit immediate personam, immediate bona debitoris: unde in omni casu singuli hæredes non contrahunt obligationem, nisi quatenus simul sumpti personam defuncti repræsentant; sed partialiter tantum ejus personam gerunt, ideo nonnisi partialiter tenentur.

Excipe: 1) nisi omnes hæredes delicto defuncti cooperati sunt; 2) nisi res ipsa usuraria penes unum extaret: tunc hæres, qui eam habet, integram reddere debet, quia res quælibet clamat ad dominum; habet tamen regressum seu jus æquam exigendi compensationem e suis cohæredibus, ne solus onera hæreditatis sustineat.

459. Q. 8. *Quid de famulis qui dominis usurariis cooperantur?*

R. Si agitur de famulis non principalibus, qui tantummodo scribunt, pecunias enumerant, pignora deferunt et similia operantur, isti neque peccant, neque tenentur ad restitutionem; quia ipsorum opera non censentur directa in damnum cooperatio. Si vero sermo sit de famulis principalibus, qui usuras exigunt, distinguendum est: *vel* isti cooperantur in re debitoribus ingrata, v. g., eos cogendo ad solutionem et apodixas subscribendo; *vel* cooperantur in re iisdem non ingrata, v. g., hortando simpliciter ad solutionem, vel usuras exigendo sine ulla coactione. Si 1, videtur probabilius famulos et peccare et teneri ad restitutionem in defectu dominorum; cum vere sint causæ injustæ in damnum alterius proxime cooperantes. Si 2, famuli non videntur peccare; quia in hoc casu eorum cooperationi debitores non censentur inviti. Attamen non excusarem usuras exigentem a peccato cooperationis ratione solius famulatus; sed gravior videtur requiri causa ad præbendum hujusmodi concursum volenti peccare: saltem requiritur metus gravis damni [2].

[1] Sit *casus:* Joannes et Paulus habent ex hæreditate patris quisque 10,000 florenos. Pater moriens debebat 2,000 florenos sive ex delicto, puta usuris, sive ex contractu (non enim putamus inter hæc debita faciendam esse distinctionem quoad præsentem casum, ut quidam faciunt). Constat apud omnes, quod quisque debeat restituere seu solvere mille florenos. Sed Joannes non vult aut non potest suum mille restituere, forte quia jam expendit suam hæreditatem; teneturne Paulus totum, hoc est 2,000, restituere? Et quidem si bona hæreditatis forent pro istis 2,000 hypothecata, iterum extra dubium foret, uno deficiente, alterum teneri ad totum; quia hypotheca non dividitur, sed est in qualibet parte boni hypothecati: consequenter confert creditori facultatem jus suum totum prosequendi ubicunque potest. Restat ergo solum difficultas de bonis hæreditatis non hypothecatis, sed obligatis tantummodo personaliter. Ita *Billuart.* Idem dicendum est de hæredibus furis, cum par sit ratio.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 788 et seqq.

§ Unicus. — *Tituli, vi quorum licet aliquid supra sortem exigere.*

460. Q. 1. *Quid est titulus, vi cujus aliquid exigi potest in mutuo?*

R. *Tituli* nomine hic intelligitur ratio, cujus intuitu aliquid in mutuo exigitur. Titulus vel est mutuo *intrinsecus*, qui ita ejus substantiam ingreditur, ut nequeat separari: esset aliqua temporis mora in eo restituendo. Vel est eidem *extrinsecus*, qui nec semper nec necessario illud comitatur: ut damnum, quod ideo mutuanti evenit.

461. Ob titulum intrinsecum nihil exigi potest; secus vi mutui exigeretur; ideo contra præceptum Domini [1]; cum mutuum natura sua omnino gratuitum sit. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 41 propositio: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario accipere, et eo titulo ab usura excusari;* hoc enim est prorsus et ex se mutuo intrinsecum. — Ob titulum vero extrinsecum, si legitimus sit, bene poterit aliquid repeti: quia tunc nulla mutui ratio. Qui titulus multiplex est: 1) *damnus emergens*, 2) *lucrum cessans*, 3) *pœna conventionalis*, 4) *periculum sortis*. Quoad legem civilem disputatur.

462. Q. 2. *An liceat mutuanti exigere quod sibi interest ob titulum damni emergentis, ut vocant, et lucri cessantis?*

R. *Aliquis*, ait Angelicus, *damnificatur dupliciter: uno modo, quia aufertur ei quod actu habeat* (et dicitur damnum emergens)...; *alio modo si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur quod erat in via habendi* (et dicitur lucrum cessans [2]). Quo posito dicimus: tam ob damnum emergens, quam ob lucrum cessans (præscindendo a quocunque alio titulo) licet mutuanti quod sibi interest causa mutui exigere a mutuatario, si conditiones debitæ intersint; *hoc enim*, ait idem Doctor, *non est vendere usum pecuniæ sed damnum vitare* [3]. Et sane: non patitur æquitas, ut quis lucrum amittat vel damnum sentiat ex beneficii collatione: *ne igitur dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse* [4], mutuator tuta conscientia exigere potest quod sibi interest. Adde id expresse probari Bulla Benedictina.

463. Diximus: *si conditiones debitæ intersint*, quæ sunt:

1. Ut interesse in pactum deducatur, præmonito mutuatario de titulo pro quo aliquid ultra sortem exigere vult; nam post contractum mutuans nequit amplius exigere, etsi damni emergentis et lucri ces-

1 *Mutuum date, nihil inde sperantes:* Lucæ VI.
2 2, 2, q. 62, a. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 766 et seqq.
3 2, 2, q. 78, a. 2, ad 1.
4 *Decr.* Greg., l. III, t. XXII, c. 2.

santis fuerit immemor: *debebat enim ille qui pecuniam mutuavit*, ait Angelicus, *sibi cavisse, ne detrimentum incurreret; nec ille, qui mutuo accepit, debet damnum incurrere de stultitia mutuantis* [1].

2. Ut illico non exigatur; secus non totum realiter tribueretur: sic si mutues 100, et statim pro lucro cessante accipias 5, revera non mutuas 100, sed 95. Unde eo in casu privares mutuatarium commoditate partis mutui.

3. Ut non plus exigat mutuans, quam sit damnum quod patitur, aut lucrum quod sperat ex alio contractu licito juxta æstimationem spei et periculi, ac deductis expensis; est enim tota ratio exactionis.

4. Ut mutuum vera sit causa damni emergentis aut lucri cessantis; nam si mutuans mentem non habuerit pecuniam suam in negotiatione impendendi, vel lucrum alia via sibimet comparandi, nequit quidquam exigere [2].

464. Q. 3. *An liceat in mutuo pacisci de pœna solvenda a mutuatario, si sortem non reddat tempore definito?*

R. Licet utique hanc pœnam pacisci ex communi sententia, quam defendunt Cabassutius, Lessius, Tournely et alii; nam ea apponitur, ut contractus firmitati consulatur, et impediatur negligentia ipsius mutuatarii. Sed requiritur: 1) ut mora debitoris sit *notabilis*, nam aliqua mora est mutuo intrinseca; et *culpabilis*, nam qui non peccavit, non est puniendus; 2) ut absit animus lucrandi vi mutui per illam pœnam: qui animus adesse præsumitur, si debitor oneretur obligatione restituendi sortem eo tempore, quo certo scitur, eum solvere non posse; 3) ut pœna sit moderata et culpæ proportionata, alioquin injusta esset. Pœna hæc probabilius ante sententiam debita est; nam magis habet rationem pacti quam pœnæ, licet etiam pœna sit, uti Tournely.

465. Q. 4. *An liceat in mutuo aliquid supra sortem exigere ratione periculi illam amittendi?*

R. Hic titulus communiter admittitur cum Antoine, Billuart, Lessio, Lugo, Sylvio et aliis innumeris; tum quia diversimode æstimatur res in tuto et res in periculo posita; tum quia id firmavit pro Missionariis Sinensibus Congregatio de Propaganda Fide, approbante Innocentio X, 12 sept. 1645. Item S. Pœnitentiaria anno 1815, prout refert Bouvier. Item Latheranense V, ubi pro usura damnatur quodcunque lucrum ex re infrugifera perceptum, secluso titulo laboris aut sumptus aut periculi. Attamen ad hoc requiritur:

[1] *De malo*, q. 13, art. 4 *De avaritia*, ad 14.

[2] Excipe nisi pecuniam illam reservaturus esset in usum familiæ. Tunc posset aliquid exigere pro rata; quia nemo tenetur causa mutui alicui traditi negligere providentiam sui aut suorum.

1. Ut periculum sit verum et extraordinarium amittendi sortem, vel eam non recuperandi sine magnis expensis atque laboribus: alioquin nulla esset illius æstimatio [1]; 2) ut mutuans non teneatur mutuum alteri concedere ex præcepto charitatis ad præsentem ejus inopiam sublevandam, quia in hoc casu periculum esset mutuo intrinsecum; 3) ut mutuator non recuset sortis assecurationem, si sibi offeratur, v. g., per pignus vel per fidejussionem; hoc enim in casu periculum non esset reale, sed fictum [2].

466. Q. 5. *An lex civilis sit justus titulus, exigendi etiam in conscientia aliquid supra sortem* [3]?

R. Lex civilis postquam statuit pro norma generali: *Il mutuatario che ha pagato interessi non convenuti o eccedenti la misura convenuta, non può ripeterli nè imputarli al capitale* (art. 1830), hæc addit: *l'interesse è legale o convenzionale; l'interesse legale è determinato nel cinque per cento in materia civile, e nel sei per cento in materia commerciale; e si applica nei casi in cui l'interesse sia dovuto, e manchi una convenzione che ne stabilisca la misura. L'interesse convenzionale è stabilito a volontà dei contraenti: nelle materie civili l'interesse convenzionale eccedente la misura legale deve risultare da atto scritto, altrimenti non è dovuto alcun interesse* (art. 1831). *Il debitore può sempre, dopo cinque anni del contratto, restituire le somme portanti un interesse maggiore della misura legale, nonostante qualsiasi patto contrario. Deve però darne sei mesi prima per iscritto l'avviso, il quale produce di diritto la rinunzia alla più lunga mora convenuta* (art. 1832) [4].

Quo posito, diximus:

1. Quoad taxam conventionalem, certum est, quod etsi lex civilis liberam cuique relinquat definiendam, non licet in conscientia illam exigere (si superet taxam legalem), nisi quatenus adesset justus titulus ad normam Juris naturalis atque divini, id est titulus damni emergentis, lucri cessantis, etc. Si enim libera hominum conventio faceret jus, actum esset de omni justitia; unde tunc dicendum

[1] Duplex periculum: *ordinarium*, seu generale ac omni mutuo intrinsecum, v. g., periculum ne incendio cuncta bona mutuatarii pereant et sortem reddere nequeat. *Extraordinarium*, extrinsecum quod non essentialiter in omni mutuo reperitur, ut est periculum ne debitor decoctus evadat (quod hodie non ita rarum est). Primum non æstimatur, utique secundum.

[2] Quo sensu explicatur cap. *Naviganti* (*Decr.* Greg., l. VI, t. XIX *De usuris*, c. 19), quod quidem adversarii opponunt. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 765.

[3] Art. 1831; — *C. A.* 993; — *C. G.* 1905; — *C. S.* 1777; — *C. P.* 1608; — *C. M.* 1718; — *C. T.* 1007.

[4] Addit tamen Codex: « Le disposizioni dell'art. 1832 precedente non sono applicabili ai contratti di rendite vitalizie, nè a quelli che stabiliscono la restituzione per via di annualità, che comprendono gli interessi ed una quota destinata alla restituzione progressiva del capitale. — Esse non sono del pari applicabili a qualunque specie di debito contratto dallo Stato, dai comuni e da altri corpi morali colle autorizzazioni richieste dalla legge (*art.* 1833). »

est: quod lex civilis tollerat, lex naturalis, divina et ecclesiastica prohibet [1]; 2) quoad taxam Codicis, an hæc legis civilis dispositio exhibeat etiam in conscientia titulum justum exigendi aliquod lucrum moderatum in mutuo supra sortem [2], magna est in re morali controversia, et nulla forsan magis hinc inde agitata. Verum frustra adducta argumenta controversiam dirimere valent, cum adhuc desideretur supremum Ecclesiæ judicium, et rationes multæ sint ex utraque parte. Unde sat erit regulam tradere, qua nempe et fideles in conscientia, et confessarii in tribunali Pœnitentiæ se gerant.

a) Ad fideles quod attinet, qui capitalia aliis tradunt, ut ex illis fructus percipiant juxta taxam legis civilis, dicimus ipsos *non esse inquietandos, neque cogendos ad restitutionem fructuum perceptorum, neque in foro Pœnitentiæ absolutione sacramentali iccirco esse privandos;* non tantum si fuerint in bona fide, sed etiam si dubia vel mala fide lucrum ex solo legis titulo perceperint, modo de patrato ob dubium vel malam fidem peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis S. Sedis, si quæ edentur.

b) Quod pertinet ad confessarios, dicimus: 1) *non esse inquietandos neque absolutione privandos presbyteros illos*, qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis, *quousque sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere;* 2) non esse inquietandos confessarios, qui pœnitentes lucrum a lege civili statutum percipientes absolvunt, si isti objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, *promittant se obedire judicio summi Pontificis, si illud aliquando interdicat;* 3) neque illos confessarios inquietandos absolventes pœnitentes, qui (nulla facta mentione tituli legis civilis) *mutuo pecuniam dant negotiatoribus ut ditescant, quando nempe isti objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittunt tamen obedire judicio summi*

[1] Duo posuit ad coercendam usuram lex civilis, quæ tamen parum juvant: nempe facultatem contractum rescindendi post quinquennium in omni casu, et conventionem usurarum scripto exaratam: *Il mutuante deve avere il coraggio di comparire per iscritto qual è*, un usurajo: *e di affrontare così l'opinion pubblica; il disprezzo dei buoni sarà la sua pena.* — V. *Il Cod. civ. italiano annotato.*

« Di regola ordinaria, qualunque stipulazione d'interessi, che superi una certa misura, non sarà ajuto, ma piuttosto principio e avviamento a ruina inevitabile; un patrimonio o scarso, o intralciato, o carico di gravezze, non si ristora con imprestiti usurari, e gli interessi divorano ben presto quel tanto che ancora possa esservi di vitalità, ecc., ecc. » *(Parlamento Sardo:* Senato; Tornata 7 febbr. 1856). — V. *Civiltà Cattolica*, ser. 3ª, vol. I: *Gli economisti e la legge piemontese sopra l'usura;* et vol. V: *La proprietà considerata nei suoi principii generali*, ecc.; vol VII: *Guerra dei capitalisti; contra la proprietà; e interesse legale;* vol. X: *Un avvocato sull'usura.*

[2] Diximus: *lucrum moderatum;* si enim lex civilis nimis esorbitaret in lucro stabiliendo, adeo ut manifestam injustitiam includeret, certo non esset in conscientia attendenda.

Pontificis, si intercedat. Ita totidem verbis pluries declaratum est a Romanis Congregationibus, probantibus Pontificibus [1] *(S)*.

Art. VI. — *De donatione et promissione.*

467. Q. 1. *Quid est donatio et quotuplex?*

R. Ad 1: Donatio idem sonat ac *doni datio*, et potest definiri: *liberalitas in alterum collata et acceptata;* seu *actus spontaneæ liberalitatis quo quis actualiter et irrevocabiliter transfert dominium rei suæ in alterum qui acceptat.* Qui donat dicitur *donator;* illi cui donatur, *donatarius.* — Donatio autem perfecta est, et rei donatæ proprietas translata, etsi nondum tradita, semel ac est acceptata a donatario: ad quam quidem acceptationem etsi lege positiva generatim verba expressa requirantur, non tamen de sui natura; præsenti enim et tacenti facta, censetur ab eodem acceptata; nam in favorabilibus *qui tacet consentire censetur* et acceptare. Hæc tamen acceptatio ex lege civili fieri debet vel in ipso authentico donationis actu, vel postea alio actu authentico, at ante donantis mortem.

R. Ad 2: Multiplex a Juristis distinguitur donatio. Est donatio *inter vivos,* quæ fit absque ulla contemplatione mortalitatis, et donator vult rem dono traditam cito fieri propriam donatarii. Est donatio *causa mortis,* et fit contemplatione et intuitu mortis, et donator vult rem dono indicatam non fieri propriam donatarii, nisi post mortem suam: hæc apud nos solo testamento fieri potest; unde a legato non amplius distinguitur. Est donatio *mere gratuita*, quæ procedit a sola donantis liberalitate: donatio *remuneratoria* quæ oritur ex animi gratitudine ob acceptum beneficium vel obsequium; *donatio onerosa*, quæ aliquid oneris includit. Quæ omnes species in jure sub eodem donationis nomine veniunt, etsi non præseferant omnes veræ donationis proprietates [2].

468. Q. 2. *An donatio ante acceptationem sit valida, in foro saltem conscientiæ?*

R. Negative: donatio ante acceptationem non est valida; nemo enim potest acquirere jus in res alienas, quin prius consentiat. Hinc donatarius, *si nescit rem, quæ apud se est, sibi esse donatam .. donatæ rei dominus non fit* [3], et donatio ante acceptationem revocare potest etiamsi

[1] S. Sedis Decreta videantur simul collecta et propria authenticitate donata in Opusculo Taurini edito cura illius Metropolitæ 5 febr. 1833, cui tit. *Sanctæ Apostolicæ Sedis responsa circa lucrum ex mutuo ab anno 1822 ad febr.* 1833. Tipys Marietti. — It. apud Gury, *Compendium Theol.*

[2] Art. 1005 et seqq.; — *C. A. civ.* 943; — *C. G.* 831 et 894; — *C. S.* 814 et 815; — *C. P.* 1886 et 1890; — *C. M.* 1859 et 1862; — *C. T.* 967. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 721.

[3] *Digest.*, l. 39 *De donat.*, l. X. — *V.* Ferraris; V. *Contractus donationis.*

juramento firmata; cum juramentum sequatur naturam actus, cui adnectitur. Excipitur, si sit facta contemplatione certi et determinati matrimonii: quæ donatio ob defectum acceptationis nequit impugnari, lege civili sic statuente. Item valet donatio facta ad causas pias ante acceptationem, si immediate sit facta Deo, v. g., *promitto Deo dare tali Ecclesiæ;* quia cum intentio feratur in Deum, donatio valet uti votum. Aliter esset si promissio sit facta immediate Ecclesiæ, hospitali, etc.: tunc probabilius requiritur acceptatio. In dubio autem intentionis præsumitur animus vovendi, quia in causis piis communiter intentio fertur primario in Deum. Ex hoc plura resolvuntur.

1. Donatio facta absenti, si per nuntium fiat, potest revocari, donec coram nuntio per donantem misso acceptetur a donatario.

2. Si donatio nondum sit facta, sed mandata fieri a nuntio (per illum etiam dono misso), tunc post mortem donantis juxta Lugo et Lessium nequit amplius acceptari; quia voluntas donatoris ejus morte finitur, neque est consummata donatio. Sed alii putant illam adhuc posse acceptari, cum sit quasi gratia facta; sicut potest acceptari si hæc donatio fuerit facta a nuntio, inscio tam nuntio quam donatario mortis mandantis [1].

3. Mortuo donatario ante acceptationem, probabilius ejus hæres nequit acceptare donationem, quia hæres succedit in juribus realibus defuncti, non autem personalibus, uti est jus acceptandi donationem. Concedit tamen Lessius quod si hæres sit filius donatarii, ex æquitate posset acceptare; nempe ex præsumpta mente donatoris.

469. Q. 3. *An validæ donationes, si fiant ab ære alieno gravatis?*

R. Affirmant Layman, Lessius, Navarrus, etc.; nam debitis gravatus bene potest dominium transferre, cum adhuc sit vere dominus rei quæ donatur. At d. Antoninus, Cajetanus, Lugo, Salmanticenses et Sylvius communiter ac verius docent invalidas esse donationes factas ab ære alieno gravatis iis qui id sciunt; et ideo donatarium sic mala fide accipientem teneri de damno quod inde obvenerit creditoribus. Nam sicuti donans læsit justitiam se reddendo imparem solvendis debitis suis; ita læsit quoque donatarius qui positive ac scienter cooperatus est injustæ donantis actioni cum creditorum præjudicio. Donatio nempe non consistit in sola voluntate donantis, sed etiam in voluntate accipientis, sine qua donatio non potest fieri; ideoque licet donatarius non sit causa motiva, est tamen causa voluntaria, influxiva et efficax alienationis rei in damnum creditorum. Attamen in Jure civili non conceditur creditoribus jus postulandi reductionem donationis peractæ a debitis gravato, nisi in hæreditate, si legitima sit læsa [2].

Intellige de accipiente *mala fide;* nam qui est in bona fide, nempe ignorat donatorem esse debitis gravatum, non peccat contra justi-

[1] Ex c. Inter causas ff. *Mandati.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 728.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 612 et 722. — Lugo, *De Justitia*, disp. XX. — *Cod. civ.* art. 1092; — *C. A.* 765; — *C. G.* 920; — *C. S.* 837; — *C. P.* 1023; — *C. M.* 1935; — *C. T.* 973.

tiam accipiendo; nec restituere tenetur, nisi res ipsa sit aliena, vel hypothecatam, vel si ideo accipiens factus sit ditior. Nam tunc non potest dici quod peccet peccato injustitiæ contra creditores, voluntarie reddendo illorum creditum impossibile, cum illud penitus ignoret; et aliunde donans dedit quod suum erat, etsi delinquerit sic dando. *Lugo.*

470. Q. 4. *Quæ res donari possint, a quibus et cui?*

R. Ad 1: Omnes res præsentes lege positiva et ipsa ratione probante, donari possunt. Et potest quis donare sub reservatione usus-fructus pro se, et ipso deficiente etiam pro aliis (non tamen successive alios post alios vocando): vel sub conditione, ut iterum res ad se revertatur, v. g., si donatarius præmoriatur. Si vero donator sibi reservat facultatem disponendi de aliquo objecto vel aliqua summa, quæ in ipsa donatione comprehenditur, si moriatur ante illam dispositionem, tale objectum vel summa transit ad hæredes donantis, quacunque contraria clausula non obstante [1].

R. Ad 2: Illi soli donare possunt, qui liberam habent bonorum suorum administrationem, et testari queunt. Hinc donare nequeunt: 1) tutores de bonis minorum, nisi agatur de parvis donationibus remuneratoriis et de eleemosynis; 2) inhabilitati a die quo promossa fuit inhabilitationis instantia; item interdicti, mente infirmi, prodigi; 3) minores, licet habilitati, nisi agatur de contractu matrimoniali, vel donationibus modicis, quas alii ejusdem conditionis agunt; 4) uxores sine consensu mariti [2].

R. Ad 3: Possunt donationes valide omnes acceptare, qui non prohibentur a lege. Prohibentur autem inter ceteros: 1) incapaces ad acquirendum per testamentum; 2) conjuges inter se, matrimonio durante: quod statutum est, ne mutuato amore invicem spolientur. Qui ideo nequeunt valide acceptare neque per interpositas personas, neque sub specie contractus onerosi. Item ex Codice: *È nulla la donazione che ha per oggetto d'istituire o dotare beneficii semplici, cappellanie laicali, od altre simili fondazioni* (art. 1075) [3].

471. Q. 5. *Quæ solemnitates ad donationis valorem jure civili?*

R. Ut donatio sit valida jure civili requiritur:

1. Ut omnes donationum actus fiant publico instrumento, qui actus ab Hypothecæ Conservatoribus inscribi debet, si donatio respiciat immobilia vel alia bona, aut jura quæ hypothecæ subjci pos-

[1] Art. 1069; — *C. G.* 1084; — *C. S.* 867; — *C. P.* 1905; — *C. M.* 1879; — *C. T.* 968.

[2] Art. 134, 339, 763, 1052; — *C. G.* 905; — *C. S.* 857; — *C. P.* 1887; — *C. M.* 1867; — *C. T.* 969.

[3] V. *Legge transitoria*, 30 nov. 1865, art. 22, 27, 28.

sunt (*art.* 1932). Si vero agatur de mobilibus non requiritur hypotheca, sed de necessitate omnes res singillatim designandæ sunt cum proprii valoris declaratione.

2. Ut donatio non sit facta sub conditione impossibili aut bonis moribus contraria; vel sub conditione, cujus implementum a solo donante pendeat; vel sub conditione satisfaciendi oneribus etiam non expressis aut non extantibus donationis tempore, excipe nisi agatur de matrimonio [1].

3. Ut donatio sit a donatario acceptata; ab ipso quidem si sit major, vel ab alio illius nomine. Si vero sit minor, non emancipatus vel interdictus, a patre vel tutore; potest etiam acceptari a matre et aliis ascendentibus, si concurrat tribunalis auctorizatio. Pro minore emancipato et majore inhabilitato acceptatio fit cum consensu curatoris. Tandem pro *corporibus moralibus*, ut dicunt, acceptatio nequit locum habere sine gubernii auctorizatione (*art.* 932, 1050) [2].

Addit tamen Codex civilis: *Le donazioni fatte in riguardo di un determinato futuro matrimonio sia tra gli sposi fra loro, sia da altri a favore degli sposi o della prole nascitura dai medesimi, non possono essere impugnate per mancanza di accettazione* (art. 1062). *Qualunque donazione fatta in riguardo di futuro matrimonio è senza effetto se il matrimonio non segue: lo stesso ha luogo se il matrimonio è annullato; ma la donazione, in quanto riguarda i figli, rimane efficace nei casi espressi nell'art.* 116 (id est si matrimonium in bona fide est contractum); *e sono pur salvi i diritti acquistati dai terzi nel tempo intermedio* (art. 1068). *I minori, gli interdetti, e qualsivoglia altro donatario, non sono restituiti in intero per la mancanza di accettazione delle donazioni, salvo il regresso contro chi avea l'obbligo dell'accettazione* (art. 1063). Non tenetur autem donator de evictione indemnem reddere donatarium; nisi vel donatio respiciat dotis constitutionem; vel donator id expresse promiserit; vel evictio ab ipso facto personali vel dolo donatoris nata sit [3]; vel ipsa donatio sit onerosa, in ea parte qua onus importat (*art.* 1077).

472. Q. 6. *An donationes manuales, quæ nempe sine ulla solemnitate, sed sola traditione fiunt, validæ sint?*

R. Commune est et in ipsa civili jurisprudentia receptum dona usualia et brevi manu, si sint libere facta inter personas habiles, in parte disponibili, in conscientia ac civili foro vim habere; etsi ceteræ solemnitates ab ipsa lege civili præscriptæ non fuerint observatæ, uti si donationis actus non perficiatur scriptura præscripta. Codices enim civiles illis solemnitatibus ac conditionibus voluerunt

[1] Art. 1056; — *C. A.* 943; — *C. G.* 894 et 831; — *C. S.* 814 et 855; — *C. P.* 1886; — *C. M.* 1859; — *C. T.* 977.

[2] V. *Lex civilis*, 29 junii 1864; et jam disputata supra n. 354.

[3] *Dolo*, ut si alienum donaverit; *facto*, « se non paghi i debiti suoi ipotecari sul fondo donato, che non pose a peso del donatario. » *Cattaneo*, Codice annotato.

tantum viam præcludere improvidis donationibus, non justis liberalitatibus. Et talis est usus; sane importabile, novum ac ridiculum foret, quod quis sine publica scriptura non possit valide donare amico suo annulum, picturam, Ecclesiæ calicem, paramenta; pauperi eleemosynam, servo aliquod munus, etc. [1].

Inter hæc dona numeratur: 1) donatio *de manu ad manum*, ut cum donantur libri, etc.; 2) donatio *indirecta*, quæ nempe occultatur sub specie contractus onerosi, ut cum quis vendit Titio villam suam 100, sed statim obligationem illi tradit pretio non accepto, cum intentione pretium condonandi; 3) donatio *accessoria*, seu quæ ex conventione cum tertio inita sequitur: v. g., domum meam vendo Petro ea conditione, ut 100 donet Paulo; 4) donatio *remuneratoria*, id est quæ fit ob beneficium acceptum, vel ob officium præstitum, maxime cum hæc sit quasi compensatio; 5) donatio *onerosa*, ea nempe cui donator quoddam adnectit onus; tunc enim est potius quædam solutio vel commutatio. Hisce regulis, si illæ recte accipiantur et explicentur, pluribus difficultatibus quotidianis occurri potest, maxime pro foro conscientiæ [2].

473. Q. 7. *Quinam sunt donationis effectus?*

R. Donationis effectus sunt: tum ut proprietas rei donatæ in donatarium transferatur absque formali traditione; tum ut donatio natura sua irrevocabilis sit, nisi probatæ causæ intervenerint. Quæ revocationis causæ tres a jure assignantur.

1. Si donatio facta sit sub conditione resolutiva a lege permissa, v. g. ut donatio nullius sit roboris si donatarius donatori præmoriatur, conditione verificata, bona libera ab omni onere et hypotheca a donatario illis imposita in donantem redeunt, qui quidem eadem jura exercet contra tertios detentores, quæ potest contra donatarium ipsum exercere. Si vero conditio resolutiva expressa vel tacita ideo verificatur, quia donatarius non curat onera adimplere ipsi in donatione imposita, tunc donator potest urgere revocationem donationis; sed sine præjudicio eorum qui super immobilia donata jam antea formis legalibus jura acquisierunt.

2. Si donatarius erga donantem sit ingratus, potest intra annum habitæ notitiæ ingratitudinis, a donante postulari donationis revocatio, quin tamen præjudicet tertio qui jam jura acquisiverit in immobilia donata. Ceterum ex civili jure hæc revocatio locum habet tan-

[1] Et in hoc convenit etiam *Codex novissimus*, ut constat ex relatione ad Regem 25 junii 1865. — *V. Il Cod. civ. italiano annotato*, l. III, t. 3: *Delle donazioni.*
Et Carabelli: « Si richiami quanto fu detto nel titolo del possesso, cioè che il possesso delle cose mobili per loro natura, o dei titoli al *portatore*, produce a favore dei terzi di buona fede, l'effetto stesso del titolo (*art.* 707); per cui sarebbe valida una donazione di cose mobili, o di titoli al portatore anche senz'atto pubblico, qualora fossero stati effettivamente consegnati al donatario di buona fede. »

[2] Manualis donatio utique intra justos limites, coercenda est, quod est prudentum definire, habita circumstantiarum ratione; vide Carrière, *De Justitia*, n. 553 *De donationibus manualibus.*

tum in sequentibus casibus: *Se il donatario abbia attentato alla vita del donante* (nisi id fecerit in dementia aut ex errore); *se siasi renduto colpevole verso lui di altro crimine, di sevizie, od ingiurie gravi; se gli neghi indebitamente gli alimenti* (art. 1081). *La domanda di revocazione per ingratitudine non può proporsi dal donante contro gli eredi del donatario, nè dagli eredi del donante contro il donatario, eccetto che l'azione in quest'ultimo caso sia stata promossa dallo stesso donante, od egli fosse mancato di vita entro l'anno del fatto avvenuto* (art. 1082) [1].

3. Si donatori, cui nulli erant legitimi descendentes tempore donationis, supervenerit filius legitimus (non adoptivus), etsi natus sit post mortem patris, si tamen vivus nascatur et vitalis, poterit expostulari donationis revocatio; quin tamen hæc præjudicet illi qui jam jura acquisierunt in bona donata. Item est, si filius naturalis legitimetur per subsequens matrimonium, si tamen natus sit post donationem. Neque obstat quod filius donationis tempore jam conceptus fuerit; vel quod donator post supervenientem prolem donatarium reliquerit in rei donatæ possessione. Sed actio pro donationis revocatione proponenda est intra quinquennium a nativitate postremi filii; eam autem donans nequit amplius urgere post filiorum et eorum descendentium obitum.

Revocationis jure nulla conventione renuntiari potest; imo si donatio reciproca sit, nempe inter duos donatores, si uni proles superveniat, revocatio unius inducit revocationem etiam alterius donationis. Attamen ex Codice: *Rimangono irrevocabili tanto per causa di ingratitudine quanto per sopravvenienza di figli, le donazioni puramente rimuneratorie, e quelle fatte in riguardo di un determinato matrimonio, salvo però ai figli del donante il diritto di chiederne la riduzione in quanto eccedono la porzione disponibile* (art. 1087).

474. Q. 8. *An donationes reduci possint?*

R. Affirmative; donationes quæcunque, quacunque de causa et quibusvis factæ si tempore mortis donatoris excedant partem disponibilem reduci possunt: hæc tamen reductio a civili lege non potest ab omnibus peti. *La riduzione delle donazioni non può essere domandata che da quelli a vantaggio dei quali la legge riserva la legittima, od altra quota di successione* (ut est conjux, filius naturalis recognitus), *e dai loro eredi o aventi causa* (ut sunt non jam creditores donantis, sed creditores illorum, quibus legitima vel alia portio ab ipso donante debita est). *Essi non possono rinunziare a questo diritto durante la vita del donante, nè con dichiarazione espressa, nè con prestare il loro assenso alla donazione* (art. 1092).

Non si fa luogo alla riduzione delle donazioni, se non dopo che sia esausto il valore dei beni, di cui fu disposto per testamento; qualora sia luogo a questa riduzione, essa si fa cominciando dall'ultima dona-

[1] Non fit locus revocationi hac de causa, si donatio facta sit Ecclesiæ vel causæ piæ, v. g. monasterio, tametsi Prælatus vel clericus fuerit ingratus; quia tunc donatio primario facta est Deo ipsi, qui ingratus esse non potest. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 738.

zione, e così successivamente risalendo dalle ultime alle anteriori (articolo 1093) [1]. *Il donatario deve restituire i frutti di ciò che eccede la porzione disponibile dal giorno della morte del donante, quando sia giudizialmente domandata la riduzione entro l'anno; ed in mancanza* (id est si reductio petatur post annum) *dal giorno della domanda* (art. 1094).

475. Q. 9. *Quid est promissio?*

R. Promissio *est liberalis, deliberata ac spontanea fidei datio exterius facta et acceptata de re possibili et honesta.* Dicitur: 1) *liberalis*, et sic discrepat a contractu oneroso; 2) *deliberata*, id est cum plena advertentia: ac *spontanea*, id est immunis ab errore, dolo et metu etiam levi; nam liberalitas importat omnimodam libertatem; 3) *fidei datio:* sicque distinguitur et a donatione in qua res ipsa statim tribuitur; et a mero proposito, quod est simplex voluntas aliquid faciendi, quin nova imponatur obligatio, adeo ut qui proposito desit, sit quidem inconstans, non vero violatæ fidei reus; 4) *exterius facta*, idest talis ut homo eam cognoscere possit; 5) et *acceptata*, quia promissio et donatio semper facta censetur sub conditione: si *acceptentur*, adeo ut ante acceptationem semper revocari possint; 6) *de re possibili et honesta;* quia *impossibilium nulla obligatio, et in malis promissis fidem non expedit observari.* Quod si promissio sit prodiga, obligat ad servandum quod prodigum non est; quia si ex una parte *nulla est obligatio de illicito*, ex altera *utile per inutile vitiari non debet* [2].

Qui promittit, dicitur *promittens* vel *promissor;* cui autem promittitur, appellatur *promissarius.*

476. Q. 10. *Quid de promissionibus gratuitis, prout generatim fieri solent inter homines?*

R. Promissiones hujusmodi saltem ex justitia, regulariter loquendo et ante acceptationem non obligant; qui enim eo modo promittunt, ordinarie non intendunt proprie dictam obligationem suscipere, sed tantum significare præsentem voluntatem et animi promptitudinem erga alios. Sane siquis eos interrogaret, an tanquam fures vel tanquam injusti rei alienæ detentores haberi velint in hypothesi, quod

1 « Per *esempio:* Tizio donò ad Antonio nel 1865 lire 3,000; nel 1866 donò a Carlo lire 6,000; e nel 1867 lire 3,000 ad Andrea. Muore lasciando lire 4,000 di sostanza al suo unico figlio; e però il tutto sommando avremo lire 16,000. Il figlio superstite ha diritto alla legittima di lire 8,000, la metà; il padre ha dunque ecceduto nel far le donazioni. Così il figlio ha diritto di far dichiarar nulla l'ultima di lire 3,000; e far ridurre a lire 5,000, quella di 6,000. »

2 Promissiones factæ latroni de pecunia solvenda vel fœneratori de solvendis usuris. naturali Jure nullæ sunt; et ideo latro ac fœnerator nequeunt pecuniam recipere, non quia consensus in promittente simpliciter voluntarius desit, sed quod in hiis deest jus seu titulus illam pecuniam habendi; et ideo promittens non tenetur reddere, nisi forte juraverit se soluturum, idque ob vinculum Religionis, cujus tamen relaxationem petere potest, ut habet Alexander III, can. *Debitores de jurejur.* Ceterum vide quæ disputavimus Lib. II *De juramento.*

promissiones taliter factas non impleant, negative statim responderent. Hoc etiam sentiunt illi ipsi, in quorum gratiam promissiones hujusmodi factæ sunt, qui ad summum sic promittentes vocant leves, inconstantes, non autem jinustos.

Diximus 1: *Saltem ex justitia;* quia non desunt qui velint promissiones obligare ex fidelitate: quanquam ne ex fidelitate quidem obligant hoc ipso, quod sic promittentes non intendunt fidem suam serio obligare. Et quando dicunt *promitto, polliceor*, nihil aliud exprimere volunt, quam actuale propositum et bonam animi voluntatem erga alios atque contestationem officiosi animi; non vero obligationem stricte sumptam.

Diximus 2: *Regulariter loquendo;* quia promissiones obligant etiam ex justitia et quidem graviter in re gravi, quando reapse constet promittentes obligationem proprie dictam voluisse sibi suscipere. Talis censetur esse promissio: *a)* si juramento serio firmetur: neque enim quis censetur illud usurpare inaniter; *b)* si fiat coram testibus ad hoc vocatis, vel notario; *c)* si detur chirographum aut aliud scriptum; virtus enim sinceritatis et veritatis exigit, ut scripta factis conformia sint: alioquin mendaciis via panderetur.

Diximus 3: *Ante acceptationem;* nam certum est promissionem serio factam et a promissario acceptatam in re gravi per accidens obligare sub gravi et ex justitia: uti si intercedat ratio gravis damni proximo obvenientis, v. g. si ego alteri promisissem dare mutuum, quo graviter indigebat, et ille mihi confisus aliunde non prospexisset sibi. Vel si quis legatum solvere promiserit eos liberando, qui ad illud tenebantur, sed postea renuat quia ejus promissio est legali forma destituta; et sic legatum insolutum remanet. Vel si adeo quis filium suum educari curaverit, quia alter promiserat ad expensas concurrere, et postea recuset [1].

Tota difficultas est, an promissio serio facta, et acceptata per se et ex natura sua in materia gravi sub gravi obliget? Alii cum d. Thoma docent, simplicem promissionem ex natura sua non obligare, nisi sub levi, etiam in re gravi, quia in ejus opinione promissio quælibet ex se obligat tantum secundum quandam honestatem, non autem secundum jus civile; hoc est (ut explicant Salmanticenses) non secundum justitiam [2]. Alii vero contra sentiunt cum s. Antonino; quia fidelitas promissa, seria et acceptata verum et rigorosum contractum constituit, quæ jus strictum præbet promissario:

[1] Acceptatio etiam per alium fieri potest, v. g. per illum qui habeat promissarii curam: sic acceptat pater pro filiis, religiosus pro monasterio, prælatus pro sua Ecclesia, uxor pro marito, tutor pro minore. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 720, etc.

[2] 2, 2, q. 88, a. 3.

omnis enim fidei violator, ait Augustinus, *iniquus est* [1]. Advertunt tamen communiter ad constituendam materiam gravem in promissione requiri ut ipsa sit quadruplo major, quam in furto mortali; quia promittens agit de proprio, fur autem de alieno. Quidquid sit, cum tota promissionis efficacia pendeat a promittentis intentione, in ipsius favorem promissio interpretanda est. Hinc in dubio, an quis voluerit se obligare ex justitia, an tantum ex fidelitate; an graviter, an leviter, probabilissimum erit, eum non obligari nisi sub levi, ut dicunt Holzman, Lugo, Sporer, etc.

477. Cessat obligatio promissionis: 1) quando promissarius jus suum remittit; remissio enim obligationem tollit; 2) quando res fit illicita vel impossibilis; nam inhonestorum ac impossibilium nulla obligatio. Item si fit noxia vel inutilis promissario; cum omnis cesset promissionis finis; 3) quando contingit notabilis mutatio non prævisa; tunc censetur nemo velle se obligare: *Unde et Apostolus non est mentitus, qui non ivit Corinthum, quo se iturum esse promiserat, ut dicitur* II *ad Corinthios* I, *et hoc propter impedimenta quæ supervenerunt:* s. Thomas [2].

Art. VII. — *De deposito, sequestro, fidejussione, commodato, precario et mandato.*

478. Q. 1. *Quid est depositum et quotuplex?*

R. Ad 1: Depositum proprie dictum definitur: *contractus, quo alteri res mobilis gratis custodienda traditur ut quandocunque deponenti placuerit, eadem omnino restituatur.* Qui rem deponit, *depositor* vel *deponens;* cui res deposito datur, dicitur *depositarius.* — Dicitur *proprie dictum* ut distinguatur a sequestro, quod est tantum quædam species depositi. Dicitur *res mobilis*, nam quando committitur vigilantia alicujus immobilis, v. g. vineæ, non habetur depositum, sed mandatum. Dicitur *gratis custodienda*, est enim de natura depositi, ut non sit nisi amicabile negotium in alterius gratiam susceptum; hoc tamen non impedit, ut depositario aliqua remuneratio tribuatur.

Depositum nonnisi traditione rei perficitur; et etiam solo consensu, si res jam sit in manu depositarii alio titulo, ut si nunc custodias uti depositam pecuniam, quam prius mutuatam habebas.

[1] Lib. I *de Doctr. chr.*, c. XXXVI. — *V.* Stapf, § 425. — Zellinger, *Institutiones Juris naturæ*, § 128. — Carrière, *De Justitia*, n. 473.
[2] 2, 2, q. 110, a. 3. — *V.* Continuator Tournely, Salmanticenses, Viva.

R. Ad 2: Duplex autem distinguitur depositum: *voluntarium*, et *necessarium*.

1. *Voluntarium* fit libero partium consensu; sed locum habere nequit inter personas ad contrahendum incapaces, ut inter minores, interdictos, inhabilitatos, uxores *(art.* 1107). Si autem persona contrahendi capax accepit ab incapaci depositum, tenetur ad omnes depositarii obligationes, et si deficiat potest in judicio a tutore ipsius incapacis conveniri. Si e contra depositum a contrahendi capaci factum sit personæ quæ sit incapax, illa id unum habet ut sibi vindicet depositum, si adhuc extet apud depositarium, vel ut sibi restituatur quod in commodum ipsius depositarii cesserit: quod si perierit etiam culpa depositarii, dominus non habet jus ad damnorum compensationem. In deposito voluntario admittitur probatio per testes, si tamen ejus valor non excedat libellas 500 *(art.* 1341, 1839 et seqq.).

2. Depositum *necessarium* illud est cui dat causam casus inopinatus, uti incendium, naufragium. Idem dicendum est de rebus viatorum depositis penes caupones, in quo admittitur probatio per testes, qualiscumque sit valor [1]. Limitat tamen Codex: *Essi non sono obbligati pei furti commessi a mano armata o altrimenti con forza maggiore, o per negligenza grave del proprietario.* Depositum necessarium dicitur etiam *miserabile*, quia a miseria ortum habet [2].

479. Q. 2. *Quænam sunt depositarii et deponentis obligationes?*

R. Ad 1: Depositarius tenetur: 1) ad diligentem rei depositæ custodiam, quasi ea esset sua: imo ad majorem, si eam promiserit, vel si sponte se obtulerit ad depositum; vel si conventa sit aliqua remuneratio ipsi tribuenda; vel si in ejus commodum tantummodo vergat facta depositio [3]; vel si expresse se obligaverit ad respondendum pro quacunque culpa; 2) depositum restituere cum fructibus perceptis, statim ac a deponente petitur, etsi nondum expi-

[1] Art. 1870; — *C. A. civ.* 960; — *C. G.* 1949; — *C. S.* 1821; — *C. P.* 2009; — *C. M.* 1992; — *C. T.* 1040. « Non è necessario che il viaggiatore consegni le sue robe al padrone medesimo: questi è mallevadore de' suoi domestici e delle persone addette al servizio della casa. Perciò quando un viaggiatore dà ai domestici, che lo conducono alle stanze, una valigia od altri oggetti; o quando rimette il suo cavallo nella stalla alla custodia del palafreniere, il padrone vi è tenuto come se la consegnazione fosse stata fatta a lui medesimo. Ma non sarebbe così, se un viaggiatore imprudente consegnasse fuori della presenza del padrone, oggetti ad un fanciullo o ad un'altra persona che trova alla porta, e che per errore l'ha creduta addetta al servizio della casa; in tal caso il padrone non vi sarebbe tenuto. » *Gousset.* — *V.* Ferraris; V. *Depositum.* — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 746.

[2] *Art.* 1868: « Non è richiesto che il deposito si faccia per atto scritto, ma sarà opportuno un documento per avere una prova attendibile e costituita; giacchè non potrebbe aver luogo la prova testimoniale, se l'oggetto in contesa passa il valore di lire 500 *(art.* 1341); a meno che non si tratti del deposito necessario *(art.* 1865, 1348). » *Carabelli.*

[3] « Per *esempio:* Il deposito di un cembalo presso una persona, la quella si diletta di musica. »

raverit tempus in conventione determinatum ad restitutionem: nisi obstet sequestrum, vel cognoscatur rem esse furtivam, vel evaserit ipse deponens ad acceptandum incapax ex lege; 3) indemnem deponentem servare, si res sua culpa deterior facta sit [1]: vel etiam si sit in mora culpabili et res perierit, etsi casu fortuito. Quoad depositarii hæredes hæc statuit lex: *L'eredo del depositario, il quale ha venduto in buona fede la cosa che ignorava essere depositata, è obbligato soltanto a restituire il prezzo ricevuto o a cedere la sua azione verso il compratore nel caso che il prezzo non gli sia stato pagato* (art. 1851).

R. Ad 2: Deponens tenetur: 1) ad nutum depositarii (etsi tempus statutum sit) rem suam recipere: et si illi importuna videatur restitutio, judex definiet; 2) damna resarcire, quæ alter passus est; æquitas enim postulat, ut ex onere gratuito non sentiat detrimentum: imo potest depositarius depositum retinere donec integram acceperit indemnitatem. Addit Codex: *In caso di morte del deponente, la cosa depositata non può restituirsi che all'erede. Se vi sono più eredi, la cosa depositata deve restituirsi ad ognuno di essi per la sua porzione. Se la cosa non è divisibile, essi debbono fra loro accordarsi sul modo di riceverla* (art. 1855).

480. Q. 3. *Depositarius potestne re sibi deposito tradita uti?*

R. Si depositum sit res usu consumptibilis, ut triticum, vinum, pecunia, quæ in ejus usu absumitur, eaque tradita sit certo numero, pondere et mensura, non videtur depositarius peccare saltem graviter iis utens, si certus sit, tantundem habiturum ejusdem bonitatis, quando repetetur; quia tunc communiter præsumitur consensus domini. Secus, si agatur de pecunia tradita, sacculo vel arca inclusa vel munita sigillo: si ea utatur depositarius, graviter peccat; non tamen fructus inde perceptos tenetur restituere, quia sunt fructus industriæ, non rei; cum res usu consumptibilis per usum non fructificet, sed destruatur.

Sed quoad depositarium pecuniæ statuit lex civilis: *Non è debitore di alcun interesse del danaro depositato, se non dal giorno, in cui fu costituito in mora a farne la restituzione* (art. 1852). Pecunia autem sive creverit sive decreverit, restituenda est ea qua accepta fuit, specie; si nempe tot argentei nummi depositi fuerint, tot argentei nummi restituantur. Si vero depositum non sit res primo usu consumptibilis, ut currus, equus, tunc si depositarius ea utatur sine deponentis consensu, expresso vel præsumpto [2], peccat, et fructus perceptos tenetur restituere, cum res domino fructificet; et damna compensare.

[1] Et carcere punitur reus *Cod. pœn.*, art. 631.

[2] « Per *esempio:* Ho depositato un cavallo presso un amico, che so oltremodo amante dell'equitazione; si presumerà che abbia voluto permettergliene l'uso. »

481. Q. 4. *Quid est sequestrum?*

R. Sequestrum *est species depositi, qua res controversa deponitur apud aliquem eo fine, ut post sententiam tertii vel judicis vincenti tradatur.* Unde duplex est: *conventionale* et *judiciale*, prout vel sola partium voluntate vel judicis præcepto fit. Utrumque extenditur ad bona tam mobilia, quam immobilia. Si sit gratuitum, iisdem subjacet regulis ac depositum proprie dictum; attamen depositarius non potest liberari, nisi finita controversia, vel nisi partes conveniant, aut causa restitutionis legitima judicetur [1]. *(Cod. civ.* art. 1869; *Cod. proc. civ.* art. 921.)

482. Q. 5. *Quid de fidejussione (vulgo* sicurtà, malleveria)?

R. Fidejussio (sic dicta a *fidejubere)* est contractus, *quo unus vel plures in se suscipiunt obligationem alterius debiti solvendi, si debitor ipse non solverit; eo tamen adhuc manente ligato.* Pro ea pretium accipi potest, cum assumptio talis oneris sit pretio æstimabilis. Fidejussio, quæ nunquam extenditur ultra obligationem debitoris [2], non præsumitur, sed oportet ut expresse suscipiatur [3]. Attamen potest suscipi etiam debitore ignorante: et semel valide suscepta, transit ad hæredes ipsius fidejussionis [4].

Duo ad fidejussionis validitatem requiruntur: 1) capacitas se obligandi: unde uxor excluditur sine mariti auctorizatione, nisi agatur de mercatura: et sic de ceteris qui nequeunt se obligare; 2) validitas contractus, unde debitum exurgit; nam fidejussio est accessorium, ac illam supponit. Excipe nisi contractus nullus sit ratione tantum incapacitatis personæ; tunc adhuc valet fidejussio [5]: item admittitur fidejussio fidejussionis. Addit autem Codex: *La solvenza di*

Si dominus rei depositæ usum concedit, depositum in mutuum transit, si res primo usu consumptibilis: quod si talis non sit, depositum transit in commodatum, si gratis usus conceditur; secus in locationem ex communi.

[1] *Cod. civ.* art 1869; *Cod. proc. civ.* art. 921; — *C. A.* 968; — *C. G.* 1955; — *C. S.* 1828; — *C. P.* 2113; — *C. M.* 2087.

[2] « Per *esempio:* Se il fidejussore si fosse sottoposto ad una clausola penale pel caso che non effettuasse il pagamento di cui fa sigurtà, tal clausola, se non esiste nell'obbligazione del debitore, sarebbe come un'aggiunta. »

[3] Proverb. VI et XXII gravibus verbis monemur, ne facile sponsionibus locum demus: « Qui il Savio dimostra (ait Martini) come non deesi leggermente, nè senza grandi motivi prestar mallevaria per un altro, o in giustizia per cagion di delitto, o privatamente per i debiti dell'amico. Simili mallevadorie sono frequentemente cagion di ruina per le famiglie. Per la qual cosa il Savio che loda e raccomanda la liberalità e la generosità nel sovvenire i bisognosi, biasima la temerità e facilità colla quale taluni prendono sopra di loro le obbligazioni e i debiti degli amici. »

[4] « Il Codice non annovera fra i contratti che devono farsi per atto pubblico o scrittura privata, la fidejussione; ma sarà opportuno che essa si faccia con uno scritto per la prova, massime se l'ente garantito oltrepassa le lire 500, giacchè non potrebbesi ammettere la prova testimoniale. » *Carabelli.*

[5] « Per *esempio:* Se un minore ha contratta un'obbligazione, egli può dispensarsi dall'adempirla coll'opporre il suo stato d'incapacità. Ma se alcuno si rese sua sigurtà la fidejussione sarà valida, imperocchè l'obbligazione principale esiste, e non è soggetta a rescissione che personalmente in favore del minore. » — Art. 1898; — *C. A.* 1344; — *C. G.* 2011; — *C. S.* 1833; — *C. P.* 2014; — *C. M.* 225; — *C. T.* 1107.

un fidejussore non si misura che in ragione de'suoi beni capaci d'ipoteca, eccetto che si tratti di materie di commercio o il debito sia tenue. Pel fine accennato non si tien conto dei beni litigiosi, nè di quelli situati a tale distanza da rendere troppo difficili gli atti esecutivi sopra i medesimi (art. 1905).

483. Q. 6. *Quænam sunt onera et jura fidejussoris?*

R. Ad 1: Onera fidejussoris hæc sunt: si ipse se obligavit in defectum debitoris tantum, non tenetur solvere, nisi in illius defectu: unde urgere potest, ut prius debitor excutiatur: modo tamen hoc postulet ineunte judicio et expensas necessarias solvat anticipate, ac bona debitoris indicet quæ libera sint, et intra fines jurisdictionis magistratus posita, ubi facienda est solutio. Si vero se obligavit vel renuntiando beneficio debitorem primum excutiendi, vel solidarie cum ipso debitore, illico solvere tenetur, quin necesse sit, ut ad debitorem fiat recursus [1].

R. Ad 2: Jura fidejussoris sunt: pretio soluto, ipse succedit in omnia jura creditorum contra debitorem; habet etiam regressum contra alios fidejussores, si qui sint; ac potest petere compensationem damnorum. Imo nondum facta solutione, urgere debitorem, ut se a fidejussione liberet: 1) *Quando è convenuto giudizialmente pel pagamento;* 2) *quando il debitore è fallito, o si trovi in istato di non solvenza;* 3) *quando il debitore sia obbligato di liberarlo dalla sigurtà in un tempo determinato, e questo sia scaduto;* 4) *quando il debito sia divenuto esigibile per essere scaduto il termine convenuto pel pagamento;* 5) *al termine di dieci anni, quando l'obbligazione principale non abbia un termine fisso per la scadenza* [2]*; purchè l'obbligazione principale non fosse di tal natura da potersi estinguere prima di un tempo determinato, come accade riguardo alla tutela* [3]*, o non vi fosse convenzione in contrario* (art. 1919).

Hæc de fidejussione *voluntaria;* adest enim fidejussio tum *legalis* si a lege ea imponatur, ut fieri solet cum usufructuario; tum *judicialis*, ut cum judex uni litigantium permittit repetere id de quo contestatio est (si tamen fidejussorem præsentet, qui in omni eventu solutum solvat). Fidejussor judicialis ac legalis pro assecuratione possunt etiam exhibere pignus vel aliud quod sufficiens sit *(art.* 1921).

484. Q. 7. *Quomodo extinguitur fidejussio?*

R. Fidejussio iisdem causis extinguitur quibus ceteræ obligatio-

1 *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 912; — Ferraris; V. *Fidejussio, Fidejussor.*

2 « Per *esempio:* Colui che si rese fidejussore per una rendita perpetua, potrà in capo di dieci anni instare, perchè il debitore lo liberi dalla sua fidejussione. »

3 « Colui che si rende, v. g. fidejussore d'un tutore, dee sapere essere natura dell'obbligazione che guarentisce, di non poter cessare che al punto della maggiorità. »

nes, id est solutione, novatione, compensatione, confusione, etc. Sed quoad confusionem statuit lex: *La confusione che si effettua nella persona del debitore principale e del suo fidejussore, quando divengano eredi l'uno dell'altro, non estingue l'azione del creditore contro colui che ha fatto sigurtà pel fidejussore* (art. 1926) [1].

185. Q. 8. *Quid est commodatum (vulgo* prestito ad uso)?

R. Commodatum (quasi *alterius commodo datum)* est *contractus, quo res aliqua mobilis vel immobilis non consumptibilis* [2], *ad solum usum gratis alicui conceditur post certum tempus reddenda.* Qui rem concedit, dicitur *commodans* vel *commodator;* cui conceditur, *commodatarius.* Commodatum transit ad hæredes tum commodantis tum commodatarii: nisi aliud eruatur ex natura conventionis, vel nisi exclusive ac peculiariter sit contemplata persona [3]. Ad commodatum non requiritur de necessitate scriptura, etsi præstat illam ad majorem securitatem adhibere. Est autem essentialiter gratuitum; si enim sub pretio concederetur, habetur potius locatio.

a) Ad hæc autem tenetur commodator: 1) non potest ante tempus definitum absque injustitia rem commodatam sibi repetere; esset enim contra datam fidem. Poterit tamen, interveniente judicis auctoritate, si sibi grave damnum impenderet, licet impenderet etiam commodatario ex illa rei repetitione ante tempus. In commodato enim utpote gratuito hæc conditio subintelligitur: *nisi interea contigerit rem esse commodatori necessariam* [4]; 2) tenetur de damnis si scienter rem vitiosam tradiderit [5]. Ceterum in commodante ignorantia

[1] « Per *esempio:* Daniele deve a Carlo lire 3,000 per mutuo; Luigi si fa fidejussore di Daniele pel pagamento di quella somma, e Federico si fa fidejussore del fidejussore Luigi. Muore Luigi, e il debitore Daniele diventa di lui erede, onde in esso si concentra ogni obbligazione; ma l'obbligazione di Federico non si estingue, ed anzi diventa Federico fidejussore di Daniele, perchè questi subentrò in tutti i diritti e doveri del fidejussore Luigi. »

[2] Per altro le cose fungibili possono talvolta formar oggetto di questo contratto, quando l'uso da farsi non importi la sua distruzione, per esempio, il prestito di una somma per fare un deposito: e tale prestito in questo caso si chiama *comodato ad pompam.* » *Carabelli.*

[3] *V.* Liguori. *Op. Mor.*, l. III, nn. 744 et seqq. — Ferraris; V. *Commodatum.* — *Cod. civ.*, art 1805; — *C. A.* 961; — *C. G.* 1875; — *C. S.* 1747; — *C. P.* 1958; — *C. M.* 1940; — *C. T.* 1023.

« Per *esempio:* Se presto il mio cavallo ad un amico, che si diletta dell'equitazione affinchè egli se ne serva, e che quest'amico venga a morire, i suoi eredi non potranno continuare a servirsene. Ma se ho imprestato quel cavallo per servire ai lavori della messe, e il comodatario venga a morire, i suoi eredi potranno ritenerlo per tutto il tempo necessario al raccolto delle messi. »

[4] « Per *esempio:* Io vi ho imprestato un tino per pigiare le vostre uve e fare il vostro vino; non potrò ripigliarlo, se non dopo fatto il vostro vino. Nondimeno, se prima del tempo convenuto, prima che sia cessato il bisogno del comodatario, sopravviene al comodante una urgente impreveduta necessità, può esser costretto il comodatario dal giudice alla restituzione. » *Gousset.*

[5] « Per *esempio:* Se egli presta un cavallo moccioso, il quale, avendo comunicato la sua malattia a quelli del comodatario, li ha fatti perire; conoscendosi però il vizio del cavallo imprestato. » *Gousset.*

culpabilis non consideratur, neque enim facile ille puniendus est, qui tribuit favorem.

b) Commodatarius vero tenetur: 1) commodatum diligenter custodire et expensas ordinarias facere, v. g., alere equum commodatum: at non tenetur facere extraordinarias, v. g., curare equum gravi morbo citra culpam suam laborantem; 2) eo uti pro fine tantum determinato; 3) damna resarcire, quæ sua culpa in rem contigerint (non tamen detrimenta quæ ex rei usu necessario eveniunt). Imo si in culpa, tenetur etiam de casu fortuito, cum eam servare potuisset suam substituendo, vel fuerit in mora restituendi, vel ita conventum sit, vel ea fuit æstimata nec aliter pactum sit, vel ad diversum usum aut ad tempus diuturnum contra præscriptum, ea fuerit usus; 4) tempore statuto rem domino suo reddere.

486. Q. 9. *Quid est precarium?*

R. *Precarium* (sic dictum, quia *ad preces* petentis conceditur) cum parum differat a commodato, iisdem regitur regulis: tota differentia in eo est, quod precarium potest ad nutum concedentis revocari; cum tamen commodatum suum habeat definitum tempus; ideo definiri solet *gratuita concessio usus rei ad nutum revocabilis*. Item precarium cessat per mortem accipientis; non autem per mortem dantis, nisi ab hæredibus revocetur [1].

487. Q. 10. *Quid est mandatum (vulgo* procura*) et quotuplex?*

R. Ad 1: Mandatum definitur: *contractus, quo negotium honestum ab alio ex fiducia commissum, gratis administrandum gerendumve suscipitur*. Ex quo patet, natura sua mandatum gratis iniri; at nihil obstat, ut aliqua compensatio tribuatur; verum si expresse conveniatur de mercede, participaret de locatione. Qui mandat, dicitur *mandator* vel *mandans;* cui datur mandatum, *mandatarius* [2]. Quoad eos autem qui suscipiunt mandatum decernit lex civilis: *Il minore emancipato può essere scelto per mandatario; ma il mandante non ha azione contro il mandatario minore, se non giusta le regole generali relative alle obbligazioni dei minori* (id est intra limites illius, de quo disponere possunt). *La moglie non può accettare mandato senza autorizzazione del marito* (art. 1743).

R Ad 2: Mandatum aliud *judiciale* est (vulgo *procura ad lites*). Aliud *extra-judiciale* (seu *procura ad negotia*). Aliud *generale*, si

[1] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 745. — Ferraris; V. *Precarium*. — Illud Codex nonnisi per accidens indicat, nempe art. 687, 688 et 2115. Quamvis autem precarium dicatur *ad nutum* revocabile, attamen in praxi illud ad certum tempus scriptura constitui solet, et nemo inficiatur illius obligationem neque in civili jurisprudentia, ut notat Cattaneo, *Il Cod. civile italiano annotato* ad art. 1818: append. *Precario*.

[2] Art. 1737; — *C. A.* 978; — *C. G.* 1880; — *C. S.* 1752; — *C. P.* 1961; — *C. M.* 1943; — *C. T.* 1068. — *V.* Ferraris; V. *Mandatum* (art. novissimus).

omnia gerenda negotia comprehendat; mandatum tamen generalibus verbis conceptum non respicit, nisi actus administrationis. Aliud *speciale*, si aliquod tantum negotium, vel certa negotia comprehendat. Aliud *expressum*, si viva voce vel scripto conferatur; aliud *tacitum*, si ex circumstantiis eruitur: sic tacito viri mandato uxor providit familiæ expensis. Ad mandati valorem requiritur mandatarii acceptatio expressa vel tacita.

488. Q. 11. *Quænam mandantis et mandatarii obligationes?*

R. Ad 1: Mandans tenetur: 1) mandatario refundere expensas, quas propter mandatum fecerit et damna resarcire, quæ mandatarius ipse occasione mandati passus fortasse sit, etiamsi res felicem exitum non habuerit; 2) solvere usuras pecuniarum, quas mandatarius in antecessum solvit; 3) tenetur exequi obligationes a mandatario contractas etiamsi sint ultra mandatum, si saltem tacite eas approbaverit [1]; 4) si mandatarius sit a pluribus constitutus, mandantes singuli tenentur erga ipsum in solidum: non item (pacto præcluso) si plures constituti mandatarii, tenentur omnes in solidum erga mandantem.

R. Ad 2: Mandatarii obligationes sunt: 1) ut mandati limites non excedat, v. g., pluris quam sibi præscriptum est, emendo; 2) ut negotium diligenter gerat, et quidem nomine mandantis: item negotium compleat, si incœperit ante mortem mandantis. Respondeat non tantum de dolo; sed etiam de negligentia: non ita tamen rigorose, si mandatum sit gratuitum; 3) ut mandanti reddat quidquid vi mandati percepit sive titulo lucri, sive titulo doni; quia cum non agat nisi nomine mandantis, eidem non sibi acquirit. Et etiam usuras pecuniarum a die quo constituitur in mora illas solvendi; vel a die collocationis, si illis usus sit et impenderit pro sui utilitate; 4) si mandatarius alium substituit, tenetur de substituti culpa, quando illum substituendi non fuit ei tributa facultas; vel si fuit tributa, substituit inhabilem, non designatum: semper tamen poterit mandans contra substitutum agere.

489. Q. 12. *Quomodo extinguitur mandatum?*

R. Mandatum extinguitur: 1) per revocationem mandati etiam tacitam, ut si alium substituat primum certiorem reddendo [2]: quod fieri potest ad libitum mandantis; 2) per mandatarii renuntiationem notificatam tempore congruo; 3) per mortem, interdictionem vel de-

[1] « Così Tizio aveva mandato di comprare la casa di Cajo, e comperò anche il giardino annesso; e in facoltà del mandante di approvare l'acquisto del giardino. »

[2] « Per *esempio*: Tizio diede procura generale a Sempronio, e poi dà un mandato speciale a Martino per la vendita di alcune merci; sussiste in Sempronio il mandato per tutti gli altri affari. »

coctionem sive mandantis sive mandatarii. Item per inhabilitationem mandantis vel mandatarii, si mandatum directe executioni mandari nequeat sine curatoris assistentia.

Ceterum notandum est, quod adhuc data mandati revocatione, quidquid agit mandatarius, validum est quoad illos qui sunt in bona fide. Quare præstat, ut revocatio in Diario publicetur, ita ut ea omnibus possit opponi; item hæredes mandatarii, ejus morte secuta, tenentur mandantem certiorem facere [1].

Art. VIII. — *De contractibus aleatoriis.*

490. Contractus aleatorius definitur: *mutua conventio, cujus effectus tum quoad lucrum tum quoad jacturam vel pro omnibus contrahentibus, vel pro uno aut pluribus ipsorum pendet ab incerto eventu.* Quadruplex distinguitur: *assecuratio, mutuatio ad omne periculum, ludus, sponsio* ac *census vitalitius* (de ultimo jam dictum est).

491. Q. 1. *Quid est sponsio, et an licita?*

R. *Sponsio* (vulgo *scommessa)* est *contractus, quo duo vel plures de veritate et eventu alicujus rei certantes sibi invicem aliquid spondent ut ejus sit, qui fuerit veritatem assecutus.* Lex civilis nullam in judicio concedit actionem quoad solutionem sponsionis [2]. Attamen sponsio si debitis conditionibus prædita sit, non prohibetur: est enim contractus fortunæ, quo uterque spondens sese periculo æqualiter exponit. Imo aliquando est honesta recreationis species inter amicos usitata, et etiam stimulus ad aliquid perficiendum. Attamen in praxi regulariter vix caret culpa veniali; quia deest, ut plurimum, motivum cohonestans licitæ recreationis. Hinc s. Antoninus quærenti; an lucrum ex tali sponsione sit licitum, respondet: *Non, sed turpe lucrum dici potest procedens ex avaritia et nulli deserviens utilitati, sed vanitati et prodigalitati.*

Debitæ sponsionis conditiones Jure naturæ sunt: 1) ut sponsio sit de re dubii eventus quoad utrumque spondentem: secus non esset æqualitas; 2) ut uterque accipiat eodem sensu id de quo spondetur: secus non convenirent in unum; 3) ut non sit circa illicita; neque enim tenet obligatio contra mores: talis est sponsio vere animalis circa ingluviem et potum: qui plus bibit vel plus manducat. Nec pariter tenet, si sit circa Pontificis electionem, aut ejusdem vitam vel mortem: quod prohibuit s. Pius V Bulla *In eligendis* [3].

[1] « Sarà anche opportuno che il mandato si faccia per atto pubblico, o scrittura privata autenticata, dovendo prodursi in confronto dei terzi. » *Carabelli.*

[2] *Cod. civ.* art. 1802; — *C. A.* 1262; — *C. G.* 1964; — *C. S.* 1835; — *C. M.* 1817; — *C. T.* 932.

[3] Addit Roncaglia, Gregorium XIV, in Bulla *Cogit nos*, extendisse ad electionem Cardinalium, addita excommunicatione latæ sententiæ quoad electionem Pontificis, et

Quid (dices) *siquis manifestet se certo rem scire, et alter adhuc perseverat in sponsione?* Probabilius tenent sponsionem hujusmodi invalidam esse; tunc æqualitas deesset, et sponsor haberetur uti insanus. Sicut qui vellet pertinaciter emere gemmam tanquam veram, licet certior factus sit esse falsam: eo in casu fatentur omnes nullum esse emptionis contractum; ergo a pari. Nec refert quod ille cedat juri suo; cedit enim ex errore: nisi ille qui principio certus videbatur, postea, altero contradicente ac spondere volente, incipiat et ipse dubitare advertens jam alias errasse in iis quæ sibi certa videbantur.

492. Q. 2. *Quid est ludus et an licitus?*

R. Ludus sæpe cum joco ac lusu confunditur; differt tamen, nam ludus proprie dicitur in factis; jocus in verbis; lusus vero magis fit voluptatis causa, quam lucri spe. Non hic loquimur de ludo, prout est simplex animi relaxatio; sic enim licitum esse nemo dubitat; nam sicut corpus quiete indiget, ne nimio labore frangatur; ita et anima, ne continua meditatione enervetur.

Sermo noster est de ludo in ordine ad justitiam, quo sensu definitur: *contractus, quo ludentes inter se conveniunt de certo pretio victori cessuro.* Et triplicis est generis: alius in quo sola virtus; alius in quo mera sors; alius, in quo partim virtus, partim sors dominatur. Porro talis contractus Jure naturæ spectato et si debitæ adsint conditiones, est profecto validus et licitus. Sicut enim potest quilibet dominus rem suam absolute donare; ita potest etiam illam tradere sub conditione aliqua. Et hic utriusque partis eadem est conditio: unde qui ludendo perdidit, per se loquendo solvere tenetur: libera enim et licita conventio servanda est.

Diximus 1: *Jure naturæ spectato;* nam quoad ludos meræ sortis, eos vetat expresse lex civilis, ac contravenientes mulcta pecuniaria punit [1]: et merito; hi enim otium fovent, rixas atque blasphemias. Per se tamen loquendo commune est et certum inter Doctores, laicis id non esse de se sub gravi peccato prohibitum: imo est probabilissimum respectu ad leges positivas, quod tales ludentes ne venialiter quidem peccent [2]; ajunt enim Jus canonicum consuetudine esse abrogatum: jus vero civile respicere tantum pœnas.

reservata, etiam extra tempus Sedis vacantis. Videtur tamen ad eam incurrendam requiri, ut notabilis summa sponsioni exponatur; quia materia levis non potest constituere culpam gravem, nec proinde subjici pœnæ adeo gravi. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 869. — Ferraris; V. *Sponsio.*

[1] *Cod. pœn.*, art. 474; — *C. A. pœn.*, c. 2, § 266. — « Licet ludus plerumque sit in se licitus, et honestæ recreationi inserviat, debita moderatio in ejus usu quam maxime commendanda est, ne facile in detestandos abusus deflectatur. Quanta enim mala ex eo proveniant, comprobat quotidiana et lugenda nimis experientia! Quot enim, heu! cernuntur miserrimi juvenes, nec non cujuslibet conditionis homines, qui ludo dediti integræ fortunæ paucis diebus vel horis jacturam faciunt, familiam ærumnis immergunt, et ipsi in omni flagitiorum genere volutantur! Satagant igitur pro viribus Parochi et Confessarii, ut subditos et pœnitentes a ludo immoderato avertant, atque solliciti sint, ne obtemperare renuentes ad Sacramenta admittant. » Recte *Gousset.* Hinc illud: *Nam ludus genuit strepitum, certamen et iram.*

[2] *Quoad clericos* vide *De obligationibus*, lib. I; et Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 893.

Diximus 2: *Si debitæ adsint conditiones*, quæ quidem quoad validitatem sunt: *a)* ut quæ ludo exponuntur, sint propria ludentium et in eorum dominio, atque libera disponendi facultate, ut patet; *b)* ut absit omnis vis et fraus: unde oportet, ut ludentes libere concurrant, et quidem ut inter illos æqualitas moralis sit in spe lucrandi et in periculo perdendi: secus læderetur justitia. Hinc versus:

Ludens lude tuis, sine vi, sine fraude, monetis.

Ad licitatem vero insuper requiritur:

1. Ne ludo turpe aliquid misceatur et inhonestum, sive facto sive etiam verbis. *Duplex* (ajebat Tullius quamvis gentilis) *omnino est jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: aliud elegans, urbanum, ingeniosum, facetum* [1].

2. Ut nulla in ludo sit occasio peccandi, non scandalum nec damnum alterius: sic peccaret mortaliter qui se ludo traderet, cum sciat se in blasphemias, in verba inhonesta prolabi, vel impotentem fieri ad debita solvenda et familiam alendam [2]. Ideo summa quæ exponitur, sit modica juxta cujusque conditionem.

3. Ut non ludatur principaliter ob lucrum; nam finis proximus ludi esse debet animi levamen. Hinc probabilius docet Angelicus, ludere unice propter lucrum cupiditati deserviens, non excusari a veniali ob quandam turpitudinem [3]. Et idem Doctor ex Aristotele: *Parum de delectatione sufficit ad vitam quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo* [4].

493. Q. 3. *An lucrum ex ludis possit tuta conscientia retineri?*

R. 1: Loquendo de filiofamilias, summa contra ipsum victa in ludo etiam de se licito non potest in conscientia retineri, sed ipsi restituenda est; qui enim rei dominus non est aut eam alienare nequit, nec potest de ea ludere [5]. Et in casu tenetur, ut verius dicunt, etiam filiusfamilias lucratum collusori restituere; neque enim esset æqualitas, si hic posset perdere et non lucrari. Excipe si summa victa filiofamilias sit de bonis castrensibus aut quasi: aut si parvi momenti, in qua præsumatur patris consensus, qui honestam recreationem non vult filio denegare: aut sit tantum aliqua pars moderata deducta ab alimentis, quæ ei pater subministrat. Idem dicunt de interdicto aut inhabilitato.

[1] Lib. 1 *De Offic.*, c. 29. — Ferraris; V. *Ludus*, ubi plura.
[2] Item peccat qui hosce ludos fovet, convocat ludentes, domum ludentibus indiscriminatim aperit. — *V.* s. Carolus, *Instructio Confessariorum*; — *Istruzione pei novelli Confessori.*
[3] 2, 2, q. 77, a. 4.
[4] 2, 2, q. 168, a. 4. — *V.* Rosignoli, *Il giuoco di fortuna.*
[5] Quod valet de religiosis et uxoribus. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 872; et l. IV, n. 36: *Ho. Ap.*, tr. X, n. 215. — Cattaneo, *Lezioni* ecc.; *Lezione sul giuoco.*

R. 2: Loquendo de ceteris, qui nempe rei expositæ in ludo liberam habent administrationem, qui vicit potest lucratum (licet de ingenti re agatur, ac ludo prohibito), tuto retinere; nam talis ludus declaratur quidem illicitus, non tamen invalidus.

Utrum vero teneatur victus in conscientia solvere quod perdidit, negat communior et probabilior sententia, si lex tribuat jus repetendi solutum, uti tribuere solet generatim minori, interdicto, aut inhabilitato; vel si dolus, vel fraus in ludo intervenerit; etenim quando datur a lege beneficium repetendi, datur etiam non solvendi: nam *frustra solvitur quod statim repetendum est.* Si vero lex non tribuat hoc repetendi beneficium, victum teneri in conscientia solvere quod perdidit (etiam in ludo illicito), docent probabilius Habert, Billuart, Sylvius, etc.: sane libera conventio est observanda, cum potest sine peccato. Neque refert quod ludus sit graviter prohibitus et etiam de ingenti summa agatur; quia esto quod isti ludendo peccaverint, non tamen peccant tribuendo. Et ludentes æque periculum subierunt scientes et volentes: proinde nulla læsio [1].

494. Ex Jure civili tamen, si victus in ludo neget solvere, victori nulla tribuitur actio, ut ille ad solvendum compellatur, nisi agatur de ludis quæ corporis exercitio inserviant, ut sunt cursus, lucta, jactus, pugna, pila et similes [2]. Imo et in hisce ludis potest a judice omnis actio denegari si conventio sit excessiva, habita ratione personarum ac ludus. Quod si agatur de ludis puræ sortis (vulgo *d'azzardo e d'inviło)* eos lex vetat omnino et punit graviter ludentes, eosque qui illis cooperantur vel locum præstant ad ludendum [3].

Attamen in omni casu de quocunque ludo sermo sit, victus qui volontarie solvit, non potest repetere solutum, nisi fuerit minor, interdictus aut inhabilitatus; vel nisi dolus vel fraus intervenerit ex parte victoris; idque ex illo legis principio: *La ripetizione non è am-*

[1] Attamen cum hæc sententia non sit certa, recte concludit Gousset cum Gury: non videntur inquietandi qui nollent solvere magnam summam, qui amisissent. Verum prudens confessarius per modum satisfactionis injungat pœnitenti, qui sic in ludo notabilem lucratus esset summam, ut illam vel magnam illius partem pauperibus eroget, vel in alia pia opera impendat, nam talis ludus est inhonestus. Ludens igitur peccavit; porro ex peccato ditari non licet, saltem non convenit; convenit e contrario, ut pecunia sic lucrata pie impendatur, ne spes talis lucri ad novum impellat peccatum.

[2] « Venne iteratamente deciso che l'eccezione della legge a favore dei giuochi propri al maneggio delle armi, o allo sviluppo delle forze e dell'agilità e destrezza maschia del corpo, non può per la sua natura applicarsi al giuoco del bigliardo o trucco. » Ita *Troplong*

« Venne pur deciso che il mutuo fatto al giuocatore da chi è interessato nel giuoco, è debito di giuoco, nè ha quindi azione il mutuante per la restituzione. E che ciò debba pur dirsi quando il mutuante non sia interessato nel giuoco, se risulti che la somma mutuata doveva immediatamente impiegarsi nel giuoco, e che ciò era noto al mutuante. » *Cattaneo.*

[3] *Cod. pœn.*, art. 474 et seqq.

[4] *Cod. civ.*, art. 1804; — *C. G.* 1697; — *C. S.* 1859; — *C. P.* 1838; — *C. M.* 1817; — *C. T.* 933.

messa riguardo alle obbligazioni naturali che si sono volontariamente soddisfatte (art. 1237).

495. Q. 4. *Quid de iis, qui fraudibus utuntur in ludo?*

R. Si fraudes illæ non adversantur ludi regulis et receptæ consuetudini, non peccat qui iis utitur; scit enim uterque ludens fraudes hujusmodi esse solitas, et sic in illas libere assentitur. Esset si quis sciens se chartas meliores habere, conqueratur tamen et simulet timorem, unde alter non ita attente ludat; vel siquis chartas alterius ex sola ipsius negligentia inspiceret, absque dolo; vel erraret in numerando; nam nemo tenetur alterius partes agere.

Si vero adversantur, ut si quis ita se collocet malitiose, ut chartas alterius perspiciat; aut alium constituat, a quo de iisdem admoneatur; aut chartas furetur; aut eas clam a tergo signo aliquo notet, tunc lucrum est illegitimum et debet victor illud restituere, etiam cum eo, quod juste retulisset alter, si abfuissent fraudes; damnosam enim injuriam socio intulit [1].

496. Q. 5. *Quid de sortitione (vulgo* riffa, lotteria)?

R. Loteria seu ludus ollæ potest definiri: *contractus, quo omnes concurrentes quandam pecuniæ summam tribuunt vel promittunt, ac dein sortiuntur quisnam objectum sit accepturus.* Hæc nihil continet mali in se; est enim emptio juris sortiendi et acquirendi id quod per sortem advenerit: vel si placet, ludus aleæ est, qui sua natura est licitus. Hinc abusu, cupiditate ac fraude remota, permittitur.

Huic affinis est sortitio regia *(regio lotto)*, at periculosior; nam fovet majorem lucri spem, etsi inanem, et frequentior est: inde plura mala, præsertim familiarum ruinæ [2] *(T)*.

497. Q. 6. *Quid est assecuratio?*

R. Assecuratio definitur: *contractus sortis, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit obligando seipsum sub certo pretio, et etiam aliquando gratis ad rei illius compensationem, si forte perierit.* Si fiat gratis, est gratuita promissio; si pretio, est quasi emptio, qua assecurans vendit suam obligationem præstandi alterum in sua re indemnem. Hic contractus est licitus: 1) si pretium sit periculo proportionatum; 2) si periculum verum sit, et utrique parti æque notum; 3) si assecurator habeat unde solvere possit; tunc servaretur æqualitas in periculo et in spe [3].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 877. — Gury, Carrière, etc.
[2] *V.* La *Civiltà Cattolica*, ser. 3ª, vol. VI: *Il lotto e le lotterie;* articulus festivus atque utiliter legendus.
[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 911. — Vide dicenda infra *De commercio*.

DISPUTATIO ALTERA

DE SERVITUTIBUS.

498. Q. *Quid est servitus prout fons juris, et quotuplex?*

R. Ad 1: Servitus, prout est fons juris, definiri potest: *jus tertio competens in re aliena, vi cujus dominus rei in ea aliquid pati, vel non facere cogitur in tertii utilitatem.*

Dicitur: 1) *jus in re*, non in persona; si enim persona tantum obligaretur ad aliquid, esset *obligatio*, non *servitus*, cujus naturæ proprium est rei adhærere: quæ ideo in possessorem quemcunque cum re ipsa transit; 2) *aliena;* nam commoda, quæ dominus percipit e re sua jure dominii percipit, non jure servitutis; 3) *vi cujus dominus in ea re aliquid pati, vel non facere cogitur ; pati*, v. g., ut sinat aliquem aquam e suo fundo ducere: *non facere*, v. g., ut altius domum suam non ædificet. Unde servitus est diminutio dominii, cujus pars tollitur ab eo, qui servitutem debet, et accedit ad eum, cui ipsa debetur; et ideo additur *in tertii utilitatem.*

R. Ad 2: Servitus duplex: *realis*, quæ a re debetur alteri rei, v. g., ab uno prædio alteri prædio, et dicitur etiam *servitus prædialis. Personalis*, quæ debetur personæ in cujus utilitatem immediate cedit, ut est *usus*, *ususfructus*, *habitatio* et *possessio.*

Nota: Servitus in rebus Ecclesiæ cadit sub Extravagante *Ambitiosæ, De rebus Ecclesiæ non alienandis.* Est enim diminutio ac cessio juris; adeoque ea sine Apostolico beneplacito Ecclesiæ imponi non potest: quod S. C. Concilii, referente Monacelli, declaravit 21 junii 1698 cum ageretur de impositione servitutis immittendi tigna et apponendi super muros cujusdam Conventus [1].

CAPUT PRIMUM

DE SERVITUTIBUS PRÆDIALIBUS.

499. Q. 1. *Quid et quotuplex servitus realis, seu prædialis?*

R. Servitus prædialis est *onus prædio impositum ad usum et utilitatem prædii pertinentis ad alium proprietarium.* Servitutes porro prædiales distinguuntur in rusticas et urbanas, in affirmativas et negativas; in continuas et discontinuas, in apparentes et non apparentes. Conventiones quæ constituunt servitutes prædiales vel moderantur,

[1] *V.* Ferraris; V. *Servitus.* — De-Luca, *De servitutibus*, disc. XVII.

ad validitatem fieri debent actu publico aut privata scriptura authentica quæ debet inscribi *(art.* 1314).

Rusticæ sunt quæ fundis inhærent; *urbanæ* quæ inhærent ædificiis, quovis in loco positis: quanquam Codices moderni non amplius admittunt hanc distinctionem.

Affirmativæ, sunt quæ verbis affirmativis exprimuntur, et obligant dominum fundi servientis ad permittendum, ut proprietarius fundi dominantis aliquid agat, v. g., aquæductum construat. *Negativæ*, quæ verbis negativis indicantur, obligant dominum fundi servientis, ut se abstineat ab aliquo peragendo in ipso, quod perageret, si servitus non existeret, v. g., ab ædificio altius attollendo.

Continuæ sunt, quarum exercitium est vel esse potest continuum absque actuali hominis opera, v. g., cursus aquæ in fundo. *Discontinuæ*, quarum exercitium requirit actualem hominis operam, uti est aquam haurire e puteo in fondo alieno existente.

Apparentes, quæ exterius conspiciuntur, uti aquæductus, fenestra, janua. *Non apparentes*, quarum nullum signum exterius apparet, uti sunt servitutes negativæ, quæ obligat ad abstinendum.

500. Q. 2. *Quot sunt fontes unde servitutes dimanant?*

R. Duo sunt fontes unde servitutes prædiales dimanant:

1. *Mutua partium conventio;* possunt enim vicinorum fundorum proprietarii, nisi lex obstet, secum convenire, ut unus fundus alteri serviat: quæ servitutes *conventionales* vocantur. Quæ si continuæ et apparentes constitui possunt vel titulo, vel 30 annorum præscriptione, vel destinatione patrisfamilias [1]. Servitutes vero non continuæ aut non apparentes solo titulo constituuntur [2].

2. *Legum præscriptio:* hæ porro servitutes, quæ *legales* appellantur, aliæ constitutæ sunt ob publicam utilitatem: *Le servitù, stabilite per utilità publica, riguardano il corso delle acque, i marciapiedi lungo i fiumi e canali navigabili o atti al trasporto, la costruzione e riparazione delle strade ed altre opere pubbliche* (art. 534): hæc omnia particularibus legibus reguntur [3]. Aliæ constitutæ sunt ad priva-

[1] « *Esempio:* Il proprietario di due fondi vicini stabilisce sopra uno di essi un canale per condur l'acqua nell'altro; alcun tempo dopo vende una delle proprietà senza far cenno della condotta d'acqua, nasce la presunzione che siasi tacitamente convenuto di lasciar le cose nel loro stato, e la servitù perciò sarà bene stabilita. »

[2] « Le servitù discontinue, quelle cioè che consistono in atti dell'uomo la più parte passaggeri, e le non apparenti, le quali non lasciano di sè stesse un segno materiale, renderebbero al proprietario malagevole l'opporsi alla loro introduzione, o difficile sommamente ne diverrebbe la prova nelle contestazioni che quindi sorgerebbero sulla loro esistenza. Quindi a buon diritto la prescrizione non è più modo valido per acquistarle; ma richiedesi un titolo. »

[3] *V.* Legge 25 giugno 1865 *sulla spropriazione forzata;* 20 marzo 1865 *sulle opere pubbliche;* 19 ottobre 1859 *sulle virtù militari;* 20 novembre 1859 *sulle cave delle miniere.*

torum utilitatem, et sunt quæ respiciunt regimen campestre *(polizia campestre)*, quod item specialibus ordinationibus firmatur [1]; vel respiciunt murum et fossam communem, jus fulcimenti *(ragione d'appoggio)*; distantiam inter quasdam structuras, fossiones et plantationes, prospectum in fundo vicini; stillicidium, jus transitus, aquæductum, etc.; de quibus omnibus plura in *Codice civili* [2].

Addit autem ad rem: *Il diritto di servitù comprende tutto ciò che è necessario per usarne. Così la servitù di attingere acqua alla fonte altrui racchiude il diritto del passaggio nel fondo, dove la fonte si trova. Parimenti il diritto di far passare le acque nel fondo altrui comprende quello di passare lungo le sponde del canale per vigilare la condotta delle acque, e di farvi gli spurghi e le riparazioni occorrenti* (art. 639).

In tutte le questioni di possesso, in materia di servitù, la pratica dell'anno antecedente; e quando si tratti di servitù esercitate ad intervalli maggiori di un anno, quella dell'ultimo godimento determina i diritti ed i doveri tanto di chi ne gode, quanto di chi la deve e di ogni altro interessato (art. 700).

501. Q. 3. *Quot modis servitutes prædiales amittuntur?*

R. Triplici modo hæ servitutes amittuntur ex jure: 1) si amplius non inserviant [3]: si tamen res reducantur ad primum statum, servitutes reviviscunt, nisi obstet præscriptio; 2) si serviens et dominans prædium in dominium unius transeant: sane res sua nemini servit; 3) si triginta annorum non usus intervenerit. Tunc si agatur de servitutibus discontinuis, tempus currit a die quo quis illius non fuit usus. Si de continuis [4], tempus currit a die quo aliquid contra illas actum est [5]. Præscribitur autem non solum ipsa servitus, sed etiam modus et tempus ea utendi [6].

[1] V. *Legge comunale e provinciale* 20 marzo 1865; item Circolare 25 aprile 1865: *Polizia rurale.*

[2] Art. 535; — *C. A.* 480; — *C. G.* 639; — *C. S.* 561; — *C. P.* 493; — *C. M.* 517; — *C. T.* 221, 223, 235, 239. « Secondo alcuni un'altra fonte di servitù è *la natural posizione dei luoghi;* ma si riduce alla servitù posta dalla legge; per esempio, vi è la legge che obbliga un vicino a non far nel suo fondo cosa che impedisca lo scolo delle acque; attesochè senza tale proibizione il diritto di proprietà gli permetterebbe di alzar dei ripari. »

[3] « Per *esempio*: Se la sorgente, dove si attinge l'acqua, inaridisce; se il campo che somministrava il passaggio è inondato da un fiume vicino; se il muro sopra cui si aveva il diritto di aprir finestre, si abbatte. » Carabelli, *La pratica del Codice*, pluribus figuris et exemplis rem totam explanat quæ de servitute disputantur ex *novo Codice civili.*

[4] « Così nelle servitù di passaggio, di attingere acqua, la prescrizione comincia dal giorno in cui si cessò dal passare, dall'andare ad attinger acqua. » *Cod. spieg.*

[5] « Io ho una servitù d'acquedotto sul fondo vicino; il proprietario distrugge i canali, e devia il corso dell'acqua; la prescrizione comincia a decorrere da quel momento; se lascio trascorrere trent'anni senza reclamare, il mio diritto sarà estinto. Lo stesso dicasi del caso, in cui avendo io finestre d'aspetto sulla proprietà del mio vicino, le faccio otturare io medesimo, e che esse rimangano in tale stato trent'anni. »

[6] *Art.* 668: « Così se Tizio aveva il diritto di passaggio con carro, ed esercitò solo il passaggio a piedi, dopo il trentennio rimarrà estinto il modo dell'esercizio di ser-

CAPUT SECUNDUM

DE SERVITUTIBUS PERSONALIBUS, ID EST DE USU, USUFRUCTU, HABITATIONE ET POSSESSIONE.

502. Usus, ususfructus et habitationis titulus constituitur tum actu inter vivos tum actu causa mortis seu testamento. Conventiones autem inter vivos, quibus illa jura constituuntur, moderantur, extinguuntur, fieri debent actu publico, aut scriptura privata, authentica tamen et transcripta ad validitatem *(art.* 1314, 1932, 1935). Quod si ususfructus titulo gratuito tribuatur, tunc omnino requiritur actus publicus *(art.* 1056).

503. Q. 1. *Quid est usus?*

R. Usus definitur: *jus utendi rebus alienis, salva earum substantia quoad materiam et quoad formam.* Cui competit usus, dicitur *usuarius;* ad quem vero pertinet rei dominium, *proprietarius.*

Dicitur: 1. *Utendi,* et significat facultatem usuario convenientem extendi ad illa dumtaxat, quæ ad usum quotidianum sibi et familiæ sunt necessaria juxta ejus conditionem, non exclusis filiis nascituris. Unde si usuarius initio anni acceperit quæ sibi sunt necessaria ad integrum annum et ante anni finem decedat, illius hæredes restituere debent id quod superest.

2. *Alienis rebus,* et indicat usum in rebus propriis consistere non posse; quilibet enim in rebus suis et usum et dominium habet. Tenetur autem præstare cautionem re utendi instar boni patrisfamilias (a qua tamen poterit a judice dispensari, habita ratione circumstantiarum); neque potest jure suo uti, nisi bonorum confecto inventario. Item pro ratione fructuum quos percipit, tenetur de reparationibus, tributis et cultura.

3. *Salva earum substantia* etc.: unde usuarius non potest ne in meliorem quidem formam rem, cujus usum consecutus est, immutare. Item neque potest usus alteri locari, vendi, sequestrari, aut donari: et ideo qui usum habet, v. g., equi, vestis, horti, pro se tantum ac suis hisce uti potest. Usus enim in eo consistit, ut quis re utatur pro mensura tantummodo suæ quotidianæ necessitatis [1]: nisi clare appareat ipsi largiorem facultatem fuisse concessam; nam usus ab ipsa conventione primum sustinetur.

vitù col carro. Così se Tizio avesse l'orario di derivazione d'acqua dalle 3 alle 4 ore pomeridiane, ed esercitasse invece il diritto suo dalle 6 alle 7 pomeridiane, prescrivesi in trent'anni il diritto d'aver l'acqua nell'orario stabilito dalla convenzione, e non potrebbe esercitarlo nell'orario abusivamente da lui sceltosi. »

1 « Illud *quotidianæ necessitatis* non sic intellige, quasi non aliud liceat, quam quæ singulos in dies sufficiant: *Recte quippe,* ait Deltori, *simul ac semel accipit, quæ sibi in annum necessaria sunt, quamvis universi fortasse prædioli fructus inde absumi contingat.*

Usus tum voluntate hominis constituitur, tum lege [1]. Extinguitur autem si *conventionalis*, morte usuarii, finito tempore præstabilito, consolidatione (cum nempe usuarius rem quam habet ad usum, facit suam titulo legitimo); item renuntiatione, non usu vel abusu, vel totali rei interitu. At si agatur de usu *legali*, nullus est usus lege constitutus, si forsan casum excipias viduæ cui lex tribuit, anno luctus, jus habitationis et alimentorum: quo transacto, patet illud extingui *(art.* 1415) [2].

504. Q. 2. *Quid est ususfructus?*

R. Usufructus definitur: *jus utendi et fruendi aliena re, sicut ipse proprietarius; salva tamen ejus substantia, tum quoad materiam, tum quoad formam.* Ideo usufructuarius non posset immutare rem, etsi in melius; v. g., si ei datus sit fundus voluptuarius, non posset arbores infructuosas ad amænas deambulationes inservientes destruere, ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quod fructum reddat [3]. Usufructus usu latius patet; nam *uti simpliciter* est fructus dumtaxat necessarios ad usum quotidianum percipere: uti siquis habet usum alicujus horti potest fructus ab eo suscipere pro se et suis et hospitum victum; non autem eos alienare et extraneis elargiri. Potest autem, si habeat ejus usumfructum.

Nomine *fructuum* generatim intelligitur illud omne, quod res fert vel producit; fructus enim dicti sunt a *ferendo*. Sunt alii *naturales* qui ex re ipsa, et fere solius naturæ beneficio producuntur, uti herba, ligna, poma, nuces: item lac, lana et fœtus animalium. Alii *industriales*, qui sola industria acquiruntur, ut lucrum quod percipitur a pecunia, quæ negotiationi exponitur, aut a meliorationibus rei factis. Alii *mixti*, qui partim a natura et partim ab industria habentur, uti sunt oleum, vinum, caseus, frumentum [4]. Alii *civiles*, qui proveniunt tantummodo occasione rei aut vi obligationis particularis in Jure civili fundatæ: v. g., pretium domus vel libri, vestis aut fundi locati, usuræ pecuniæ mutuo datæ.

505. Q. 3. *Quomodo ususfructus dividitur ac constituitur?*

[1] Art. 521; — *C. A.* 504; — *C. G.* 628; — *C. S.* 556; — *C. P.* 487; — *C. M.* 507. — Ex *Codice civ.* art. 530: « L'uso dei boschi e delle foreste è regolato da leggi particolari. »

[2] *C. A.* 1243; — *C. G.* 1370; — *C. S.* 1383; — *C. P.* 1376; — *C. M.* 1456; — *C. T.* 214.

[3] *Gode dei frutti come ne godrebbe il padrone, ma non come questi potrebbe goderne; non potrebbe, per esempio, d'un prato formarne un campo; d'un terreno destinato a vivajo farne un prato, e va dicendo* (seclusa conventione vel legitima consuetudine).

[4] Jus civile non distinguit nisi fructus naturales, industriales atque civiles; mixtos autem, quos addunt Theologi, claritatis gratia, inter industriales recenset.

Ipsi autem fructus naturales et industriales dividuntur in *nascituros* et *natos;* et isti in *pendentes*, in perceptos, et isti adhuc in *extantes* vel in *consumptos*. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 487 et 610.

R. Ad 1: Ususfructus dividitur: 1. in *proprium*, et in *improprium*. Ille constituitur in rebus, quæ usu non consummuntur, uti sunt domus et hortus; iste vero constituitur in *rebus fungibilibus* (uti vocant) quæ nempe usu consummuntur, uti sunt panis, vinum et oleum: ususfructus improprius dicitur *quasi-ususfructus* [1].

2. In *particularem* (a titolo particolare), et est quando ususfructus constituitur in una vel pluribus rebus mobilibus vel immobilibus, determinatis tamen, v. g., in tali vel talibus designatis domibus vel fundis. Et in *universalem* (a titolo universale), nempe quando ususfructus fundatur in tota vel parte bonorum omnium, quæ auctor ipsius ususfructus possidebat, v. g., si data sint in usumfructum omnia immobilia, vel tertia pars omnium immobilium quæ Titius habet.

R. Ad 2: Ususfructus constituitur: 1) *lege:* sic lex concedit patri et matri usumfructum in bonis filiorum; 2) *voluntate hominis*, v. g., vi conventionis, donationis, testamenti. Potest autem constitui absolute, vel conditionate, ad tempus vel non.

506. Q. 4. *Quænam sunt jura fructuarii?*

R. Habet fructuarius in genere, seclusa conventione:

1. Ut possit fructus omnes percipere sive naturales sive industriales, eosque suos facere, sive collegerit per se sive per alios. Collecti intelliguntur, cum a solo vel a re fuerint separati: hinc si fructuarius moriatur, fructibus quidem maturis, sed nondum a solo vel a re separatis, fructuarii hæredis non sunt; sed rei proprietarii, quin ulla fiat compensatio culturæ, etc. Quod si fructuario jam morituro, ejus hæres fructus immaturos collegerit, tenetur eos proprietario restituere; nam neque ipse fructuarius poterat fructus immaturos colligere. Habet autem jus in omnes civiles fructus; qui tamen non censentur acquiri nisi de die in diem: ideo spectant ad fructuarium pro ratione temporis, quo usufructus perdurat.

2. Ut possit fructus vendere, donare, locare et pignori tradere; nam qui per alium fruitur, per se frui censetur; attamen sine proprietarii damno. Et quoad locationem observandæ veniunt sequentes

[1] *Art.* 483: « Se l'usufrutto comprende cose, delle quali non si possa far uso senza consumarle, come danaro, grani e liquori, l'usufruttuario ha diritto di servirsene, coll'obbligo di pagarne il valore al termine dell'usufrutto secondo la stima che ne fosse stata fatta al cominciamento di esso. Ove tale stima non sia stata fatta, egli avrà la scelta, o di restituire le cose in eguale quantità e qualità, o di pagarne il prezzo corrente al tempo della cessazione dell'usufrutto. » — *C. A.* 480; — *C. G.* 569; — *C. S.* 504; — *C. P.* 420; — *C. M.* 444; — *C. T.* 185.

« Se l'usufrutto comprende cose, che senza consumarsi, in un tratto si deteriorano a poco a poco con l'uso, come la biancheria e la mobiglia, l'usufruttuario ha diritto di servirsene per l'uso a cui sono destinate, e non è obbligato a restituirle al cessare dell'usufrutto se non nello stato in cui si trovano, coll'obbligo però di tenere indenne il proprietario, se per dolo o per colpa sua, fossero deteriorate (*art.* 484). »

legis determinationes: *Le locazioni fatte dall'usufruttuario per un tempo eccedente i cinque anni non sono durevoli, nel caso di cessazione dell'usufrutto, se non sono per il quinquennio che si trova in corso al tempo in cui cessa l'usufrutto, computando il primo quinquennio dal giorno in cui ebbe principio la locazione; e gli altri successivi dal giorno della scadenza del precedente quinquennio* [1]. *Le locazioni per un quinquennio e per minor tempo che l'usufruttuario ha pattuite o rinnovate più di un anno prima della loro esecuzione se i beni sono rustici, e più di sei mesi se trattasi di case, non hanno verun effetto quando la loro esecuzione non abbia cominciato prima che cessasse l'usufrutto. — Se l'usufrutto doveva cessare a tempo certo e determinato, le locazioni fatte dall'usufruttuario non dureranno in ogni caso se non per l' anno; e trattandosi di fondi dei quali il principale raccolto sia biennale o triennale, per il biennio o triennio che si trova in corso al tempo in cui cessa l'usufrutto* (art. 493).

3. Ut fruatur juribus et iis modis, quibus frueretur proprietarius. Legi etiam consentaneum est, ut (nisi contraria appareat domini voluntas) tradantur fructuario fundi instrumenta, puta torcularia, vasa vinaria, quæ in ipso reperiuntur. Non enim præsumendum testatorem voluisse, ut fructuarius sibi instrumenta necessaria compararet pro fundo, quo ad tempus tantum usurus sit.

4. Ut omnibus utatur remediis, quibus suum usumfructum tueatur, tum adversus eos, qui usumfructum impediunt, tum adversus eos qui fructus perceperint, ut eos restituant. Hinc versus:

Colligit et vendit, fruitur, sua jura tuetur.

507. Q. 5. *Quænam sunt onera fructuarii?*

R. Onera fructuarii in genere ad hæc revocari possunt:

1. Ut fructuarius rem restituat proprietario in illo statu, in quo eam accepit: ideo initio ususfructus fieri debet inventarium rerum mobilium, et descriptio status rerum immobilium, quæ in usumfructum cedendæ sunt. Expensæ autem sunt sustinendæ ab usufructuario; qui si fuerit ab inventario dispensatus, puta a testatore, hæres poterit nihilominus illud agere, sed propriis expensis.

2. Ut rebus fruatur uti bonus paterfamilias: iccirco tenetur cautionem præstare *bene utendi*, nisi eum dispenset lex [2]: sic lex a

[1] « Per *esempio:* Tizio l' 11 novembre 1860 affittò a Cajo il podere che ha in usufrutto per sette anni, a terminare il dì 11 novembre 1873. Se Tizio muore il 7 aprile 1870, e quindi cessasse in quel giorno l'usufrutto, l'affitto continuerebbe sino al compimento del quinquennio, e però sino all' 11 novembre 1871.

» Se invece l'affitto si fosse fatto nel dì 11 novembre 1866, e per dodici anni, da aver termine l' 11 novembre 1878; e cessasse (per la morte dell'usufruttuario) l'usufrutto il 7 gennajo 1872, l'affitto cessa col secondo quinquennio, poichè il primo fu già esaurito, e quindi la locazione cesserebbe col giorno 11 novembre 1876. »

[2] Quoad modum eam præstandi vide *Cod. proced. civ.*, art. 329 et seqq.

cautione dispensat patrem et matrem circa usumfructum in bonis filiorum; et venditorem ac donatorem qui usumfructum in re vendita vel donata sibi reservant. Si fructuarius nequeat cautionem præstare, bona committuntur administratori, qui illi fructus tribuat.

3. Ut tributa, quæ sunt onera fructuum, solvat [1]; reparationes ordinarias peragat [2]: et abusus et damna omnia præcaveat, etiam lites sustinendo, si agatur de ipso usufructu tuendo. Tenetur item dominum ipsum commonere, si tertius fundo seu proprietati damnum inferat, idque sub pœna omnia damna illata resarciendi [3].

4. Ut solvat pro rata suæ partis annualitates, quibus res in usumfructum data gravatur; si illud habeat titulo universali. Si enim usumfructum habeat titulo particulari, ad hæc onera non tenetur: quod si fuerit compulsus, habet regressum contra dominum rei.

Diximus: *in genere;* nam de usufructu speciali notamus:

1. Quoad usumfructum *agri*, nullum jus competit fructuario in metalli fodinas vel lapidicinas, quæ non fuerint apertæ incipiente usufructu. Nec in alias materias ad comburendum aptas, quæ nondum effodi cœperant: nec in thesaurum, qui quidem durante usufructu inveniretur.

2. Quoad usumfructum *gregis*, si ille in uno tantum animali consistat, eo sine culpa pereunte, ad nihil tenetur fructuarius. Si vero consistit in toto grege, fructuarius qui fœtus, lac, pilos ac lanam percipit, tenetur in locum demortuorum alia capita substituere: habita ratione natorum. Sed si integer grex casu perit, non tenetur nisi ad reddendam rationem coriorum, aut eorum æstimationis.

3. Quoad *usumfructum sylvæ* hæc statuuntur: *a)* quod pertinet ad sylvas cæduas, quæ nempe succisæ ex stirpibus radicibusque renascuntur, fructuarius potest illarum arbores succidere, modo servet ordinem statutum, aut mensuram consuetudine inductam; *ma non ha diritto* (addit lex) *a compenso pei tagli non eseguiti, nè per le piante riservate affinchè crescano, nè per quelle di alto fusto che non*

[1] « *L'usufruttuario è tenuto durante l'usufrutto a tutti i carichi 'annuali del fondo, come sono i tributi, i canoni ed altri pesi, che secondo la consuetudine gravano i frutti* (art. 506). *Al pagamento dei carichi imposti sulla proprietà durante l'usufrutto* (come sarebbe un'imposta straordinaria di guerra, un prestito forzato) *è tenuto il proprietario; ma l'usufruttuario gli deve corrispondere l'interesse della somma pagata* (poichè è come una sottrazione di parte dell'ente in usufrutto. *Se l'usufruttuario ne anticipasse il pagamento ha diritto di essere rimborsato del capitale alla fine dell'usufrutto* (art. 507). »

[2] Etiam ad instaurationes extraordinarias tenetur, si ideo sint agendæ quia neglectæ sunt ordinariæ. Quæ porro sint instaurationes extraordinariæ clare indicat *civilis Codex*, art. 504. « Sono riparazioni straordinarie quelle dei muri maestri e delle vôlte, le sostituzioni di travi ed il rinnovamento intero, o di una parte notabile, dei tetti, dei solai, degli argini, degli acquedotti, e dei muri di sostegno e di cinta. Tutte le altre riparazioni sono ordinarie. » — *C. A.* 511; — *C. G.* 600; — *C. S.* 525; — *C. P.* 453; — *C. M.* 470; — *C. T.* 204.

[3] Quoad denuntiationem damnificatoris vide *Cod. proc. civ.*, art. 201.

fossero state tagliate durante l'usufrutto; b) potest etiam juxta mensuram, praxim ac modum statutum cædere de arboribus alti roboris, si ita sint distributæ, ut earum complures statis temporibus succidantur [1]; *c)* potest sibi fructuarius vindicare arbores alti roboris, quæ per fundos huc illucque dispersæ sunt, si usus sit ut periodice succidantur; vel si illis indigeat ad reparanda damna, quæ ipse tenetur reficere: imo hac de causa potest etiam alias arbores cædere, si tamen proprietario suadeat necessitatem illius cæsionis. Item potest tot palos e sylvis cædere, quot sunt necessarii pro instruendis vinetis, quorum habet usumfructum, servato tamen more regionis aut proprietariorum praxi; *d)* ipsi quoque cædunt omnes arbores frugiferæ aut casu avulsæ vel fractæ, cum onere tamen totidem alias substituendi [2].

508. Q. 6. *Quot modis ususfructus extinguitur?*

R. Ususfructus extinguitur: 1. *Finito tempore*, si quoad fuerit constitutum; si tamen tibi, v. g., sit concessus ususfructus usquedum Titius ad talem ætatem pervenerit et ante moriatur, ususfructus nihilominus perseverat usque ad præfinitum tempus.

2. *Resoluto jure* usumfructum concedentis; v. g., si Titius vendit Cajo domum suam sub pacto redemptionis: et Cajus illam in usumfructum cedit Sempronio, statim ac locum habet domus revendicatio, cessat etiam ususfructus.

3. *Morte fructuarii;* quum ususfructus sit jus personale, morte ejus cui competit, extingui debet [3]. At ususfructus communitatibus vel corpori morali relictus extinguitur post annos 30.

4. *Totali rei interitu;* sane ususfructus est jus in corpore, quo sublato, et ipse tollatur necesse est; si tamen res partialiter tantum perit, ususfructus sustinetur in eo quod remanet. Ponit hanc limitationem Codex civilis: *Se l'usufrutto è stabilito sopra un podere del quale faccia parte un edifizio, e questo venga in qualsivoglia modo a perire, l'usufruttuario avrà diritto di godere dell'area e dei materiali. Lo stesso avrà luogo se l'usufrutto non è stabilito che sopra un edificio. In tal caso* (diruti nempe ædificii), *ove il proprietario intenda di costruire un altro edificio, avrà il diritto di occupare l'area, e valersi dei*

[1] In Regno Subalpino ad succidendas arbores Beneficii, Ecclesiæ, etc., hodie non tantum ab ecclesiastica, sed etiam a civili potestate licentia requiritur; et contraventores mulctantur. *Il beneficiato si considera come un usufruttuario in vita, ed un usuario in morte.* Borda.

[2] Art. 485; — *C. A.* 511; — *C. G.* 590; — *C. S.* 515; — *C. P.* 440; — *C. M.* 455; — *C. T.* 211.

[3] « Ex *Codice Gallicano* (art. 617) ususfructus extinguitur etiam per mortem civilem seu amissionem jurium civilium. Sed ex nostro Codice probabilius non extinguitur nisi morte naturali, cum id etiam statuatur de pensione vitalitia; adeo ut qui jura amisit possit repræsentari. » *Cod. spieg.*

materiali pagando all'usufruttuario, durante l'usufrutto, gli interessi del valore dell'area e dei materiali (art. 520).

5. *Non usu:* si fructuarius neque per se neque per alium per 30 annos jure suo non utatur, et interim utatur proprietarius. Item *abusu* ex hisce verbis legis: *L'usufrutto può anche cessare per l'abuso, che faccia l'usufruttuario del suo diritto, o alienando i beni o deteriorandoli, o lasciandoli andare in perimento per mancanza di ordinarie riparazioni* (art. 516). Verum fructuarii creditores jus habent damna resarciendi et cautionem tribuendi, ut ita usufructus duret, et habeant quo ex illo sibi solvatur.

6. *Consolidatione*, si fructuarius rei proprietatem consequitur. Item *renuntiatione* quæ si fraudulenta, potest invalidari [1].

509. Nota: Usufructuarius nullam habet jus ad compensationem exigendam pro meliorationibus a se factis, licet res ipsa pretiosior inde facta sit: attamen augmentum pretii compensari poterit cum detrimentis, si quæ secuta sint absque gravi culpa fructuarii.

Quæ compensatio si locum habere nequeat, licet usufructuario aut ejus hæredibus resumere sibi factas additiones, modo absque fundi detrimento, et cum aliqua fructuarii utilitate auferri possint; et ipse proprietarius non eligat additiones sibi retinere, qui tunc solvat usufructuario illam æstimationem, quam hic obtinere posset. Attamen semper licebit usufructuario ejusque hæredibus sibi recuperare specula, tabulas depictas et alia ornamenta, quæ sita fuerint in fundo usufructui obnoxio, modo omnia in pristinum statum restituantur [2].

510, Q. 7. *Quid de habitatione dicendum?*

R. Habitatio est *jus alienas ædes habitandi, salva earum substantia.* Qui inhabitandi jus habet, una cum familia habitare potest, licet postea matrimonium contraxerit; sed nequit hoc jus alteri cedere vel locare. Quoad onera, qui totam habitat domum, tenetur ad omnes ordinarias expensas: qui partem, tenetur pro rata. Ceterum nisi alia sit conventio, habitatio regitur eodem modo quo usus [3].

511. Q. 8. *Quid est possessio?*

R. Possessio (sic dicta quasi *positio pedis* vel *positio sedis* vel *sessio cum potestate* vel *potentia)* poterit definiri: *legitima rei detentio.* Cum proprietate solet confundi, differt tamen; nam potest quis rem possidere, quin sit proprietarius illius, aut e contrario. Scilicet possessio est jus, quo rem detineo uti meam: proprietas vero (seu dominium) est ipsum jus, quo res est mea et ego sum dominus ejus.

[1] Art. 515; — *C. A.* 529; — *C. G.* 617; — *C. S.* 542; — *C. P.* 472; — *C. M.* 489; — *C. T.* 211. De cessatione autem usufructus legalis parentum vide dicta n. 314.

[2] Art. 495; — *C. A.* 480 et 520; — *C. G.* 625; — *C. S.* 550; — *C. P.* 481; — *C. M.* 501.

[3] *Codex civilis*, jus habitationis confert uxori, anno luctus, ut videre est art. 1415, *C. A. civ.*, § 1243; — *C. G.* 1570; — *C. S.* 1383; — C. *P.* 1376; — *C. M.* 1456.

512. Possessio alia legitima est, alia illegitima; *legitima* est si continua, non interrupta, pacifica, publica seu nota, non equivoca et cum animo rem detinendi uti propriam. Secus est *illegitima;* ideo actus clandestini ac violenti quandiu tales, non serviunt pro legitima possessione. Item neque actus mere facultativi ac simplicis tollerantiæ; item neque posssessio rerum quarum proprietas acquiri nequit, ut possessio sacrorum a laico *(art.* 688 et seqq.) [1].

513. Possessio generice acquiritur apprehensione *vera* vel *ficta* vel *legali.* Si res est nullius, uti sunt pisces maris, ad eam acquirendam requiritur apprehensio *vera.* Si res est alicujus, qui vult alteri tradere possessionem suam, sufficit apprehensio *ficta,* ut si tradantur claves domus. Si vero res acquiritur sola legis dispositione sine corporis et animi adminiculo, habetur apprehensio *legalis:* hoc sensu hæres, etsi nesciens, tamen acquirit possessionem defuncti testatoris.

Perditur autem possessio *facto nostro,* ut si rem abjiciamus; *facto alieno,* ut si eam quis jure occupet; *casu,* ut si incendio pereat; *lege disponente:* sic lex statuit, ut quorundam animalium possessio fuga penitus amittatur.

514 Possessio plures habet *effectus:* 1) parit præscriptionem, et dominium possidenti acquirit, si ea habeat conditiones requisitas; 2) in dubio, an quis sit rei dominus, melior est conditio possidentis; 3) possessor non tenetur probare rem esse suam, possessio enim parit præsumptionem dominii: et ideo tunc recte dicitur *possidio quia possideo;* turbatus in possessione, in ea est restituendus prius quam de possessionis justitia agatur [2]. — Hac de re plura *Codex civilis* statuit, quorum en præcipua: *Chi trovandosi da oltre un anno nel possesso legittimo di un immobile o di un diritto reale o di una universalità di mobili viene in tale possesso molestato, può entro l' anno dalla molestia chiedere la manutenzione del possesso medesimo* (art. 694). *Chi è stato violentemente od occultamente spogliato del possesso qualunque sia esso, di una cosa mobile od immobile, può entro l' anno del sofferto spoglio chiedere contro l'autore di esso di venir reintegrato nel possesso medesimo* (art. 695) [3]. *In tutte le materie di possesso, in materia di servitù, la pratica dell' anno antecedente, e quando si tratti di servitù esercitate ad intervalli maggiori di un anno, quella dell' ultimo godimento, determina i diritti ed i doveri tanto di chi gode, quanto di chi la deve e d' ogni altro interessato* (art. 700).

Scholium. — *De mercatura seu commercio.*

515. Commercium sic dictum quasi *commutatio mercium,* juxta hodiernam acceptionem solet communiter definiri: *complexio omnium*

[1] Alia est possessio bonæ, alia malæ, alia dubiæ fidei; vide supra *De præscriptione*, et Tract. sequenti *De restitutione*, cap. I.

[2] V. *Cod. civ.*, art. 606; — *C. A.* 323, 328, 344 et 346. — Ferraris; V. *Spoliator, Spoliatus.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 35. — Roncaglia, Anacletus, etc.

[3] Quoad redintegrationem exposcendam vide *Cod. proc. civ.*, art. 82, 93, 938.

operationum ac negotiationum ad lucra facienda, sive merces nova forma per industriam donando, sive eas uti sunt transvehendo et cum aliis commutando. Hæc tamen commutatio nec semper nec facile obtinebat, quia nec facile nec semper unus habebat quod alteri deerat. Adde plura incommoda in mercium translatione: hinc electa fuit materia, quæ omnes res repræsentaret, et qua mediante, quisque posset merces cujusvis generis et vendere et emere etiam apud extraneos: hæc materia est pecunia. Verum nova difficultas, cum quælibet natio pecuniam habeat suam diversi valoris ac bonitatis; huic porro incommodo occurrerunt mensæ nummulariæ (vulgo *le banche).* Venetiis primum sæculo XII institutæ [1], quarum officium est commutare pecunias, quæ ibi a mercatoribus deponuntur. Tandem si quæ erat difficultas in tam frequenti pecuniæ translatione, sublata est per literas *cambiales:* sicque hodie etiam remotissimæ urbes promptum ac securum secum invicem habent commercium *(U).*

516. Commercium præcipue dividitur in *terrestre* ac *maritimum*, prout vel terra, vel mari exercetur. Item maritimum aliud est longi itineris, si nempe fiat ultra fretum Sundicum et Gibraltariæ; aliud parvi itineris (vulgo *cabotaggio* lingua hispanica; vel a *caput agere),* si navigatio contingat non longe a terra, sed de litore ad litus, de capite ad caput [2]. Ad commercium fuerunt peculiares assignatæ leges, quas Theologus penitus ignorare non debet, si velit commercatores rite dirigere, ideo magis, quia hodierna societas tota negotiatoribus plena est.

517. Ut quis sit verus commercator seu negotiator, requiritur tum ut actus commercii exerceat; tum ut eos habitualiter faciat. Item notandum commercium proprie dictum respicere res fungibiles, mobiles quæ facile de manu ad manum venire possunt sine tot solemnitatibus. Quorum quidem omnium ratio habenda est, cum mercator particulari ac faciliori tribunali subdatur, nec semper teneatur bonis suis omnibus cedere, si decoctus evadat, ut tenetur non mercator [3].

518. Q. 1. *Quinam commercia exercere possunt?*

R. Omnes possunt commercia exercere qui possunt se obligare, nec prohibentur a lege. A civili autem lege hæc speciatim decernuntur:

1. Minores, si completa ætate annorum 18 emancipentur et simul auctorizationem ad hoc obtineant vel a patre vel a consilio familiæ aut tutelæ juxta regulas juris, commercium valent exercere, ac tunc reputantur uti majores, qui se obligare possunt, et sua immobilia alienare: hæc tamen facta auctorizatio potest revocari.

2. Filiifamilias si ætate majores commercium exerceant, habentur

[1] Quæ non sunt confundendæ cum aula commerciali, vulgo *borsa di commercio;* sub hoc enim nomine *Codex commercii,* art. 28, intelligit: *La riunione dei commercianti, capitani di nave, agenti di cambio e sensali di una città; la borsa dev'essere autorizzata per decreto reale.*

[2] Fusius *Cod. maritimus,* art. 61. — *C. A. commercii,* 190; — *C. G. comm.* 190.

[3] Commerciatores diversis donantur nominibus. « Si dirà *mercante* quel commerciante, il quale nella compra e nella rivendita delle merci, pone il suo traffico abituale. *Fabbricante* o *manifatturiere* colui, il quale attende a convertire le materie prime in oggetti di altra forma o qualità per farne traffico. *Commissionario,* quegli che fa suo offizio di agire e fare operazioni per altrui conto, mediante la retribuzione di un tanto per cento, chiamata *diritto di commissione,* od altro corrispettivo conventivo. *Banchiere,* colui che traffica sul danaro e sugli effetti di credito. *Armatore,* quello che apparecchia ed arma delle navi, o per il trasporto di mercanzie e passeggeri o per mandarle in crociera contro il nemico in tempo di guerra. » Ita Bronzini, *Studi elementari di diritto commerciale* ecc., vol. I. — V. *Cod. comm.* et *Codex maritimus;* — *C. A. comm.* 627; — *C. G. comm.* 631; — *C. M. civ.* 2415 et 2463.

ut patresfamilias quoad ipsorum commercium: et possunt mutuare pecunias et pater in ipsorum bonis mobilibus in commercium positis non potest experiri jus usufructus in creditorum præjudicio, etc.

3. Mulieres innuptæ libere possunt commercium exercere, atque in rebus commercii se fidejussores constituere. At mulieres nuptæ vetantur sine viri consensu; sufficit autem consensus tacitus, ut si publice id agat uxor, viro non contradicente: hunc autem viri consensum aliquando supplet tribunal commercii. Uxor commercium exercens si ætate major, libere potest pignori dare, in judicio se sistere, hypothecare, immobilia vendere, quoad actus sui commercii: attamen quoad bona dotalia, serventur leges *Codicis civilis* [1].

4. Tandem tum proxenetæ tum, agentes cambii, prohibentur proprio nomine actus commercii exercere [2].

519. Q. 2. *Quid de societatibus commercialibus?*

R. Contractus societatis, nisi suæ sint leges speciales, regitur juxta normam *civilis Codicis*. *Codex* autem *commercii* plures societatis commercialis species enumerat, ac leges assignat:

1. Est societas *nomine collectivo*, quam duo vel plures ineunt ad negotiandum sub uno nomine sociali *(ragione sociale*, vulgo *ditta)*: in hac omnes socii obligantur in solidum, etsi unus tantummodo se subscribat.

2. Societas *in commendationem (in accomandita)*: est quæ initur inter socios nomine collectivo, et socios qui rem suam ita conferunt ac quasi commendant, ut tantum periculum rei suscipere velint.

3. Est societas *anonima*, quæ non præsefert sociorum nomen, sed a re quam aggreditur, indicatur: sic dicitur *la banca di Genova, la compagnia delle Indie, la società di assicurazione*. Pro hac legitime constituenda requiritur supremi legislatoris permissio.

4. Est societas *participationis*; et evenit cum singuli socii agunt proprio nomine ea conditione, ut postea invicem conferant lucra, atque dividant. Huic addenda *societas mutua commercialis*, quæ partium conventione regitur [3].

520. Q. 3. *Quid de commissionario et mercium vectoribus?*

R. Ad 1: « Il commissionario è colui che fa atti di commercio in suo nome, o sotto quello di una ragione sociale, per ordine e per conto di un committente, mediante salario o provvisione [4]. » Hic non tenetur ei, quocum contrahit nomen committentis indicare; ipse dumtaxat tenetur erga eundem, ac si negotium esset suum: committens autem non habet actionem casu damnificationis, nisi contra commissionarium. Quod si commissionarius expresse agat nomine commit-

[1] *Cod. comm.*, art. 2 et seqq.; — *C. A. comm.* 2; — *C. G. comm.* 2; — *C. M. civ.* 2417, etc.

[2] « Diconsi *agenti di cambio* coloro che s' intromettono per negoziare lettere o biglietti di cambio, od altri effetti pagabili all'ordine o al portatore, mediante un certo profitto loro accordato dai contraenti. Chiamansi *sensali* quegli agenti che s'intromettono per far vendere, comprare o cambiare mercanzie, mediante un dato profitto o salario che loro si paga. » Bronzini, *Studi* ecc. — *Cod. comm.*, art. 32; — *C. A.* 85; — *C. G. comm.* 85.

[3] *Cod. comm.*, art. 108 et seqq.; — *C. A. comm.* 18; — *C. G. comm.* 63; — *C. M. civ.* 2431.

[4] « Nel commercio si chiama *spedizioniere* quello che fa l'invio dalle merci, e *consegnatario* colui a cui sono dirette. Quanto al trasporto si distingue lo spedizioniere per trasporto, il quale s' incarica del trasporto, e il vetturale che effettivamente trasporta. Lo spedizioniere garantisce come il vetturale l'arrivo delle merci, e delle avarie o perdite che potrebbero occorrere. » *Cod. civ. spieg.*, art. 1805; — *Cod. comm.*, art. 68; *C. G. comm.*, 91; — *C. M. civ.* 2475.

tentis, habetur uti simplex mandatarius. Sed quoad jura et onera etiam erga tertios vide *Codicem civilem*, ubi de mandato [1].

R. Ad 2: Vectores rerum quæ sibi committuntur, naturam, quantitatem, et si id postuletur, valorem in diarium (vulgo *giornale)* tenentur referre; et eas transferre pacto temporis spatio, nisi impossibilitas obsistat. Item respondere debent de ipsarum interitu vel detrimento, nisi id sine culpa contigisse demonstrent. Quæ dispositiones applicantur etiam navium dominis ac publicarum vecturarum [2].

521. Q. 4. *Quomodo probatur contractus commercii?*

R. *Codex commercii*, art. 92 habet: *I contratti commerciali si provano con atti pubblici, con scritture private, con le note dei pubblici mediatori, sottoscritte dalle parti nella forma stabilita....; con fatture accettate, con la corrispondenza, coi libri delle parti contraenti giusta le regole stabilite....; coi libri dei pubblici mediatori secondo le regole stabilite....; con testimoni, semprechè l'autorità giudiziaria creda di ammettere la prova testimoniale; con ogni altro mezzo ammesso dalle leggi civili.*

522. Lex omnibus commercatoribus tres libros præscribit: unum, in quo adnotent quotidiana debita, item quotidianas commercii operationes ac permutationis literas (vulgo *.libro giornale).* Alterum, in quo custodiant quas receperunt epistolas, et earum quas miserunt, exemplaria describant *(libro delle lettere).* Tertium, in quo singulis annis recenseant omnia debita ac credita, licet ad commercium non pertinentia, item mobilia et immobilia *(libro degli inventari).* In his libris nulla lacuna, nihil abradatur vel ita deleatur, ut legi amplius nequeat: signentur autem a judice tribunalis commercii vel mandamenti, ac per decem annos serventur; si enim rite sint confecti fidem facere possunt in judicio, et ipsum liberare mercatorem a suspicione dolosæ decoctionis [3].

Etiam agentes cambii, atque proxenetæ suos libros habere debent.

523. Q. 5. *Quid de literis cambii (vulgo* cambiali)?

R. Litera cambialis medium est, quo contractus cambii trajectitii facillime perficitur; etenim quin ipsa pecunia mittatur alibi solvenda, eo mittitur hæc litera, quam qui accipit, illam pecuniæ summam a designata persona exigere valet. Hic plurima habet Codex tum quoad formam, qua hæ literæ confici debent; tum quoad personas, quæ iis se valent obligare; tum quoad provisionem, quam debet suppeditare qui eas mittit, et cui illæ mittuntur (vulgo *provvisione, fondo);* tum quoad earum acceptationem vel recusationem; tum quoad casum, quo tempus pro solutione præfixum elabatur, quin solutio facta sit *(scadenza);* vel de uno in alium transferatur *(girata)* [4].

524. Q. 6. *Quid de contractu assecurationis commercialis?*

R. Contractus assecurationis commercialis definiri potest: *conven-*

[1] *Cod. comm.*, art. 68 et seqq.; — *C. A. comm.* 92; — *C. G. comm.* 93; — *C. M. civ.* 2476.

[2] Art. 77 et seqq.; — *C. A. comm.* 103; — *C. G. comm.* 96; — *C. M. civ.* 2487.

[3] *Cod.*, art. 16 et seqq. — *C. A. comm.* 40, 41 et 332; — *C. G. comm.* 39 et 392.

[4] *Cod. comm.*, art. 196 et seqq. — *C. A. comm.* 94; — *C. G. comm.* 79; — *C. T. civ.*, art. 1234 et seqq., et 1311. « La lettera di cambio è la cessione o trasporto di una somma di danaro, che il traente di una lettera fa a colui, pel cui vantaggio vien tratta, od all'ordine di questo, per essere pagata dal corrispondente del traente in un luogo diverso da quello ove la lettera è tratta. Questa cessione, o trasporto, si fa mediante il valore che colui, al quale la lettera è consegnata, paga al traente in danaro, in merci od in altri effetti. Si dice *rimettente* o *prenditore* colui, a profitto del quale vien tratta la lettera, ed al quale, od al cui ordine debb'essere pagata. *Traente* colui che crea la lettera, mandando ad un terzo, domiciliato in altro paese, di pa-

tio, qua quis vel plures, pacto præmio, rei alicujus periculum in se suscipiunt, se obligando ad ejus æstimationem solvendam, si pereat. Qui periculum suscipit, *assecurator;* dominus rei, *assecuratus;* præmium, sub quo contractus initur, *præmium* appellari consuevit. Ut legitimus sit pretium assecuratori statutum debet respondere periculo. Item requiritur ut assecurator ignoret rem jam esse in tuto positam; assecuratus vero ut nesciat eam jam periisse. Item ut assecuratus dolose rem suam non æstimaverit ultra valorem; ipse autem assecurator non tenetur de detrimentis, quæ oriuntur ex vitio rei intimo, ex culpa proprietarii, vel vectoris, nisi contrarium stipulatum sit.

Duplex assecuratio: *terrestris* et *maritima*, prout quis suscepit tuenda pericula terræ vel maris in mercium translatione. De assecuratione *terrestri* nulla lex scripta habetur: unde ea resolvitur ex generalibus æquitatis aut juris principiis, habita ratione consuetudinis. Si tamen non de simplici assecuratore, sed de ipsis assecurationis societatibus (ut sunt quæ compensant damna ab incendio, vel grandine) agatur, tunc suæ speciales sunt leges a supremo legislatore probatæ. De assecuratione *maritima* (quæ ut valide obtineat, scriptura saltem privata fieri debet) plura habet *Codex commercii* [1].

525. Alia species contractus aleatorii est mutuatio ad omne periculum *(prestito a cambio marittimo a tutto rischio)*: poterit describi cum Bronzini: « Un prestito fatto sopra oggetti esposti a rischi di mare, colla condizione che se quelli arrivano a buon porto, il mutuante sarà pagato del suo capitale, ed inoltre di una somma determinata per profitti marittimi; che se pegli accidenti della navigazione quegli oggetti periscono o sono deteriorati, perderà il suo danaro e non ricupererà, se non il prezzo che dai medesimi si potrà ricavare [2]. »

526. Q. 7. *Quid de præscriptione in rebus commercii?*

R. Spatio *quinque annorum* præscribuntur omnes actiones pro literis cambii et epistolis ad ordinem; ad debitores tamen eorumque hæredes deferri potest juramentum, quo affirment se revera solvisse. Item quinquennio a finita vel soluta societate præscribuntur actiones contra solidarios socios [3]: actiones pro cambio maritimo, vel navis assecuratione a die contractus [4]: actiones pro resolvendo concordato inito cum mercatore decocto, a die qua ultima solutio fieri debuisset [5].

Spatio *unius anni* præscribuntur omnes actiones pro conductione navis, stipendio nautarum, officialium, ceterorumque de comitatu: anno post confectum iter. Actiones pro alimentis ac ceteris rebus ad navem necessariis jussu navarci suppeditatis; ab anno post suppeditationem. Actiones pro salariis operariorum et operis præstitis; anno post acceptas operas. Tandem actiones pro petitione mercium quæ tradendæ erant; anno post adventum navis. Ceterum hisce casibus, juramentum debitori potest semper deferri [6].

Spatio *sex mensium* præscribitur actio contra navarchum, qui ob ca-

garne il valsente. *Trattario* od *accettante* colui sul quale la lettera è tratta, e che si incarica di pagarla. *Portatore* o *possessore* quegli cui il prenditore ha ceduta la lettera. *Girante* quel possessore che la cedette ad un terzo chiamato *giratario*. » *V.* Bronzini, *Studi elementari di diritto commerciale.*

[1] Art. 446 et seqq. — *C. A. comm.* 332; — *C. G. comm.* 332; — *C. P. civ.* 1854.

[2] Hujus contractus mentio fit tum *Digest.*, l. XXII, *De nautico fœnore*, tit. II, tum *Codic.*, lib. IV, *De nauticis usuris*, tit. XXXIII. — *V.* Ferraris; V. *Nauticum fœnus.*

[3] *Cod. comm.*, art. 172, 282. — *C. A. comm.* 166; — *C. P. comm.* 172; — *C. T. civ.*, art. 1310.

[4] Art. 540; — *C. A. comm.* 432; — *C. G. comm.* 432.

[5] Art. 635; — *C. G. commercii*, 521.

[6] Art. 541 et seqq. — *C. A. comm.* 433; — *C. G. comm.* 433.

sum infortunii cessit mercibus assecuratis [1]. Item actiones contra commissionarios ac vectores (ubi dolus malus non intervenerit) propter merces deperditas aut deterioratas, si earum expeditio sit intra fines Ditionis: at si sit extra, ad præscribendum requiritur spatium unius anni computandum in rebus deperditis a die, qua transportatio perfici debuisset; in rebus deterioribus factis, a die qua fuerunt traditæ [2].

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM SEXTUM.

(A) Pag. 196.

527. Q. 1. *Quid de justitiæ violatione?*

R. Violatio justitiæ legalis dicitur *illegalis injustitia;* justitiæ distributivæ dicitur *personarum acceptio;* justitiæ commutativæ, appellatur *injuria.* Nulli dubium quod cujuscunque justitiæ violatio sit ex genere suo mortalis; cum quælibet justitia sit gravissimi momenti ac gravissimi finis, utpotequæ respicit pacem civium, concordiam ac bonum commune, et jus alterius plus minusque lædat, ideoque semper includat læsionem charitatis; neque sane potest esse dilectio ubi commititur injuria. At diversa est ratio justitiæ a ratione charitatis; charitas respicit bonum privatorum, quibus tenemur de nostro ex divina ordinatione providere; justitia respicit bonum publicum vel jus strictum alterius, idest quod jam est aliorum.

528. Q. 2. *An omnes injustitiæ species tales sint stricti nominis?*

R. Sunt qui affirmant; quia omnes veram obligationem inducunt unius ad alterum. At verius negatur de *legali* et *distributiva;* nam illa tantum dici potest veri nominis justitia, cujus objectum est strictum jus, adeo ut ejus violatores teneantur de restitutione; hoc autem valet de sola commutativa ex Angelico (2, 2, *q.* 61, *a.* 1; *q.* 185, *a.* 3). Ratio a priori ex Lugo hæc est: in aliis transacta occasione non amplius subsistit motivum quo fundatur eorum obligatio; sed cum justitia commutativa seu stricta tendat ad tribuendum unicuique quod suum est, seu ad statuendam æqualitatem, motivum illud semper perseverat etiam postquam justitia fuit violata, donec repetetur.

Quod vero pertinet ad *vindicativam*, hæc novam justitiæ speciem non constituit; nam tota in eo est, ut inclinet superiorem ad infligendam reo pœnam debitam. Jam vero prout superior per pœnam civium felicitati prospicit, ea ad legalem pertinet; prout pœnas ipsas criminum gravitati proportionatas decernit, ad distributivam; denique prout justitiæ vindicativæ officia exequitur ex quodam quasi contractu cum Republica de recte negotiis publicis administrandis, pertinet ad justitiam commutativam (s. Thomas, 2, 2, q. 80).

[1] *Cod. comm.*, art. 487, etc. — *C. A. comm.*, 432; — *C. G. comm.*, 432.
[2] *Cod. comm.*, art. 82. — *C. A. comm.*, 138; — *C. G.* 138.

529. Q. 3. *In quo discrepant justitia commutativa et distributiva?*

R. Hoc est discrimen: Justitia *distributiva* exercetur a superiore ad subditum, et locum habet in distribuendis honoribus et oneribus, præmiis ac pœnis; ideo non habet respectum rei ad rem, sed rei ad personas, seu ad merita personarum: unde illi, qui habent merita uti quinque, si tribuantur decem nummi, illi cui sunt merita, uti decem, tribui debent viginti: hæc proportio dicitur *geometrica.*

Justitia vero *commutativa* exercetur a cive ad civem, a privato ad privatum, et locum habet in contractibus ac in negotiis ad sociale commercium pertinentibus; servanda igitur in ea erit proportio rerum ipsarum, nempe æqualitas rei ad rem, uti si debeas centum, reddas centum non attendendo nisi quod debetur, nullo habito respectu conditionis personæ: et hæc est proportio vulgo *arithmetica.* En justitia de qua maxime disputatur, et de qua ceteræ justitiæ species plerumque participant. Ex dictis autem patet justitiam tria importare: 1) quod sit ad alterum: quare erga se ipsum proprie dicta justitia non datur; 2) quod in uno sit verum jus, in alio verum debitum: unde hæc non est in Deo relate ad homines: his enim Deus nihil stricte debet; 3) quod servetur æqualitas, hinc locum hæc non habet in filio relate ad patrem et vicissim, si considerentur *qua tales,* cum non sit perfecta alternitas; nam filius ad æqualitatem patri nunquam dabit quod debet. Nec pater filio dando dat alteri, aut secundum quod debet; nam dat filio ut sibi, cum filius sit quid patris: unde hoc vinculum est majus vulgaris justitiæ. V. *Charmes.*

(B) Pag. 199.

530. « Il diritto di proprietà (ad rem *Gousset,* n. 647) è un diritto sacro; niuno può essere costretto di cedere la sua proprietà, se non per causa di utilità pubblica e mediante una giusta e preventiva indenizzazione. Quello che si chiama *l'alto dominio,* il *diritto eminente del Principe*, *jus altum*, non è un diritto di proprietà, un dominio propriamente detto: non è che un diritto di amministrazione, che il diritto d'ordinare, di prescrivere ciò che conviene al bene generale, di stabilire sopra i beni dei privati le contribuzioni necessarie per sostenere i carichi pubblici, d'infliggere ammende più o meno forti, secondo la gravità dei delitti. Il potere appartiene al Re, a coloro che governano; e la proprietà ai cittadini: *ad Reges potestas omnium pertinet,* dice Seneca, *ad singulos proprietas.*

« Napoleone I al Consiglio di Stato nel 1805 diceva: *La proprietà è inviolabile: con tutte le mie armate non mi potrei impadronire di un campo, perchè violando la proprietà di uno, si viola in tutti.* E Bossuet: *È immortale il diritto contro l'iniquità e la violenza.* »

531. *Sub cujus dominio sunt maria?*

R. Audiatur Solimani: « L'alto mare non è soggetto a dominio; e di vero acciocchè una cosa mobile o stabile possa venire nel dominio di una persona fisica o morale, dee esser tale che possa esser chiusa tra certi confini, e distinta per segni non dubbi; tale che non possa essere ad un modo e ad un tempo congiunta con più persone, nè loro servire ugualmente; tale insomma che l'uso che se ne vuol fare, non sia inesauribile. Ora le parti dell'alto mare non possono essere chiuse tra certi confini nè contrassegnate in alcuna guisa; d'altra parte esse così come l'aria e la luce possono essere ad un modo e ad

un tempo congiunte con più persone e servir loro del pari, ed hanno un uso al tutto inesauribile.... Oltre a ciò è cosa manifesta che la natura per mezzo dell'alto mare non mira a disgiungere le nazioni le une dalle altre, ma sì a congiungerle insieme....

» Quanto alle parti del mare che si stendono lungo il lido, ai seni, ai canali, se già non sieno troppo ampli (qual è la baja dell'Hudson e lo stretto di Magellano), nessuna cosa vieta ch'esse vengano nel dominio d'alcuna nazione come quelle che hanno tutte le condizioni a ciò richieste. E di vero le dette parti del mare si trovano essere naturalmente chiuse tra certi confini, o almeno sono tali da potersi indicarsene bastevolmente l'ampiezza, comecchè non si possa ciò fare con esattezza geometrica...» *(Considerazioni intorno ai doveri e ai diritti degli uomini, dedotte dal lume del natural discorso.* Bologna. tip. Mareggiani, 1864; cap. 5). — *V.* Heinecius, Zallinger, Schwas, Carrière, etc.

Codex Civ. art. 427 habet: *Le strade nazionali, il lido del mare, i porti, i seni, le spiagge, i fiumi e torrenti, le porte, le mura, le fosse, i bastioni delle piazze da guerra e delle fortezze fanno parte del demanio.* — *C. A.* 287; — *C. G.* 538; — *C. S.* 463; — *C. P.* 394; — *C. M.* 428.

(C) Pag. 203.

Circa dominii objectum quædam notanda:

532. Mobilia: quoad *mobilia* ex *Codice civile* præcipua notanda art. 416 et seqq. *(C. A.* 293; — *C. G.* 597; — *C. S.* 450; — *C. P.* 388; — *C. M.* 417; — *C. T.* 162):

1. Verba *beni mobili, effetti mobili, sostanza mobile*, si adhibeantur, quin aliquid addatur ad eorum significationem restringendam, comprehendunt omnes res mobiles, de quibus diximus in textu.

2. Verbum *mobili* usurpatum a lege vel ab homine, quin opponatur immobilibus, vel quidquam adjungatur ad extendendam significationem, non complectitur pecuniam, lapides pretiosos, credita, titulos debiti publici, libros, numismata, artium scientiarumque instrumenta, linteamina ad usum personæ, equos, currus, arma, segetes, fœna, vel quæ constituunt commercii aut alterius negotiationis objectum.

3. Verbum *mobilia, mobiliare,* non significat, nisi res mobiles destinatas usui et ornamento domorum, uti specula, tapeta, lectus, scamna, tabulas, pocula; non tamen collectiones tabularum pictarum, statuarum, poculorum murrheorum, etc., quæ sint in pinacothecis, aut particulari conclavi.

4. Quando venditur aut donatur aliqua domus cum omnibus quæ sunt in ea, omnes res mobiles comprehenduntur, exceptis pecunia, nominibus (vulgo *crediti)* et juribus, quorum documenta sint in domo. Item addit Codex: *Casa mobiliata comprende la sola mobilia.*

533. Fructus propriæ industriæ: quoad *ingeniorum productiones* habet *Codex civilis* art. 437 *(C. A.* 1164): *Le produzioni dell' ingegno umano appartengono ai loro autori, secondo le norme stabilite da leggi speciali.* Quoad libros auctorum editos vel edendos, seu quoad *proprietatem literariam* uti dicunt, conventio inita est cum omnibus fere regnis. Consentaneum sane est æquitati, ut concedatur aliquod privilegium auctori vel ad certum tempus vel ad ejus vitam, ut sic alliciantur homines ad utilia inquirenda, et de labore fructum percipiant. (V. *Civiltà Cattolica*, ser. 3ª, vol. XI: *Congresso per la proprietà letteraria.)*

Verum (lege positiva seclusa) Gury docet uti probabilius eum, qui librum typis edidit, non habere jus impediendi, ne quisquam illum prælo committat, et vendat cum damno auctoris, aut editoris cui auctor jus suum transmittit; nam res in communitatem tradita fit eo ipso de Jure communi: et ita usus se habet ubique. Violat tamen jus alienum et tenetur de restitutione qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis evulgat; nam opus quandiu in lucem non est emissum, sub dominio auctoris remanet. Idem dicendum si quis typis daret lectiones publicas alicujus professoris, vel concionem oratoris, si eas audiendo memoria tenuerit. Aliud enim est, quod quis publice doceat aut concionetur, aliud quod opus suum alteri transmittat ad illud edendum et vendendum. Ita judicavit Tribunal Appellationis Parisiense die 28 febr. anno 1801. Quoad alias productiones et inventiones industriæ, vide leges speciales in omni fere regno firmatæ. Plura habet Carrière, *De Justitia* etc., nn. 55 et seqq.

531. Dominium in animantia: in usu *animantium* duo cavenda (uti monet Stapf, § 443): *indigna affectio* et *inhumana sævities*. Primum creaturæ rationali est indignum: sane carpendi sunt quos certa animalcula ita sibi devincta tenent, ut hæc pluris videantur facere ipsis hominibus, quos ideo importunant, vexant, non curant. Sed non minus ratio omnem adversus animantia petulantem sævitiem abhorret. Hæc enim divinis consiliis repugnat. « Deus enim etiam animantia sensu vitæ pro illorum modulo jucundæ donavit: absit ergo ut hunc eorum sensum absque omni ratione vulneremus.... Tunc vero talis animalia torquendi consuetudo semper indignam animi ferocitatem supponit: mens enim vel mediocriter humana hanc torquendi libidinem refugit.... Denique per hanc affectus humanitatis magis semper magisque hebetari solent: qui in bruta animalia dæsevire consuevit, brevi etiam contra homines ferociet.... Quem pium benignitatis sensum Testamentum vetus erga animantia spiret, ex compluribus locis patet: *Exod.* XXIII; *Deut.* XXV; *Prov.* XII; *Eccli.* VII. » In pluribus etiam Germaniæ loci est instituta societas animalia tuenda contra hominum vexatione; et *Codex* ipse *pœnalis* in sævientes animadvertit: *art.* 675, 685 et 776, n. 7. Sed vide hac de re *Civ. Catt.*, ser. 5ª, vol. VIII, pag. 189, in nota.

(D) Pag. 212.

535. Dominium vitæ: cum temporalis vita ad moralem nostram perfectionem nobis a Deo concessa sit, est bonum dumtaxat relativum, virtuti nempe subordinatum: ideo licet illam indirecte profundere virtutis gratia. Ita Christus potuisset se defendere contra inimicos, ad nos tamen redimendos sui crucifixionem permisit. Ita Martyres sæpius potuissent se tueri adversus tyrannos, virtutis tamen amore mortem laudabiliter sustinuerunt. At nemo dixerit se ipsos Martyres et Christum interfecisse; nam permissio non fuit causa, sed simplex, innocens et remota occasio mortis ipsorum. Ceterum quo majus est periculum et pretiosior res quæ periculo exponitur, eo major debet esse impellens causa, ut sit debita proportio, et ita actio cohonestetur. Ex hac regula potest subditus ad salvandum principem suum se medium interponere, licet certe prævideat se fore gladio secandum. Hac etiam ratione item « dicunt licere cibum amico cedere in penuria; aut tabulam in naufragio, etiamsi eam jam apprehendisset: ita Toletus, Lessius, Sylvius, Lugo, Salmanticenses, Pradus, Bu-

sembaum, Victoria, et alii communius contra Sotum et Layman, et est valde probabile; quia aliud est sibi mortem inferre et aliud est omittere vitam tueri, quod est licitum ex justa sane causa. Et hoc expresse docet s. Thomas, in 3 sent., dist. 29, q. 1, a. 4, ad 3, dicens: *Tradere seipsum morti propter amicum est perfectus actus virtutis, unde hunc actum magis appetit virtuosus, quam vitam corporalem.* » Ita Liguori, *Ho. Ap.*, tract. VIII, n. 1; *Op. Mor.*, l. III, nn. 366 et seqq. — *V.* Ravizza, *Il suicidio, il sacrifizio della vita e il duello:* saggi psicologici.

Ex adverso deducitur, nefas esse a vipera morderi pati ad experiendum antidotum (nisi constet de experimento, vel judicio peritorum non adesse probabile mortis periculum). Item nec licet se in carcere interficere ad evitandum infamiæ periculum; se abstinere ab alimentis ad vitandas hujus vitæ miserias; se in flumen projicere cum certo mortis periculo ad baptizandum puerum; hoc enim esset sibi vitam directe auferre. Item neque licet occidere jam lethaliter vulneratos, ne diutius patiantur; nec furiosos, ne aliis noceant, sed recludendi sunt. Ratio quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

536. *Licetne* (quæres) *se interimere ad vitandam mortem duriorem: v. g., si quis suo inimico hanc faciat optionem, ut nempe eligat, an ipse velit veneno an laqueo sese interimere, secus gladio illico ab alio transfodiendus; potestne hic venenum sumere, etc.?*

R. Aliqui id permittunt, quia esset eligere minus malum ex duobus malis necessariis; sed negandum est cum communi: hoc enim esset se directe interimere, quod nunquam licet sine divino instinctu. Ceterum ut hac de re occurrentes difficultates solvantur, distinguendæ sunt cum Silvio actiones ex se causativæ mortis, et venenum haurire, se ex patibulo projicere cum fune collum stringente, venam aperire quando non est permissio eam claudendi, etc.; ab actionibus quæ non sunt ex se causativæ mortis, sed dispositiones tantum ad eam, uti ascendere scalam patibuli, collum extendere, se per finestram ejicere ad aggressorem fugiendum. Actiones primi generi non licent (etsi id judex præciperet, ut communius docent cum Angelico), quia est se vere et directe interficere; licent autem, urgente gravi causa, actiones secundi generis (Sylvius, *in quæst.* 69, a. 4. — Liguori, *Op. Mor.*, t. III, n. 367). In praxi excusari possunt rudes qui etiam nonnullas actiones primi generi seligunt, putantes id sibi licere in tali videlicet rerum angustia.

537. Dominium famæ: publica *fama* quam curare debemus, non in multitudine opinantium, sed in opinantium rectitudine collocanda est: *Bonum*, ait Tullius *(De Legibus,* l. I, c. 17), *non est opinionibus sed natura.* Spernenda ergo illa opinio publica, de qua hodie tot verba faciunt: « Non vi suppongo sì innocente o sì nuovo in questo mondo che non sappiate in qual modo ed a qual fucina si fabbrica la così detta *opinione pubblica.* Qual è il fanciullo omai che non ne conosca la ricetta? Quattro o cinque paja di giornalisti venali, poche centinaja di gridatori prezzolati nella plebaglia, e dieci o dodici emissari nella società gentile, formano in brev'ora la pubblica opinione, vale a dire formano un concento di pappagalli, più o meno plebei, ripetenti in ogni angolo della città gli stessi spropositi e le stesse ragioni, con tanto maggiore asseveranza quanto è maggiore l'incapacità loro nel valutarne le forza. Or ditemi se vi ha maggior tirannia che assumere per verità inconcussa una voce sì insussistente d'una sì tenue minorità. » *Civiltà Cattolica*, ser. 1ª, t. I: *Il popolo;* et t. II, ser. 2ª, t. I: *Il regno dell'opinione;* ser. 3ª, t. IX: *Gli organi dell'opinione;* ser. 4ª, t. VI: *Il sì e il no nel regno dell'opinione;* et t. VI: *Le annessioni ed il suffragio universale;* item, t. IX.

538. In libro *Avvedimenti politici*, cap. IX: « Il consenso universale, quello per cui si dice *vox populi vox Dei*, è l'espressione degli animi retti, dei savi, degli onesti, non è quella dei mentecatti, degli illusi e dei ribaldi; non è quella d'una minoranza che prende aspetto di maggiorità, perchè parla quando gli altri tacciono. L'opinione che si esprime talvolta da una moltitudine tumultuante nelle piazze e fra i disordini, quella che si arrogano i partiti politici per organo di un giornalismo servile e prezzolato, è un' opinione mendace e riprovevole. Disgraziato il paese, i cui rettori servono a così terribile tiranna!... Quella dei malvagi fin dalla prima età del mondo potè vantarsi di esser dominatrice, ed una sola famiglia non la seguiva, quando il diluvio sommerse il globo. Nella Pentapoli, una sola famiglia non corrotta scampò alle fiamme. Le ultime glorie del popolo di Giuda si debbono ai Maccabei; non seguirono essi l'opinione pubblica che abbandonava gli antichi riti e la patria legge per obbedire ad Antioco. Temette l'opinione pubblica Pilato e condannò alla croce il Salvatore del mondo, cui poc'anzi l'opinion pubblica accoglieva in trionfo nelle vie di Gerusalemme. Come può aver valore un sentimento mutabile, che ora si muove al giusto, or all'ingiusto, secondo il capriccio della moltitudine e la perfidia di chi l'eccita ed inganna? »

(D) Pag. 212.

539. Honesta Clericorum sustentatio: an in designando necessaria ad honestam clerici sustentationem possit haberi ratio *nobilitatis*, disputant. Nobis non videtur damnandus qui id affirmaret; unusquisque enim secundum suum statum vivere potest. Ita quoque licite potest ex his bonis debita post Beneficium contracta solvere; cum id quoque pertineat ad rationem proprii status (imo etiam debita antea contracta, si aliunde non habeat, ut solvat ex propriis bonis, eadem ratione). Sicuti etiam moderatam hospitalitatem exercere; cum id sit debitum virtutis; itemque nepotes in studiis alere, si parentes pauperes sint ac alii pauperes non graviter indigeant et ipse alia bona non habeat; tunc enim hoc evadit opus charitatis et misericordiæ. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 182; — Thomassinus, *Vetus et nova Eccl. Discipl.*, par. 3ª, l. III, c. 47.

540. Beneficiatus item potest de Beneficii bonis, si statum suum mutet ex assumptione ad splendidum aliquod Beneficium, subvenire consanguineis saltem proximioribus, ut ipsi decenter vivant juxta ejus dignitatem, cum de ipsa aliquo modo participare videantur. Quod tamen de solis Episcopis aliisque ad similem dignitatem assumptis, non vero de Parochis aliisve accipiendum est, ut recte ait Roncaglia; nam quoad istos non videtur tanta immutatio, cum uti ordinaria habeatur. Oportet autem ut omnes summopere caveant, ne bona consanguineis data ad eorum subveniendum necessitati, potius vitia et otia foveant, vel eos ditiores efficiant. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 491, q. 2.

541. Q. 1. *An qui ab ecclesiastico aliqua accipit donante ex superfluis reditibus sui Beneficii, peccet hæc bona accipiendo et teneatur ea restituere vel tribuere in usus pios?*

R. In eorum sententia qui censent beneficiarium non obligari ex justitia ad talia bona in usus pios eroganda, nulla est in illa accipiente obligatio restitutionis; nam beneficiatus etsi peccaminose, va-

lide tamen donavit, cum donaverit suum; et ideo deficit in modo, non in substantia. An vero accipiens et ipse peccet (cooperando peccato donantis) contra Religionem aut charitatem, alii affirmant quia accipiens vere cooperatur ad consummationem peccati donatoris concurrendo ad translationem dominii rei donatæ, quod non transfertur nisi per acceptationem. At alii probabilius negant, si donatarius non induxerit ad donandum, sed libenter oblata acceptaverit sine conscientia peccati. Ratio est, quia peccatum ex parte donantis consummatur per ipsam oblationem, quæ jam posita est; acceptatio autem quæ sequitur, non dat causam illi oblationi, sed perficit tantum donationem ut cum effectu transferatur dominium, igitur peccatum totum positum est in oblatione et donatione, id est ante acceptationem. Hoc sensu conjux quæ reddit debitum conjugi petenti, sed obstricto voto castitatis, excusatur a peccato cooperationis; etsi enim res non consummetur nisi per debiti conjugalis redditionem; attamen peccatum totum est in illo qui petit, ut pluribus probat Lugo, *De Just.*, d. 4, § 3.

542. In nostra autem sententia, qua tenuimus beneficiatum obligari ex justitia dare superflua pauperibus, an illa accipiens ad usus non pios peccet et teneatur de restitutione, distinguendum putamus: si clericus ex illa donatione non reddatur impotens, ut tantundem expendat de aliis bonis in causas pias, accipiens nihil tenetur restituere nec peccat; adhuc enim clericus potest non peccare sed satisfacere suo debito: quod si non faciat, id provenit ex ejus malitia, non ex donatione et acceptatione præcedenti. — Si tamen beneficiatus per talem donationem reddatur impotens ad satisfaciendum præfatæ suæ obligationi, utique accipiens et peccat et de restitutione tenetur; nam donatarius accipiendo vere influit in damnum pauperum, qui jus habent in illa bona; cum illis sint adjudicata a Conciliis, a Patribus et fidelium intentione. Hoc tamen intellige si accipiens sit in mala fide; si enim quis acciperet superflua Beneficii in bona fide tuto credens ea accipere se posse, nihil postea teneretur restituere, quia ex una parte sententia, quæ tenet superflua non esse danda pauperibus ex justitia, est satis probabilis: ex altera parte possessio bonæ fidei tribuit jus insistendi in re possessa, quandiu certo prohibetur res illegitime possideri. Et ideo qui accepit cum dubia fide tenetur tantum ad partem restituendam, habita ratione probabilitatis contrariæ sententiæ. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 35; et l. III, nn. 492, 612 et 722. Et *Homo Apostolicus*, tract. X, n. 8.

543. Q. 2. *Teneturne qui pensionem accipit de Beneficii reditibus, erogare superflua pauperibus, saltem ex præcepto Religionis?*

R. Negative si pensio data sit laicis, puta principibus, patronis, ob præstita Ecclesiæ obsequia; vel ecclesiasticis, sed ob aliquod munus temporale, v. g., cantoris, advocati; quia omnia hæc sunt in stipendium laboris. Si vero pensio detur ecclesiasticis ob aliquod ecclesiasticum munus obeundum, ut ea quæ datur Parochis, coadjutoribus, etc., tunc alii affirmant pensionatum superflua *pauperibus* erogare debere; nam cum illa pensio sit ex fructibus Beneficii detracta, transit cum onere suo. Alii vero satis probabiliter negant; et ita decisum refert Azorius a Romana Rota; nam cum Pontifex ob causam detrahit de fructibus Beneficii, jam eosdem pie applicat: ergo fructus illi non amplius ferre debent talem obligationem, ut iterum atque iterum pie applicentur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 491; l. IV, n. 182.

544. Q. 3. *Quid dicendum, si clericus ad usus profanos superflua moriens relinquat?*

R. Ecclesia circa hujusmodi alienationes nihil decernit, cum sit ad-

modum difficile probare eos fructus e Beneficiis provenisse; quia aliis modis, iudustria, arte, frugalitate, acquiri potuerunt. Imo ad tollendas omnes lites per Concordatum inter Benedictum XIV et Carolum Emanuelem III, 24 junii 1750, facta est in Subalpino Regno facultas de iis disponendi pro arbitrio, *juxta tamen propriæ conscientiæ dictamen.* (V. *Pratica legale*, t. VI, par. 6ª.)

Unde hodie *ordinarie* quidquid relinquit beneficiatus illud cedit hæredibus, vel ab ipso vocatis: in quo Juri canonico fuit derogatum, quod statuebat proventus ecclesiasticos ad Ecclesiam pertinere, ut habetur *Decr.* Greg., l. III, t. XXVI, c. *Relatum.* Diximus *ordinarie;* nam excipiuntur mobilia magna (vulgo *mobili grossi)*, uti scamna, tabulæ, vasa vinaria, etc., quæ si in domo Ecclesiæ reperiantur tempore mortis, successoribus in Beneficio cedunt iis in locis, ubi recepta est Bulla Pii V *Romani Pontificis* (in Novariensi Diœcesi communiter non fuit recepta).

An etiam in conscientia hæc legis dispositio obtineat, affirmandum in dubio, an bona a clerico relicta sint ex superfluis; nam non est supponendus testator contra conscientiam disposuisse. Quod si certum sit bona relicta esse superflua Beneficii, tunc sicut testator tenebatur ea sub gravi expendere in usus pios, ita tenebitur hæres (vel ex justitia vel ex religione, juxta diversas sententias); cum repræsentet ipsam personam defuncti, et in ejus loco tum in juribus tum in oneribus circa res ab ipso defuncto relictas, succedat. Hinc in Bulla dicitur *juxta tamen propriæ conscientiæ dictamen*, quibus satis indicatur obligatio quæ semper urget (si non in foro fori) in foro poli seu conscientiæ dandi superflua locis piis. Lugo, *De Just. et Jure*, disp. XXIII. — *V.* Vecchiotti, *Institutiones Canon.*, l. III, c. 4: *De peculio clericorum ejusque administratione.*

(E) Pag. 220.

545. Venatio: proprie *venatio* dicitur si quadrupedes; *aucupium*, si aves; *piscatio*, si pisces capiantur (hodie tamen aucupium sub uno venationis nomine includunt). Nonnulla loca ad venandum pro Rege reservata sunt: quæ rite convenit ejus dignitati. Hinc Lessius contravenientem non solum de gravi peccato reum dicit; sed etiam ad restitutionem teneri contendit, si loca reservata clausa sint, nec alia sit imposita pœna. Hoc pariter valet de piscatione.

Ceterum generatim leges hac de re prohibitivæ ex communi hominum æstimatione et consuetudine habentur uti pure pœnales, nisi aliunde violetur in aliquo jus strictum alterius. Et ideo videant venatores, ne venando segetibus fructibusque inferant damnum (quod non semel lugendum est); qui enim damnum affert, de damno tenetur (vide Liguori, *Opus Mor.*, l, I, n. 145; l. III, n. 605). Item monent ut venatio moderata sit: vide Châtel, *La neve e gli uccelletti:* « Ove scongiura gli uomini di campagna a rispettare ed anche a proteggere e nutrire i piccoli uccelli che vanno a cercar asilo davanti alle porte delle case, delle stalle, sotto i portici e nei letami dove distruggono una quantità di semi nocivi... L'uomo è impotente contro i bruchi ed altri insetti che distruggono grano, patate, frutti, olivi, fiori, ortaggi, trifogli, barbabietole, ecc.; solamente gli uccelli possono arrestare la riproduzione infinita di questi nemici; e colui che protegge gli uccelli, lavora ad allontanare la carestia. »

546. Q. 1. *Quid si animal a te captum, fugam arripiat?*

R. Si fugam arripiens animal a te captum, naturalem acquisivit libertatem, desinit esse tuum et fit primi occupantis: secus semper tuum erit. *Naturalem autem libertatem recipere intelligitur animal, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus persecutio:* ita Justinianus.

547. Q. 2. *Quid dicendum, si fera ab uno vulnerata aut laqueata, capiatur ab alio?*

R. Si fera ita vulnerata erat aut illaqueata, ut adhuc posset fugam arripere, fit primi occupantis; quia adhuc censetur in naturali sua libertate. Si vero ita vulnerata erat aut illaqueata, ut non amplius potuisset fugam arripere, propria erit vulnerantis et illaqueantis; est enim jam inchoata ejus possessio. Si vero res dubia sit, dividetur in partes æquales, cum æquale tunc sit utriusque et jus et spes: quanquam sit tunc attendenda juxta alios lex illa generalis: *feræ bestiæ capientibus cedunt, non vulnerantibus.*

548. Q. 3. *Quid de iis, qui venantur in fundo alieno?*

R. Id lege civili sub pœna vetitum est, si fiat contra domini voluntatem; in Edicto autem 29 dec. 1836 habetur: *Tale divieto sarà presunto pei terreni seminati o nei quali il raccolto è pendente, o che trovansi chiusi con riparo qualunque: per detti fondi deve risultare la permissione per iscritto ottenuta dal padrone* (RR. Patentes 16 julii 1844; et 1 julii 1845. Et *Cod. Civ.*, art. 712). Diximus *lege civili;* utrum peccet etiam contra naturalem et commutativam justitiam qui venatur (vel piscatur) in fundo alterius contra ejus voluntatem, affirma in casu quo fundus sit ita clausus ut feræ non possint inde exire: quia censetur illæ propriam amisisse libertatem Secus si fundus omnibus pateat: tunc dominus habet quidem jus impediendi, ne venetur in ejus fundo, item ut sibi compensetur damnum a venatore illatum; non potest tamen facere suam feram ibi occisam, sed ad occisorem pertinet. *Lugo, Carrière.*

549. In Regno Subalpino venatio ratione *loci* prohibita est in territorio *Racconisii.* Item si fiat contra voluntatem proprietarii in fundis, stagnis ac lacubus regii Demanii, vel communitatis, vel alicujus particularis. Item: *Niuno potrà cacciando col fucile sparare in minor distanza di* 50 *metri* (80 passi incirca) *dalle abitazioni, come neppure sulla strada e sulle siepi che la fiancheggiano.*

Ratione *temporis* hodie prohibita est a die 1 februarii usque ad ultimam augusti inclusive. *La caccia coi segugi, coi levrieri o con altri cani da corsa, non potrà incominciare che col* 15 *di ottobre di ciascun anno.* Hodie tamen temporis determinatio pertinet ad concilium Provinciale regni ex lege 20 martii 1865, art. 172.

Ratione *personæ* omnibus iis est prohibita, qui facultatem non obtinuerint a principe. Excipe nisi venatio fiat tempore permisso in fundis propriis muro ita clausis, ut non pateat ingressus; quod tamen sic explicant R. Patent. 1 julii 1845: *S'intenderà ristretta ai fondi attinenti ad abitazioni e chiusi coi muri a calce, e aventi l'altezza di metri tre.* Hæc autem facultas non tribuitur neque iis, qui pœnam nondum penderint, casu quo hac in re jam deliquerint; neque iis, qui ob admissa furtula, vel ob otiositatem cui indulgent, vel ob alia hujusmodi indigni a publica auctoritate judicabuntur. Sic interdictis quoque denegatur, et iis, qui nondum 16 annum compleverint. Quod autem pertinet ad minores (ab anno 16 ad 21) si non sint emancipati aut habilitati, vel adhuc sub tutela parentum aut tutorum vivant, necessaria est parentum vel tutorum assistentia et auctorizatio, ut ajunt.

Ratione *instrumenti* ac *modi*, en textus legis: *È proibita la caccia: 1° coll'uso dei lacci o di trabocchetti di qualsiasi sorte; 2° col fucile di notte tempo da un'ora dopo il tramonto ad un'ora prima del levar del sole; 3° alla traccia sulla neve.* Iterum: *È proibito di prendere e distruggere le uova e le nidiate delle selvaggine, eccettuate però quelle degli animali di rapina, e di quegli altri che nidificano nei luoghi cinti e nelle case.* Et pro modo violationis pœna statuitur. — *V.* Edict. 10 maji 1831; 20 dec. 1836; R. Pat. 16 julii 1844; Lege 26 junii 1853.

550. Piscatio: quoad piscationem id unum adnotamus, nempe vetitum esse sub pœna 50 aureorum cursum fluminis deflectere; sub pœna vero 25 calcem projicere, vel quodvis aliud quod piscibus noceat (*RR. Const.*, l. VI, t. VII, §§ 11 et 12; et Decr. reg 22 decemb. 1861). Quod autem pertinet ad jus piscandi inspiciendæ sunt locorum leges; attamen ubique ferme licet piscari linea projectili.

(F) Pag. 223.

551. Bona derelicta: quoad hæc bona observamus quoad praxim: in fundo alieno *fungos* perquirere, vel colligere *glandes*, vel sibi vindicare *nuces* ac *castaneas*, quas (iis jam collectis) conductæ mulieres stramen pectinando, vel alii casu inveniunt, ferme ubique consuetudo permittit, ut permittit in alienis agris vel vineis colligere spicas vel uvas, quæ fugiunt manus metentium vel vindemiatorum: hæc uti totidem bona a domino derelicta habentur. Sed cavendum ne talia inquirendo alienis fundis damnum inferatur, ut non raro evenit. De *spicarum* autem collectione, absoluta messi, vide Benedictus XIV, Epist. *Acerbi*, anno 1742; — Ferraris; V. *Spicæ;* — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, num. 529.

552. Res inventæ: quoad *res inventas*, non valet dicere quod juxta præsumptam domini voluntatem est res illa eroganda in usus pios; nam quando, attentis omnibus circumstantiis, judicari potest, quod dominus amplius non possit inveniri, tunc nulla supponi debet præsumpta domini voluntas; nam iste per suam impossibilitatem eam recuperandi, ejus dominium prorsus amisit. Hanc sententiam expresse docet s. Thomas, qui ait: *Si* (res) *pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum* (2, 2. q. 66, a. 5). Ratio a priori est, quia Jus gentium tribuit privatis dominium rerum non ad aliud, quam ut illis utantur. Hinc quando est impossibile rem pervenire ad ipsorum usum, illa tanquam derelicta evadit nullius, et redit ad primævum Jus naturæ; ac ideo fit primi occupantis sine ulla obligatione. Hinc famula cauponis, quæ tabernam verrendo aliquod aureos invenit, nec possit dominus inveniri ob magnum concursum, suos facere potest. *Lugo*, *Elbel*, *Gury*. Neque ideo quia non vult restituere, potest illi negari absolutio. Ad rem Frassinetti: « Se per es. l'infermo avesse ritrovato 100 franchi, e fatte le debite indagini, non avendo potuto riconoscere il padrone, li volesse ritenere per sè e lasciarli a'suoi eredi, il Parroco non potrebbe per nulla obbligarlo a darli ai poveri, o ad impiegarli in altra opera pia; e poco monterebbe che alcuni od anche molti Teologi la pensassero diversamente. Il Parroco nè anche con cinquanta autori alla mano può definire una questione che la Chiesa lascia agitare fra i Moralisti. Se dunque le obbligazioni dell'infermo fossero controverse fra i Teologi, sebbene paressero al Parroco certe ed evidenti, e sebbene avessero

il suffragio di molti autori, rifiutando l'infermo di riconoscerle, non potrebbe per questo negargli i Sacramenti. »

« Che se si opponga: *come se la passerebbe al tribunale di Dio nel caso che davanti a lui quelle obbligazioni fossero vere e reali?*

» Rispondo: questa non sarebbe objezione da condonarsi ad un Teologo: se la passerebbe benissimo, perchè Dio non giudica le nostre operazioni secondo sono in sè stesse le verità morali, ma secondo sono apprese da noi. Se crediamo che possano salvarsi i Moralisti che insegnano e sostengono le varie opinioni non condannate dalla Chiesa, dobbiamo pur credere che possano salvarsi coloro che le praticano. » *Manuale pratico del Parroco novello*, n. 573. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 603. — Gousset, *Theol. Mor.*, n. 748.

553. *Quid* (dices) *si confessarius a pœnitente rogetur de rerum inventarum restitutione domino facienda?*

R. Confessarius non debet in se tale onus suscipere, nisi aliter restituere satis commode fieri nequeat: et tunc ad omnem suspicionis notam effugiendam, attestationem peractæ restitutionis in scripto exaratam a domino ipso reportet, eamque pœnitenti caute consignet. Ita Synodus Novariensis, *pag.* 124.

Notat Lyonet: *Inventor saltem ex charitate tenetur ad inquirendum dominum cum diligentia pretio rei proportionata; quia in pari occasione idem sibi fieri unusquisque censetur velle. Dixi:* saltem ex charitate: *quia plurimi Theologi ut valde suspectum injustitiæ habent eum qui omittit tales disquisitiones; adest enim quasi-contractus, quem vocant* gestionis, *vi cujus inventor eo ipso, quod rem apprehendat et in custodia accipiat, suscipit in se illius curam, ac proinde obligationem dominum quærendi, ut ipsi eam reddat. Si has disquisitiones facere nollet, res non erat apprehendenda. Hoc satis rationi consentaneum est, et imo ultra omne dubium, si disquisitiones omittendo rem inventu difficiliorem reddat, ut ordinarie accidit, cum inventor rem apprehendens in causa sit, cur dominus communiter recordans loci in quo eam perdidit, eam frustra hoc loco quærat, vel res amissa non inveniatur ab eo, qui dominum diligenter inquisivisset.*

554. Thesaurus: hac de re habet *Manuale forense* (vol. IV, pag. 23): « Abbiamo detto che il tesoro trovato anche con arte, nel proprio fondo, appartiene per intero al proprietario del medesimo. Quindi nasce la quistione di sapere chi possa dirsi padrone del fondo in quest'argomento; il dubbio nasce intorno all'enfiteuta, al vassallo, al marito, all'usufruttuario, al creditore ipotecario ed al venditore.

a) » Per ciò che riguarda l'*enfiteuta* sembra che si debba ritenere come padrone del fondo, per modo che possa acquistare il tesoro interamente; imperocchè egli percepisce indistintamente tutti i frutti che nascono nel fondo, ed è costretto a soffrirne anche i danni quando vengono cagionati. Quindi è che in diritto l'enfiteuta si dice *padrone del fondo* (l. XII, cod. *De fundis patrimonial.)*; e vien paragonato al proprietario; per ciò gli spetta l'immunità di prestar cauzione (l. XV, princ. et § 1 *ff. qui satisd. cogan.)*. Consentit *Cod.* art. 1561.

b) » Ciò che è stabilito riguardo all'enfiteuta conviene esattamente anche al *vassallo*, il quale viene pure nominato *padrone del fondo* (l. II *fundor.*, tit. VIII *De investitura de re aliena facta*, versic. *rei autem).*

c) » Questa teoria non è però applicabile ogniqualvolta si parla di *creditori ipotecari* o di *usufruttuari;* imperocchè, quantunque il creditore abbia sul fondo un certo qual diritto, nondimeno tutti sanno quanta differenza passi da questo diritto al dominio (l. LXIII, § ult. *ff. de acquir. rer. dom.)*. L'usufruttuario poi paragonato al proprietario

non ha alcuna specie di dominio (princ. *de her. instit.)*: inoltre il tesoro non viene annoverato tra i frutti del fondo (l. VII, § 12 *solut. matr.)*.

d) » Dalla massima testè adottata, cioè che il tesoro non sia un frutto del fondo, il giureconsulto Ulpiano deduce la conseguenza che il tesoro trovato nel fondo *dotale* non debba appartenere al marito; ma che se ne debba restituire una metà alla moglie, come se si trattasse di un tesoro trovato nel fondo altrui (dict. l. VII, § 12, *ff. solut. matrim.)*. Egli è vero bensì che il marito ha il dominio civile del fondo dotale, ma la moglie ritiene il dominio naturale (l. XXX, cod. *De jur. dot.)*; quindi è che, trattandosi nel presente argomento di acquistare il dominio delle cose con un modo stabilito dal diritto delle genti o naturale, si deve piuttosto aver riguardo al dominio naturale della moglie, che al dominio civile del marito.

e) » Ci rimane ancora a parlare del *venditore*, se cioè questi si debba tuttora ritenere come padrone della cosa venduta, prima però che sia seguita la tradizione, e se quindi abbia il diritto di ritenere l'intero tesoro che si fosse trovato. In questo caso sono fra di loro a conflitto lo stretto diritto e l'equità: lo stretto diritto è favorevole al venditore, il quale prima della tradizione ritiene ancora il dominio della cosa (§ 3 *instit., de empt. et vend.)*; ma, secondo l'equità, sembra degno di maggior riguardo la causa dell'acquisitore, imperocchè questi è obbligato a sottostare ai danni ed ai pericoli della cosa a lui venduta, quantunque non gli fosse ancora stata consegnata (dict. § 3). Se adunque l'acquisitore ha l'incomodo, è giusto che abbia altresì il vantaggio (l. X, § *ff. de reg. jur.)*. » Et ita in nova Lege civili.

555. Qui bona fide emit arcam, in qua gemmas vel pecuniam invenit, totum sibi retinere potest, si nulla sint vestigia ut judicetur ad quem hæc pertineant; quia est simul inventor et dominus. *Lessius.*

Item opifex, si in domo aliqua laborando inveniat in aliquo angulo parietis vel in arca veteri summam pecuniæ, dimidiam partem retinere potest, si nulla adsint vestigia pecuniam illam esse talis personæ vel familiæ; quia tunc rationem thesauri haberi videtur. *Gury.*

Item qui pretio communi emit agrum suspicans ibi reconditum thesaurum, totum retinere potest, si inveniat; nam thesaurus nondum repertus ad dominum agri nullimode pertinet, neque est pars fundi. Neque dicas: *non licet a rustico emere vili pretio gemmam, quam ipse putat esse vitrum; a pari neque campum pretio ordinario, si ibi latet thesaurus.* Disparitas est, quod præstantia gemmæ sit pars ejus; insuper gemma non emitur pretio, quod ex communi habet æstimatione. At thesaurus non est pars agri; et ager emitur juxta communem æstimationem; neque enim valor rei determinatur ex scientia privata. *Lyonnet, Carrière* et communius contra antiquos Theologos.

556. « La metà del tesoro non è devoluta a colui che primo si accorse aver un valore gli oggetti rinvenuti, ma a colui che effettivamente li trovò nella terra altrui. » *(Sentenza del Magistrato d'Appello di Torino*, 3 genn. 1855.) — *V.* Bettini, *Giurisprudenza* ecc.

« Il danaro rinvenuto in uno scrigno comprato con altri mobili non è tesoro, constando a chi appartenga. Si applicano al caso non l'articolo 614 (ubi *de thesauro)*, ma gli articoli 617 e 618 (ubi *de re domino tradenda, et præmio repetendo)*. Se la scoperta è fatta dal servo salariato dal compratore, il premio spetta al padrone; al servo spetterebbe però il di più che fosse stato rilasciato oltre il fisso pel premio. » *(Sentenza del Magistrato d'Appello di Torino*, 23 giugno 1851.)

« L'essersi un tesoro discoperto dall'operajo salariato nella esecuzione dei lavori specialmente commessigli, non esclude che egli debba

profittare della metà del tesoro, quando non risulti che i lavori stessi abbiano avuto per iscopo espresso il rintracciarlo. » *(Sentenza del Magistrato di Appello di Piemonte,* 3 febbr. 1849.)

« Eccettochè il tesoro non sia di un gran valore, non si debbe inquietare l'inventore, che se lo appropria per intero, principalmente quando si tratta di certe medaglie o statue, il cui valore estrinseco supera d'assai il valore materiale. » *Gousset.* Jus enim naturale quod thesaurum totum tribuit inventori applicari posse videtur eo in casu.

557. Res inventa in Beneficio: hac de re en declarationes S. C. Concilii, quæ respiciunt rem de industria quæsitam:

a) In Prænestina 17 dec. 1796 agebatur de Statuis magni valoris repertis in fundis Canonicalibus; Canonici pretium sibi diviserunt ex earum venditione. Hinc quæsitum fuit: 1) an sit locus restitutioni pretii simulacrorum; 2) et quatenus affirmative, an et quomodo, et cujus favore idem pretium sit investiendum in casu? S. Concilii C. respondit: ad 1: *affirmative et ad cautelam Canonici consulant conscientiæ suæ et amplius;* ad 2: *affirmative favore Massæ canonicalis; et ad Episcopum pro executione et amplius.* — *b)* In Romana 28 jan. 1834, cum canonici Lateranenses indicia habuerint in fundo Capituli quædam monumenta magni valoris recondita jacere, excavatione facta et monumentis repertis, quæsierunt: an et cujus favore constet de pertinentia ex integro vel ex parte summæ retractæ ex venditione monumentorum in casu? S. C. C. respondit: *affirmative favore Mensæ capitularis ex integro.* — *c)* In instituenda via ferrea occupatus fuit fundus ecclesiasticus, et ea pars quæ montuosa erat, lapidibus, arena, tofo, etc. coalescebat; cum viæ ferræ institores hisce mineralibus materiis indigerent, per magnas effossiones partem illam montuosam solo æquarunt, unde fundus fertilior evasit: omnia fuerunt pecunia compensata. Hinc quæritur, an pretium illarum materiarum mineralium pertineat ad Beneficium, vel ad beneficiatum? S. C. C. 6 maji 1868 declaravit: *Pecuniam solutam in pretium magnæ et extraordinariæ effossionis lapidum, arenæ et cretæ spectare Beneficio et investiendum esse; et ad mentem.* Mens autem fuit dandi beneficiato indemnitatem pro expensis factis et pro ammissione fructuum naturalium.

Et reapse cum thesaurus in primo et secundo casu dici non possit *in fructu esse*, pertinere non debet ad fructuarium seu beneficiatum (qui tamen et ipse fruitur, cum ideo augeantur reditus Beneficii, et ita ejus inventio non est sine pretio). Item excavatio in tertio casu, cum in fructu esse dici non possit, quin imo cum pars sit ejusdem fundi, in fundi ejusdem utilitatem est convertenda. Sicut pretium partium fundi ecclesiastici venditarum ut via ferrea aperiatur, in utilitatem fundi est investiendum, prout decisum fuit 28 julii et 4 aug. 1865. — V. *Analecta Juris pontificii,* anno 1854, pag. 1163. — *Acta ex iis decerpta* etc., t. III et IV.

558. « Il *guano* (a voce peruvianensi *huœau*, lætamen) si considera incorporato et assimilato al suolo, ed è perciò proprietà del padrone del suolo, non essendo a questo riguardo applicabili le disposizioni legislative concernenti le miniere e il tesoro. » *Cassazione* 13 agosto 1861. — *V.* Bettini, *Giurisprudenza degli Stati Sardi,* vol. XIII, p. 2ª.

Item neque ut thesaurus habetur petrolium, carbo fossilis, torba, lignitis et similia, quæ sunt partes fundi *(Cod. civ.* art. 444). — *C. A.* 485; — *C. G.* 547, 583; — *C. S.* 472, 518; — *C. P.* 432, 571; — *C. M.* 447, 635; — *C. T.* 195).

559. Bona naufragorum: hæc non sunt inter derelicta habenda: *Alia sane causa* (ad rem Justinianus, cui ceteri legislatores con-

formantur) *est earum rerum, quæ in tempestate levandæ navis causa ejiciuntur; hæ enim dominorum permanent, quia palam est eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat; qua de càusa si quis eas fluctibus expulsas vel etiam in ipso mari nactas, lucrandi animo abstulerit, furtum committit. Nec longe videntur discedere ab iis quæ de rheda currente, non intelligentibus dominis, cadunt* (Instit. l. II, t. 1 *De rer. div.*). Imo si naufragorum bona pertineant ad christianos, ea surripientes incurrunt excommunicationem latæ sententiæ ex *Decr.* Greg., t. V *De excomm.*, c. 3. — *V.* Ferraris; V. *Naufragantes.* — *Codex maritimus*, art. 120.

560. Hic etiam notamus, quod tum jura super bona in mare projecta, aut a mari rejecta, tum jura super plantas et herbas, quæ crescunt juxta litus, propriis reguntur legibus ex *Cod. civ.* art. 719; et art. 431: *Le miniere e le saline sono regolate da leggi speciali (C. A.* 388, 408; — *C. G.* 717; — *C. S.* 637).

(G) Pag. 232.

561. Testes: de rigore canonici Juris ex can. *Quanquam* II, *caus.* 14, q. 2, nequeunt clerici licite extra necessitatis casum sine licentia Episcopi et religiosi sine consensu sui Prælati testes esse seu testimoninm ferre in testamentis aliisque causis sive contractibus civilibus laicorum, etsi nullum juramentum exigatur. Attamen non desunt auctores dicentes præfatum canonem procedere potius de honestate quam de necessitate; et probant ex ipso textu ubi dicitur tantum *non convenit.* Quidque sit, certo per contrariam consuetudinem illa prohibitio ubique abrogata est. — *V.* Ferraris; V. *Testamentum*, art. 1, n. 24.

562. « Ex *Cod. Austr.* §§ 591 et seqq. ad testis officium notantur uti inepti: qui usu rationis carent, cæci, surdi, muti, qui testatoris linguam ignorant, damnati ob criminale fraudis delictum; fœminæ, religiosi; qui nondum 18 annos habent completos; non christiani pro christiano testatore, hæres et legatarius quoad hæreditatem ac legatum; hæredis ac legatarii uxores; consanguinei et affines in primo gradu, eorumque domestici mercede conducti. Religiosi tamen, mulieres et adolescentes qui 14 annum compleverunt sunt testes idonei in testamentis privilegiatis, et tunc duo sufficiunt.

Jure Romano testes esse debent masculi, puberes, liberi, non surdi, non muti, non cæci, non intestabiles a lege, non hæredes in testamento, nec domestici testatoris vel hæredis; non excluduntur legatarii. (Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 920.)

563. Facultas testandi: *an omnes, qui usum rationis habent valide possint de bonis suis per testamentum disponere ipso Jure naturæ*, affirmant communiter; et probant:

1. Ex *Scriptura*, ubi legitur: *addiditque Abraham: mihi autem non dedisti semen, et ecce vernaculus meus* (Eliezer) *hæres meus erit* (Gen. XV). Unde sic: Abraham nullis tunc, saltem valde probabiliter, regebatur legibus positivis; atqui tamen intendebat servum suum instituere bonorum suorum hæredem, sicque de bonis suis per actum testamentarium disposuisset: ergo persuasum habebat talem facultatem a legibus positivis non exoriri.

2. Ex *ratione:* supponamus plures homines in quadam insula, nullis legibus positivis subjectos. Unus prope mortem dicit aliis: volo ut cum abiero, bona mea inter vos sic dividatis; Petrus habebit vestes

meas, Paulus libros, etc. Si illa dispositio est valida, facultas disponendi per testamentum est naturalis; si non est valida, tunc bona defuncti erunt primi occupantis, et non obstante illius dispositione, fortior poterit absque ceterorum injuria, omnia sibi arrogare. At hoc rectæ rationi et obvio sensui repugnat: etenim *nihil est tam conveniens naturali æquitati*, ait Justinianus, *quam voluntatem domini volentis rem suam, in alium transferri, ratam habere* (Inst. *De rerum divis.* § 40). Adde ex naturali lege quisque suum donare potest sub conditione suspensiva; talis est donatio per testamentum: est nempe donatio sub conditione mortis. Hinc sequitur quascunque dispositiones, lege positiva non clare prohibitas, esse validas per se; facultate enim naturali valide et licite uti possumus, dum illius usus nulla certe lege restringitur. *Bouvier.* — *V.* Carrière, *De contractibus*, n. 497.

561. Monita quoad testamentum: en præcipua:

1. Ne testator in mortis agone differat testari, si velit quieto animo et meliori consilio de suis disponere; monet enim Augustinus: *Testamentum facito, dum sanus es, dum liber es, dum tuus es.* Utique nemo proprie loquendo, ne in foro quidem conscientiæ tenetur ad testandum; jam enim eo in casu lex providit. Tenetur tamen per accidens, ne lites, aliaque incommoda oriantur: quod præcipue currit de ecclesiasticis, qui generatim plures tenent administrationes, et bona diversa possident, de quibus diversimode disponendum est ex sacrorum canonum ordinatione, vel conscientiæ ac justitiæ præscriptione.

2. Præstat ut christiani quædam etiam ad causas pias relinquant, et hac de re merito a notariis olim interpellabantur. Et Augustinus citatus *(De div.* serm. XLIX) ajebat: *Faciat quod sæpe hortatus sum: unum filium habet, putet Christum alterum; duos habet, putet Christum tertium; decem habet, Christum undecimum faciat.* At indiscretas hæreditates semper rejicit Ecclesia: *Quicunque vult*, ait iterum citatus Doctor, *exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum; imo, Deo propitio, neminem inveniet.* Quanquam præstat potius, ut divites in vita, bona quibus abundant, elargiantur; sæpe enim hæredes non ita fideliter pias dispositiones exequuntur; et gubernia hodie nimium difficultatis habent in illas permittendo. Ad rem s. Lucia ad matrem suam: *Non satis Deus carus est qui illi dat quod secum ferre non potest; si vis Deo grata esse hoc illi da, dum adhuc uti potes.* Hinc vulgare adagium: *Melius est dare, quam legare.*

3. Habet Rituale: *Si morbus gravior vel cum periculo fuerit, ægroto suadeat* (confessarius), *ut dum integra mente est, rem suam omnem constituat et testamentum faciat.* Et Stub: « Il dovere di avvertire l'infermo è più urgente, quando il sacerdote sappia che vi sono obblighi speciali di giustizia.... Se l'infermo vuol consigliarsi col sacerdote intorno alle disposizioni testamentarie, questi lo istruisca precipuamente degli obblighi di giustizia, di lasciare a chi di diritto, e di provvedere ai parenti più stretti, massime se in necessità. Ma riguardo alle disposizioni arbitrarie, meglio è per solito (excepta speciali circumstantia), che mai se ne ingerisca, dicendo con s. Filippo Neri, che l' *infermo lasci la roba a chi vuole, purchè lasci l'anima a Dio.* E soprattutto fugga, come ordina il *Rituale*, la nota d'interessato; e ciò non pure rispetto alla propria persona, ma eziandio rispetto alla sua Chiesa e alle opere pie da lui promosse o dirette. Si astenga altresì dal consigliare disposizioni che tornino a svantaggio di qualche terzo, non convenendo, come osserva s. Alfonso, che i ministri di G. C. si attirino odiosità per tali motivi. » Monet d. Am-

brosius *(De Offic.*, l. III, c. 9): *In causis pecuniariis intervenire non est sacerdotis; .... in causa pecuniæ odia quærere insipientiæ est.* Et Synodus Novariensis, p. 190: *Postquam ægroti animæ ex Ecclesiæ præscripto consultum fuerit, si eidem bona vel jura quælibet sint, de quibus testamentariis tabulis legitimæ disponere queat, id ipsum efficiendum innuant, quin tamen iis rebus quæ hæredis institutionem spectant, sese ingerant, nisi generalibus verbis, ut nempe justitiæ, æquitatis, charitatis et memoris animi significandi leges minime perfringantur.* V. Lib. IV, n. 51.

4. « Se l'infermo vuol lasciarsi suffragi per l'anima, lo esorti a non darne incarico vago agli eredi, ma determini qual somma si debba impiegare per le Messe, ecc. Similmente se l'infermo brama lasciare ad opere pie o instituirle, il sacerdote consigli quelle disposizioni che non urtino colle leggi civili; quindi il sacerdote, e precipuamente i Parroci, procurino di conoscerne il prescritto.... Se non fosse possibile aver il notajo, ecc., pel testamento legale, esorti almeno l'infermo a far conoscere in modo privato, o a voce, o in iscritto a varie persone della famiglia, ed anche a qualche testimonio, i suoi ultimi desiderii e voleri, i quali non avranno valore davanti alle leggi civili; ma forse avranno esecuzione per equità e coscienza nella famiglia. » *Stub.*

« A coloro che hanno intenzione di far lasciti pii, suggeriscano quelli che sono più importanti, avuto riguardo ai bisogni del giorno; e dove vi fosse pericolo che poi non fossero eseguiti, suggeriscano anche, se è loro possibile, di non lasciar quella somma in testamento; ma piuttosto di affidarla alle mani di un amico cauto, il quale dopo la loro morte ne eseguisca, o ne faccia eseguire la volontà. » *Frassinetti,* Compendio ecc., nota 79.

5. Si testator dedisset tibi aliquid, ut tanquam pauper retineres, vel ut in pias causas distribueres, tuto id faceres etiam inscio et invito hærede (Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 923). In hoc tamen, addit Roncaglia, necessaria est prudentia confessarii, dum ipsi tradita fuerit talis pecunia; si enim id non fuerit occultum hæredibus, confessarius se exponet multis dicteriis, quasi ipse non juste, vel negotium suum egerit: unde tunc optimum erit, si ipse testator cum hærede de hoc sermonem habeat. Ceterum videamus, ne quod mali homines falso loquitantur de nobis, quod nempe sumus *hæreditatum piscatores*, aliquando verificetur.

565. Exemplum Testamenti holographi:

Io sottoscritto Pietro Mirè del fu Andrea, di Novara, dichiaro che il presente scritto è il mio testamento fatto di mio pugno e con piena cognizione di causa, che voglio sia fedelmente eseguito dopo la mia morte. Incarico a questo effetto il signor Carlo Rovio, pure di Novara, nominandolo mio esecutore testamentario.

Io prego innanzi tutto il Signore a ricevere la mia anima nel seno della sua misericordia. Voglio che mi sieno fatte celebrare cento Messe nel primo mese del mio decesso. Lego al mio domestico, che sarà al mio servizio al tempo della mia morte, lire 100 *annue sua vita natural durante, esenti da ogni tassa. Chiamo poi eredi di tutti miei beni in parti uguali mio fratello e la mia sorella.*

Novara, il primo gennajo mille ottocento sessanta sette.

PIETRO MIRÈ *del fu* ANDREA.

(Vel brevius.) Novara, primo gennajo mille ottocento sessant'otto.

Nel nome del Padre, del Figlio e dello Spirito Santo. Io sottoscritto chiamo erede universale di tutti i miei beni il mio amatissimo fratello Carlo.

PIETRO MIRÈ *del fu* ANDREA.

Non tantummodo surdo-mutus, sed ipse cæcus per se loquendo, si sanæ mentis, potest disponere de rebus suis testamento holographo, si tamen totum proprio charactere conficiat; non autem si arte machinali (prout hodie solent cæci scribere), tunc proprius character seu propria manus non distingueretur. Et quacunque lingua, latina, italica, græca, etc., illud scribi potest, etiam lingua vernacula, etiam versibus; caveatur tamen ne id joco fieri judicetur. Etiam hæmatite illud exarari potest, etsi tamen incongruum omnino sit, cum de facili deleri possit; at si extraneus ille hæmatite conficeret, et testator hæmatitem fideliter atramento signaret, nullum esset testamentum, quia non præseferret proprium ac particularem characterem, et manum ipsius testatoris, sed extranei.

Si post mortem testatoris duo inveniuntur testamenta holographa eodem die confecta, quin ex adjunctis dignosci possit quodnam sit posterior, ambo valent, si contraria non sint et pugnantia inter se; si vero illa inter se pugnant, neutrum validum est, quia unum aliud destruit. — *V.* Lissoni, *Trattato pratico del testamento olografo, notarile, pubblico o secreto, e speciale con formole diverse.* Milano.

Si quis se subscriberet cum proprio quidem charactere, sed artefacto, quia illum insculpere fecit in ligno vel ferro, an testamentum validum sit, sunt qui affirmant; nam revera illa impressio refert personalem testatoris characterem. Verum alii negant, cum illa propria dicta scriptio non sit manu testatoris ducta; sed quid artificiale quo etiam alii uti possunt, et fraudibus locum dat.

(H) Pag. 234.

566. Sententia quæ favet possessori, quando solemnitates legis civilis deficiunt in testamentis, ideo magis confirmatur:

1. Eo modo leges obligant quo accipiuntur: atqui mos ubique invaluit, ut legatarii tranquille possideant quod vi testamenti aliqua formalitate destituti obtinent; et nihilominus hæredes *ab intestato* nullitatem hujusmodi testamenti tuta conscientia coram judicibus expostulent, eaque obtenta, hæreditatem legitime adeant.

2. Legislatores voluerunt simul favere libertati privatorum et securitati familiarum providere, ut patet considerando leges circa donationes inter vivos et per testamenta. Porro utrumque sufficienter obtinetur, et nihil nimis grave præcipitur, si prædictæ dispositiones sint validæ ante sententiam judicis; dirimantur vero per sententiam judicis in ipso foro conscientiæ, parte reclamante.

3. Hæc nostra sententia, ait Billuart, obviat variis conscientiæ perplexitatibus et peccandi periculis: quem enim reperies qui voluntarie dimittat quod titulo testamenti alteriusve contractus aliqua solemnitate destituti absque vi, vel fraude possidet, dum a nemine juridice repetitur? Dicendum ergo, concludit ille doctissimus, quod testamentum legali formalitate destitutum, est in foro conscientiæ partim vali-

dum, partim invalidum: validum quatenus hæres institutus potest vi illius hæreditatem adire et retinere, donec per sententiam judicis rescindatur; invalidum quatenus hæres ab intestato potest ex legis beneficio agere in judicio ad illius rescissionem, et ea rescissione obtenta, tuto hæreditatem occupare et retinere. Ex quo patet etiam, quod etsi habeamus meliorem, ac tutam conditionem possidentis, adhuc tamen potest beneficium legis civilis invocari.

Si vero hæres testatori moribundo promisisset se testamentum, etiamsi nullum foret, fideliter executurum esse, promissioni suæ procul dubio stare deberet ex fidelitate et probabiliter ex justitia, ob petitionem defuncti cui assensit. *Gury, Collet.*

Dices: *eodem modo lex pronuntiat, nullum esse testamentum cui requisitiæ desunt formalitates, quo modo pronuntiat nullum esse testamentum inter personas inhabiles conditum, aut permissam bonorum portionem excedens: ergo vel in utroque casu, vel neutro testamentum istud pro foro interno est validum.*

R. Nego *conseq.*: hic genuina legislatoris intentio quærenda est: nam eadem non fuit in utroque casu legislatoris intentio. Quando enim statuitur aliquas personas esse inhabiles, aut nonnisi ad determinatam partem jus habere, tunc manifesta est legislatoris voluntas decernentis quod bona vel nulla omnino, vel nonnisi cum data limitatione ad hanc vel illam personam debeant transire. E contra vero ubi de formalitatibus requisitis tantummodo agitur, certum est legislatorem nolle impedire ne bona ad personas designatas transeant, siquidem supponuntur habiles, et aliunde portio a lege præscripta reservatur: ergo id unum intendit, scilicet determinare et assignare media, quibus voluntas testatoris apud judices constare valeat. Porro, in suppositione nostra, voluntas testatoris certissime constat, licet juridice ipsa probari nequeat. « Dietro tale sentimento (ait Gousset *juxta hanc tertiam sententiam)* il donatario o il legatario che è in possesso degli oggetti a lui donati o legati senza osservare le formalità prescritte dalla legge, può conservarli in sicura coscienza. Ma gli eredi del donante o del testatore possono egualmente in coscienza ricusare d'adempiere le disposizioni del loro autore, facendo cioè annullare il testamento o l'atto di tale donazione. »

567. Casus practici: « *a)* Un Parroco, un confessore consultato, se si possa in coscienza ricever dagli eredi del testatore o conservare un legato o una donazione nulla per vizio di forma, risponderà che ben si può. Lo stesso Codice lo riconosce, poichè non permette agli eredi di ridomandare ciò che hanno volontariamente pagato, per adempiere un simile legato, una donazione che non fosse rivestita delle prescritte formalità *(Codex Galliæ).*

» *b)* Consultato dagli eredi, se sono obbligati in coscienza di adempire le volontà ben cognite del testatore, li consiglierà ad adempirle, o di trattare all'amichevole col legatario. Ma eviterà di farne loro un obbligo per tema di non andar troppo oltre, eccettochè si tratti di un legato pio, e si abbiano forti ragioni di credere che il testatore lo abbia fatto per riparare un'ingiustizia, o per soddisfare al dovere della limosina, se non lo avesse fatto in vita quando era obbligato, per confessione di chi lo ha conosciuto.

» *c)* Se è consultato intorno ai doni manuali, accompagnati o seguiti dalla tradizione della cosa che ne sono l'objetto, risponderà che sono validi. Si suppone che essi non eccedano la porzione disponibile, nè fatti in frode della legge, che vieta di donare all'incapace.

» *d)* Una persona dona irrevocabilmente, ma senza atto legale, certi

oggetti mobili, essendo presente ed accettante il donatario, sotto condizione che il donante conserverà sino alla morte l'uso o l'usufrutto delle cose che formano l'oggetto di tale donazione. L'erede domanda se è obbligato di adempire simile obbligazione: il confessore risponderà come per le donazioni, che non son nulle, che per vizio di forma: esorterà, ma non comanderà.

» *e)* Pietro essendo pericolosamente infermo, dona irrevocabilmente a Paolo una certa somma di danaro, a condizione però che se ricupera la salute, gli venga restituita. Alcun tempo dopo Pietro muore; Paolo può egli conservare la somma che gli è stata donata? Crediam di sì: è un dono manuale, la cui condizione che è casuale, non potestativa, non ha nulla di contrario alla legge. Essa è irrevocabile di sua natura, non potendo essere annullata, che dal ricuperamento della salute, che è la sola condizione da cui dipende.

» *f)* Paolo dona a Pietro certa somma di danaro a condizione che gli venga restituita, se la ridomanda prima della sua morte; ma che se non la ridomanda, Pietro potrà ritenerla. Morto Paolo, Pietro domanda al confessore, se è obbligato di restituir la somma agli eredi del donante. Il confessore può a nostro avviso rispondere che non è obbligato: sia o no rivocabile questa donazione, se non è rivocata, e il donante vuole che sussista, essa deve avere il suo effetto.

» *g)* Paolo, essendo infermo, dice al suo servitore di prendere nel suo scrigno il danaro che vi si trova, soggiungendo che glielo dona, senza pregiudizio del suo salario. Il servitore accetta e risponde che lo prenderà; ma nol prende che dopo la morte di Paolo. Può ritener questo danaro? Crediamo di sì, perchè gli fu veramente donato: lo abbia preso prima o dopo la morte del padrone, la donazione non è meno reale; sì dopo, come prima, il danaro, era a disposizione del servitore.

» *h)* Paolo va dicendo di tempo in tempo al suo servo, che vuol gratificarne i servigi, che si propone di fare un legato a suo favore, o di donargli una certa somma. Paolo muore senza nulla aver disposto: può il servo appropriarsi la somma promessagli? No: altro è donare, altro formare il progetto di donare, o fare anche una specie di promessa vaga e generale, senza intenzione di obbligarsi. » Hactenus *Gousset.*

« *i)* Gabinus hæres ex testamento informi accipit et retinet hæreditatem, ut sibi legitime acquisitam; sed abstinet a solvendis legatis, ob defectum formæ in testamento. Quid? — Gabinus injustus est, et sibi contradicit: si enim testamentum habet ut validum, quoad omnia valere debet; secus, quoad omnia nullum est; nam conscientia non claudicat, ac validitas et invaliditas ejusdem testamenti simul consistere nequeunt. Væ qui duplici utuntur mensura! »

j) Anatolius, confecto testamento holographo, moritur antequam illud subscribere potuerit; Sabinus hæres nominatus in hoc testamento, subscriptionem testatoris ita bene simulat, ut ab ipso confecta appareat. Attamen cum suborta fraudis suspicione, testamentum ad judicem sit delatum, fuit validum declaratum. Quid? — Sabinus ad restitutionem tenetur, quia per fraudem illud sibi vindicavit; fraude enim remota, certo per sententiam ab hæreditate exclusus fuisset: sententia igitur illi nequit favere cum in falso facto innitatur. *Gousset*, *Gury*, *Voit* et *De Lugo*, De Eucharistia, disp. xv, n. 46.

k) Leontius tres habet filios, sed Beniamino dilecto præ aliis, præter totam partem bonorum in testamento legatam ex legis concessione, munera plura brevi manu tribuit et chirographa, et contractus fingit

cum ipso, etc.; nec putat in hoc peccare, quia pater dum vivit est dominus suorum bonorum. — Quid? Errat et lædit justitiam, per se loquendo, quia agit contra legem quæ quoad quantitatem bonorum designandam communi sensu conscientiam ligat, cum respiciat bonum familiarum. Diximus *per se loquendo*, quia aliquando parentes qui de gravi causa donant aliquid amplius uni e filiis præter legis dispositionem peccare non videntur; tunc enim cessat finis legis, quæ non censetur attingere illos casus particulares familiæ proficuos nec bono communi nocivos. *Gury*, *Gousset*.

« *l)* Ranulfus hæres universalis a Lælio avunculo suo institutus, ab eo extreme decumbente rogatur, ut notarium accersat. Timens autem Ranulfus ne testator voluntatem suam ultimam mutet in sui præjudicium, moram protrahit, usque dum avunculus animam efflaverit. — Quid? Ranulfus male agit; et si cum fundamento existimat, avunculum aliquid alicui donaturum fuisse, illi tenetur dare; si nesciat cuinam, pro rata dubii causis piis tribuat. Horum enim damnorum ipse injuste tergiversando fuit causa. » *Gury*.

568. *An* (quæres) *hæres teneatur voluntatem testatoris implere, si de ea in testamento non constet?*

R. Hæc defuncti voluntas, de qua in testamento nulla mentio, si respicit debita quæ non sint ex justitia, uti essent nudæ vel vagæ promissiones alicui a testatore factæ, non sunt de necessitate attendendæ; nam non pariunt strictam obligationem.

Si vero non sint vagæ, sed veræ promissiones, ut si quis centum aureos promittat Titio in testamento legandos; sed repentino morbo correptus et jamjam moriturus ad se filium vocet, et ait: *volo, ut centum aureos Titio tribuas*, an filius solvere debeat, ante sententiam judicis, controvertitur; alii de Jure naturæ exequi urgent voluntatem morientis; alii vero defectum legalis dispositionis opponunt. Excipe nisi filius solvere promiserit, tunc tenetur sub gravi et in justitia stare promissis, quia tunc intervenit contractus implicitus: independenter enim a testamento fidem suam obstrinxit filius.

Si tandem testatoris voluntas extra testamentum manifestata respicit debita ex justitia (uti essent legata, contractus ac consummatæ promissiones, ex quibus tertius jus strictum jam acquisierit), tunc procul dubio illa testatoris voluntas *statim ac certo constat*, implenda est; hoc enim onus est reale hæreditatis, quod transit in hæredes quoscunque. Ubi notandum est illud: *statim ac certo constat*, idest sive verbis, sive nutu, sive scriptis, aut duobus testibus fide dignis; nam ex juris regula, omnium consensu recepta, non tenebitur hæres in sui præjudicium credere uni testi, quamvis probatissimo: *Licet quædam sint causæ*, legitur in Jure canonico, *quæ plures quam duos exigat testes; nulla est tamen causa, quæ unius testimonio (quamvis legitimo) terminetur* (*Decr.* Greg., l. II, t. XX, c. 23 *Licet universis*). Idque sane necessarium fuit ad bonum commune, ut fraudes in civili societate evitarentur. Hinc docent Croix, Layman, Viva, etc., contra aliquos, quod hæres non tenetur credere soli Parocho vel confessario licet probo, nisi adsit testis alter: quia esto quod dictum unius testis idonei sæpe det justam et probabilem credendi causam; non affert tamen credendi necessitatem.

569. Casus: Titius cœlibatarius hæredibus necessariis destitutus, graviter decumbens, ut animæ suæ consulat, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem Bonifacium legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum Bonifacio tradit in quo piam manifestat volun-

tatem postulatque ab ipso ut eandem fideliter exequatur. Bonifacius vero (mortuo Titio) hæreditatem integram servat eo quod testamento valido eam teneat. An in conscientia tutus esse possit?

S. Pœnitentiaria 23 junii 1844 pro foro conscientiæ respondit: *Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem Titii certe ipsi cognitam.*

(I) Pag. 248.

570. « Q. 1. *La somma che il padre spende per surrogazione al servizio militare del figlio, dovrà ella essere soggetta a collazione?*

» R. Questa quistione sembra tale da non potersi decidere in modo assoluto, ma da doversi invece giudicare secondo le circostanze. Potrebbe dall'un lato accadere, che secondo i principii del Legislatore ammessi in questa materia, vi sia luogo ad imputazione: ma dall'altro potrebbe eziandio una simile imputazione essere gravosa ed ingiusta, facendo sopportare da un solo dei figli ciò che il padre non avrà fatto, che a vantaggio comune della famiglia, cui fosse utile la presenza del surrogato. Il tribunale deve dunque apprezzare la quistione secondo la diversità delle circostanze. » *Cod. spiegato.*

Hoc valet de similibus quæstionibus, uti notant (Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 954). Porro dicunt esse conferenda quæ filius male expendit de bonis paternis in ludis et meretricibus, si expensæ fuerint in magna quantitate, nec pater eas remiserit. — « Il Sirey commen- » tando l'art. 851 del *Cod. civ. francese* reca queste due decisioni: » Ciò che il padre ha pagato per riscattare suo figlio dalla coscri- » zione militare è soggetto a collazione. » *(Corte di Appello di Caen*, 5 gen. n. 1811.) — « Le spese di sostituzione non possono ripetersi dal padre » contro suo figlio, e debbonsi considerare come una spesa straordi- » naria per l'educazione o per lo stabilimento fatto in anticipato as- » segnamento di eredità. » *(Corte di Appello di Digione*, 23 genn. 1817.) All'art. 851 del *Cod. Fr.* corrispondono gli articoli del *Cod. Parm.* 997; *Napol.* 770; *Sardo* 1007; *Austr.* § 788; *Ticinese* 330. » *V. Adnotator Theol. Moral.* Gousset.

571. Q. 2. *An sumptus a patre pro filii studio, libris, pro dignitate obtinenda, pro eo liberando a carcere, pro ejus recreatione, doctoratus gradu, pro ipso ad sacerdotium vehendo, etc. facti, debeant omnes in collationem referri?*

Negant communiter, etsi sit pater tenuis fortunæ; quia illæ expensæ cedunt in bonum commune familiæ, nempe in ejus honorem, commodum, etc.; et gratuito donata censentur, nisi aliud expresse declaret pater, uti si expensas scripserit in libro rationum filii, vel agatur de patrimonio ecclesiastico, quod locum dotis tenet. Item excipiunt Navarrus et alii, si in manu patris aderant bona propria filii, v. g. castrensia vel quasi-castrensia; tunc censetur de illis filium in studiis sustentasse. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 955.

572. Ceterum en *Cod.* art. 147: *I figli non hanno azione verso il padre e la madre per obbligarli a far loro un assegnamento per causa di matrimonio, o per qualunque altro titolo;* etsi casu quo talis assignatio fiat, ea sit in divisione hæreditatis conferenda ex dictis. — *C. A.* 1220; — *C. G.* 204; — *C. S.* 194; — *C. P.* 105; — *C. M.* 157; — *C. T.* 73.

(J) Pag. 252.

573. Legatorum acceptatio: ex Urbano VIII et Innocentio XII legata perpetua acceptari nequeunt Missarum celebrandarum, a sæcularibus sine Episcopi vel ejus Vicarii generalis, a regularibus vero sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia in scriptis gratis concedenda; idque sub pœnis. Reditus autem omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusvis civitatis vel provinciæ.

Quamvis autem census *(rendite fondiarie, fondi pubblici)* bonis stabilibus accenseantur ex Pio V, attamen pecunia pro onere Missarum in illos converti non possunt, nisi in casu aliquo speciali, ut si stabilia non reperiantur: ita pluries S. C. C. — *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol, II, pag. 414.

574. Legatorum adimplementum: in Concilio Carthaginiensi qui differunt implere legata pia *necatores egentium* appellantur: adde detrimentum non leve, quod evenit defuncto, non quidem quantum ad meritum eleemosynæ, quia meritum principaliter a voluntate et intentione dependet; sed quantum ad illius effectum; non quasi (ait Angelicus; *Quodl.* 6, *q.* 8, *a.* 13) pro illa tarditate puniatur defunctus, sed quia ei remedium non adhibetur, dum suffragia differuntur (cum hæc non fiant nisi data eleemosyna), ex quibus ille plurimum juvaretur. Carrière, *De Justitia*, n. 1031.

Non est hic omittenda lex Synodi Novariensis (pagg. 327 et 330), qua præcipitur: 1) ad legata pia alicui Ecclesiæ relicta assecuranda non omnia indistincte ipsius Ecclesiæ bona esse oppignoranda; 2) qui ea distribuendi onus habent, non debere ea, nisi in singulos annos assignare, ut eorum dispositio libera maneat (et nonnisi in damnorum aliorum præjudicium aliter agerent), et congruentius esse, ut cum Parocho rem habeant, cui status personarum facilius innotescit; 3) ea solvenda citius, et qui ultra annum dolose protraxerit solvere pia legata, incurrit reservationem, eumque Parochus tenetur Episcopo denuntiare. Hinc merito ab Ecclesia Legatorum Promotores sunt constituti, quorum est invigilare, num rite impleantur, ac suo tempore piorum voluntates. — *V.* Ferraris; V. *Suffragia.*

575. Legatorum commutatio per Episcopum: an cum causa possint etiam Episcopi commutare pias dispositiones, saltem in melius, affirmant Croix, Alasia aliique; Tridentinum enim (sessione XXII, cap. 6 *de Reformatione)* id ipsis concedit, si nempe agant tanquam Sedis apostolicæ delegati: unam excipiunt reductionem Missarum, quæ ipsi Pontifici reservata est jussu Urbani VIII. Verum (nisi a testatore sit illis facta facultas), probabilius negant Layman, Molina et Sanchez: ratio, quia ex Tridentino id unum tribuitur Episcopis, ut quando commutationes a Sede Romana eis committuntur, ipsi eas ante executionem examinent, an sit verum expositum. Concilium enim capite antecedenti de hoc tantum fuerat locutum: unde illud caput frustra ab adversariis opponitur; idque conforme est Clementinæ *Quia contingit.*

Sunt tamen causæ aliquæ, ob quas valde probabiliter creditur quasi per epichejam concessa Episcopis commutandi facultas. Esset: 1) si pecunia ad aliquem usum legata non sufficiat; 2) si res legata nequeat deservire pro usu determinato; 3) si legatum non sit ad usum ita necessarium, puta si sit relictum pro vasis sacris conficiendis,

quibus Ecclesia non egeat, sed potius egeat casulis. Quod etiam dicendum ex Roncaglia de quibusdam antiquis legatis, quæ a variatis temporibus ac moribus, usum habent vel prorsus inutilem, vel parum conducentem ad Dei gloriam; uti esset legatum quod alicubi obtinet quadam die publice exponendi tot sarcinas vini, tot libras panis, salis, etc. non pro pauperibus, sed pro omnibus indiscriminatim tali die concurrentibus.

In commutationibus ab Episcopo faciendis requiritur consensus hæredis et legatarii et Ecclesiæ cui legatum factum est; dicunt tamen quod si nollent isti consentire, et ratio existat, poterit nihilominus Episcopus solus eo in casu commutare. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 931. — Ferraris; *V. Legatum.* — Lucidi, *De Visitatione* etc., vol. II, pag. 422 et seqq.

576. Legata Familiæ: « Per legati pii di famiglia intendo quegli obblighi imposti da un testatore o altro *con atto autentico*, di pagare una somma in danaro o in generi, sia una volta tanto, sia in perpetuo, o al Parroco o ad una Chiesa o cappella o altra pia opera, o di far celebrare annualmente un dato numero di Messe o d'anniversari con ipoteca generale o speciale su di un fondo.... Quando il legato consiste nel far celebrare annualmente un numero di Messe *senza designazione di Chiesa* e senza obbligo di render conto ad alcuno, a chi spetta ad obbligare gli eredi in caso di trascuranza? Ho detto *senza designazione di Chiesa*, perchè se questa fosse designata, allora chi ne sostien le ragioni, può provocarne l'adempimento.

» Nella domanda proposta il Parroco nella sola sua qualità di Parroco, non avrebbe diritto di obligarli a farle celebrare, o a domandar conto se celebrate; perchè quel legato non si può riguardare che come un'opera pia; e delle opere pie il Parroco non ha diritto di domandar conto se non come delegato dal Vescovo; così nel decreto di voto 19 luglio 1766 sul ricorso della comunità di Villanova presso Mondovì. *A chi spetterebbe in questo caso domandarne l'adempimento?* Intellige *in civili*, nam in foro conscientiæ et Ecclesiæ sunt Promotores legatorum qui de hoc auctoritatem habent: et quanquam in omni foro Promotores jus dicant, attamen hisce temporibus, cum ipsi apud nos careant vi ad exigendam solutionem, cui recurrendum?... A que' magistrati che sostengono le ragioni del pubblico e degli assenti, o dei beni vacanti, quali sono gli avvocati ed i procuratori fiscali.

» Nei legati però di Messe fatte ad una determinata Chiesa, la pratica del fôro si è che prima si celebrino le Messe, e poi si facciano convenire i legatari pel pagamento della limosina, alla quale si condannano, previo giuramento del sacerdote di averle celebrate; così il senato nella sentenza 25 giugno 1712, a favore del Prevosto di Caselle. » Canestri, *Giurisprudenza canonica e civile* ecc., tit. VIII. (Hodie tamen id inutiliter fieret apud nos.)

« L'esecutore nominato dal testatore per la distribuzione di un legato a'suoi parenti poveri, non può essere rivocato senza causa legittima, nè astretto a render conto che ultimata la distribuzione. Il legato fatto a parenti poveri senza distinzione, non è incerto, perchè è di facile accertazione la doppia qualità voluta. Parenti s'intendono tutti i congiunti sino al duodecimo grado. Le attestazioni municipali, almeno fino a prova contraria, sono acconce a constatare la povertà. Possono partecipare al legato anche i parenti già beneficati dal testatore, quand'ei non fece distinzione. La distribuzione si fa per capi ed in parti eguali. » Ita decisum a Trib.; Casale, 6 marzo 1860. — *V.* Bettini, *Giurisprudenza* ecc., vol. XII.

577. Stipendium Missæ Legati: si testator illud taxavit, tribuendum juxta taxam, et Missæ si aliter ipse non determinaverit, possunt ubicunque et ab omnibus sacerdotibus celebrari, cum Jure communi id omnibus competat, si vocentur ad celebrandum. — Si non taxavit stipendium, illud taxare pertineret ad Episcopum juxta morem regionis et provinciæ, ut declaravit S. C. Congregatio, et videre est in Bulla *Nuper* (relata Libro IV). Censet autem Roncaglia pinguius ordinario illud esse taxandum, si hæreditas sit pinguis; nam tunc præsumitur ita voluisse testatorem, cum Missa ex pinguiori stipendio celebrata sit fructuosior, quia plus Deo offertur. Et concludit male se gerere illos hæredes qui Missas a testatore relictas alibi curant celebrari, ubi minus stipendium erogatur; excipe tamen nisi vires hæreditatis non paterentur numerum Missarum præscriptum. *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 320.

Utrum vero qui ita se gerunt, teneantur quoque restituere ac refundere quod pepercerunt, alii affirmant quia esset agere contra voluntatem testatoris, qui certo præsumitur velle, ut Missæ saltem celebrentur cum stipendio suæ Diœcesis. Alii negant, quia testator id unum principaliter in animo habet, ut tot Missæ celebrentur, non attendendo ad majus vel minus stipendium tribuendum; ideo sic agere erit illicitum, sed non injustum.

578. Legatum pauperibus, puellis, etc. relictum:

Q. 1. *Quomodo est distribuendum legatum relictum pauperibus?*

R. Si testator id clare reliquerit arbitrio hæredis, poterit dari cuicunque pauperi ex data facultate. Sin autem, ex præsumpta domini voluntate, distributio facienda est juxta charitatis regulam; nempe præferendi sunt: — 1) conjuncti testatoris proximiores; — 2) pauperes testatoris concives; — 3) magis indigentes, et etiam nobiles ex Barbosa; — 4) pauperes probatioris vitæ: et ideo religiosi sunt præferendi, si ex eleemosynis vivant; — 5) in pari necessitate fœminæ, cum sint majori periculo expositæ: ita communiter. Si autem dixerit testator, legatum esse pauperibus distribuendum, non potest illud tradi uni tantum, si et alii adsint pauperes. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 930.

Art. 832 *Cod. civ.* legitur: *Le disposizioni a favore dei poveri od altre simili espresse generalmente, senza che sia determinato l'uso, l'opera pia o il pubblico istituto in cui favore sieno fatte: o quando la persona incaricata dal testatore di determinarlo, non possa o non voglia accettare l'incarico, s'intendono fatte in favore dei poveri del luogo del domicilio del testatore al tempo di sua morte, e sono devolute all'istituto locale di carità.*

579. Q. 2. *An legatum relictum puellis, ut matrimonium ineant, possit in conscientia dari Religionem ingredientibus?*

R. Affirmative, si legatum relictum sit personæ determinatæ (quod autem de legato, id valet, pari causa, etiam de hæreditate). Patet ex Jure ipso civili communi, ubi dicitur, legatum relictum certæ personæ ad nubendum, ei dari posse, si fiat religiosa (ex *Auth. de Sanctis Episc.*, § *hoc quoque);* testator enim nominando personam censetur habere specialem affectionem ad ei subveniendum, ideoque jus præsumit ipsum voluisse ei legare etiam casu ingressus in Religionem, ut argumentatur Pellizarius. Excipe nisi aliud certo constet de mente testatoris (quia præsumptio cedit veritati), ut si expresse casum nuptiarum ponat, alios expresse excludens. — Quid si nubant, at civiliter tantum? « *Chi non abbia al tutto smarrito il buon senso si guarderà bene dal dire, anzi neppure potrà pensare che quei Vescovi, quegli ecclesia-*

stici, quei pii cattolici, i quali per testamento legarono somme ingenti al santo scopo di dotare povere fanciulle in circostanza di matrimonio, si proponessero o fossero contenti di favorire con ciò la turpitudine orribile del concubinato. » (Civ. Catt., ser. 6ª, t. VI, pag. 488.)

Si vero legatum sit indeterminatis relictum, v. g., puellis quæ nupserint, videtur certe probabilius cum Barbosa, Lugo, Molina et Sanchez, illud Religionem ingredientibus dari non posse ; quia esset in aliarum præjudicium. Et mens testatoris servanda est in specifica forma quandiu potest, nec recurrendum ad ejus voluntatem præsumptam, quando habetur voluntas contraria expressa : tales enim testatores sæpe et pie providere sic intendunt puellis nubere volentibus, ne periculo exponantur prostitutionis.

Probabiliter autem dicit Concina, quod si non extarent puellæ nupturæ, legatum esset dandum Religionem ingredientibus, nisi ex mente testatoris oppositum clare colligatur.

580. Q. 3. *Quid si legatum relictum sit orphanis, darine poterit pauperibus habentibus patrem inutilem?*

R. Si extet concursus vere orphanorum, legatum illis dari non potest sine justitiæ violatione; cum enim voluntas testatoris possit impleri in sensu proprio, non est attendendus sensus figuratus (Clement. *quia contingit*, c. II *de relig. domib.;* et ex Tridentino, *sess.* XXV, c. 8). Si talis concursus non sit, videtur receptum quod dari possit : sic voluntas impletur testatoris, quæ est opitulari filiis non habentibus a quo alantur, uti sunt qui habent parentes inutiles, quod idem est ac non habere : inutilis enim in jure reputatur mortuus : ex glossa *Inutilem*, c. II *inter corporal.* etc.

581. Q. 4. *Quid si legatum relictum sit puellis, ut nubant, et jam ipsæ sine dote nupserint?*

R. Quando legatum relictum est puellis determinatis, his bene dari potest etsi jam nuptis ; nam tunc perseverat finis testatoris, illis nempe providendi vel ut nubant, vel ut nuptæ decentius vivant, idque ob peculiare erga illas affectum. Excipe nisi constet, expresse testatorem voluisse subvenire nubendis ad periculum prostitutionis vitandum ; tunc enim per matrimonium, remoto periculo, cessat profecto jus ad legatum. Item legatum relictum pro dotandis puellis *pauperibus*, potest dari jam nuptis; nam perseverat finis testatoris, sublevandi ipsarum indigentiam.

Quid (quæres) *si legatum sit relictum filiabus matrimonio collocandis? potestne dari viduis iterum nupturis?* Potest utique dari, si non sint aliæ fœminæ nupturæ ætate nubiles, ex benigna interpretatione. Secus tamen si adsint, quia nomine *filiæ*, *mulieris* aut *fœminæ* in matrimonium collocandæ ex jure proprie intelligitur ea quæ nunquam nupsit, vel invalide nupsit aut matrimonium non consummavit (ex l. *boves*, § *hoc sermone*, ff. *de verb. signif.*). Ita communiter docent cum Concina, Roncaglia, Sanchez et Salmanticensibus.

582. Q. 5. *Quid si legatum sit relictum virginibus ad nubendum, poteritne dari corruptæ?*

R. Si publice constat de corruptione, non potest, quia non adimpleretur finis testantis; secus si clam sit puella corrupta, quia in communi æstimatione virgo reputatur ; neque tenetur fœmina suam prodere turpitudinem. Attamen probabilius fœmina illa non potest petere legatum ; quia verba testatoris sunt servanda quoad potest, maxime quia id vergeret in aliarum præjudicium. Excipiunt Concina et Roncaglia, si aliæ virgines desint ; quia tunc benigne videtur posse legatum illud interpretari, nempe tanquam de virgine communiter habita ut tali. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 930.

Si legatum relictum sit puellis, quæ de legitimo matrimonio natæ sint, et educatæ in tali loco, ad illud sunt admittendæ puellæ etiam per subsequens matrimonium legitimatæ, et quæ usque ad septennium commoratæ fuerint in loco a testatore designato. *S. C. C.* 18 dec. 1858. — V. *Analecta Juris pontif.*, anno 1859, pag. 1636.

Notandum cum Sylvio, Navarro, etc., quod si vidua habens bona relicta a viro suo defuncto sub conditione, ut caste vivat, fornicetur, nequit bona illa retinere propter conditionem non servatam. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 641.

583. Casus: 1. « A due Suore della Carità, una loro parente lasciò 3,000 franchi col patto che uscissero di convento ed abbandonassero la vita religiosa; ma esse ricusarono, preferendo il sacro velo al ricco legato. Il tribunale di Verdun però costrinse gli eredi a pagare il legato, perchè la condizione di abbandonare la vita religiosa non vale, e deve considerarsi come nulla e di niun effetto, a termine dell'art. 811 del *Codice di Napoleone*, che annulla le condizioni contrarie alle leggi e ai buoni costumi. » *Apologista*, anno 1863, pag. 95.

2. « Titius legavit decem mille libellas Catharinæ sub ea conditione, ut 6,000 tradat Theresiæ si habuerit filium, 5,000 vero si filiam genuerit; sed Theresia peperit simul filium et filiam. *Quid?* Ex voluntate testatoris Catherina semper potuisset in omni casu sibi 4,000 retinere, igitur hæc sibi servet; et sex millia dividat inter filium et filiam ex æquitate rei et mente testatoris illa proportionando: hinc habeat puer 3,300; puella 2,700. » *Gury.*

3. Pia mulier morti proxima testamentum condens hæc edixit: *Instituo hæredem filiam meam Agnetem cum obligatione celebrare faciendi singulis sabbatis Sacrificium in altari Deiparæ Virgini dicato; et hujusmodi Sacrificium, si poterit, celebrabit presbyter B*** pueri præceptor. Itidem pro anima mea desidero ut celebretur singulis sabbatis coram Deiparæ Virginis imagine, quod si poterit celebrabit presbyter A*** præceptor mei nepotis.*

Agnes sedulo satisfecit; verum Agnete mortua, ejus filii et hæredes ab Apostolica Sede postularunt: 1) an Missarum legatum sit vere obligatorium? 2) an, in casu affirmativo, tale legatum cessaverit morte Agnetis? S. C. Concilii, 4 aug. 1864, censuit *legatum esse obligatorium et perpetuum.* Ex quibus collige: in interpretatione legatorum attendi debet maxime, an testator voluerit gravare *particulares personas* quas vocavit hæredes, vel *hæreditatem* ad quam assequendam personas nominavit. Si 1, legatum est temporaneum, et cum personis vocatis expirat; si 2, legatum perpetuum est. Hisce autem consideratis, si anceps adhuc sit mens testatoris, quæ magis attendi debet, et locutio, judicium dari solet in favorem piæ causæ, seu favor piæ causæ vincit hæredis libertatem, et ideo legatum censetur perpetuum. V. *Acta S. Sedis* etc., vol. I, pag. 272.

Nota: Quoad redemptionem piorum legatorum vide Lex civilis apud nos 24 jan. 1864, et infra ad n. 612.

(K) Pag. 253.

584. *Quid* (quæres) *si testator hæredem amicum vocet, sed cum pacto, ut ille bona reddat filio suo spurio?*

R. Pater peccat et amicus, cum violent legem; sed si pactum acceptatum sit, quid agendum? Salmanticenses enixe tuentur amicum

acquirere hæreditatem, sed ob pactum ex justitia teneri eam reddere spurio. Sicut enim qui promittit pretium meretrici, illicite promittit, et ante copulam promissis non tenetur; at copula secuta, licite pretium reddit, imo ex justitia tenetur reddere, ut communiter admittunt: a pari quamvis amicus illicite tradere promiserit spurio, licite tamen potest, imo debet ex inito pacto ipsi tradere postquam testator ei hæreditatem reliquit. At nobis probabilius videtur in hoc casu amicum teneri bona restituere hæredi ab intestato, quia ex una parte non tenetur tradere spurio utpote contra legem; ex altera non potest sibi ea bona retinere, quia testator intentionem non habuit ea ipsi tradendi.

585. Majoratus; primogenituræ: de novo apud nos erigi prohibetur ex art. 900 *Cod. civilis;* et quoad jam erectos hæc statuit Lex transitoria 30 nov. 1865: *I fidecommessi, i maggioraschi e le altre sostituzioni fidecommissarie, ordinati secondo le leggi anteriori, sono sciolti dal giorno dell'attuazione del* nuovo Codice. *La proprietà della metà dei beni è attribuita al possessore nel giorno primo gennajo* 1866, *e la proprietà dell'altra metà è riservata al primo o ai primi chiamati nati o concepiti al detto giorno, salvo l'usufrutto al possessore* ecc. art. 24 et seqq.

Attamen p. Ventura, *Saggio sul potere pubblico*, cap. XII: *De' maggioraschi e delle sostituzioni*, notat ab ipso Deo in Lege veteri constitutum fuisse, ut filius qui prior erat in tempore, potior esset in jure, in distinctione ac principatu. Juxta Peresium apud A-Lapide *in Gen.* XL: « Il primogenito *(nisi se faceret indignum)* godeva di otto prerogative: 1) era sacerdote di diritto; 2) occupava il primo posto a tavola, immediatamente dopo suo padre, e gli si faceva una porzione più grande (v. Angelicus, 2, 2, q. 87, a 1, ad 3); 3) aveva il potere di benedire gli altri suoi fratelli, i quali doveano essergli sottomessi, e venerarlo come loro secondo padre; 4) era egli che dopo il padre aveva l'autorità e il comando sopra tutta la famiglia; 5) nella division de' beni ereditari prendeva una porzione doppia; 6) volendolo ricomprare dalla condizione di essere consacrato al Signore, si doveva pagare una più forte somma di quella che si pagava per affrancare dalla stessa legge i secondogeniti, il che indicava che valea più di questi; 7) avea un abito tutto suo proprio, ed era vestito d'una stoffa più dilicata e più ricca di quella de' suoi fratelli; 8) era benedetto il primo, e in un modo tutto particolare dal suo morente padre. » — *V.* Ferraris; V. *Fideicommissum.* — Orioli, *Opuscoli politici:* opusc. 1° *De' fidecommissi e dell'aristocrazia.* — Della-Margherita, *Avvedimenti politici*, c. VI et XX.

(L) Pag. 257.

586. « Quando si dice, che tanti sono i gradi, quante le persone generate, non si deve prendere la cosa così materialmente, che ogni individuo generato aggiunga sempre un nuovo grado alla parentela; onde nella linea retta molti figliuoli non fanno tutti altrettanti gradi di distanza dal loro padre, ma un solo... Parimenti, nella linea collaterale i fratelli sono nel secondo grado fra loro; i nipoti col patruo al terzo, sebbene i fratelli, i nipoti e i patrui sieno nelle rispettive loro linee, anche in gran numero... Le persone adunque che fanno crescere i gradi sono quelli che semplicemente moltiplicano la stessa generazione, cioè di figlio, di nipote, di pronipote, ecc. » *Ferrero.*

Ratio disparitatis inter computationem civilem et canonicam, est, quia computatio canonica inducta est pro regula matrimoniorum, quæ quidem nonnisi inter duos haberi possunt: ideo in illis duo tanquam unus usurpantur (causa 35, q. 5, c. 2). Quod non evenit in computatione civili; in ea siquidem ratio habetur successionis, in qua personarum numerus variare solet. — Idipsum obtinet etiam in affinitate; cum in ejus gradu computando habetur ratio consanguinitatis: unde disparitas, quæ est in consanguinitate, erit etiam in affinitate: hinc Titius secundum computationem canonicam est affinis in primo gradu cum uxore fratris sui; est autem in secundo gradu affinis secundum computationem civilem.

Quoad affinitatem autem notanda sunt cum Ferrero : « L'affinità non produce alcun grado di successione, perchè, come dice il testo: *affinitatis jure nulla successio permittitur*. Così se Tizio muore ab intestato lasciando superstiti e figli e moglie d' uno zio paterno o materno premorto, ereditan essi figli, e non la moglie dello zio, perchè non è consanguinea a Tizio, ma gli è solo zia per affinità. »

587. Ut tamen præsens quæstio plenius intelligatur, videndum qui status et actus status civilis, domicilium, residentia; qui fratres, parentes, filii; agnatio, legitimatio; quid de absentibus et filiis expositis.

Status civilis. Status civilis est illarum conditionum complexio, quæ a Jure civili requiruntur, ut quis civilibus juribus frui possit, ac civitas oneribus subjici a positivis regni legibus statutis. Civilia jura habent non tantum singuli subditi, sed etiam corpora moralia, ut collegia, universitates, quæ publica auctoritate probata sunt; cum ut totidem personæ habeantur. Status civilis acquiritur, seu subditi censentur vel qui tales nascuntur, vel qui tales postea fiunt.

Nascuntur subditi qui patrem vel matrem habent subditam, ejusque sequuntur conditionem, etsi in extera ditione. Paternam conditionem sequuntur filii legitimi, legitimati vel naturales legaliter a patre agniti: maternam vero conditionem sequuntur filii naturales a matre tantum agniti. Non censentur subditi qui nascuntur ex extera parte intra ditionem nostram, nisi exterus domicilium in ditione fixerit cum animo ibi perpetuo manendi, qui tunc adesse præsumitur cum continuo per decennium permanserit, non tamen mercaturæ causa. Filii etiam expositi, qui matrem habent incertam, si in territorio nati sint, a matre subdita præsumuntur nati. *V.* Ferraris; *V. Civis*, *Civilitas*.

Subditi autem fiunt: 1) legis beneficio ii, qui nascuntur ex patre, qui ob culpam jura civilia amiserit: isti enim etsi uti extranei habeantur, si tamen intra annum ab adepta majori ætate profiteantur se velle permanere in domicilio, quod apud nos jam habent: vel illud, si alibi morentur, penes nos transferre et reapse intra hujusce anni spatium transferant a declarationis die computandum, tunc subditi qualitatem acquirunt; 2) matrimonii vi extera fœmina, quæ viro subdito nupserit, et ipsa subdita fit; 3) principis rescripto subditi fiunt qui Literas *naturalitatis* obtinent, modo tamen apud nos domicilium fixerint, et principi fidelitatem juraverint. (Vide art. 1 et seqq. — *C. A.* 28; — *C. G.* 10; — *C. S.* 10; — *C. P.* 13; — *C. M.* 16; — *C. T.* 17.)

Ex *Cod. civ*, art. 3: *Lo straniero è ammesso a godere dei diritti civili attribuiti ai cittadini ;* ejus tamen capacitas ac status regulam accipit a legibus nationis cujus est civis ex art. 6 *disposit. generalis.* — *C. A.* 34, 115; — *C. G.* 3, 11; — *C. S.* 6, 9; — *C. P.* 5; — *C. M.* 3; — *C. T.* 8, 23.

588. Actus status civilis. Respiciunt actus nativitatis, matri-

monii et mortis, qui fieri debent ex *Codice civ.* art. 350 et seqq. in loco ubi hæc facta eveniunt ab Ufficiali civili coram duobus testibus qui sint masculi, ætate majores ac residentes eo in loco. Qui actus si fiant extra regnum, obtinent fidem, modo observentur regulæ illius regni; at intra tres menses eorum copia est transmittenda cui de jure in ditione nostra. — Qui actus etsi veniant observandi ad civiles effectus, non ideo tamen fideles dispensantur ad alios etiam exequendos juxta præscriptum Ecclesiæ; sicut neque Parochi ad illos exarandos juxta *Rituale*, ut dictum est in Lib. IV, *Append.*

Actus nativitatis. Intra quinque post partum dies infans notificari debet Ufficiali civili (eique præsentandus, nisi ex gravi dispensetur causa), ut actus conficiatur idque etsi jam mortuus sit. Addit Codex: *Se la nascita è da unione illegittima, la dichiarazione (di nascita) non può enunciare che il nome e cognome, la professione e il domicilio del genitore o dei genitori dichiaranti. Quando la dichiarazione è fatta da altre persone, non si enuncierà che il nome e cognome, la professione della madre, se consti per atto autentico che questa acconsenta alla dichiarazione* (art. 376).

Actus matrimonii: exprimere debet nomen, cognomen, ætatem, professionem, locum nativitatis, domicilium vel residentiam sponsorum; eorumque genitorum; consensum ascendentium vel consiliifamiliæ; actus publicationis, declarationem sponsorum, locum celebrationis etc.

Actus mortis: nemo tumulari potest nisi habita in scriptis licentia ab Ufficiali civili, qui id non potest permittere nisi 24 horis post mortem, exceptis casibus specialibus. Si mors fuerit violenta aut suspicio sit, non est sepeliendus defunctus nisi factis solitis inspectionibus: si quis autem extra propriam residentiam, moritur actus intra decem dies est ad illam trasmittendus. *L'atto di morte*, ex Codice, *enuncierà il luogo, il giorno e l'ora della morte, il nome e cognome, l'età, la professione e il domicilio o la residenza del defunto; il nome e cognome del conjuge superstite, se la persona defunta era congiunta in matrimonio, o del predefunto conjuge se era vedova; il nome, cognome e l'età, la professione e il domicilio dei dichiaranti. Lo stesso atto enuncierà inoltre, per quanto si possano sapere, il nome e cognome, la professione e il domicilio del padre e della madre del defunto ed il luogo della sua nascita* (art. 387).

In caso di morte in un ospedale, collegio od altro qualsiasi istituto, il superiore o chi ne fa le veci è tenuto a trasmetterne l'avviso, colle indicazioni stabilite nell'articolo precedente, nel termine di 24 ore, all'Uffizio dello stato civile (art. 388).

Nel caso di morte senza che sia possibile di rinvenire o di riconoscere i cadaveri, il sindaco od altro pubblico uffiziale ne stenderà processo verbale, e lo trasmetterà al procuratore del re per cura del quale, dopo ottenuta l'autorizzazione del tribunale, il detto processo sarà annesso al registro dello stato civile (art. 391). — *C. G.* 77; — *C. S.* 82; — *C. P.* 333; — *C. M.* 366.

L'Ufficiale dello stato civile che riceve la dichiarazione della morte di una persona che abbia lasciato figli in minore età, o davanti al quale una vedova abbia contratto matrimonio, deve informare prontamente il pretore. Il pretore, assunte all'uopo le opportune informazioni, convocherà nel più breve termine il consiglio di famiglia per dare i provvedimenti che occorrono nell'interesse dei minori (art. 250). — *C. A.* 189; — *C. G.* 406; — *C. P.* 204; — *C. M.* 239.

Nota: Qui in civilibus actibus exarandis non recte officio uso funguntur, carcere et mulcta puniuntur: *Cod. pœn.* ex art. 520, 521.

589. Domicilium civile ac residentia. Hac de re habet Codex: *Il domicilio civile di una persona è nel luogo in cui essa ha la sede principale dei propri affari ed interessi. La residenza è nel luogo in cui la persona ha la dimora abituale* (art. 16). — *Il trasferimento della residenza in un altro luogo coll'intenzione di fissarvi la sede principale, produce cangiamento di domicilio. Tale intenzione si prova colla doppia dichiarazione fatta all'Ufficio dello stato civile del comune che abbandona, e a quello del comune in cui si fissa il domicilio, o con altri atti che valgono a dimostrarlo* (art. 17). — *C. A.* 31; — *C. G.* 103; *C. S.* 1081; — *C. M.* 35; — *C. T.* 28.

Uxor quæ legaliter non sit a viro separata, tenet domicilium mariti; item si vidua, donec aliud acquisierit. Minor non emancipatus habet domicilium patris, aut matris aut tutoris. Major interdictus domicilium tutoris. Potest autem eligi domicilium speciale pro aliquibus actibus; sed id probandum scriptura.

590. Fratres, parentes, filii. *Fratres* (idem est de sororibus), alii dicuntur *germani*, si ex eodem patre, simul et eadem matre; alii *consanguinei*, si ex eodem patre, sed matre diversa; alii *uterini*, si ex eadem matre, sed patre diverso proveniant. Consanguinei et uterini dicuntur *unilaterales*.

Parentes dicuntur *agnati*, si descendunt per lineam masculinam; *cognati*, si per lineam fœminilem. Item *consobrini* dicuntur filii sororum; *patrueles* vero filii fratrum.

Filii alii dicuntur *legitimi*, si oriantur a matrimonio legitimo, vel publice et bona fide uti legitimo contracto saltem ex una parte *(art.* 116); alii *illegitimi*, si aliter habiti sint. — Illegitimi a lege civili generali nomine appellantur filii *naturales ;* a Jure vero canonico filii naturales dicuntur ii solummodo, qui nati sunt ex illis, qui vel prolis conceptionis vel nativitatis vel intermedio tempore, valide inter se nubere poterant, utpote nullo dirimente impedimento detenti. Si secus est, id est si filii nati sint ab iis, qui aliquo ex memoratis temporibus impedimento dirimente impediti erant, dicuntur *spurii:* et quidem *adulterini*, si ex adulterio; *incestuosi*, si ex incestu; *sacrilegi*, seu ex sacrilega copula, puta cum persona voto castitatis solemni ligata; *nefarii* demum, si ex parentibus in linea recta, ut ex patre et filia nati sunt.

Ubi notamus: Jus canonicum omnes spurios excludit a legitimatione per subsequens matrimonium; e contrario lex civiles exceptionem facit ex dicendis. Hinc concludunt; quoad effectus civiles, idest quoad successiones, hæreditates, etc., standum est civili lege; quoad effectus vero canonicos, idest quoad ordines, impedimenta matrimonii, dignitates et beneficia ecclesiastica, standum est lege ecclesiastica.

591. Agnitio. *Agnitio* est actus civili lege inductus, quo parentes vel propria sponte vel judicis auctoritate filios suos naturales agnoscunt vel debent agnoscere: hinc agnitio alia est voluntaria, alia judicialis. Quæ fieri debent vel in ipsis nativitatis tabulis, vel alio authentico actu ante vel post filii naturalis nativitatem. Filius, si a beneficio agnitionis excludatur, compellere potest matrem ad ipsum agnoscendum, probando se illius filium esse; at non potest compellere patrem, quia investigatio paternæ originis est moribus invisa. Excipe: *a)* si pater se talem scripto affirmaverit, vel si constet aliqua actuum serie se erga filium ut patrem gessisse: hæc tamen inquisitio solum vivente patre permittitur; *b)* si qui pater dicitur, raptum vel stuprum violentum in matrem filii commisisse constet, et delicti tempus conceptionis tempori respondeat. Si tamen pater

agnoscendo filium et matrem nominaret, hujus nominationis nulla per se habetur ratio.

Ab agnitione excluduntur a jure: 1° Nati ex parentibus, quorum alteruter conceptionis tempore conjugali vinculo obstrictus erat. 2° Nati ex genitoribus ab ineundo matrimonio prohibitis ob arctius consanguinitatis, vel affinitatis vinculum in linea recta in infinitum, vel ratione consanguinitatis in linea transversa ad secundum usque gradum civiliter computandum. — Ceteri omnes ex patrio jure ad agnitionis beneficium admittuntur, ideoque etiam nati ex iis, qui conceptionis tempore matrimonium inire non poterant ob aliquod dirimens impedimentum, quod pontificia dispensatione tolli potest; qua in re juri antiquo derogatum est. — Effectus agnitionis sunt, ut filius naturalis assequatur statum certum, jus habeat quoad aliqua in bona parentum, et fiat capax legitimationis beneficio; etsi enim agnitus, nondum tamen habetur ut filius legitimus, nisi legitimatio sequatur (*art.* 159, 170, etc.).

592. Legitimatio: est actus, quo naturales filii, forma a lege præscripta legitimi fiunt, patriæ potestati subduntur, et omnia jura acquirunt ad legitimos spectantia. Ex hodierno civili jure fieri potest tum per subsequens matrimonium, tum per specialem parentum determinationem, tum per principis rescriptum.

Sed ab omni legitimationis beneficio excluduntur, qui excluduntur a beneficio agnitionis. Pro filiis jam mortuis potest habere locum legitimatio, in favorem nempe eorum descendentium. — Quoad tamen pertinet ad principis rescriptum, illud a patre postulandum est, vel uno illorum; et semper requiritur consensus alterius conjugis. Item ad legitimationem obtinendam oportet, ut genitor non habeat alios sive legitimos sive legitimatos, vel ab istis descendentes; item ut per subsequens matrimonium ex gravi causa non possit filios legitimare. *Cod. civ.* art. 194 et seqq. — *C. A.* 161; — *C. G.* 331; — *C. S.* 253; — *C. P.* 131; — *C. M.* 166; — *C. T.* 89.

593. Absentes: post tres annos continuæ absentiæ alicujus, quin ulla haberi possit nôtitia, vel post sex annos, si absens procuratorem elegerit, a tribunali potest declarari absentia, et tunc post aliquos actus, aperitur testamentum si aliquod adsit, et in eo hæredes vocati, vel in defectu ceteri qui ex lege jus habent, admittuntur in temporaneam bonorum possessionem; et etiam in possessionem definitivam post elapsos 30 annos vel 100 a nativitate absentis, si jam a tribus annis nulla habita sit ejus notitia. Si tamen absens compareat, vel certum sit adhuc vivere, ipsi omnia ejus bona restituenda sunt. Ceterum temporanea bonorum possessio conceditur cum jure percipiendi fructus plus vel minus juxta proximitatem. *Cod. civ.*, art. 20 et seqq. — *C. A.* 270, 276; — *C. G.* 112; — *C. S.* 117; — *C. M.* 41; — *C. T.* 145.

594. Expositi: certum est graviter peccare parentes, qui sine justa causa, puta infamiæ, scandali, etc., prolem exponunt hospitali vel publicis locis: hoc Justinianus delictum vocat *a sensu humano alienum, et quod ne ab ullis quidem barbaris admitti credibile est.* — Expositus civili et canonico Jure ex magis communi sententia habetur ut legitimus; nam in dubio fit præsumptio pro favore prolis: neque delictum parentum est supponendum, nisi probetur; potuit enim ab illis exponi ob necessitatem. Attamen ex *Codice civili* (art. 262) pro eo tutoris officium suscipit Hospitium; filius vero poterit inquisitionem instituere ad inveniendam matrem; imo et patrem, si tamen vehementia adsint indicia juxta legis præscriptionem (*art.* 172 et seqq.). — *C. G.* 320, 361; — *C. S.* 242; — *C. P.* 173, 358; — *C. M.* 210, 392; — *C. F.* 76.

« La sua patria (ait Nasi, *Dei figli illegittimi e degli esposti*, c. III) è il luogo dove fu esposto; l'abbandono rompe tutti i vincoli co' suoi congiunti, e colla nazione a cui apparteneva, se straniero. Sono suoi tutti gli avanzi, tutti gli acquisti; non gli è proibito di aspirare a qualunque carica: può ricevere per testamento od altrimenti da suo padre o da sua madre; egli è principio di una famiglia legittima, di un' agnazione; vive sempre colla speranza di conoscere i suoi genitori e concorre per fine come i legittimi alla difesa della patria, in braccio alla quale fu abbandonato, e dalla medesima tutelato. » *V.* Ferraris; V. *Filius*, *Parentes*. — *Memorie Modonesi*, ser. 3ª, t. VI. — C. Cantù, *Storia universale*, lib. VIII. — De-Gerando, *Della pubblica beneficenza*. — Boccardo, *Dizionario dell'economia politica e del commercio;* V. *Esposti*.

Hac de re *Cod. civ.* habet: *Chiunque trovi un bambino è tenuto a farne la consegna all' Ufficiale dello stato civile, colle vesti e cogli altri oggetti ritrovati presso il medesimo, e a dichiarare tutte le altre circostanze del tempo e luogo in cui sarà stato ritrovato. Si stenderà della consegna un circostanziato processo verbale che enuncierà inoltre l'età apparente del bambino; il sesso, il nome che gli sarà dato e l'autorità civile a cui verrà consegnato. Questo processo verbale sarà inscritto sui registri* (art. 337). — *Quando un fanciullo sia stato consegnato ad un pubblico ospizio, la direzione di esso, per mezzo di uno de' suoi impiegati di ciò incaricato, deve trasmetterne la dichiarazione scritta, nei tre giorni successivi, all'Ufficio dello stato civile del comune in cui è stabilito l'ospizio indicante il giorno e l'ora in cui fu raccolto il fanciullo esposto, il sesso, l'età apparente e gli oggetti ritrovati presso il medesimo. L' amministrazione deve pure indicare all' Ufficiale dello stato civile il nome e cognome dato al fanciullo e il numero d' ordine in cui sarà iscritto* (art. 378). — *C. G.* 58; — *C. S.* 62; — *C P.* 319; — *C. M.* 352. — Quoad *adoptivos* vide dicenda Lib. III *De matrimonio*.

(M) Pag. 266.

595. Q. 2. *Si quis putet rem esse suam ex ignorantia culpabili, vel dubitet, poteritne iste præscribere?*

R. Ad 1: Vel *ignorantia* hæc est graviter culpabilis, vel leviter. Si 1, non potest præscribere; quia nemo ex propria culpa debet commodum reportare; si 2, videtur nobis probabilius cum Alasia præscribere posse; nam in Concilio Lateranensi IV non damnatur, nisi sola fides cum peccato mortali. Adde: si ignorantia leviter mala impediret præscriptionem, res esset innumeris scrupulis obnoxia; nam posset quilibet tunc illius suspicione agitari quotidie. *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 511.

R. Ad 2: Quod pertinet ad *dubium*, ut si quis anceps sit, an res sua sit necne, si illud oriatur initio possessionis, utique tollitur bona fides; quia eo stante, esse non poterat in possessore illi animo affectio, qua putaret rem esse suam. Si vero illud oriatur in decursu, tunc dubitans tenetur diligentiam adhibere ad veritatem inveniendam, ne imprudenter se periculo exponat alienum possidendi. Quod si adhibita diligentia, dubium perseveret, ex communi et probabiliori sententia potest rem illam sibi retinere; quia in dubio melior est conditio possidentis: unde stante tali dubio speculativo, formari potest laudato principio conscientia certa seu bona fides. Ita celebriores Theologi Habert, Anacletus, Billuart, Covarruvias, Croix, Gousset, Lessius,

Lugo, Navarrus, Sylvester, Sylvius aliique bene multi contra Sotum et alios.

596. Q. 2. *Potest præscribere dubitans de mala fide sui antecessoris?*

R. Si dubitet tantum, post adhibitam diligentiam ad veritatem dignoscendam, potest præscribere etiam in conscientia; quia mala fides in antecessore præsumi non debet: et nemo habendus malus, nisi probetur. Si vero certo sit de fide mala sui antecessoris, nullimode potest præscribere; et si rem non restituat, reus est furti. — An vero a præscriptione inchoanda impediatur, si ignoret malam fidem sui antecessoris, distinguendum est. Non impeditur, si ei succedat titulo particulari, v. g., legato vel contractu; quia ipse tunc non repræsentat personam defuncti; ideo ex se tantum incipit suam præscriptionem, qua completa in bona fide, potest utique rem retinere, etsi postea dignoscat antecessorem suum fuisse in mala fide. Impeditur autem, si succedat titulo universali; quia tunc sicuti succedit in onera, ita et in vitia defuncti, cujus personam sustinet. Hinc si res ab antecessore fuerit furto ablata, ejus successor universalis nequit in conscientia rem illam præscribere licet sit in bona fide (cum invincibiliter ignoret malam fidem antecessoris); ideoque statim ac id advertit, rem illam domino suo reddere debet, etsi a pluribus annis ipse bona fide eam retinuerit. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 511, etc.

Attamen Gousset cum aliis docet, quod in præscriptione 30 annorum neque successori universali mala fides antecessoris nocet; quia tunc omnes actiones præscribuntur: unde qui fundum titulo universali ab auctore malæ fidei accepit, illumque per 30 annos bona fide possidet credens esse suum, illius dominium acquirit in conscientia. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, III, l. n. 512.

597. Q 3. *Pietro è possessore di buona fede d' una cosa che non gli appartiene: egli la possiede come sua tutto il tempo richiesto per prescrivere. Paolo, suo figlio e suo erede presuntivo, conoscendo perfettamente che questa cosa non appartiene a Pietro, non l' ha avvertito per tema d' interrompere una prescrizione, onde sperava d' avvantaggiarsi un giorno. Pietro muore, e Paolo nella sua qualità d' erede universale raccoglie con la successione il fondo che il padre aveva prescritto. Può egli Paolo conservarlo senza ingiustizia?*

R. « Non ci ha dubbio, a nostro avviso, che egli possa conservarlo, non in virtù della prescrizione, perchè non è esso che ha prescritto; ma in virtù del suo titolo d'erede, che gli dà un diritto reale sopra tutti i beni da suo padre legittimamente acquistati. Egli ha peccato contro la carità non avvertendo nè suo padre nè la persona contro la quale correva la prescrizione; ma non ha peccato contro la giustizia. E il padre, divenuto padrone e proprietario del fondo che ha prescritto, ha potuto trasmetterlo a suo figlio, come avrebbe potuto trasmetterlo ad un estraneo, sia a titolo lucrativo, sia a titolo oneroso. Non si objetti la mala fede del figlio: essa non ha potuto viziare il possesso del padre, il quale era di buona fede; essa non ha per conseguenza potuto impedire la prescrizione. » *Gousset.* Hoc negant alii; vide Carrière, *De Justitia et Jure.*

598. Q. 4. *Un minore può in coscienza prescrivere con un possesso di buona fede?*

R. « Lo può, perchè la prescrizione decorre a merito di tutti coloro che, in buona fede, posseggono civilmente, con un titolo traslativo di proprietà reale o presunto. *Ma divenuto maggiore potrà egli conservare i beni che ha prescritto di buona fede, nel caso che il tutore fosse stato di mala fede?* Crediamo che egli possa conservarli poichè

ha in suo favore il titolo d'una prescrizione legittima: la mala fede del tutore non può nuocere ai diritti che il minore ha dalla legge. Se, durante la sua amministrazione, il tutore ha danneggiato un terzo, egli solo debbe starne pagatore » Gousset, *Teologia Morale*, n. 721.

599. Præscriptio quoad res Ecclesiæ: quoad res Ecclesiæ præscribendas ex legibus Romanis, confirmatis ab ipso Jure canonico, hæc notantur:

1. Pro immobilibus Ecclesiæ requiruntur 40 anni, et pro immobilibus Ecclesiæ Romanæ 100. An pro mobilibus requirantur item 40 anni, affirmant Anacletus, Hostiensis, Panormitanus, etc.; quia in textu non fit distinctio; alii negant æque probabiliter. Sede autem vacante, contra Ecclesiam non currit præscriptio.

2. Possidens Beneficium aut illius fructus per tres annos ex regula Cancellariæ, etsi titulus fuerit nullus, præscribit; modo non intercesserit intrusio aut simonia. (Liguori, *Ho. Ap.*, tr. x, n. 10.)

3. Dicunt Layman, Navarrus, Gobat, etc., posse præscribi numerum Missarum, ac circumstantias appositas in fundatione 20 aut saltem 40 annis. Sed verius id non admittitur; quia Tridentinum interdicit posse derogari illis oneribus; et Pius IV confirmans Concilium, declaravit irritum quidquid in posterum contra factum fuisse: in hacre magis attendi debet primæva fundatoris voluntas, quam quidquid in contrarium fuerit introductum. Et S. C. C. pluries declaravit Missarum onera, legata, eleemosynas, etc., nunquam præscribi neque contraria consuetudine immemorabili, ultimo 18 aug. 1845 (vide Vecchiotti, *Inst. canon.*, l. III, c. 4, § 53; et *Analecta Juris pontificii*, an. 1858). Dicit autem Croix, cum aliis communissime, clausulam Decreti irritantem ligare etiam ignorantes et in causis beneficialibus inficere titulum possessionis (Liguori, *Homo Ap.*, tr. xv, n. 74).

4. Etiam decimæ (et alia Ecclesiæ jura) possunt præscribi, si adhuc Prælatis necessaria maneant sustentationi; sed necessaria est bona fides et requiruntur 40 anni cum titulo: sine titulo requiritur tempus immemorabile (Liguori, *Homo Ap.*, tr. xx, n. 84).

Diximus: ex legibus Romanis a Jure canonico confirmatis; nam ex civili moderno Jure nulla habetur ratio bonorum Ecclesiæ. At civiles leges Ecclesiæ juribus derogare nequeunt; et certo decet ut aliquod privilegium bonis Dei cultui dicatis tribuatur.

(N) Pag. 278.

600. Monitum: Materia quæ ad contractus refertur vel ad restitutionem, ita est scitu necessaria, ut si in ea confessarii non sint bene versati, ipsos in multa offendicula incurrere oporteat: quare tyrones niti debent ut bene omnia addiscant.

Quoniam vero sententias nostras, ubi non facit *Codicis civilis* dispositio, desumpsimus ex doctrina s. Alphonsi, nostram defensionem adstruemus ipsiusmet verbis, qui scribit: « Testator Deum, cujus honorem et animarum salutem mihi proposui, quod quidquid scripserim, non ab aliquo impulsus, aut verbis aliquorum auctorum adductus, vel austeritati aut benignitati nimis adhærens ad hæc scribenda me induxi; sed in qualibet quæstione, prævio diuturno studio, curavi quidem veritatem investigare præcipue in iis, quæ ad praxim magis faciunt. Et propterea non solum diligenti trutina perpendere elaboravi rationes, quas Doctores classici tradunt, sed etiam plures doctos re-

centiores consulere non neglexi.... Siquidem non tanquam ovis (ut verbis utar rigoristarum) semitam scriptorum cæco ductu sectatus sum; sed operam dedi, ut veritatem assequerer, aut sententias quæ veritati magis accedunt, amplexarer.... Non prætermisi rigidæ sententiæ Auctores legere, præcipue Merbesium, Contensonium, Habert, Natalem Alexandrum, Juvenenium, Cabassutium, Tournely, Genetum, Petrocorensem, Concinam, etc., paratus a sententiis meis desciscere, si de veritate me convicissent. Sed quomodo me convincere poterant, dum videbam, quod ipsi (ut plurimum) magis conviciis, quam vi rationum, sententias suas suadere conantur? quomodo in omnibus adhærere potuissem iis, qui opiniones suas sæpius veriores et Evangelio conformiores prædicant, nonnisi quia sunt rigidiores? » *(Opus Mor.*, l. III, n 547.)

601. Diximus: *ubi non facit Codices civilis dispositio*, de qua quidem erit suis locis. Hic tantum notabimus quæ generatim statuit *Codex* in prœemio: *a) Lo stato la capacità delle persone ed i rapporti di famiglia sono regolati dalla legge della nazione, a cui esse appartengono*, (art. 6). *b) I beni mobili sono soggetti alla legge della nazione del proprietario, salve le contrarie disposizioni della legge del paese, nel quale si trovano. I beni immobili sono soggetti alle leggi del luogo dove sono situati* (art. 7). Attamen successiones reguntur legibus ditionis testatoris, ex art. 8. *c) La sostanza e gli effetti delle obbligazioni si reputano regolati dalla legge del luogo, in cui gli atti furono fatti; e se i contraenti stranieri appartengono ad una stessa nazione, dalla loro legge nazionale. È salva in ogni caso la dimostrazione di una diversa volontà* (art. 9). — *C. A.* 4, 34, 115; — *C. G.* 3; — *C. S.* 6; — *C. P.* 5; — *C. M.* 3; — *C. T.* 8. 602.

602. Q. 1. *An ad validum contractum sufficiant verba externa?*

R. Non est attendenda illorum paucorum doctrina, qui docent cum Sery ad validitatem contractus sufficere, ut quis consentiat in verba externa, etsi interius nolit contrahere. Contractus enim est conventio voluntatis; at conventio voluntatis sine ejus assensu nequit concipi: et consensus fictus non magis est consensus, quam homo pictus reapse sit homo. Neque inde sequitur omnes contractus dubios esse; nam libere contrahentes interius consentire solent; quod sufficit ad securitatem. Adde: nemo credere tenetur ei qui affirmat se interius non consensisse; et qui ficte consensit, tenetur partem deceptam indemnem facere, et vere consentire, si opus. *Alasia.*

603. Q 2. *An valeat contractus interno consensu initus, sed sine animo se obligandi?*

R. Alii cum Lessio affirmant; qui enim vere vult contrahere, vult omnia consectaria ejus, ut est obligatio. Alii cum Croix dicunt valere prout prævalet vel non prævalet volitio contractus. Verum qui sic contrahit, in probabiliori sententia ab omni obligatione immunis est, uti dicunt Sanchez, Salmanticenses, etc.; apposita enim conditio quæ contractus substantiæ adversatur, contractum ipsum invalidat; uti conditio, quæ adversatur substantiæ matrimonii, ipsum facit invalidum, licet adsit intentio contrahendi. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 709.

604. Q. 3. *Quid si contractui juramentum accedat?*

R. Si contractus sit Jure naturæ irritus, juramento non firmatur: juramentum sequitur naturam actus; sed actus invalidus est, ergo et juramentum. Idem communius dicunt cum Billuart, si contractus sit ipso facto irritus de Jure positivo; ratio quia lex irritans agit ex motivo boni communis: at repugnat illud, quod hoc motivo, boni nempe publici a legislatore constitutum est, jurandi facilitate posse subverti.

Quod extendunt etiam ad contractus rescindibiles, si rescindibilitas inducta sit ob bonum publicum: hinc non valent juramenta uxorum, minorum, etc., ad firmandos contractus, quos ex lege ipsi possunt rescindere; secus mali homines eos de facili ad illa inducerent.

Sed quid si lex civilis ideo invalidet contractus, quia juramento firmati sunt? Alii contendunt id obtinere etiam in conscientia, quia lex civilis lata est ob commune bonum; cum provideat et sanctitati juramenti, ne temere illud usurpetur; et majori contrahentium libertati, ne semper ob juramenti Religionem prohibeantur a contractus rescissione. Alii vero docent tales contractus, si aliud non obstet, vim semper habere in conscientia; quia juramentum per se nedum infirmet, imo robur addit.

605. Q. 4. *An sit aliqua regula, qua certo dignosci possit legem civilem, ratione publici boni, illico obligare etiam in conscientia, cum aliquid circa contractus decernit?*

R. 1: Princeps seu Respublica habet quidem jus de civium bonis etiam in conscientia disponendi, eorum nempe contractus validos, vel invalidos declarando, non tamen ad merum arbitrium, sed sola necessitate boni publici impellente; Princeps enim seu Respublica non est domina bonorum, sed tutor et vindex. Verum non modica difficultas est inter peritos discernere, quandonam revera lex Principis velit in conscientia firmitatem vel nullitatem ratione publici boni statuere; ideo magis, quia non semper utitur eadem verborum formula in suis expressionibus, neque semper satis constat de publico bono.

Sic aliquando lex directe, et absolute rerum dominium de uno in alium transfert, ut facit in usufructu legali et rerum inventione. Aliquando obligationem solvit, quam quis Jure naturæ contraxisset, ut evenit plerumque quoad minores. Aliquando tribuit jus repetendi quod jam alteri solutum est: sic interdicti habent jus repetendi amissum in ludo. Aliquando prohibet quidem contractum, sed non irritat, ut ludos vetitos: aliquando vero et prohibet et irritat, at post sententiam judicis, ut contractus metu ac dolo initos Aliquando denique, nulla facta mentione judicis sententiæ, et prohibet et irritat et impedit, ne quis rerum suarum dominium transferat in alium idque vel absolute vel relative. Sic impedit absolute omnes a testando quæcunque bona habeant, si nondum annum decimum octavum compleverint: et si compleverint, eos impedit relative, ne scilicet ad hæreditatem certas personas vocent, puta filium adulterinum, etc. His positis:

R. 2: Quando certo constat ex sensu obvio verborum, ex motivo legis, ex discussionibus ejus, ex praxi tribunalium et opinione peritorum, etc., legem civilem revera ob publicum bonum voluisse vel non voluisse transferre rerum dominium de uno in alium, certum est tunc ipsam civilem legem obligare in conscientia. Sic hodie nemo dubitat de validitate præscriptionis etiam pro foro conscientiæ ac de legitimo jure parentum in usumfructum bonorum filiorumfamilias.

E contrario si lex tribuat jus irritationis, quin irritet, nemo dubitat valere contractum quoadusque a judice scindatur: sic si in venditione intervenerit gravis læsio, venditio valida est; quia lex dat quidem jus rescindendi contractum, sed non ipso facto eum scindit. Idem est ordinarie, si verba legis sint tantum prohibitiva, non irritantia; nam multa facta tenent, quæ fieri prohibentur. Quod etiam valet, si lex fundata sit in præsumptione alicujus facti, quod non subsistat; nam præsumptio facti juxta omnes cedit veritati: sic lex statuit, judicialem depositionem semel actam, semper obtinere contra ipsum deponentem, nec revocari posse; at si illa depositio fundata fuerit in falsa alicujus

facti suppositione, tunc lex ejus revocationem admittit; quia præsumebatur factum, quod tamen non aderat. « Per es: Io era debitore di lire 100 a vostro zio; me ne chiedete il pagamento, e confesso in giudizio di essere debitore, perocchè io realmente credeva che foste erede del vostro zio, quale prossimo congiunto. Conoscendo dopo ciò non esser vero, potrò revocare la mia confessione. » *Cod. spieg.*

R. 3: Si supradictis regulis rite perpensis, de ipsius legis vi adhuc dubitetur, in hoc casu dicimus:

1. Ex ipsa naturali æquitate resolvendam esse controversiam. Hoc sensu ordinem ac modum a legi civili præstabilitum ad solvendum creditoribus casu, quo quis decoctus evadat, tuemur vel in ipso foro interno obligare; 2) interrogandum esse communem Theologorum sensum: sic hac ratione defendimus, legem deobligantem filiosfamilias a reddendo mutuo etiam in conscientia probabilius tenere; item legem quæ legitimam determinat in hæreditate, etc.; 3) cognoscendam esse quotidianam timoratorum praxim atque consuetudinem: sic dicimus dona manualia valide tribui, etiam non servatis a civili lege præscriptis solemnitatibus, quamvis generatim ipsa lex omnes donationes ita factas videatur prorsus irritare; 4) si hisce omnibus consideratis, vel ob discrepantiam auctorum vel ob rationes ex utraque parte momentosas, adhuc dubium sit, an lex decernat contractus nullitatem ratione publici boni an non, eo in casu dicimus potius esse jus possessoris, illius nempe qui rem controversiam jam sibi detinet; et hoc quidem rationi consentaneum est ex communi peritorum.

606. Q. 5. *In quo consistit damnorum compensatio, quæ fieri debet ob non impletum vel vitiosum contractum?*

R. Si obligatio contractus sit certa pecuniæ summa tradenda, si ea tradita non fuit, ex *Codice civili* compensatio consistit in solutione usurarum (vulgo *interessi)*, juxta taxam legis (quin teneatur creditor probare damna, quæ passus est); attamen salvis iis, quæ speciatim præscribuntur in commerciis, fidejussione et societate. Hæc autem solutio non debetur, nisi a die judicialis petitionis, nisi lex declaret usuras decurrere pleno jure. Porro casus in quibus ex legibus civilibus, usuræ debentur ipso jure sunt: 1) summa residua debita a tutore, rationibus redditis; 2) dos a die, quo fuit a promittentibus constituta: item dos restituenda a die soluti matrimonii; 3) summa promissa a socio societati; item summa quam solvit fidejussor; 4) anticipationes a mandatario factæ; 5) legatum a morte testatoris, si fructificet, vel factum sit titulo alimentorum; 6) quoties vendita res fructus producit, ab ipso die venditionis pleno jure debentur usuræ (vulgo *interessi)*. Art. 1223; — *C. G.* 1139; — *C. P.* 1112; — *C. M.* 1189; — *C. T.* 554.

Quæ civilis legis determinationes generatim loquendo locum habent probabilius etiam in conscientia (quin attendatur, an tale revera fuerit damnum), ut sic inter tot evenientes casus habeatur certa regula, et omnibus occurratur anxietatibus ex parte creditoris et fraudibus ex parte debitoris. Et potest occurrere casus in quo liceat excedere taxam legis, v. g. si debitor fraudulenter solvere renuat tempore debito, et inde creditor majus et certum patiatur damnum; tunc enim si non civilis lex, certe ratione conscientiæ debitor de tali damno tenetur.

Si vero materia contractus non sit pecunia, sed alia res, tunc si compensatio sit a partium conventione determinata, ipsi standum est. Secus compensanda sunt, interveniente dolo, omnia damna, quæ directe sequuntur ex contractus inexecutione vel vitio: dolo autem non interveniente, compensanda sunt tantum damna quæ prævisa sunt, aut po-

tuerunt prævideri tempore contractus; cum tunc nulla adsit culpa. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 704. — Carrière *De Contractibus*, n. 288.

Diximus 1: *Dolo non interveniente:* « P. e. vi vendo dei puntelli infraciditi che io però credeva tuttora buoni. La casa mal puntellata si sfascia e cade; non sarò tenuto che del valore dei puntelli, e non della perdita della casa. Se fossi un legnajuolo, la cosa procederebbe altrimenti, giacchè allora io avrei dovuto conoscere questo genere di cose, e vi ha per mia parte un'imperizia prossima alla colpa, *imperitia culpæ adnumeratur.* Che se in tal caso io fossi tenuto per la rovinata casa, non lo sarei però per la perdita dei mobili lasciativi dentro, non potendo io prevedere che contro l'uso si lasciassero mobili in una casa appuntellata. »

2: *Dolo interveniente:* « Per esempio, un negoziante mi vendette scientemente un cavallo affetto di malattia contagiosa, e gli altri miei cavalli ne furono tutti attaccati: se l'avesse ignorato, non mi dovrebbe che il prezzo del cavallo; ma avendolo saputo, mi dovrà non solo il prezzo del cavallo, ma ancora il prezzo di tutti gli altri, giacchè la perdita del cavallo è una immediata conseguenza del di lui dolo. Che se in seguito alla perdita dei miei cavalli, sono stato impedito di coltivare i miei beni, e non avendo perciò potuto adempiere alle contratte obbligazioni, mi si tolsero i beni, i danni ed interessi non si estendono sino a questo punto: doveva far coltivare i miei beni mediante sborso di danaro, e perciò le perdite che io feci non nascono immediatamente dal dolo del mio venditore, ma dalla mia negligenza e dal cattivo stato dei miei affari. » *Cod. civ. spieg.*

607. Q. 6. *An vita hominis possit esse objectum contractus, puta venditionis?*

R. Homo non potest esse venalis hoc sensu, quasi transferre possit in alium jus suæ vitæ ac necis; hoc enim est solius Dei. Poterit tamen vendere usum suæ vitæ ac suorum actuum etiam perpetuo, cum eorum sit dominus; et tunc habetur *servitus* proprie dicta, quæ definitur *vinculum perpetuum, quo homo se ligat alteri homini quoad operas suas illi præstandas sub datis conditionibus.* Servitus acquiritur non tantum *ratione delicti* seu justa condemnatione, quatenus si potest damnari ad mortem, multo magis poterit damnari ad servitutem; non tantum *jure belli*, et *facto nativitatis*, servi enim sunt qui a servis nascuntur sicut qui a divite dives, qui a rege rex, ut ita dicam nascitur; cum tales eos faciat illa specialis nativitatis circumstantia, ut commune est. Sed servitus potest etiam induci *pacto* seu voluntate propria; neque repugnat, ut quis v. g. renuntiet propriæ libertatis usui ad debita solvenda, ad inopiam levandam.

Ideo hæc servitus per se loquendo, et ubi est legaliter permissa, licita est, nec repugnat Jure naturæ. « Adunque (ad rem *Civ. Catt.*, t. I, ser. 6ª: *Il concetto morale della schiavitù*) riponete pure la schiavitù tra le più gravose miserie; ditela meritevole della più profonda commiserazione, ditela dannosa in economia, ditela arrischiata in politica, e di molti inconvenienti se volete, in morale; ma non ditela un reato in sè stessa. » Hinc Scriptura et Ecclesia in eo maxime sunt, ut servorum conditionem temperent, qui etsi civili conditione et statu inferiores, sunt tamen cum dominis pares in Baptismo et fratres in Christo, ab uno stipite descendentes, ad unum cœlum omnes similiter vocati.

« Allora quando un uomo si rende schiavo, non aliena la propria persona che è di sua natura inalienabile, ma l'uso delle proprie forze mettendole in mano di un padrone che giustamente le retribuisca.

Dunque da tale vendita non segue che il venditore cessi di esser uomo, e che il compratore distrugga la base di ogni diritto di proprietà. La persona dello schiavo mantiene intatti i suo diritti, e l'offensore, se sfugge i colpi della giustizia terrena, è sottoposto a quelli del Creatore. » Neque perpetuitas servitutis eam malam facere potest; duratio enim actus naturam non immutat; unde si non repugnat ut quis operas suas locat ad tempus, neque repugnare debet, quod id faciat toto vitæ suæ. « Lo schiavo, concedendo l'uso delle sue forze, ritiene intatto ciò che è proprio del suo *esser uomo:* 1) serba intero il diritto della vita; quindi se il padrone lo uccide commette un omicidio; se lo ferisce od offende comechessia, perpetra una iniquità non altrimenti che se avesse usato cotesti modi con persona libera; 2) serba il diritto della propria fama; dunque offeso in essa ha il diritto a conveniente riparazione; 3) serba quello a' beni spirituali; dunque non può essere impedito dal procacciarseli con mezzi ordinati dalla Religione; 4) quindi se egli da svergognato padrone è incitato a mal fare, se viene crudelmente malmenato, può fuggirsene. La natura gravemente oltraggiata, gli dà tutto il diritto di vendicarsi a libertà, e per giunta di ristorarsi de' danni sofferti coi beni del padrone; 5) lo schiavo è tenuto ad obbedire nelle opere estrinseche da eseguirsi mercè la forza del corpo, ma non in ciò che spetta alla natura del corpo; ora il contrarre matrimonio a questa si riferisce, dunque ne serba il diritto. » *Civ. Catt.* cit. — *V.* d. Thomas, 2, 2, q. 104, a. 5. — Lessius, *De Justit. et Jure.* — Sanchez, *De Matrim.*, l. VII. — Lugo, Gury, etc.

Diximus: *per se loquendo et ubi servitus est legaliter permissa;* obstare enim possunt, ut plurimum obstant, peculiares circumstantiæ, sic v. g. potest servus revendi, at quin separetur conjux a conjuge; si enim servis non est interdictum matrimonium, ita neque illius usus. Item est si leges id non permittant, prout reapse in tota civili Europa servitus vetita est (quoad nos vide Lex lata mense augusti 1853; *Cod. maritimus*, art. 104, 335; — *Cod. civ.*, art. 1628; — *C. A.* 1151, 1172; — *C. G.* 1779; — *C. S.* 1625; — *C. P.* 1689; — *C. M.* 1701). Item non sustinetur servitus, si homo non sponte, sed vi in servitutem redigatur; unde omnino illicitum est et omni jure vetitum Nigritarum commercium, qui injuste libertate privantur et turmatim uti vilia pecora a regionibus suis transvehuntur et venduntur, ut adhuc fit in horrendo commercio quæ vulgo nuncupatur *la tratta dei Negri.* Contra hanc inumanem negotiationem fortiter semper surrexeruut peculiaribus Constitutionibus Romani Pontifices Eugenius IV, Pius II, Sixtus IV, Paulus III, Urbanus VIII, Benedictus XIV; tandem Gregorius XVI, qui Constit. *In supremo*, 3 dec. anno 1830, hoc commercium aperte declaravit: *Christiano nomine prorsus indignum*, et simul districte prohibuit, *ne quis ecclesiasticus aut laicus illud... veluti licitum sub quovis obtutu aut quæsito colore tueri, aut aliter publice vel privatim docere præsumat.* — V. *Cattolico di Lugano*, Giornale, vol. XVII. — Biot, *Sull'abolizione della schiavitù.* — Audisio, *Jus nat. et gent.*, l. II, t. XVI. — Roberti, *Lettera sopra il trattamento dei Negri.* — *Annali Religiosi*, vol. I. — Balmes, *Il Protestantismo* ecc., capp. XVI et XXXI. — Molina, Bergier, Bonald, De-Maistre, etc.

Huc mire facit *Pia Opera del riscatto dei fanciulli e delle fanciulle more*, studiosa charitate sac. Olivieri genuensis († 1864) cujus memoria in benedictione est. — V. *Civ. Catt*, ser. 2ª, vol. II: *La schiavitù in America;* vol. VII: *La redenzione delle morette.* Ser. 4ª, vol. V: *I popoli non si vendono; I popoli mercanzia.* Ser. 6ª, vol. II: *La schiavitù degli Indiani combattuta dalla Chiesa.* — Angelini, *La schiavitù e la Chiesa.* Roma, 1862. It. vide dicenda *De charitate.*

(O) Pag. 283.

608. An *opus pravum* pretio dignum sit, si in pactum sit deductum, inter affirmantem et negantem, alii tertiam addunt sententiam, quæ distinguit inter actionem, quæ abstrahendo a peccato vere pretio digna est, ut est subministratio carnis die prohibito, et inter eam quæ hanc abstractionem non patitur: cum peccatum sit ipsa actio substantialis, a qua nullimode potest separari, ut esset occisio hominis. Pretium tribuunt in primo casu, non in secundo.

Nos nulla distinctione facta, id semper tuemur licitum. Neque dicas, actionem peccaminosam nullo pretio dignam esse: nullo quidem pretio est digna *ut talis;* sed digna est, si consideretur *ut temporaliter* laboriosa vel ignominiosa vel periculosa præstanti illam; pretium enim et actio tunc secum una conveniunt saltem in genere rei temporalis. Et quamvis ignominia illa sive periculum nullo pretio compensari possit, et ante pactum nihil compensare tenèaris, cum sint res diversi ordinis; posito tamen contractu et præstita ab altero actione peccaminosa, teneris promissum solvere, non jam ad compensandum damnum alterius, sed ad implendam obligationem naturalem. Et item est de mulieris honestæ usu, qui cum pretio sit inæstimabilis: sine injustitia poterit illa pro eo quamplurimum accipere. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 808 et 712.

Verum acriter pugnant contra hanc sententiam Gousset et Frassinetti. Primus habet: « Ci sembra, che ripugni ai buoni costumi l'essere ammesso a ripetere il premio del proprio delitto; ciò sarebbe un rendere ardito il libertinaggio ed autorizzare il disordine, riconoscendo che si può fare assegnamento sopra l'esecuzione di una promessa illecita, e acquistare, commettendo il delitto, il diritto di riclamare il salario in qualunque modo lo si riguardi. » *(Theol. Mor.*, t. I, n. 653). Secundus scribit: « Si hujusmodi fœditates pretio forent dignæ, qui has perageret, posset juste ditescere quantum vellet exigendo pro calumniis, etc. pretium: quæ omnia videntur a christianorum sensu nimis abhorrere... Confessarius possetne pati, ut mulier post criminis sui Confessionem amasium per se vel per procuratorem adiret pecuniam exigendo in præmium suæ fœditalis? Quis confessarius auderet dicere mulieri: nunc pœnitere, ut parcat tibi Deus, et postea repete a tuo amasio justum pretium tui peccati nondum solutum? » *(Compendio della Theol.*, note 33, 67, 71, 75). Est tamen contra commune.

(P) Pag. 284.

609. Prova per iscritto: « La voce *atto* ha un duplice significato: si applica al *fatto* della convenzione stipulata fra le parti ed alla prova del fatto. Ond' è che l'*atto* che fanno le parti contraendo si comprova mediante uno scritto che si denomina pure *atto.*

» La prova per iscritto risulta da atto pubblico, o da scrittura privata. Molti sono gli atti per la validità dei quali la legge esige lo scritto; anzi per alcuni richiede l'*atto autentico*, detto anche *atto pubblico;* per altri l'*atto notarile;* per altri soltanto la *scrittura privata autenticata nelle firme;* e per altri invece si limita a richiedere la *scrittura privata* quando risulti la data certa....

» L'*atto autentico* (dal greco *autentheó* aver autorità) che si denomina anche *atto pubblico* è quello che fu ricevuto da pubblico officiale autorizzato ad attribuirgli la pubblica fede nel luogo, in cui fu steso e colle solennità prescritte. Sono di quattro specie: *legislativi, giudiziari, amministrativi* e *notarili.*

» 1° L'*atto notarile* è quello che è ricevuto da alcuni officiali pubblici conosciuti sotto il nome di notai colle solennità prescritte dalle leggi...

» 2° L'*atto per iscrittura privata autenticata* è quello che non è ricevuto da pubblico funzionario, e che quindi è eretto fra privati; ma in cui la sottoscrizione delle parti è autenticata da un notajo, o è accertata giudizialmente.

» 3° L'*atto avente data certa* è quello in cui la data apposta vi risulta autenticata ossia giustificata da un'autorità o da un pubblico officiale, come per esempio una scrittura privata stata registrata.

» 4° L'*atto per iscrittura privata* è quello che non è rivestito dalle formalità necessarie ad attribuirgli il carattere di autenticità. » — *V.* Carabelli, *Pratica del Cod. civile*, pag. 352, ubi ordinatim omnes conventiones indicantur et actus quibus conficiendæ sunt.

Nota: Quoad *scripturas privatas:* « Il *novello Codice* ad esempio di altri, non dà più valore alle croci, note, o sottosegni delle parti, esigendo la sottoscrizione alla scrittura, di loro pugno, e per tutte lettere; la sola che si possa riconoscere se vera o no, e che porga guarentigia contro gli inganni e le frodi... È nulla per incapacità dello scrivente la quitanza apposta da un cieco sotto una scrittura privata stata redatta da altrui mano. » Cattaneo, *Il Cod. civ. annotato*, ad art. 1320.

(Q) Pag. 300.

610. *Quid si res nullum habeat pretium determinatum in humano commercio, uti gemmæ quædam, aves indicæ, veteres picturæ, statuæ, libri rari, antiqui et similia? vendine tanti poterunt, quanti quis sibi voluerit? Idem quæritur de cantu, saltatione et abusu mulieris.*

R. Res extraordinariæ, non necessariæ ad communem convictum, possunt vendi quanti plurimi, ut docent Diana, Serra, Sotus, etc.; quia cum non sint taxatæ, illud pretium putatur justum, quod convenitur inter partes: hoc recte vocant probabile Salmanticenses. Verum nos probabilius negandum putamus cum Bouvier, Gury, Continuatore Tournely, Lessio, Lugo aliisque; quia tametsi pretium talium rerum magnam recipiat latitudinem, æquum semper est, ut habeat quandam taxam arbitrio prudentum; cuilibet enim rei sua est æstimatio.

Attamen in his sicut et in aliis venditionibus, quando ex utraque parte bona existat fides, communiter pœnitentes non sunt inquietandi, nisi ex fundato indicio appareat veram extitisse injustitiam. Sic quotidie veteres libri in se optimi vili pretio venduntur, qui si novi, licet non meliores, quadruplo pluris venderentur; at nemo suspicatur aliquam ibi esse injustitiam, quia sic inter homines receptum est. Idem dicendum de illis qui emendo bibliothecam, v. g. defuncti sacerdotis, libros novos sicuti alios tenui pretio emunt; ex communi enim æstimatione et consuetudine libri tunc vilescunt.

Qui autem res minoris pretii in se asportant in regiones ubi maximi æstimantur, v. g., cultellos vel specula ad Indos, eas pretio ibi recepto vendere possunt: quia pretium hujusmodi objectorum communi hominum ibi commorantium æstimatione determinatur: hoc vero pretium

excedere injustum esset. Qui inter res communes invenit rem, quam scientia privata novit pretiosam; v. g., herbam medicinalem inter herbas communes, illam cum ceteris vili pretio emere potest, si sit in loco ubi valor iste a nemine æstimatur; et etiam probabilius, licet in eodem loco plures rei valorem æstimare valeant, quia ex usu et destinatione res illa censetur amisisse pretium: sic in praxi Billuart, etc., Dens, Vernier, contra Collet. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 808.

(R) Pag. 314.

611. Cedole, Boni, Cassa di risparmio, etc. Hic notamus licitum esse: 1) emere syngraphas seu census annuos in gubernio fundatos *(Rendite dello Stato, Obbligazioni, Cartelle, Cedole, Boni del Tesoro)*, pretio currenti (vulgo *al corso della Borsa)*; nam venduntur et emuntur, ut merces ordinariæ: et pretium eorum crescit aut decrescit juxta communem hominum æstimationem judicantium majus vel minus in iis esse periculum. Quod pariter dicendum de actionibus, quæ emuntur a nummulario publico *(Biglietti di Banca);* 2) negotiari actiones, quæ constituuntur in viis ferreis, in ephemeride, in operibus industrialibus, etc.; illæ enim actiones sunt jus ad emolumenta sperata, ideo pretio æstimabiles, ideo subjecta venditionis et emptionis; 3) facere pecuniæ collocationem (vulgo *Casse di risparmio);* societates enim, quibus committuntur illæ pecuniæ, vendunt collocantibus jus ad pensionem annuam redimibilem, et quandoque etiam jus ad emolumenta indeterminata partienda; est ergo vera venditio et empio census, et Sacra Pœnitentiaria hac de re interrogata, 25 febr. anno 1836, respondit: *ut jam alias, nihil obstare.* An autem hæc liceant ecclesiasticis vide L. I, n. 585: *Negotiatio.* Sed distinctio ibi notata Vecchiotti minus congruit S. C. decreto, et Const. *Apostolicæ* Benedicti XIV, re melius considerata.

612. Census redemptio: hæc notanda ex *Codice*, art. 1784: *Il riscatto della rendita semplice si opera mediante il rimborso del capitale in danaro pagato per la costituzione della medesima, ed il riscatto di una rendita fondiaria, mediante il pagamento di un capitale in danaro corrispondente all'annua rendita sulla base dell'interesse legale, od al valore della stessa rendita, se è in derrate, sulla base del prezzo medio di questa negli ultimi dieci anni, semprecchè non sia stato fissato nell'atto un capitale inferiore. In questo caso il debitore è liberato dall'annua rendita col pagamento del capitale fissato.* — Lex autem Civ. 24 jan. 1864 statuit art. 1: *I beni immobili e quelli considerati per legge come tali, che siano gravati da canoni enfiteutici, livelli, censi, decime, legati pii ed altre simili prestazioni annue perpeute sì redimibili che irredimibili, a favore del demanio, o di qualunque altra amministrazione dello Stato, di stabilimenti pubblici, corporazioni, istituti, comunità ed altri corpi morali di mano morta, potranno dai rispettivi possessori o debitori essere liberati dall'annua prestazione, mediante cessione a favore del demanio o dello stabilimento di mano morta creditore, di un' annua rendita iscritta sul Gran Libro del debito pubblico al 5 per 100 eguale all'ammontare dell'annua prestazione;* et sub aliis conditionibus in eademLege sta tutis; it. *vide* Lex transitoria, 30 nov. 1865, art. 30.

(R) Pag. 314.

613. Conditiones ex Bulla Piana ad censum: — Hæ sunt præcipuæ: 1) ut res, in qua constituitur census, sit immobilis, frugifera et certis finibus nominatim designata; 2) ut census fiat in numerata pecunia et publico instrumento; 3) ut non solvatur anticipate; 4) ut nulla conventio fiat obligans ad casus fortuitos; 5) ut nullum sit pactum auferens, vel restringens facultatem alienandi rem censui suppositam: quæ si sit vendenda, dominus census est præferendus et per mensem expectandum, an velit uti optione. Item nulla sunt pacta adversus morosum census debitorem: item pacta novi census: item pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem non pertinet; 6) ut re pereunte et census pereat, vel pro rata, prout res perit; 7) ut censitor non possit pretium repetere: et contra possit censuarius semper redimere censum, facta denuntiatione per bimestre ante; 8) ut pretium semel constitutum neque minuatur, neque augeatur.

Quæ omnia tum ad inducendam contractus æqualitatem, tum ad avertendam usuræ suspicionem constituta sunt. Ubi notandum: 1) quod si pacta in censu repugnent illius substantiæ, census nullus evadit; nisi clausula sit, contractum intelligi semper constitutum ad formam Bullæ Pianæ (tunc pacta habentur uti non apposita, si non sint executioni mandata); 2) quod hæc Bulla quoad omnia apud omnes non viget: alibi enim ea usum non habuit, ut in Sicilia, Hispania, Belgio, Germania, Gallia; imo ex Tournely, neque Romæ; alibi vero abiit in desuetudinem, et hoc evenisse dicunt regno Sabaudiæ (ubi olim erat in suo pleno vigore), ex quo nempe, nemine reclamante, *Albertinus Codex* illi contrarius per tot annos inductus est; cui etiam est conformis *Codex novissimus* Victorii Emanuelis. (Hanc Bullam ex nostris illustravit Borellus; item *Pratica legale* ecc., 1.)

614. Casus: Landulfus ex credito quem tenet erga Rusticum decem mille libellarum emit jus percipiendi quotannis ex illius molendino ac vinea libellas mille. Hoc tamen pacto, ut Rusticus non solum super vineam et molendinum, sed etiam super omnia sua bona obligationem suam firmet; item ut Zambonium pro fidejussore exhibeat, expensas instrumenti solvat; ac tandem ut non possit per 20 annos rescindere contractum; postea vero si velit solvat eandem specie monetam quam accepit et totam una vice, non vero successive per partes. Sed quid? molendinum fuit ex parte ab incendio consumptum, at denuo refectum; vinea autem a flumine paullatim corrosa, tandem tota devorata fuit. *Quid resolvendum?*

R. Contractus quem vult inire Landulfus, census est: est enim census *jus percipiendi certum annuum reditum super rebus alienis fructiferis, mediante certa pecuniæ solutione.* Hoc porro agit Landulfus; emit enim partem usufructus molendini, et vineæ Rustici, censum super illis constituendo; ita ut totum dominium directum tum molendini tum vineæ maneat apud Rusticum; dominium vero utile seu jus usufructus ex parte vendatur Landulfo (Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 839). Casum ex Piana Bulla et ex antiqua nostra lege resolventes dicimus:

a) Non subsistit census utpote a Landulfo fundatus ex credito præcendente; nam ex Pio V pretium solvi debet in pecunia tunc integre numerata (vel intra tres vel quatuor dies a contractu, ut habet *reg.*

Instr., 1733). Excipe nisi agatur de dotis assignatione, vel tradatur cedula bancharia. Item census non subsistit ex eo etiam, quia ejus pretium annuum excedit legis determinationem; lex enim apud nos primitus illud reducebat ad quatuor; postea vero ad sex in centum extendi potest Encyclica *Secret. Intern.* 10 jan. 1806); at Landulfus exigere contendit decem pro quolibet centenario.

b) Census ille censetur constitutus super molendino tantum et vinea; et alii fundi intelliguntur adjecti ex abundantia ad facilitatem census exactionis et majorem solutionis census securitatem; ita ut particula *super*, prout respicit bona generatim obligata non operetur aliquod jus reale; sed simplicem hypothecam. *Decisio Senat.* 27 *aug.* 1658.

c) Pactum prohibens debitorem a rescissione contractus, censum infirmat ex Bulla Piana. Item dic de pacto solvendi onera, nempe instrumenti expensas (prout apud nos antiquitus per varias Senatus decisiones declaratum est); etenim solvendo expensas, non perciperetur integrum pretium. Excipe nisi habeatur ratio hujus pacti in pretio designando; vel nisi contraria consuetudo obtinuerit, quam quidem invaluisse variis in locis testantur Quare non esset inquietandus qui dictas expensas prout fert usus, solvendas imponeret censuario; et hac de re proferunt etiam rescriptum S. C. paucis ab hinc annis datum.

d) Re autem in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte effecta, ad ratam perit census ex Bulla; ideo census super vinea penitus devorata, penitus remanet extinctus. At non quoad molendinum; quia cum potuerit restaurari et refici in eodem loco, et non perierint ejus substantialia, ut sunt area, ædificium, cursus aquæ, quæ singulis etiam annis reficiuntur, sustinetur census. Neque quoad vineam potest Landulfus compellere fidejussorem Zambonium; fidejussio in censu id tantum importat, ut res censui supposita debeat esse tuta et ab omnibus anterioribus obligationibus secura et libera; non autem, ut emptor possit cogere fidejussorem ad solvendum censum, quod ex re non percipitur; quia tunc ad duriorem causam teneretur quam ipse principalis. V. *Pratica legale*, t. I, par. 2ª.

e) Tandem quoad pactum circa redemptionem respondemus cum Fedeli: Si æquale sit incrementi et decrementi periculum, licite venditor obligatur, ut eadem censum redimat moneta; tunc est contractus aleæ: et sicut commoda est emptori in redemptione talis pecunia aurea vel argentea; ita fuit utilis venditori in venditione sive ad adsportationem sive ad negotiationem (cavendum tamen a fraude). Licet duo Pontifices Martinus V et Callistus III statuerint, ut venditor posset vel in totum vel in partem censum redimere, s. Pius V in sua Constitutione istius clausulæ non meminit: quod argumento est, noluisse hunc Pontificem talem conditionem subsistere. Ex alia parte, si Jus naturale spectetur, æquum est, ut sicuti emptor totam integram summam simul numeravit, ita totam simul recipiat. Accedit quod hæc redemptio per partes incommoda sit emptori et perniciosa: quæ opinio communis est ex Concina. — *V.* Alasia, *De Censu;* — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 848.

615. De nonnullis Titulis in mutuo.

Q. 1. *An liceat in mutuo exigere sex et amplius pro quolibet centenario, juxta reditum syngrapharum* (Cartelle)?

R. Generatim et per se non licet sine usuræ piaculo, id est si id constituatur tanquam regula; regula enim generalis et ordinaria est,

ut non liceat in mutuo plus exigere quam lex permittit, id ex sex supra centum quoad mercatores, quinque pro aliis. In casu tamen speciali quo quis jam sit determinatus collocare pecuniam suam in syngraphis ut plus accipiat, an tunc possit a privato tantundem exigere qui ipsum rogat ut sibi mutuo pecuniam tribuat, sunt qui negant, quia illud majus lucrum non est concessum nisi favore commercii; porro mutuans in commercio pecuniam non reponit. Verum alii plures affirmant, nempe ratione damni emergentis et titulo lucri cessantis; nemo enim tenetur pretio minori mutuum dare, cum possit legitime ex alio negotio majus lucrum sibi facere, ut currit de præsenti casu; attamen ratio habenda est decrementi et incrementi ipsarum syngrapharum, quod continuo patiuntur in commercio.

616. *Potestne* (quæres) *mutuator aliquid exigere etiam cum absque ullo incommodo valet pecuniam aliam negotiationi substituere?*

R. Affirmant probabiliter Layman, Lessius, Lugo et alii; quia vere tunc mutuatio est causa, ut mutuanti cesset lucrum ex pecunia illa speratum. Nec tenetur in gratiam mutuatarii pecuniam negotiationi haud destinatam negotiationi exponere. Hoc tamen non videtur admittendum, nisi mutuator vere animum habeat pecuniam reservatam negotiationi minime substituendi per aliam, quam possidet.

617. Q. 2. *Quid si damnum emergens, et lucrum cessans sint incerta, vel tantummodo probabiliter adfutura?*

R. Commune est cum Navarro, Salmanticentibus, Sylvio aliisque, adhuc aliquid exigi posse supra sortem; caute servata proportione inter timorem damni vel spem lucri, et auctarium quod in hypotesi acciperetur. Ratio quia debita æqualitas jam inde servatur; nam sicut damno non eveniente, lucraretur mutuator; ita contra eo eveniente, lucraretur mutuatarius. Nec refert, quod damnum prævisum non accidat; etenim pactum de auctario non fit pro damno, sed pro periculo ejusdem quod actu supponitur, et est prætio æstimabile. Res explicabitur exemplo piscatoris, qui vendit jactum retis: iste non vendit quidem pisces qui forte nulli capientur; sed vendit spem eorum probabilem, quæ actu existit, et est pretio æstimabilis.

Ob eandem rationem probabile videtur mutuatorem, qui non jam certo, sed probabiliter tantum erat pecuniam mutuo datam destinaturus ad negotiationem, posse aliquid exigere pro rata illius probabilitatis. Neque dicas, posse igitur exigi etiam ob possibilitatem applicandi pecuniam illam ad negotiationem; nam possibilitas differt a probabilitate: illa non aliud est, quam mera potentia passiva, sive non repugnantia applicationis, seu quid negativum; hæc est fundamentum alicujus spei, quæ si actu existit, est pretio æstimabilis.

618. Q. 2. *Quibusnam licet percipere* 6 *per* 100 *ratione commercii?*

R. Licet mercatoribus ex civili lege: porro mercatores dicuntur ii qui res cujusvis generis habitualiter seu ex statu vitæ emunt, ut easdem vendant. Hinc non sunt mercatores qui reditus annuos prædiorum suorum vendunt, nec qui paucis vicibus data occasione emunt res aliquas postea vendendas. At non requiritur ad statum mercatoris, ut literas publicas gubernii obtinuerint. Hoc posito dicimus:

1. Licet mercatoribus exigere 6 pro 100 pecuniam ab aliis mercatoribus mutuantibus, quia de commercio agitur. Item licet mercatoribus, etsi mutuent non mercatoribus hoc auctarium exigere, quia lex favere commercio intendit; favet autem hoc mercatoribus permittendo. An vero liceat non mercatoribus 6 pro 100 exigere a mercatoribus communius negant, quia hoc non favet commercio nec mercatoribus, cum plus solvere debeant. Sed plures affirmant tum ex verbis legis

generalibus, tum quia lex sic intellecta adhuc favet commercio; sic enim facilius mercatores pecuniam mutuo accipient.

2. Mercator quilibet videtur quod possit exigere 6 supra 100 pro omni pecunia quam mutuo tradit, etsi illam non habeat in commercio collocatam: lex enim non distinguit. Si aliter esset, variis difficultatibus et perplexitatibus res obnoxia foret; et sane non apparet quod ad hoc in praxi attendatur. *Gury.*

619. Nota 1: Pœnitentes ex plerisque imo fere omnibus responsionibus S. C. semper parati esse debent se submittere judicio S. Sedis. Verum non sunt necessario interrogandi a confessario, saltem generatim loquendo de tali dispositione; tum quia id non exigitur in præfatis responsis: tum quia confessarius præsumere debet pœnitentem utpote bonum catholicum in tali dispositione versari, nisi de contrario constet. Episcopi *Bouvier* et *Devie*. — *V.* Lib. IV, tom. IV, *Append.* quoad libertatem usurarum a civili lege permissam.

Nota 2: Non est damnandus de injustitia lucrum perceptum ex pecunia mutuata etiam aliquando pauperi, si non patiatur gravem necessitatem, quique non temere sperat se ex mutuata pecunia adeo divitem evasurum, ut sortem cum moderato auctario facile restituere possit; tunc non urget ratio gratuite mutuandi et ita praxis habet.

620. Q. 4. *Quid in dubio, an mutuatarius dederit gratis, necne?*

R. Poterit mutuans datum sibi retinere, si bona fide acceperit, et dubium postea supervenerit; quia melior est conditio possidentis. Secus vero si acceperit cum ipso dubio; quia tunc nequibat inchoare possessionem rei alienæ, maxime cum in dubio mutuatarius regulariter præsumi debeat dedisse coacte; difficiliter enim homines solent sua gratis elargiri. Ceterum in foro externo qui usuras persolvit non conventas, nequit amplius easdem sibi repetere. *Codex civ.*, art. 1830; *C. A.* 993; — *C. G.* 1905; — *C. S.* 1777; — *C. P.* 1608; — *C. M.* 1718, 1722 et seqq.

621. Casus: Libanius mercator inveniens egregiam occasionem magnum percipiendi lucrum, si quasdam merces opportune emat et vendat, sed carens necessaria pecunia, sponte offert Paterno 8 pro 100, si aureos sibi mutuo dare velit. Accepta pecunia, Libanius 20 pro 100 mille lucratur. Quær. *An liceat auctarium majus accipere ex mutuo pecuniæ quando mutuatarius lucrum notabile est certo percepturus?*

R. Negat sententia communis, quia nullus titulus huic auctario favet. Sunt tamen qui id non damnant in casu particulari ubi, de certo et notabili emolumento agatur, quia de Jure naturali qui tibi offert medium notabile lucrum percipiendi, illud tecum dividere potest. Deficiente alio titulo, adest saltem libera et plena mutuatarii condonatio, qui nulla necessitate, ut supponitur præmitur. Ita Kenrick: *consensus* (inquit) *vitium tituli sanat.* — *V.* Gury, *Casus*, t. I, n. 905.

622. Usura mentalis: si usura sit *pure mentalis*, nihil restituendum est, cum nihil sit receptum; sed sufficit se pœnitere ob malam voluntatem. Si vero usura sit *mentalis*, resolve:

1) Si usura mentalis se habet ex parte utriusque, ita ut mutuans lucrum accipiat tanquam pretium mutui, et mutuatarius ut tale etiam persolvat, certe lucrum restituendum est, nam non adest titulus legitimus retinendi, ut supponimus; 2) si usura mentalis est ex parte solius mutuatarii, quatenus iste dat lucrum uti pretium, et mutuator accipit bona fide ut gratis datum, hic non tenetur restituere ex injusta acceptione, sed tantum ex re accepta, quando noverit mutuatarium non gratis præstitisse; 3) si usura mentalis est ex parte solius mutuantis, quatenus mutuatarius dederit gratis et mutuans receperit

uti pretium, tunc cum noverit ipsum liberaliter donasse datum retinere potest; sed culpandus ob suam malam conscientiam. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 761.

623. Montes Pietatis: Montes Pietatis definiri possunt: *cumulus pecuniarium ad id collectus, ut pauperes, dato pignore, ex illis mutuo gratis accipiant ad tempus, quæ sibi sunt necessaria;* et ideo *pietatis* dici solent, cum pium sit pauperum necessitati providere. Aliquando, consentiente tamen S. Sede, aliquod auctarium exigitur: sed non vi mutui ad ditescendum, bene vero ratione expensarum ad alendos ministros aliaque onera sustinenda; et ideo si Mons sit valde dives, nihil est percipiendum. Ita S. C. C. penes Benedictum XIV, *De Syn.*, l. x, c. 5; it. *Notificatio* LXIX. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 765; — Ferraris; V. *Montes Pietatis, Mutuum;* — *Analecta Juris pontificii*, anno 1859; — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, t. II, ubi plura ad rem.

Montes Perusiæ primo (anno 1450) erectos, opera franciscani *Barnabæ*, approbavit Lateranense V sub Leone X (1517); et Tridentinum eos Episcoporum curæ ac visitationi commisit. Dicunt aliqui pauperibus tantum ex illis mutuum dari posse, cum ideo tantum sint constituti; sunt tamen qui hanc ponunt exceptionem, nisi Mons adeo abundans sit, ut sine pauperum damno ceteris etiam satisfieri possit. Notandum autem: si mutuum non restituatur suo tempore, pignus sub hasta vendatur, ac retento pretio, quod Monti debetur, reliquum restituatur domino pignoris (si ille inveniri poterit), vel pauperibus, vel cedat eidem etiam Monti si pauper sit. — *V.* Tridentinum, sess. XXII, c. 8 *de R.* — Audin, *Storia di Leone X*, vol. II: *I Monti di Pietà.* — *Acta apud S. Sedem*, t. IV, pag. 27.

« Avviene (ait hic Frassinetti, *Compendio* ecc., nota 74) che alcuno avendo un peculio che non sa negoziare altrimenti, ed anche insufficiente al negozio, s'industria a vivere con piccoli imprestiti che fa ai poveri, i quali frequentemente sono obbligati a domandarli al Monte di Pietà. Riceve egli i pegni che riceverebbe il Monte e si contenta di un lucro minore di quello che esiga il Monte stesso. Per tal modo egli è preferito; e i poveri invece di averne danno, ne hanno vero vantaggio. *Il confessore potrebbe vietare questi imprestiti al suo penitente?* Osservando che il suo penitente con tal mezzo ha modo di poter vivere, che i poveri ne hanno piuttosto alleviamento, e che d'altra parte, come dice il Lessio, ciò che è lecito al Monte dev'essere lecito per sè anche al privato, non pare che il confessore possa negare l'assoluzione a chi vivesse di tali prestiti. — *Se poi tali imprestiti privati fossero proibiti dalla legge civile, potrebbe il confessore dare l'assoluzione ugualmente?* Se il penitente reputasse la legge puramente penale, o in qualunque altro modo si trovasse in buona fede, sarebbe da lasciarvelo, dovendosi prevedere che assai difficilmente si potrebbe persuadere in contrario, e che anche più difficilmente si adatterebbe di rinunziare a quel mezzo di sua sussistenza. » Hactenus ille.

Ex Benedicto XIV ipsi Monti non permittitur sine venia Apostolicæ Sedis aliquid vel minimum ultra sortem exigere; verum ad cohonestandum lucrum si moderatum, potest hodie proferri titulus legis a S. Sede non improbatus.

624. Pactum in mutuo: tunc pactum in mutuo est usurarium, cum est pretio æstimabile; nam tunc onus et gravamen importat. Hinc usurarius est qui mutua alteri, ut sibi patrocinetur vel suam domum locet; quia mutuario onus imponitur, quod a natura mutui non est, et quod ipse uti supponitur, non debet præstare. Non est vero usura-

rius qui exigit rem jam debitam ex justitia, nempe ut desistat a privata vindicta, ab injusta vexatione; nihil enim novi oneris imponit. Item si exigat quod pecunia non appretiatur, uti est benevolentia, amicitia; modo tamen hac ratione aliquod in pactum non deducatur: secus jam esset debitum et onerosum, ut si in pactum deducatur quod mutuanti aliquod officium conferatur grati animi ergo. Hinc sub n. 42 damnata est ab Innocentio XI hæc propositio : *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur... ex benevolentia et gratitudine debitum; sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum:* ubi notandum est cum Viva, quod damnatio cadit in verba *et gratitudine debitum;* neque enim mutuatarius obligandus est ad satisfaciendum hoc vel illo modo obligationi gratitudinis, cum possit aliis modis; ideoque onus imponitur. Attamen per hoc non est prohibitum benevolentiam expectare; etenim ex quolibet beneficio ea jam per se et sui natura sequitur: ita ferme Angelicus (2, 2, q. 78, a. 2; n. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 779.

625. Q. 1. *Mutuanti licetne aliquid supra sortem exigere, si obliget se ad sortem brevi non repetendam?*

R. Communiter negant; quia hoc est intrinsece inhærens mutuo: idque videtur declarasse Alexander VII damnando hanc sub n. 42 propositionem: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Attamen non videtur aliqua probabilitate donari sententia Sporer, Medinæ et Henriquez, qui docent licere aliquid supra sortem exigere pro obligatione de non repetenda sorte, nisi post *multum tempus*, v. g., post tres vel quatuor annos. Ajunt enim: etsi in mutuo sit jam per se obligatio illa expectandi restitutionem sortis per aliquod temporis spatium, non est tamen obligatio eam expectandi per *multum tempus.* Addunt: cum mutuans suscepit in se obligationem expectandi sortis restitutionem per tempus extraordinarium, et iccirco aliquid accipit supra sortem, non accipit ratione commoditatis, qua privatur; sed ratione oneris peculiaris et extra ordinem, quod est pretio æstimabile. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 767, 774.

Propositio autem damnata ab Alexandro VII per verba generalia, quibus concipitur, complectitur expectationem temporis cujuscunque, etiam illam, quæ mutuo intrinseca est, unde potest explicari; non enim dicit *usque ad longum tempus;* sed *usque ad certum tempus.*

626. Q. 2. *Quid de pacto, ut restituatur res mutuata in eadem specie et qualitate, si ea augenda sit vel minuenda tempore restitutionis?*

R. Si dubium est, utrum res tempore restitutionis augenda sit, an minuenda, licitum erit pactum, quia in tali dubio æqualis est contrahentium conditio, ac induit naturam sortis. Si certo prævidetur tempore restitutionis pluris esse valitura, dicimus mutuatorem pacisci non posse, ut restitutio fiat in eadem qualitate, tempore quo pluris est valitura; non enim salvaretur æqualitas. Quod si prudenter prævideatur tempore restitutionis valitura minoris, poterit mutuator pacisci de majori mensura sibi restituenda, quanta sufficiat ad seipsum servandum indemnem, nisi decrevisset illam servare usque ad tempus, quo prævidet minoris valituram, quod supponi vix potest.

Juverit autem hic referre quæ a lege civili sancita sunt circa mutui restitutionem, maxime pro casu quo nullum fuerit initum pactum inter contrahentes: quæ quidem communiter admittunt etiam in conscientia, cum æquitati sint consona, et statuta sint ad publicum bonum. Vel igitur mutuo datæ sunt virgæ metallicæ aut aliæ res fungibiles a pecunia distinctæ, ut vinum, triticum; vel ipsa pecunia.

Si 1, sive res pretio crescant sive decrescant, non est restituendum,

nisi tantundem ejusdem quantitatis et qualitatis; nam in his rebus plus entitas physica attenditur, quam valor earum exstrinsecus: unde reddi debet una libra butyri pro una libra butyri [1], nulla habita ratione, quod pretium variatum sit, si tamen adhuc res sit in commercio. Quod si rem in natura non habeat mutuatarius, tenetur solvere illius valorem, habita ratione temporis et loci, ubi juxta conventionem restituenda erat res mutuata [2]: et si conventio nulla sit inita, solutio fit juxta valorem, qui obtinebat eo in loco ac eo tempore, quo res fuit mutuo data. — Si 2, satis est, ut idem valor extrinsecus detur, etsi moneta quæ tradita fuit, interim creverit, vel decreverit [3]; nam ubi de pecunia numerata agitur, magis valor extrinsecus attenditur, quam entitas physica; et revera objectum contractus non est ipsa aurea moneta ut talis, sed ejus valor: hinc illud, *in pecunia non corpora quis cogitat, sed quantitatem.* Excipitur tamen casus, quo sint mutuo dati nummi aurei vel argentei, et conventum sit de aliis in eadem specie et quantitate reddentis: tunc conventio servanda est; quod si haberi nequeat vel sint extra usum, vel intrinsecus eorum valor fuerit immutatus, tunc tantundem erit dandum juxta bonitatem insitam nummis quo tempore fuerunt dati. Unde si mutuo data sint 10 ducata argentea talis anni, 10 ducata argentea talis anni reddenda sunt, si talis fuerit conventio *(art.* 1821; — *C. A.* 985; — *C. G.* 1821; — *C. S.* 1767; — *C. P.* 1980; — *C. M.* 1711; — *C. T.* 1014).

627. Charta-moneta: nummus papiraceus (vulgo, *carta-moneta)* tenet locum veræ monetæ (ex legis præscripto, nisi fiat manifesta injustitia), quæcunque sit ejus qualitas, sive ænea, sive argentea sive aurea: unde quodcunque mutuum in eo potest restitui, non obstante contraria stipulatione. Sane cum hæc charta causa supremæ ac publicæ utilitatis excogitata sit, si cuiquam fas esse illam refutare, non satis bono reipublicæ esset provisum. Unde illam exhibens illud Plauti usurpare potest: *agite, inspicite, aurum est;* sed etiam quisque facile potest respondere: *profecto aurum est, sed comicum. (V.* Carrière, *De Contractibus*, n. 407.) Si quis vere vult, ut restitutio in auro proprie dicto (si mutuo aurum dedit) fiat, id unum suggerunt, ut stipulatio sit, quod restituantur tot nummi talis anni, talis regis; vel melius ut tribuantur tot unciæ auri; vel ut restitutio fiat in extera regione, ubi nummus papiraceus nullum habet valorem (si sit res inter mercatores sine fraudis suspicione fieri potest); vel etiam statui potest, ut si solutio fiat in nummis papiraceis, aliquid amplius solvantur, habita ratione damni.

Qui chartas nummarias currenti pretio emerit et easdem postea vendiderit lucrum faciendo, non lucratur contra justitiam (item dicendum, si cum auro ipsas permutet et lucretur); si absit fraus et monopolium, sed ratio habeatur communis æstimationis *(al bollettino della*

[1] « Vi ho prestato 100 bottiglie di vino di Bordò; siete obbligato di restituirmi 100 bottiglie di vino di Bordò; vi ho prestato 100 misure di frumento, siete tenuto di restituirmi la stessa quantità di frumento, e della qualità di quello che vi ho consegnato. »

[2] « Per *esempio:* Sempronio mutuò a Cajo 200 bottiglie di vino di Marsalla ch'erasi obbligato di restituire a Parigi fra mesi sei. Se, trascorso questo termine, Cajo non è in potere di restituirle, sarà tenuto a restituire il valore delle 200 bottiglie, giusta il valore che avevano a Parigi all'epoca in cui dovea farsene la restituzione. »

[3] « Per *esempio:* Voi mi avete prestato 10 monete d'oro da 20 franchi, il che forma una somma di 200 franchi: in appresso una legge attribuisce a queste monete il valore di 22 franchi. Sarò io obbligato a restituirvi le dieci monete che m'avete consegnate? no (intellige, præclusa conventione): sono obbligato soltanto di restituirvi una somma di franchi 200, perchè non le specie monetate, ma il valore che esse rappresentano, forma la materia del prestito.

Borsa); valor enim illorum modo augetur modo decrescit, ut merces ordinariæ, et syngraphæ status, vel saltem ut chirographa periculosa in platea publice exposita. Ita Bouvier, *De Contractibus,* a. 2.

628. Usuræ usurarum: prohibitæ sunt *usuræ usurarum:* nempe usuræ debitæ, si non solvantur, non ideo ex se induunt naturam sortis, ut istæ usuræ et alias usuras producant. Neque suffragatur pactum, si quod initum sit [1]; hoc enim lucrum communiter uti turpe habetur, cum repugnet dari accessionem accessionis. Excipiunt tamen (etiam in conscientia ob rei ipsius æquitatem): 1) si usuræ revera naturam sortis sumant: ut est si priori aliud debitum substituatur specie diversum [2]; vel si persona debitoris aut creditoris mutetur [3]; 2) si agatur de pensionibus (vulgo, *rendite scadute),* quæ debitæ sint inquilinis a conductoribus; vel de fructibus *(frutti maturati)* debitis causa census aut vitalitii: usuras enim producunt a die judicialis postulationis aut factæ conventionis; tunc enim non considerantur ut quid accessorii, sed censentur induere naturam debiti principalis; 3) si agatur de aliquo tertio, qui alicui creditori, debitoris ipsius nomine, usuras aut debitos fructus dependerit [4]. Tales exceptiones a lege civili inductas admittunt etiam in conscientia, quia æquitati sunt consonæ, ut dictum est.

Attamen lex civilis non obtineret in conscientia, si permitteret cuique usuras usurarum pacisci et exigere pro libitu, ut enim id licitum sit, requiritur tum ut usuræ usurarum sint juxta æquam legis ipsius determinationem; tum in judicio prudentum revera censeantur induere naturam capitalis. V. *Append.* XXXII, Lib IV, ubi plura *de mutuo et usura.*

(T) Pag. 357.

629 Ludere precibus: non est illicitum ludere precibus sacris applicandis pro victore; quia malum quidem est adhibere spiritualia propter profana: non vero adhibere profana propter spiritualia, prout probat bonorum usus; esset enim potius se obligare sub conditione ludi. Si tamen unus luderet pecunia, alter precibus, hoc utique esset simonia. *V.* Liguori, *Op. Mor.,* l. III, n. 882.

630. Cogere ad ludum: si cogens ad ludendum propria peritia alterum valde superabat, non potest cogens retinere quod lucratus

» *Vi ho imprestato in addietro lire* 100 *di Milano; posso io ora pretendere in coscienza, che me li restituiate in tariffa, secondo il prescritto e la riduzione della odierna legge civile? Il ragguaglio legale porterebbe per lire* 100 *di Milano lire* 70 *e cent.* 75 *di Piemonte, quando nel corso ordinario basterebbero circa franchi* 67. R. La determinazione del valore delle monete essendo d'interesse pubblico, la legge civile ha il diritto di stabilirla; e però, secondo i più, in rigore ben io posso con coscienza appellare alla tariffa vigente, quando non vi sia stato patto in contrario nè frode. »

[1] Usura usurarum in jure dicitur etiam *usura composita:* et suo nomine *anatocismus,* a græco *ana,* supra, et *tocos,* usura.

[2] « Se Sempronia creditrice verso Mevio di franchi 3,000 di capitale e di 300 d'interessi, si costituisce in dote questa somma di 3,300, il debitore non più della somma di 3,000 cogli interessi di 300, ma di una dote di 3,300 dee gli interessi »

[3] « Per *esempio:* Se io dovendo a Tizio la somma capitale di franchi 1,200, cedessi un mio credito verso Cajo di 1,000 di capitale, e 200 d'interessi. Se Cajo rendesi moroso al pagamento, dovrà pagare gli interessi di tutta la somma. »

[4] « Tizio si rende fidejussore per il prezzo di fitto d'una casa fatto da Mevio verso il proprietario Cajo; Mevio rendendosi tardivo nel pagamento, Tizio fidejussore è costretto a pagare a di lui scarico. Nella restituzione che Mevio deve fare, si devono calcolare gli interessi del prezzo del fitto dal giorno del fatto pagamento. » *Cod. spieg.*

est; nam æquale non fuit periculum neque spes, sed tenetur illud restituere saltem juxta mensuram peritiæ, qua alteri præcellebat. Si valde non superabat adversarium, probabilius docent cogentem posse, per se loquendo, retinere lucrum a tali ludo reportatum; non enim coactio aut ludus, sed potius casus et diligentia cogentis fuit causa damni. Sane si cogens perderet, teneretur solvere, et alter posset solutum retinere; ergo a pari poterit retinere, si vincit. Præterea contractus ille, non obstante tali coactione, fuit satis utrinque voluntarius et validus juxta communem sententiam; ergo ex se effectum suum producere debet.

Diximus: *per se loquendo;* quia si metum passus petat restitutionem, metum incutiens restituere tenetur lucratum; nam metum passus potest pro suo arbitrio contractus rescissionem postulare. *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 880.

631. Sortitio privata (riffa, lotteria): « Le lotterie (ad rem Frassinetti, *Compendio*, nota 78) per sè sono lecite, purchè non v' intervengano frodi o non siavi eccesso nel lucro. Quando però sieno a favore di cause pie, si permette un lucro anche maggiore del giusto *(Gury*, t. I, n. 943); infatti quando sieno a pro di qualche opera di beneficenza o di religione hanno piuttosto ragion di sussidio limosiniero che di contratto, la qual cosa si sa da chiunque ci prende parte. Dove la legge regola le lotterie devono farsi giusta il prescritto della medesima; tuttavia potendosi credere che la legge su questa materia sia soltanto penale, quando si trovano penitenti, che tengano tali lotterie, anche a proprio vantaggio, i quali come si prevede non potrebbero indursi a credere che tali leggi possano obbligare in coscienza, il confessore dovrà lasciarli in buona fede. »

Quoad has sortitiones en legis civilis determinatio 10 febr. 1855: (art. 1): *È vietata ogni sorta di lotteria, qualunque denominazione le sia data... il regio lotto è per ora provvisoriamente mantenuto.* (Art. 2): *Sono eccettuate dalla proibizione le lotterie di oggetti mobili donati senza verun compenso dal proprietario ed aventi per unico scopo opere di pubblica beneficenza, nelle quali opere totalmente s'impieghi il ricavo brutto della lotteria. Queste lotterie dovanno essere dal governo specialmente autorizzate, e saranno rette da un regolamento da farsi per decreto reale.* Puniuntur autem inobedientes mulcta pecuniaria, proventuum confiscatione, et aliquando etiam carcere; provideant ergo illi quorum interest. Vide etiam *Reg. Decretum* 4 martii 1855.

632. Sortitio publica *(Lotto):* quoad sortitionem publicam (vulgo *regio lotto),* vide Petitti, *Del giuoco del lotto considerato ne' suoi effetti morali, politici ed economici*, Torino 1853: en hujus operis capita: *Il Monte di Pietà; La vigilia dell'estrazione; Il banco del giuoco; La sera della chiusa; L'estrazione; La vincita; Il giuocatore deluso; La famiglia del giuocatore; Il giuocatore in carcere.... allo spedale.... al manicomio; Il giuocatore suicida.* « Degno della più severa avvertenza (ait *cap.* VIII) è il contegno tenuto dai sommi Pontefici riguardo al lotto.... Custodi della morale evangelica, le decisioni loro su di essa fondate hanno per tale rispetto un ben maggior peso; perocchè *debbono a giusto titolo servir di norma ad ogni Stato che professi la cattolica credenza.* La Chiesa romana fu mai sempre molto sollecita nell'indirizzare co' più savi insegnamenti i popoli che ne dipendono, ai principii della morale cristiana, e le sue direzioni meritano a buon diritto quel rispetto e *adesione*, chè competono al Vicario di Cristo quaggiù. »

Et Diarium l'*Armonia* an. 1853, n. 63: « I sommi Pontefici, non si tosto cominciò a dilatarsi il giuoco del lotto nel secolo XV e XVI,

che lo proibirono ne' loro Stati (ut Alexander VII, Innocentius XI, XII, Clemens XI et maxime Benedictus XIII). Ma vedendo che l'ardore del giuoco invece di spegnersi s'infiammava e che i giuocatori correvano agli Stati vicini, in cui era aperto il giuoco; che parecchi milioni uscivano perciò dallo Stato senza alcun compenso ed irreparabilmente; che la proibizione non serviva che ad aumentar la colpa, revocarono le loro proibizioni » (uti Innocentius XIII, Clemens X et XII).

Iterum *Armonia*, an. 1863, n. 22: *Il Governo pontificio ed il giuoco del lotto:* « Volendo riparare a' danni materiali, dopo aver riparato gli spirituali, vollero restituire al popolo con una mano ciò che ne ricevevano col giuoco dall'altra. Quindi decretarono, che tutto il prodotto, fino ad un bajocco, fosse distribuito in elemosina. Per tal modo, più da padri che da principi, accondiscendono alla cieca frenesia del popolo, che ad ogni costo vuole riempiere gli scrigni del fisco, tornandogli a restituire ciò che pazzamente volle dare. Ma, e non sarebbe meglio non fomentare questa frenesia del popolo, ed abolire il giuoco? — Certo che sì; chi ne dubita? Ma per ciò fare bisogna, o che il popolo non esca più dallo Stato a giuocare, qualora il Pontefice abolisse il giuoco; ovvero che i principi, limitrofi particolarmente, aboliscano anch' essi il giuoco. Ora, nè l'uno nè l'altro sta nelle mani del Pontefice. Tocca a' detrattori del governo pontificio procurare o l'uno, o l'altro. »

In Libro, *Memorie di religione, di morale e di letteratura* (vol. v, p. 35) legitur « È ben difficile il vincere; indovinate nei novanta numeri del lotto quanti *ambi* ci sono; quattromila e cinque. Il vostro ambo pariglia contro quattromila e quattro; se in un'urna vi fossero quattromila palle nere ed una sola bianca, sperereste voi che mossa l'urna si estraesse la bianca? Che diremo poi dei *terni*, che sono centodiciassettemila e quattrocentottanta? Che delle *quaderne*, che sono due milioni cinquecentocinquantacinquemila e centonovanta? Che delle *cinquine*, che sono quarantatrè milioni, novecentoquarantanovemila e dugentosessant'otto? » — *V.* Terquem, *Nouveau Manuel complet d' Algèbre*, Paris, ubi hæc sortitio damnatur ut immoralis, irreligiosa, antisocialis, impolitica, etc.

(U) Pag. 369.

633. « Le Banche pubbliche sono luoghi, ove molti particolari riuniscono le loro ricchezze o per semplicemente custodirle, o per darle ad imprestito sopra un annuo profitto, o per contrattarle fra loro; acciocchè tutte queste operazioni combinate e riunite in un luogo solo, rispettato da tutti e meritevole di confidenza universale, si rendano più facili, più sicure e meno dispendiose a ciascuno in particolare. Esse sono in sostanza un modo di centralizzare il credito commerciale del paese per attivarne la circolazione; sono veri intermedi tra chi offre la sua ricchezza, che gli è soverchia, e chi la chiede, perchè ne ha bisogno. Una parte dei cittadini affida alla Banca sotto l'uno o l'altro titolo, il proprio danaro o il proprio credito. Se fra chi lo affida e chi lo concede v'è uguaglianza, se la Banca dà tanto danaro e tanto credito quanto danaro o quanto credito ha, non v'è allora pericolo nè pel commercio, nè per i particolari, nè per il paese. Per facilitare queste operazioni commerciali le Banche danno cedole o biglietti. Questi non sono carta monetata, ma sono veri titoli di credito verso la Banca che danno a chi li possede il diritto di riprendere o contrattare la somma enunziata nei viglietti a qualunque momento gli

piaccia di chiederla o contrattarla. Perchè ciò sia legalmente eseguito, le Banche non debbono rilasciare che tanti biglietti quanti ne possono effettualmente realizzare; cioè a dire quanta è la ricchezza reale che si trova affidata loro, nell'un modo o nell'altro, dai depositanti. Emettere i biglietti per somma maggiore della posseduta è pure un uso di alcuni Banchi e di alcuni paesi; ma uso forse non onesto, e certamente pericoloso: *non onesto* perchè colle cedole eccessive si assume un debito superiore alle proprie forze; *altamente pericoloso*, perchè si gitta così la diffidenza pubblica anche sopra quella parte di debito che si può pagare. Non è però necessario che questa ricchezza sia tutta attualmente rappresentata dalla moneta esistente nella cassa; perchè la ragione e l'esperienza mostrano che la parte maggiore dei biglietti rimane certamente nella circolazione.

» Ma qual è questa parte? sopra tal punto dissentono gli economisti nella teorica. La pratica però dei paesi più abituati al traffico e dei Banchi più onesti si è di ritenere sempre in cassa, a disposizione dei richiedenti, un terzo almeno della somma che le cedole rappresentano; e quindi rilasciare le cedole anche per minor somma che non sia tutta la proprietà loro, perchè possano essere pagate subito alla prima richiesta che se ne faccia. » *Civiltà Cattolica*, ser. 4ª, t. XI, pag. 604.

LIBER SECUNDUS

TRACTATUS SEPTIMUS

DE RESTITUTIONE.

Hactenus de Virtute Justitiæ: quid si ejusdem præcepta violari contigerit? quid si *meum* illud et *tuum* fuerit perturbatum? Justitia non amplius habetur, nisi res in pristino statu vel ad æqualitatem vel eo saltem meliori, quo poterit modo, reponantur. Id porro *restitutionis* vocabulo solet in Scholis indicari: *restitutio*, inquit Angelicus, *est reparatio inæqualitatis existentis in rebus* (2, 2, q. 62, a. 1). Hinc tractatum *De Justitia et Jure* sequitur hic alter, *De Restitutione.*

Ut autem omnium Virtutum moralium apta notio habeatur, addemus Appendicem de Justitiæ filiabus ac ceteris Virtutibus cardinalibus.

DISPUTATIO PRIMA

DE RESTITUTIONE IN GENERE.

634. Q. 1. *Quid est restitutio* [1]; *et an necessaria?*

R. Ad 1: Restitutio, quæ nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ, potest breviter definiri: *juris alieni redintegratio.* Communiter autem definiri consuevit: *actus justitiæ commutativæ, quo res accepta suo domino redditur, vel damnum injuste illatum compensatur.*

Dicitur: 1) *actus justitiæ commutativæ*, ut indicetur ex sola justitiæ commutativæ violatione oriri obligationem restitutionis; 2) *quo res accepta suo domino redditur:* unde supponimus rem, quæ redditur, jam antea propriam illius, cui redditur; 3) *vel damnum illatum compensatur;* quia damnum alicui inferre perinde est ac ejusdem jus violare, seu aliquid e rebus suis auferre; 4) *injuste;* nam si damnum fuisset illatum ob causam justam, v. g. ob justam vitæ propriæ defensionem, nulla esset obligatio compensationis. Item est, si quis in sui damnum plene consentiat, et valeat consentire; nam scienti et volenti nulla fit injuria.

1 Restitutio differt a *solutione*, quæ fit ad præcavendam injustitiam; a *satispassione*, quæ sustinetur ad obediendum justitiæ vindicativæ; a *satisfactione*, quæ datur ad personales offensas solvendas. Nam restitutio supponit violationem juris alieni. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 547 et seqq.

Nota: *si plene consentiat;* hinc qui crumenam dat latroni, adhuc patitur injuriam; non enim nisi repugnans consentit. *Si valeat consentire;* nonnunquam enim a lege impeditur: hinc minor libere consentiens in donatione suorum bonorum patitur injuriam; quia lex obstat, ne possit jus suum ex se cedere.

R. Ad 2: Restitutio vel in re vel in voto necessaria est ad animæ salutem iis, qui graviter aliorum jus læserunt. Hinc Ezechiel ait, quod tunc tantum vita vivet et non morietur impius, si *et agerit pœnitentiam a peccato suo feceritque judicium et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit* [1]. Et Apostolus: *reddite... omnibus debita* [2]. Vel ipsa natura clamat suum cuique tribuendum, et nemini faciendum quod nobis fieri nolumus.

Diximus: vel *in re* vel *in voto;* nam qui absolute nequit restitutionem peragere, excusatur quidem actu a restitutione *in re,* cum nemo teneatur ad impossibile; non tamen a restitutione *in voto,* id est a proposito restituendi cum primum poterit: secus ipse retineret adhuc affectionem malam ad rem alienam, et sic versaretur in peccato habituali: *non multum interest,* ait Lateranense Concilium sub Innocentio III, *quoad periculum animæ detinere injuste ac invadere alienum.* Quare d. Augustinus proferens ea notissima verba in Jure canonico relata [3], *Non remittitur peccatum, nisi restituatur oblatum,* addebat: *cum restitui potest* [4].

635. *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere,* ut habet d. Thomas [5]. Ideo semper urget, adeo ut qui non potest hic et hunc restituere, teneatur quod in se est facere, ut quam primum valeat; qui enim semper obligatur ad finem, semper etiam obligatur ad media. Hinc peccat qui impensas superfluas in ludo, in mensa, in habitu, in itineribus, in libris, in floribus, in canibus, in supellectili, in solatiis et similibus resecare non curat, ut debitis suis satisfaciat.

636. Q. 2. *Quænam vera restitutionis origo seu radix?*

R. 1: Restitutionis radix generalis atque remota non est, nisi violatio justitiæ commutativæ. Sane nulla est restituendi obligatio, nisi violetur jus strictum alterius; atqui jus strictum alterius non violatur, nisi per violationem ipsius justitiæ commutativæ. Quapropter læsio tam justitiæ legalis, quæ respicit jura legum et pœnas; quam justitiæ distributivæ, quæ respicit merita personarum, per se non

1 Cap. XXXIII.
2 Rom. XIII.
3 C. 1, *si res alien.*, caus. 14, q. 6
4 Ep. CLIV; alias LIV, c. 6.
5 2, 2, q. 62, a. 8.

obligat ad restitutionem: etsi peccaminosa, cum apud Dominum nulla sit distantia personarum [1].

Non 1) violatio *justitiæ legalis;* quia jus reipublicæ in subditos non est directe in eorum res vel operationes; sed in bonum commune, ad quod quisque obediendo concurrere debet. Non 2) violatio *justitiæ distributivæ;* quia ex Angelico, officia in societate primario instituta non sunt in præmium meritorum, sed in publicum bonum: unde jus, quod habent digni, est jus dignitatis in voluntate reipublicæ fundatum, non vero jus strictum fundatum in proprietate.

Diximus *per se;* nam per accidens etiam violando justitiam tum legalem tum distributivam, imo et vindicativam obligatio restituendi potest oriri, scilicet quando iis ob pactum explicitum vel implicitum justitia commutativa consociatur. Sic superior qui indigno atque reipublicæ noxio confert Beneficium, non violat quidem jus strictum dignioris, ideoque nihil debet ipsi restituire, quia illi superior non aufert quod illius est (Beneficium enim nonnisi per collationem fit suum); violat tamen jus strictum societatis, et damnum eidem infert, quod reparare tenetur: nam stricto jure tenetur detrimentum a societate avertere, cum ideo sit constitutus superior et stipendium accipiat [2]. Quod valet etiam de illo, qui deputatus est ad legata solvenda personis a testatore determinatis, quæ tamen aliis non vocatis distribuit; nam distributor ille, ait Lugo, non est superior habens distributionem bonorum, sed est quasi œconomus, ad quem pertinet colligere bona, et postea ea non tam distribuere, quam solvere singulis qui ex voluntate fundatoris habent jus strictum, utpote in ea conditione, quam testator posuit.

R. 2: Proxima radix et specialis duplex assignatur: 1) *res aliena inculpabiliter accepta,* cui adnectitur obligatio restituendi *ex contractu* vel *quasi-contractu;* 2) *res aliena culpabiliter accepta,* cui adnectitur obligatio restituendi, tum *ex injusta detentione,* quæ est virtualis ac quasi continuata acceptio; tum *ex injusta damnificatione.* Aliquem enim damnificare in rebus suis idem est ac aliquid ab eo subtrahere, licet talis subtractio sit ipsi subtrahenti prorsus inutilis.

Attamen plerique claritatis gratia assignant plures radices; sed omnes in duabus illis, nostra sententia continentur [3]. Nam tot sunt

[1] Deut. 1. — *V.* Carrière, *De Justitia,* nn. 1107 et seqq.

[2] Sic restituere tenetur magistratus vel judex, qui propter gravem negligentiam in puniendo causa est, cur privati vel communitas grave damnum patiantur; quia tunc non tantum est officii neglecti reus, sed etiam violati contractus, quo se implicite ad damna subditorum præcavenda obligavit. Si damnum sit datum privatis, ipsis privatis; si vero communitati, pauperibus ejus communitatis restituendum est.

[3] Sex nempe assignant: — 1) est res aliena existens in se vel in æquivalenti, sed sine culpa: puta si invenias inter tuas alienam gallinam; — 2) est injusta acceptio, ut si quid habeat ex furto; — 3) est injusta damnificatio; — 4) est contractus vel quasi-

radices proximæ restitutionis quot sunt primariæ species læsionis juris alterius; atqui duæ tantum sunt primariæ species læsionis juris alterius, scilicet *læsio materialis*, cui respondent obligatio ex re aliena inculpabiliter accepta, et *læsio formalis*, cui respondent obligatio ex re aliena accepta culpabiliter. Ipsa lex ac judicis sententia uni ex his innititur, cum aliquem ad restituendum adstringit; et hæc duplex radix tantum ab Angelico innuitur, qui notat rem unius haberi posse ab alio dupliciter: *vel per voluntatem ejus, ut in depositu; vel contra voluntatem ejus, ut in furto* [1].

637. Monitum: Confessarius in tanta opinionum circa præsentem materiam varietate, ne facilis sit ad obligandum suos pœnitentes ad restitutionem: *Si enim sciens confessarius urgeat* (ait Gury ex Bouvier) *obligationem restitutionis in casu, quo duplex datur opinio probabilis inter Theologos, urget injuste cum damno pœnitentis; sed ille qui est causa injusti damni, ad restitutionem tenetur* [2].

CAPUT PRIMUM

DE SUBJECTO RESTITUTIONIS.

Articulus I. — *De eo qui ad restitutionem tenetur.*

638. Q. 1. *Ad quid tenetur possessor bonæ fidei?*

R. Possessor bonæ fidei qui nempe accipit aut retinet rem alienam inculpabiliter, tenetur statim ac cognoscit rem non esse suam, illam domino reddere si adhuc retineat, et nisi eam legitime præscripserit; quia res semper clamat ad dominum, ac nemo debet cum alterius jactura locupletari. — Si vero rem non amplius retineat, distinguendum est: vel inde factus est ditior, puta quia eam cum alia re commutavit; vel non est factus ditior, puta quia eam consumpsit, quin ideo pepercerit rebus suis. Si non est factus ditior, ad nihil tenetur, quia alienum nec in se nec in æquivalenti possidet. Si vero ditior factus est, restituere tenetur in eo, in quo talis effectus est; quia in hoc æquivalenter retinet alienum. Hinc qui vestem alterius bona fide credens esse suam, portaverit et attriverit, si postea dominus compareat, tenetur eam restituere, et insuper solvere quantum attrita est, si aliam vestem æqualis valoris ipse bonæ fidei possessor attrivisset. Item qui apud amicum de re fur-

contractus: quidquid enim fit contra contractum vel quasi-contractum, fit contra justitiam commutativam; — 5) est justa lex, ut esset per se lex tributorum; — 6) est judicis sententia justa. — *V.* Ferraris; V. *Restitutio.*

[1] 2, 2, q. 62, a. 1 et 6. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 549.

[2] *V.* Gury, *Casus conscientiæ*, t. I, n. 70. — *V.* dicenda de *Pœnitentia*, ubi de defectibus a confessario corrigendis.

tiva cænavit, tantum domino restituere debet, quantum de propria cæna pepercit, si revera pepercit [1].

Hic tamen notandi sunt ex lege civili duo casus, qui æquitati sunt consoni, cum faveant humano commercio, bono publico ac possessionum tranquillitati: ideoque probabilius tenent etiam in conscientia, ut communius docent cum Bouvier, Carrière, Gousset, Gury, Vernier, etc. En primus: *Il possessore di buona fede fa suoi i frutti* (ergo non tantum industriales, verum et naturales, civiles ac mixtos, etiam qua parte sunt naturales; modo jam percepti sint, et acquisiti), *e non è tenuto a restituire, se non quelli che gli siano pervenuti dopo la domanda giudiziale* [2]. Ergo qui bona fide alienum fundum possidet, tenetur quidem fundum suo domino restituere, non vero fructus inde perceptos; hos non debet nisi a die judicialis petitionis a domino factæ. En secundus: *Se l'attuale possessore* (utique bonæ fidei) *della cosa sottratta o smarrita, l' ha comprata in una fiera o in un mercato, ovvero all'occasione di una vendita pubblica, o da un commerciante che faccia pubblico spaccio di tali oggetti, il proprietario non può ottenere la restituzione della cosa sua, se non rimborsando il possessore del prezzo che gli è costata* [3].

639. Q. 2. *An qui bona fide emit rem furtivam possit exigere a domino pretium solutum, ut illi rem restituat?*

R. Videtur affirmandum, si pretium solutum modicum sit, etiamsi non agatur de re empta in foro publico, vel ab eo qui res hujusmodi vendere solet; æquum enim non est, ut qui utiliter negotium domini gessit (rem subducendo e manibus furis), damnum exinde patiatur. Si autem pretium esset ferme æquale rei, non posset illud exigere; secus dominus emeret rem suam: tunc refundere sufficit ad arbitrium viri prudentis tantum quantum videtur meruisse emptor, rem domini utiliter a fure redimendo.

640. Q. 3. *Qui emit bona fide rem furtivam sine læsione justitiæ potestne illam iterum furi restituere, si videat quod nequeat alio modo pretium suum recuperare?*

R. Conveniunt: 1) quod non potest eam furi restituere, si dominus rem suam petat; dominus enim de Jure naturæ a quocunque et quocunque loco potest rem suam recuperare [4]; 2) quod e contrario po-

[1] In dubio, an sit factus ditior, et perseverante dubio, post diligentem inquisitionem, ad nihil tenetur; quia tunc possessio stat pro libertate. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 607 et 706. — Ferraris; V. *Possessor bonæ et malæ fidei.*

[2] *Cod. civ.*, art. 703; — *C. A.* 330; — *C. G.* 549; — *C. S.* 474; — *C. P.* 575; — *C. M.* 639.

[3] Art. 709; — *C. A.* 367; — *C. G.* 2280; — *C. S.* 2186; — *C. P.* 1409; — *C. M.* 2313. — « In questo caso fu di buona fede; doveva credere che la cosa apparteneva al mercante; e d'altronde se si avesse potuto spossessare il compratore senza rendergli il prezzo da lui pagato, nessuno più si sarebbe accostato al contratto; e ciò a danno funesto del commercio. » *Cod. spieg.*

[4] Firmatur ipso *Cod. civili*, art. 439; — *C. A.* 366, 378.

test furi eam restituere, si dominus ipse facile posset ab ipso fure rem suam habere; tunc dominus non esset rationabiliter invitus, siquidem nullum patitur damnum, et emptor suum recuperat pretium: est juxta axioma, *quod mihi prodest et tibi non obest, teneris permittere.* Extra hunc casum, utrum possit in conscientia emptor iterum rem furtivam reddere furi ad suum pretium recuperandum, duæ sententiæ: una cum s. Antonino, Lessio, Lugo, etc., affirmat; quia nullum damnum infertur domino, cum res in priori suo statu collocetur. Altera autem cum Laymano, Croix et Concina negat; nam negari haud potest, rem illam per emptionem e manu furis ablatam evasisse melioris conditionis: et ideo si iterum furi restituatur, fieri deterioris, quod est injustum; nemini sane licet vestem alterius in ignem mittere ut suam salvet. Aliunde res clamat ad dominum, non ad furem: idque *pœnali Codice* præcipitur sub pœna quadrupli *(art.* 689).

Secunda sententia negans est multum probabilis; sed etiam prima affirmans non est minus probabilis, imo forte probabilior, si eo in casu emptor constitutus sit, ut aliter nequeat pretium suum recuperare; nemo enim tenetur rem domino servare cum æquali suo damno: ideoque poterit permittere, ut fur rem a se venditam iterum recipiat, ne emptor pretium suum amittat [1]. Adde: cum quisque jus habeat ad bona sua recuperanda, nemini interdicitur actio illa, quæ per se est directa ad damnum proprium reparandum, licet tunc per accidens damnum alteri superveniat.

611. Q. 4. *An bonæ fidei possessor possit repetere impensas in aliena re a se factas?*

R. Impensæ aliæ sunt *necessariæ*, sine quibus res servari nequit; aliæ *utiles*, quæ rem meliorem reddunt; aliæ *voluptuariæ*, quæ rem exornant. Porro impensæ necessariæ a domino compensandæ sunt, si res erat infructifera; secus si fructus reddat, quia tunc possessor bonæ fidei sat compensatur ex perceptis fructibus. Impensas utiles debet proprietarius compensare pro valore incrementorum, quia revera pretio æstimabilia sunt. Idem æquitas postulat quoad impensas voluptuarias, saltem in quantum rei valorem augent, ne dominus de alieno ditescat: si tamen absque deterioratione possint auferri, ut sunt statuæ, imagines, dominus nihil refundere tenetur, quia possessor bonæ fidei eas auferre potest [2].

612. Q. 5. *Ad quid tenetur possessor dubiæ fidei?*

R. Dupliciter potest quis rem alienam possidere dubia fide: 1) si illam possidere incipiat jam dubitans sua ne sit, ut si emerit rem

[1] Neque obstat, quod res fiat hoc modo deterior; quia hic non habetur, nisi rescissio contractus; sed rescissio contractus huic emptori est directe licita et necessaria ad vitandum proprium damnum. Quod si inde damnum obveniat domino, id per accidens est; non enim emptor rem furi restituit, ut sibi eam retineat, sed ut rescindat contractum suum; prout si rem alienam in via inventam abstulisti, et postea scias damnum te passuram si eam retineas, bene potest in eodem loco illam reponere et permittere ut alter auferat, licet id faciendo res in deteriorem statum veniat. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 869.

[2] *Cod. civ.*, art. 705, 706; — *C. A.* 331, 332.

alienam dubitans, an sit venditoris; 2) si postquam illius possessionem adeptus sit bona fide putans esse suam, dubium superveniat.

Si agitur de primo casu, possessor sic agens peccat; quia evidenter se exponit periculo rem alienam sibimet usurpandi: ideoque majori vel minori diligentia pro majori vel minori rei ipsius valore tenetur inquirere dominum. Qui si compareat et multo probabilius existimet rem ad ipsum spectare, illi reddere debet; nam cum in dubio certam possessionem inchoare non potuerit, rei illius est, pro quo stat major veri probabilitas: si non compareat, in illa majori probabilitate, rem scilicet alterius esse, debet illam distribuere pauperibus ex præsumpta domini voluntate. — Si vero post adhibitam sufficientem diligentiam multo probabilius judicet rem esse suam, potest eam sibi retinere, paritate rationis. Quod si dubium remanet hinc inde æquale, res dividi debet inter utrumque juxta dubii rationem, ut docent probabilius Lugo, Lessius, Salmanticenses, etc.; nam par est utriusque conditio.

Si agatur de secundo casu, sententia communior et probabilior cum Croix, Laymano, Lugo, Roncaglia, Sanchez, Sporer et Viva docet, eum (dubio post diligentem inquisitionem perseverante) ad nihil teneri; sed ipsi moraliter constare debet rem esse alienam, ut restituere teneatur. Id autem probatur: 1) Jure canonico, ubi hæc habentur d. Augustini verba: *in jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum* [1]: atqui quandiu certo moraliter non constat rem esse alienam, tamdiu possessor ignorat se possidere alienum; 2) ratione: nam per possessionem bonæ fidei acquiritur verum jus, cum possessio a Juristis dicatur: *jus insistendi in re non prohibita possideri.* Ergo quandiu dominium rei est dubium, tamdiu possessor retinet jus insistendi in ipsa, ita ut ante diligentiam ad veritatis assecutionem adhibendam teneatur quidem rem servare; sed post diligentiam illam, veritate non obtenta, possit eandem consumere, imo et alienare, admonito tamen emptore de dubio adhuc vertente.

Idque tenet, etsi contra possessorem adsit ratio probabilis, et nulla in ejusdem favorem; quia adest semper pro eo præsumptio orta ab ipsa possessione, quæ secum importat jus certum.

Quid (dices) *si possessor iste, superveniente dubio, culpabiliter negligat adhibere diligentiam ad veritatem inveniendam, et postea eam non possit amplius invenire* [2]? Nonnulli putant possessorem mortaliter quidem

1 Can. *si virgo*, q. 1. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 35; l. III, n. 625.

2 Titius fundum possidet, sed interdum dubitat an ille fundus ad Sempronium pertineat; fac Titium negligere documentorum lectionem et interim fortuito incendio archivium conflagrare; tenetur ne Titius ad aliquid erga Sempronium? En casus.

peccasse omittendo illam diligentiam, sed ad nihil adhuc teneri: quia ex una parte damnum illatum semper dubium est; jus vero possessionis ex alia est certum. Attamen nos verius putamus, quod talis possessor et peccaverit et teneatur aliquid restituere ei, de quo dubium est, an sit verus dominus, sin autem pauperibus: cum enim iste culpabiliter dominum privaverit spe, quam habere poterat ad rem suam sibi comparandam, et ista spes sit pretio æstimabilis, jam damnum certo est eidem illatum [1].

643. Q. 6. *Ad quid tenetur possessor malæ fidei?*

R. Fur, vel quivis alius possessor malæ fidei, qui scilicet rem alienam accipit et retinet culpabiliter, tenetur domino reddere rem suam cum omnibus fructibus, nisi sint mere industriales. Item omne damnum emergens et lucrum cessans a die possessionis; quidquid uno verbo ex re percepit, vel potuisset percipere, si ut bonus paterfamilias ipsam administrasset. Secus illata injuria ex integro non repararetur. Hinc præstare etiam tenetur augmentum rei si talis natura sit, ut res illa crescat; nam res suo domino crescit [2].

Diximus tamen *nisi sint mere industriales;* nam omnes fructus industriæ sunt ei, qui industriam exercet. Hinc thesaurarii, quæstores, telonarii et alii similes, qui ex pecuniis alienis sibi commissis vel apud se depositis lucrum faciunt negotiando, cambiendo, ludendo, etc., hujusmodi lucrum restituere non tenentur. Peccant quidem contra fidelitatem et obedientiam, si hæc invito domino faciunt; sed non contra justitiam commutativam: ita Antoine, Bouvier, Gousset, etc. Item qui in pecunia alium fraudavit, tenetur quidem pecuniam restituere et damna si quæ alia obvenerunt, domino compensare; sed non tenetur illi in conscientia reddere pecuniæ usuras ab ipso perceptas (vulgo *interessi);* quia pecuniæ fructus sunt industriales: excipe nisi præsumatur quod ex illa pecunia fuisset dominus lucrum percepturus.

Possessor malæ fidei potest etiam deducere expensas tum necessarias tum utiles ad rem conservandam; sane dominus habet quidem jus, ut rem suam integram cum omnibus fructibus debitis obti-

[1] Non tamen esset facienda restitutio pro quantitate dubii, ita ut si rationes essent æquales ex utraque parte, res pro medietate sit restituenda, sed minus et forte valde minus, quia rei detentor est in conditione meliori ob jus possessionis.

[2] Ceterum (ad rem *Stapf*, § 152) ne in computandis infaustis consectariis exorbitemus, notare juvat, mala quæ alicui inferuntur, non ad inanes possibilitates extendenda, sed ita dimetienda esse, prout ex communi hominum æstimatione taxari solent. Sic ridiculum foret illi, qui alterius gallinam occidit, calculum proponere quot pulli ex hac gallina successu temporis nasci potuissent. » Si enim agitur de furto rei parvæ et valde communis, sufficit ex morali hominum judicio, ut illius valor restituatur, non enim dominus censetur aliud damnum passus, qui si velit, rem similem facillime habere potest. — *Cod. civ.*, art. 705, 706. — *C. A* 331, 332.

neat; non vero ut ex detrimento furis ditior evadat; nisi fur in pœnam ad expensas amittendas condemnatus fuerit a judice [1].

641. Q. 7. *Quid si res aliena ablata apud furem perierit?*

R. Si res ablata apud furem perierit, tenetur fur ad illius pretium, etsi perierit absque ulla ejus vel alterius culpa, sed casu fortuito; nam fur rem subducendo totum rei periculum in se suscipit. Excipe, in sententia communiter accepta, nisi etiam apud dominum res fuisset æque peritura; si enim pereat apud possessorem malæ fidei absque sua vel alterius culpa, et eodem tempore ac periculo fuisset pariter penes dominum certo peritura, v. g. in eodem incendio, tunc in foro interno possessor malæ fidei non tenebitur ad restitutionem. Quamvis enim furtum cum injuria commissum fuerit, non fuit tamen causa damni efficax et positiva; nam per subsequentem casum incendii verificatur, quod actio furis non erat vere damnosa, prout putabatur.

Ut tamen possessor malus seu fur liberetur *in foro interno* a restitutione, requiritur, ut res omnino pereat *sine sua culpa, et eodem tempore ac periculo, quo periisset penes dominum.* Esset si quis imminente naufragio, surripiat socio vas aureum, sed postea magis æstuante tempestate, omnes merces una cum vase ipso sublato undis absorbeantur.

Diximus: 1. *Sine sua culpa;* si enim ipse ante periculum rem consumpsit, vel ex negligentia culpabili eam perdidit, videtur excusari non posse a restitutione; quia obligatio tunc evasit personalis, ut communiter dicunt, etsi forsan res adhuc periisset.

2. *Eodem tempore ac periculo:* nam si cessante communi illo periculo, fur non restituat, et postea res pereat in alio periculo superveniente, videtur ad restitutionem teneri; quia non restituendo tempore debito fuit in mora culpabili. At probabiliter adhuc ipsum excusant, si secundum periculum fuerit æque commune; tunc non mora, sed periculum semper fuisset efficax causa damni.

3. *In foro interno:* nam in foro externo ad quodlibet fraudis periculum avertendum atque puniendam malam fidem, lege civili, quocunque tandem modo ac tempore res furtiva perierit, semper a judice obligatur ad restitutionem malæ fidei possessor *(art. 1298)* [3] *(A).*

642. Q. 8. *Quid si pretium quis accipiat pro re jam ab ipso debita* [0]?

R. Si res illa, pro qua quis pretium accipit, jam debita erat ex

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 618; — Ferraris; V. *Meliorumenta.*
2 *C. A.* 1448 et 1045; — *C. G.* 1302; — *C. S.* 1256; — *C. P.* 1283; — *C. T.* 661.
3 Hic non agitur de eo, quod datur ex mera liberalitate ad inclinandum accipientis, animum ad præstanda quæ debet sive ex justitia sive ex alia virtute: liberalis donatio est sufficiens titulus retinendi nisi lex obstet, ut cavet Tridentinum (sess. XXIV, c. 18) circa examinatores synodales, qui nihil omnino recipere possunt ab examinandis.

justitia, pretium pro ea acceptum restitui debet; quia alter jam habet jus, ut actio ponatur absque ulla pretii solutione: unde retinendi pretium illud nullus est titulus. Sic detractor, qui summam accepit, ut alterum non diffamaret: latro cui pecunia est tributa, ne alium spoliet, debent acceptum restituere. Sic etiam judex restituere debet quod accepit pro ferenda sententia justa: *Injustus est qui justitiam, quam debet gratis ex officio facere, non vult facere, nisi accepto munere*, ait s. Thomas [1].

Si res illa non erat debita ex justitia commutativa, sed alia virtute, tunc nulla debetur restitutio; nam qui pretium præbuit, acquisivit jus quod antea non habebat, et juri non stricto jus strictum superaddit. Hinc dives, qui videtur ex charitate teneri locare domum pauperculo gratis, non peccat contra justitiam, si pretium locationis exigat. Item qui ex charitate deberet curare infirmum pauperem, non violat justitiam, si ideo pretium exigat et retineat.

646. Q. 9. *Quid de ficto paupere, qui eleemosynas extorquet, puta si falso fingat se esse ægrotum, claudum etc,?*

R. Si eleemosyna parva sit, qualis ostiatim mendicantibus dari solet, ad nihil tenetur fictus pauper, ut ait Busembaum et Gury: hæc enim communiter censetur absolute data, licet peccent venialiter sic fingentes. Si vero eleemosyna sit notabilis (nisi excuset ignorantia), ficti pauperes graviter peccant et tenentur ad illam restituendam [2]; cum enim talis eleemosyna datur, semper subintelligitur: *si vere pauperes sint.* Unde ad rem Catechismus Romanus: *Furtum facere videntur qui fictis simulatisque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent, quorum eo gravius est peccatum, quod furtum mendacio cumulant* [3]. Porro restitutio juxta alios fieri debet donatori; sed juxta alios satis est si fiat veris pauperibus, cum donantes censeantur abdicasse dominium in favorem pauperum; nisi certo præsumatur illorum intentionem restringi ad personam illam aut casum illum specialem. *Dens.*

647. Hinc qui insimulando pensiones obtinent pauperibus tantum relictas, dum propriis expensis studere commode possunt, tenentur ad restitutionem; quia evidenter fraudant benefactorum voluntatem. Ad modum, quo tenerentur qui ob gravem culpam, puta ob pravos mores, indisciplinam, etc., se indignos redderent statu, ad quem gratuita educantur pensione. — Item qui nullum omnino clericandi animum haberent, si pensio qua fruuntur, ideo clericis manifeste relicta sit, ut ad Sacerdotium omnino tendant: hoc tamen dicendum non est, si talem ipsi animum primitus serio non excludentes, postea ma-

[1] Opusc. *De erud. Princip.*, l. IV, c. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 713.
[2] Aliter esset si tantum exaggerarent propriam paupertatem; ut solent ordinarie pauperes, et id supponunt donantes.
[3] *V.* Liguori, *Ho. Ap.*, tract. XIII, n. 44. — Carrière, *De Justitia*, n. 733.

turiori ætate et examine se vocatos non sentiant; cum satis fuerint in bona fide, neque velint benefactores, ut fiat clericus, qui maturiori consilio se non vocatum sentit: quod maxime currit ex Lyonnet de tyrunculis omnino junioribus, quorum immatura ætus solidæ deliberationis incapax est.

Nota: Potest quis alicui injuriam inferre: 1) immediate et per se ipsum, v. g. aliquid propriis manibus a proximo surripiendo; 2) mediate, atque per alios, v. g. alicui suadendo, ut aliquid a proximo surripiat.

§ I. — *De eo qui culpabiliter damnum infert immediate et directe.*

618. Q. 1. *Quænam culpa, seu potius quænam actio requiritur in damnificatore, ut teneatur restituere?*

R. Ut actio damnificatoris obligationem restitutionis inducat, de Jure naturæ requiritur, ut sit injusta, efficax causa damni et theologice culpabilis. *Injusta;* obligatio enim restitutionis necessario supponit jus strictum alterius violatum: jus autem strictum alterius violari nequit, nisi per actionem justitiæ commutativæ oppositam. *Efficax causa damni;* neque sane potest detrimentum actionis in aliquem conferri, nisi ejus actio causa fuerit detrimenti vera et efficax: existimatur autem quis causa vera et efficax, quando physice vel moraliter damnum illud determinat et causat. *Theologice culpabilis;* etenim dari non potest restituendi obligatio in foro conscientiæ, nisi in eodem foro injuria commissa sit: ideo qui bona fide fuit causa damni, de illo non tenetur si jam damnum consummatum est, nec damnificans factus sit ditior, et per ipsum amplius non stet ut damnificato restitutio fiat.

Quæ restitutionis obligatio debet culpæ theologicæ proportionari et damno; unde qui reus est furti gravis, tenetur sub gravi ad restitutionem: sub levi qui levis furti reus est. Hoc tamen ordinarie loquendo; nam aliquando ex culpa veniali ob parvitatem materiæ, potest oriri per accidens restitutionis obligatio gravis. Casus est in eo qui (non longo intervallo) furta multa committit, sed singula in se levia: ex furtulo complente materiam gravem oritur in fure obligatio restitutionis sub gravi (saltem illius ultimi furtuli), etiamsi illud patraverit non advertens ad furta præterita. Tunc enim gravitas obligationis non esset ex illa ultima acceptatione injusta, quæ utpote culpa tantum levis, non potest obligationem gravem inducere; sed ex tota simul, quæ quidem ex accessione illius ultimi furtuli evadit gravis [1].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 550; *Ho. Ap.*, tr. X, n. 40.

649. Q. 2. *An ex culpa juridica oriatur obligatio restitutionis?*

R. 1. Culpa duplex distinguitur, *theologica* et *juridica:* theologica sic dicitur, quia a Theologis pro foro conscientiæ spectatur, et est quæ verum continet peccatum, cum nempe quis advertentia ad culpam sufficienti damnum alteri infert. Juridica vero est omissio diligentiæ ab humanis legibus requisitæ, qua alterius damnum caveri potuit: hæc per se subsistit absque culpa theologica, ut cum quis ob ignorantiam vel inadvertentiam, quæ excusat coram Deo, damnum alicui infert; quod tamen absolute loquendo diligentiori cura caveri poterat.

Ipsa culpa juridica ab antiquis triplex distingui solet. *Lata*, et est omissio illius diligentiæ, quam homines ejusdem conditionis solent in talibus circumstantiis communiter adhibere: v. g., si quis librum sibi commodatum relinquat absque ulla custodia ante ostium domus suæ. *Levis*, et est omissio diligentiæ illius, quam homines diligentiores et accuratiores adhibere solent: uti si quis librum commodatum domi quidem reponat, sed ostium minime claudat cum clave. *Levissima*, et est omissio diligentiæ illius, quæ adhiberi non solent nisi diligentissimi atque accuratissimi: v. g., si quis librum domi reponat et ostium claudat, sed manu etiam non tangat ut probet, utrum clausum bene sit ostium necne. Hoc posito:

R. 2. Certum est contrahentes posse, si velint, obligare seipsos ad restitutionem etiam sola culpa juridica, cum juxta conventionem sit obligatio. Sed utrum hæc eorum voluntas in contractibus semper de facto existere dicenda sit, etiamsi expressa non fuerit, adeo ut contraventiones teneantur ad restitutionem, non satis conveniunt.

Affirmant Antoine, Concina, Layman, Navarrus et Vasquez, adesse obligationem restituendi: 1) ex dolo vel culpa lata, si contractus cedat tantummodo in utilitatem domini rei, quale est, v. g. depositum gratuitum: unde si pereat, tunc tantum teneris de ejus pretio, cum in eo custodiendo diligentiam communem non adhibuisti; 2) ex culpa levi, si cedat in utilitatem utriusque, qualis est, v. g. locatio: unde si in custodiendo libro tibi locato adhibuisti quidem communem, non autem accuratiorem diligentiam, si pereat, de illo teneris; 3) ex culpa levissima, si cedat dumtaxat in utilitatem illius, qui culpam committit, uti esset, v. g. commodatum: unde si in custodiendo equo tibi commodato adhibuisti curam communem, imo diligentiorem, sed non diligentissimam, si equus pereat, ejus pretium in conscientia dare debes. Equalitas enim expostulat, ut ubi majus est commodum, ibi major adhibeatur cura.

Sed Croix, Lessius, Lugo, Roncaglia, Salmanticenses, Sotus et

omnes fere moderni valde probabiliter negant, et contendunt absque culpa theologica restitutionis obligationem adesse nullam. Quia non est æquum obligare aliquem sine speciali conventione ad pœnam gravem absque culpa gravi. Leges autem, quæ in contrarium adduci solent, obligantes ex sola culpa juridica, vel præsupponunt culpam theologicam, vel non amplius attenduntur; et sane ratio culpæ juridicæ ab antiquis Jurisconsultis excogitata, in novis Codicibus non amplius innititur, imo ex mente illorum non videtur admittenda [1]. Ideo merito concludunt cum Gury et Gousset, quod culpa mere juridica generatium loquendo hodie in contractibus et quasi-delictis non obtinet, nisi casu quo quis se expresse voluerit obligare, vel quando judicis sententia intervenit, tui parendum sic ob bonum commune *(B)*.

650. Q. 3. *Quid de restitutione in quasi-contractibus et officiis?*

R. Pro generali principio statuendum est, ad restitutionis obligationem non sufficere, ut quis in suo officio implendo fuerit efficax causa damni, sed insuper requiri ut damnum illud voluntarie intulerit; nam ex adagio: *res, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.* Hinc si medicus ex errore inculpabile remedium nocivum ægroto præbat, nihil ei tenetur restituere; attamen ex justitia tenetur quoad potest corrigere errorem suum.

Item omissio diligentiæ debitæ nullam imponit restituendi obligationem, nisi fuerit voluntaria; quia non est peccaminosa. Hinc est (ut observant Alasia, Antoine, Billuart cum aliis communiter), quod nullus aut vix ullus sit, qui obliget medicos, advocatos, et multo minus confessarios ac theologos ex culpa tantum juridica ad restitutionem; cum sæpe contingat vigilantissimis et peritissims ob inadvertentiam naturalem, aut aliam causam inculpabilem aliis damnum afferre [2]. Si res aliter esset, nemo benemoratus, his officiis perfungi vellet: quod in maximum reipublicæ damnum cederet. Id videtur congruere cum *Codice civili*, qui in his casibus eam tantummodo requirit diligentiam, quam communiter bonus paterfamilias adhiberet [3].

[1] Art. 1224, 1143; — *C. A.* 1293; — *C. G.* 1137, 1382 et 1383; — *C. S.* 1090, 1336 et 1337; — *C. P.* 1110, 2085 et 2086; — *C. M.* 1187, 1393 et 1394.

Sic si aperuisti foveam vel ad ædificationem domus vel ad feram capiendam et inculpabiliter oblitus es, quod poterant ibi homines periclitari: vel adhibuisti communem ac sufficientem diligentiam, ne periclitentur, non tamen adhibuisti advertentiam illam, quam solent diligentiores et diligentissimi: si periclitatur aliquis et labitur in foveam, non peccasti mortaliter, nec teneris ad restitutionem; ratio quia etsi peccasti culpa juridica, non peccasti culpa theologica. Excipe, nisi accedat sententia judicis, quæ observanda est, cum sit ob bonum publicum; id enim in foro externo constitutum est ad homines cautiores reddendos. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 554. — Carrière, *De Contractibus*, nn. 276 et seqq.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n 555. — Carrière, *De Contractibus*, n. 285.

[3] Art. 1143; — *C. A.* 1037; — *C. G.* 1374; — *C. S.* 1328; — *C. P.* 2077; — *C. M.* 1385.

Quæ tamen diligentia, ut patet, debet rei proportionari, ita ut major debeatur pro negotio delicatiori, quam pro communi; hoc enim rei ipsius natura sane expostulat, adeo ut graventur culpa theologica qui in hoc voluntarie deficit. Qui sane adsportat vitrum, majorem cautelam debet adhibere illo, qui ligna defert comburenda.

651. Q. 4. *An quis in periculo debeat rem alienam suæ præferre, adeo ut teneatur de damnis, si eam non præferat?*

R. Vel contractus, ob quem ego teneor rem alienam, cedit in mei tantummodo utilitatem; vel cedit in utilitatem alterius tantum: vel demum in utilitatem utriusque [1].

Si 1, æquitas postulat, ut rem illam meæ præferam; modo res mea non sit pretiosior: quo in casu possum quidem rem meam præferre, sed ex Jure civili teneor pretium rei alienæ restituere; cum ob mei solius gratiam ea adducta sit in ruinam.

Si 2, tunc si res aliena est magis pretiosa, debeo illam conservare; quia rei alienæ eam debeo custodiam, quam prudens quisque habet: attamen possum exigere compensationem totius damni quod passus sum eam servando; cum non tenear eam servare cum meo damno. Quod si æque ac mea pretiosa sit, non teneor rem alienam præferre, cum enim in illius tantum utilitatem retineam, æquum non est, ut ad eam servandam damnum sentiam.

Si 3, ceteris paribus, potero præferre rem meam, cum charitas a nobis incipiat. Volunt tamen alii alteri parti fieri debere aliquam compensationem, quia cum par sit ratio utilitatis, par quoque esse debet ratio periculi. Quod quidem lex præscribit in casu naufragii: v. g., si merces in mare projici debuerint, omnes merces servatæ regulariter veniunt dividendæ; æquum est enim, ut omnium contributione sarciatur, quod pro omnium necessitate datum est [2].

652. Q. 5. *Quid si quis alium impedit a consecutione alicujus boni?*

R. Qui alium voluntarie et efficaciter sive vi sive precibus, vel consilio impedivit a consecutione alicujus boni ipsi debiti ex justitia, tenetur ad restitutionem; quia est causa efficax et injusta damni, quod proximus patitur in rebus suis, cum jus habeat in illis. Hinc qui suasit venditori, ne mercem emptam traderet emptori; qui in domini damnum suasit servo, ne laboraret; qui consilio impedivit, ne quis jam electus et confirmatus ad Beneficium illius possessio-

[1] Art. 1810; — *C. A.* 965; — *C. G.* 1882; — *C. S.* 1754; — *C. P.* 1963; — *C. M.* 1945; — *C. T.* 1126. — « Per *esempio:* Io possessore di una vettura, per conservarla, me ne faccio imprestare un'altra da Tizio onde valermene in un viaggio; questa si rompe per caso fortuito: ne sarò responsale; giacchè non doveva servirmi della vettura di Tizio, salvo in mancanza della mia. » — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n 752.

[2] *Cod. commercii,* art. 50; — *C. A.* 410; — *C. G.* 410. — Ferraris; V. *Naufragium.*

nem adipisceretur, tenetur ad restitutionem erga emptorem, dominum ac beneficiatum [1].

Si vero alium impedivit a bono, quod ei ex justitia non sit debitum, tunc distinguendum: vel eum impedivit a consecutione hujus boni per dolum, fraudem, mendacium, detractionem, calumniam, aliosve similes modos impellentes atque iniquos; vel eum impedivit tantummodo precibus, consilio, suasione.

Si 1, tenetur illi compensare damnum, judicio prudentis, juxta certitudinem aut probabilitatem, quam habebat bonum illud consequendi; licet enim iste non habeat jus strictum in rem illam, illud tamen habet, ne violenter impediatur ab illa, sive ne per vim removeatur qui potestatem habet rem illam sibi conferrendi. Hinc qui fraude, aut detractione alium a testamento vel a legato condendo, aut condito mutando impedivit, peccat contra justitiam et tenetur compensare omnia damna quæ patiuntur hæredes et alii; quia est omnium damnorum causa efficax. Hoc tamen intelligendum, si illa persona bonum illud sine injustitia consequi possit: secus impediens nullum jus violaret; unde non teneretur nisi ad restitutionem famæ si eam fortasse injuste læserit.

Si 2, juxta sententiam communem et probabiliorem, quam tuentur Billuart, Carrière, Elbel, Gury, Holzman, Layman, Lessius, Navarrus, Petrocorensis, Sanchez et Vasquez cum aliis plurimis, sic impediens non tenetur ad restitutionem, licet id egerit ex odio et malo animo nocendi; nemo enim potest obligari ad restitutionem, nisi fuerit injusta simul et efficax causa alicujus damni. Et sane hujusmodi modi non lædunt libertatem neque illius qui bonum prosequitur, neque illius qui illud collaturus est, cum donatori adhuc relinquatur perfecta libertas; ideo qui impedit, respectu illius non est nisi causa remota.

Neque sufficit mala intentio; hæc enim operis naturam non immutat, sed simpliciter facit, ut peccemus contra charitatem, non autem contra justitiam. Et sane intentio non mutat opus exterius; at obligatio restituendi oritur ex violatione exteriori justitiæ. Ergo requiritur insuper actio externa, quæ non solum sit occasio (ut est in præsenti *casu)*, sed etiam vere et positive in illud influat, illudque efficaciter operetur: *facere ex odio aut vindicta* (ait Sotus explicans verba Angelici) *non te onere restitutionis gravat; sed facere injuste, scilicet nullo tuo jure, sed violando alienum.*

Ex his deducitur: 1) eum non teneri ad restitutionem, qui Epi-

[1] Idem est si quis impediat alium a compensando damno illato; ut si quis suadeat furi ne rem domino suo tradat; suasor tenetur restituere, fure non restituente.

scopo etiam determinato ad conferendum Beneficium digniori, ex odio (non tamen ex vi vel calumnia) suadet, ut illud conferat minus digno (etsi probabilius tam Episcopus quam suasor peccent graviter [1]). Hic enim habetur tantummodo læsio charitatis, non vero justitiæ commutativæ; — 2) ob eandem rationem non teneri ad restitutionem qui sine vi, fraude ac dolo impedit testatorem, quominus relinquat hæreditatem alicui, qui nullum ad eandem jus habeat. Qui vero Titium dignum impedit a consecutione boni eidem ex justitia minime debiti, ut illud conferatur digniori, videtur ne peccare quidem contra charitatem; cum ille potius opus bonum operetur.

654. Q. 6. *An teneatur ad restitutionem qui inculpabiliter quidem causam posuit damni, sed postea illud non impedivit, licet potuerit?*

R. Affirmant communiter; quisque enim tenetur ex justitia impedire, ne actio sua proximo noceat: ergo etiam tenetur impedire, ne malum ex actione sua secutum perseveret. Hinc qui inculpabiliter incendit domum vel sylvam alienam, quando advertit, ex justitia illud tenetur impedire sub gravi: qui venenum pro medicamento ex errore vendidit, ex justitia emptorem monere debet; qui ex errore aliquid contra proximi famam dixit, tenetur, cognito errore, illum corrigere; advocatus, medicus, theologus, omnis qui noxium consilium dedit inculpabiliter, tenetur postea facere quantum potest, ne eveniat damnum. Et ni faciat, graviter peccat, et tenetur de omnibus quæ sequuntur; nam eo ipso, quo cognoscit suam actionem inculpabiliter positam adhuc in damnum influere, nec tamen illam impedit, cum possit, sua actio evadit ei culpabilis.

Aliter est, si (quando advertit) damnum jam sit consummatum, et proximi fama jam sit irreparabiliter læsa, venenum haustum, sylva vel domus incensa: tunc per ipsum amplius non stat, ut provideat; sed damnum est ei prorsus involuntarium [2].

Scholium. — *De tributorum fraudatione.*

655. Q. 1. *Quid tributum, quotuplex, et cujus est illud imponere?*

R. Ad 1: Quæ ad regios ac communes Reipublicæ sumptus solvuntur, *tributa* generatim appellantur a verbo *tribuo*. Tributa maxime distinguuntur in directa et indirecta: *directa* quæ vel super agros et domos immediate imponuntur, vel super ipsas personas singulas; et dicuntur *realia* ac *personalia*. *Indirecta* vero, quæ immediate in quasdam merces cadunt, et mediate in personas, quæ eas transvehere vel vendere vel emere, vel habere volunt: et huc maxime veniunt sic dictæ: *gabellæ*.

[1] *V.* Lib. III *De Ordine*, de Beneficiis, ubi *de electione*. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 583; — Ferraris; V. *Impediens;* — Carrière, *De Justitia et Jure*, n. 1146.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 564.

R. Ad 2: Tributa imponere possunt generatim omnes, quibus publica rerum administratio commissa est; cum id necessarium sit ad sustinenda onera communia. Hinc possunt: 1) Imperatores, Respublicæ et Principes supremam habentes potestatem; 2) Pontifex etiam quoad subditos aliis principibus subjectos ex potestate indirecta disponendi de temporalibus, si id opus est ad regimen spirituale; potiori autem facultate pollet imponendi tributa ob dictam causam in bona Ecclesiarum de quibus habet ut directe disponat [1]. Item Episcopus, cum consensu Capituli, in sua Diœcesi potest aliquam collectam imponere ad cultus necessitatem; est enim princeps sacrorum in propria Diœcesi [2]; 3) illi, quibus Principes gubernandi potestatem elargiuntur cum expressa facultate ea imponendi, si ita censuerint; 4) Civitates et Communitates etiam subditæ, sed si Princeps non contradicat; nam tributorum impositio est actus primariæ tantum jurisdictionis, seu eorum qui in terris suis superiorem non habent.

656. Q. 2. *An tributa solvenda sint in conscientia?*

R. 1: Tributa realia, quæ super terras et agros imposita sunt, non videtur dubitandum in omnium sententia solvenda esse in conscientia ante judicis sententiam, seu ante exactoris compulsionem; ratio quia debentur modo valde naturali et ordinario, et quia pro istis non videntur militare rationes quæ pro neganda obligatione in conscientia quoad plura alia tributa, a pluribus adducuntur. Nec de his consuevit fieri quæstio inter Theologos, dato quod inter prudentes limites contineatur tributum, nec ulla unquam invaluerit consuetudo, quæ aliter interpretetur hanc obligationem [3].

R. 2: Quoad alia tributa sive directa sive indirecta, an sint solvenda in conscientia ante quamcunque auctoritatis compulsionem, non una est Theologorum opinio.

Prima sententia, et quam nos suadere omnino debemus, quæque communissima est et nobis probabilior, docet tributa omnia regulariter antequam petantur, si justa sint, in conscientia et ex justitia esse solvenda. Id innititur illis Christi verbis: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari* [4]. Et illis Apostoli: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes; reddite*

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 615; — Suarez, *De Legibus*, c. 14.
2 *V.* Bouix, *De Episcopo*, p. 5ª; — Billuart, *De Justitia*, diss. 9ª.
3 Hactenus doctus et recens auctor opusculi *De obligatione tributorum in conscientia*; Romæ, 1867, typis Marietti. Verum hodie, nulla facta distinctione tributorum, plures vel negant de omnibus, vel de omnibus affirmant obligationem in conscientia.
4 Matth. XXII. — *V.* Ferraris; V. *Gabella.*

ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal [1]. Ubi vides etiam vectigalia in conscientia solvenda esse, et quidem uti tributa ac debita, et ideo ex justitia: adeo ut renuentes teneantur ad restitutionem. Et *Catechismus Romanus* de crimine rapacitatis damnat tam eos qui Ecclesiæ ministris decimas non solvunt, quam eos qui magistratibus tributa et vectigalia fraudant [2]. Merito ergo docet Augustinus christianum in magno errore versari, si putet vectigal a seipso non esse solvendum [3]. Accedit ratio: sicuti Rex tenetur vacare saluti populi, consulere administrationi justitiæ et prospicere publicis aliis necessitatibus; ita et populus tenetur ex justitia et de Jure naturali solvere principi vectigalia ad ejus et reipublicæ conservationem necessaria; *nam* ut ait Tacitus, *neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt* [4]. Idque pertinet etiam ad regiam dignitatem sustinendam, ut enim habet Apostolus: *quis militat suis stipendiis unquam* [5] ? Neque subditi esse debet distinguere inter tributa et tributa, quæ nempe sint in conscientia debita, quæ vero non; maxime quia omnis lex de se nata est parere obligationem ac ligare conscientiam. Si quæ autem sit contraria consuetudo, non usus; sed vulgaris error dicendus est ex cardinali Gousset.

Diximus: 1) *regulariter antequam petantur;* nam est obligatio justitiæ. Excipe nisi aliter ferat usus: sic usus excipit pedagia ac portoria, quæ tribuuntur ratione transitus per portam vel pontem, ut nempe non solvantur, nisi postulata. Imo dicunt hoc hodie obtinere de omnibus tributis, ut nempe non solvantur, nisi petita; 2) *si justa sint;* injustitia enim non ligat. Justa erunt, si proportionata necessitatibus ac personis, et legitima auctoritate ob legitimam causam, et tantum quoad ipsa perdurat; neque enim Reges subditos pro libitu supergravare possunt: *Tales reges ac principes*, ait d. Thomas, *ad restitutionem tenentur sicut et latrones; et tanto gravius peccant quam latrones, quanto periculosius et communius contra publicam justitiam agunt, cujus custodes sunt positi* [6].

[1] Rom. XIII, [2] De VII præcepto.

[3] Ep. XCVI, alias CXX. — In hac sententia et mercatores, et in ipsorum defectu ipsi vectores, cum positive cooperentur ad damnum, obligati remanent in conscientia. Item tenentur etiam qui dolo occultant aut minuunt res, ut minoris solvant: uti qui in successione omnia bona, vel justum valorem non declarant, etc. Attamen etiam hujus sententiæ patroni, generatim permittunt, ut adventante occasione, epistolæ privatis tribuantur deferendæ, etsi ideo taxa a lege præscripta fraudetur; talis est universalis etiam piorum usus, qui ad mutuam ipsam pertinet hominum inter se urbanitatem, comitatem, etc., unde id prohibere in conscientia onerosum nimis.

[4] Lib. IV. *Hist.*, c. 74.

[5] 1, Corinth. IX. — Notant tamen hic valde majorem quantitatem requiri ad furtum grave, quam in aliis privatorum furtis ex dicendis infra cap. *De furto.*

[6] 2, 2, q. 66, a. 8.

Secunda sententia, quæ negat, sua item non caret auctoritate et probabilitate: licet enim subditi per se loquendo teneantur de ipso Jure naturali congruum subsidium Principi ministrare; non tamen tenentur sub culpa ad tot illa tributa quæ ab ipso imposita sunt sub pœna notabili solvenda a fraudatoribus; juste tunc princeps præsumitur, nolle eos obligare ad culpam simul et pœnam. Lex igitur tributorum generatim videtur conditionata sive disjunctiva, ut nempe solvatur vel tributum, ut sic liber quisque sit; vel tributum et pœna casu, quo fraudatorem contingerit deprehendi.

Quod magis præsumendum; quia tot tributorum solutiones certo excederent principum necessitates, si subditi integras impositiones solverent; ideo non est credendum voluisse principes obligare sub peccato. Hinc refert Lugo de Hispaniæ rege Philippo II, quod eis ministris conquerentibus, quia multi tributa et vectigalia defraudarent, respondit: *sinite eos, furantur enim de suo:* quo responso satis indicavit per leges tributorum noluisse ligare conscientiam de culpa. Dubium saltem est utrum lex obliget sub culpa ad utrumque, scilicet ad solutionem tributi et pœnæ: at in dubio nemo tenetur obligationem certam subire; in tali enim dubio videtur favendum ei, de cujus damno agitur. Hoc jus civile confirmat, ubi dicitur in dubiis quæstionibus contra fiscum judicandum esse [1]. Tandem hanc esse communiter populi universi persuasionem, negari a nemine potest.

Conclusio: Id unum pro praxi notamus cum doctissimo cardinali De-Lugo: generaliter loquendo admonendi sunt populi, et hortandi ad tributa solvenda. Sed post factum non sunt cogendi ad restitutionem tributi defraudati, etiamsi tributa obligarent in conscientia, si probabiliter sibi suadeant in tanta vectigalium multitudine aliquid injuste solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates. Consentiunt Billuart, Gousset aliique communiter.

657. *Quid* (quæres) *de præpositis, qui ab auctoritate deputati sunt ad fraudes impediendas, si fraudantes adjuvent, occultent, etc.?*

R. In omnium sensu certum est illos uti cooperatores iniquos peccare mortaliter, atque ad restitutionem teneri ejus quod eorum causa fraudatur, si ipsi fraudatores qui primo loco tenentur (cum fraudatas merces possideant) non restituant; ideo enim deputati sunt, ac stipendium accipiunt ut impediant [2] *(G)*.

[1] Lib. x. ff. *de jure fisci.* — Attamen etiam in hac sententia sunt tributa solvenda in conscientia, si secus nascantur publica scandala et publica perturbatio, ob quam causam quisque juri suo cedere necesse est.

[2] Quod etiam valet, si tributum non exigant, nisi vel agatur aliquando de parva re ex præsumpto principis consensu, vel de paupere rem tantummodo ad usum proprium deferente.

§ 2. — *De eo, qui culpabiliter damnum infert mediate.*

658. Q. 1. *An ille, qui proximo damnum infert mediate, indirecte et per alios, teneatur ad restitutionem?*

R. Affirmative: qui proximo damnum infert modo efficaci ac voluntario, etsi tantum mediate, indirecte et per alios, tenetur ad restitutionem; iste enim revera cooperatur in ejus damnum. At fatentur omnes, quod efficaciter cooperantes in alterius damnum restitutionis onere ligantur: *digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt,* inquit Apostolus, *sed etiam qui consentiunt facientibus* [1]. Hinc Gregorius IX scribit: *Si culpa tua datum est damnum vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet* [2].

Hic tamen *culpæ* nomine, ea intelligitur, quæ sui natura alterum inducit ad damnum, non vero quæ simplex est occasio: alioquin vel ipsa charitatis violatio ad restitutionem obligaret, quod nemo dixerit. Neque sufficeret ratihabere damnum ab altero illatum (id est confirmare voluntate nostra damnum quod, nobis insciis, actum est); nam cum ratihabitio sequatur commissum facinus, in illud efficaciter non potest influere: unde hæc nonnisi in illis contractibus obtinere potest, qui solo consensu perficiuntur.

659. Q. 2. *Quotupliciter potest quis in alterius damnum cooperari?*

R. Dupliciter potest quis in damnum alterius cooperari:

1. *Positive:* et est quando quis vel physice vel moraliter influit in damnum proximi. *Physice* quidem, si actionis damnificativæ particeps fiat, v. g., concurrendo in grassatione ad viatoris spoliationem: *moraliter*, si quempiam ad damnum proximo inferendum determinet, v. g., grassationem suadendo, furtum et fures dirigendo. — Attamen, ut causa positiva teneatur de damno, requiritur, ut sit injusta, efficax et theologice culpabilis. *Injusta*, quia nemo tenetur reparare damnum proximi illatum, nisi quatenus strictum ejusdem jus violaverit; atqui jus proximi strictum violari non potest, nisi per actionem injustam. *Efficax;* nam ut quis teneatur reparare damnum, non sufficit intentio damni inferendi, sed necesse insuper est, ut vere et realiter inferatur: jus enim alterius per solam intentionem non læditur. *Theologice culpabilis*, quia sine culpa theologica non est, saltem extra contractum, obligatio restitutionis animam ligans.

[1] Rom. I. — *V.* Ferraris; V. *Restitutio.*
[2] *Decr.* Greg., l. V, t. XXXVI, c. ult. *De injuriis.* — *Cod. pœn.* distinguit agentes inter principales et complices (*art.* 102).

2. *Negative:* et est cum quis non impedit damnum alterius, etsi possit et debeat illud impedire ex justitia. Causa negativa nullum per se loquendo tenetur damnum proximi reparare: repugnat enim quemquam teneri reparare damnum præcise, quia illud minime impedivit: uti si Titius videat Cajum furtum in tertium committentem, neque impediat; quis dixerit Titium teneri de illo furto? Alioquin tenerentur omnes ex justitia bonum proximi curare, et malum ejus avertere, quod nemo dixerit: quia quod unicuique mandatum sit de proximo suo [1], lex charitatis est, non justitiæ.

Unde concludimus: causa negativa nunquam dicenda est teneri ad reparandum damnum proximo illatum, nisi ratione contractus, quasi-contractus, pacti aut officii rigorosi illud teneatur impedire, si nempe simul ratio stipendii concurrat, ut evenit in pastoribus animarum, si non impediant damna spiritualia suorum subditorum. Uno verbo tunc causæ negativæ seu privativæ tenentur ad restitutionem, quando ad damnum impediendum adstringantur ex justitia; non vero si obligatio ortum habeat a sola causa pietatis aut charitatis, ut contingit in confessariis, maritis et parentibus, etsi de bonis filiorum usufructu fruantur; non enim illorum usufructus habet rationem stipendii proprie dicti [2].

660. Pluribus modis causæ tum positivæ tum negativæ cooperantur in damnum. Novem præcipuos hisce versiculis enumerat Angelicus, quorum quidem sex sunt positivi, tres negativi:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans [3].

661. Q. 3. *Utrum in dubio, an tuum consilium sive mandatum, consensus, recursus, palpatio, etc. fuerit causa damni aut mortis, alterius tenearis ad restitutionem?* Nempe actio mala fuit posita; sed dubium est an ex tua mala actione damnum evenerit, vel potius ex actione alterius, qui pariter causam posuit (ut cum duo graviter hominem vulnerant qui ideo decumbit, et dubium sit quisnam vulneraverit mortaliter).

R. Hac de re non una est sententia. *Prima*, quæ est valde probabilis, cum Habert, Lugo, Roncaglia et Sanchez obligat ad restitutionem: quia in tali dubio possidet crimen pravæ actionis, quæ cum esset de se apta ad damnum irrogandum, in dubio præsumitur revera illius damni causam fuisse. *Secunda*, satis etiam probabilis,

[1] Eccl. XVII, 12.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 40; l. III, n. 573; et l. VI, n. 621.
[3] 2, 2, q. 62, a. 7. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 562.

cum Lessio, Navarro, Salmanticensibus, Sylvio aliisque negat esse obligationem restitutionis; nam nemo cogendus est ad eam, nisi de obligatione certo constet: atque in proposito dubio de tali obligatione certo non constat, hoc ipso quia dubium est. Nec præsumendus est influxus; licet enim actio de se apta sit ad influendum, cum tamen non semper influat, ideo influxus est probandus: pro qua sententia citant etiam d. Thomam [1]. — Concina tertiam addit, quæ tradit obligationem adesse restituendi pro rata dubii; sed huic aperte obstat, quod vel certo possidet mala actio, et reparandum est totum damnum; vel certo non possidet, et tenetur ad nihil; quia in dubio melior est conditio possidentis bona sua. Quod quidem principium, saltem in materia justitiæ, uti certum omnes admittunt [2].

662. Q. 4. *An causæ singulæ ad damnum simul concurrentes ad restitutionem simul sint obligandæ in solidum* [3]?

R. Distinguendum: vel res ad quam diversæ causæ concurrerunt potest in partes dividi, ut est furari thesaurum; vel dividi nequit, ut est occidere hominem. His positis, dicimus:

a) Si res potest dividi, tunc si plures concurrerunt sine motore principali, sine mutua ad invicem conspiratione seu executione, singuli tenentur pro rata tantum; cum unus in alterius operam non influxerit. Unde si plures æque concurrant ad expoliandam domum, ad depopulandam vineam sine prævia mutua conventione, singuli eorum pro rata tantummodo tenentur. — Si autem omnes excitati fuerint a motore principali, motor tenetur ad totum: et alii in ejus defectu pro rata. Ratio quia principalis agens ipso facto in se suscipit absolute totum onus damni reparandi; cum ipse primario illud inferat, nec utatur aliis, nisi velut instrumentis ad damnificandum. Quod si motor principalis non adsit, sed omnes invicem se excitaverint et conjunxerint ad damnum, tunc singuli æque tenentur in solidum, quia singuli sunt totius damni causa; unus enim alterum juvat: unus procedit a confidentia, quam habet in alterius auxilio.

b) Si vero res ad quam diversi concurrerunt dividi non potest, tunc si ita concurrerunt, ut sine illorum opera damnum non fuisset secutum, certum est illos teneri in solidum; quia totus effectus a causis singulis hoc casu procedit. Hinc si præbeas tuum suffra-

1 2, 2, q. 62, a. 7. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 562.

2 « Alia res est, quando de mero consilio quæritur; si enim partes litigantes per amicam compositionem benevole inter se conveniant, talis transactio utique, plerumque saltem, summopere approbanda est: etsi ad talem transactionem stricte obligari nequeunt, quia debitor semper vel ad totum vel ad nihil obstringitur. » Ita *Stapf*, § 82.

3 Tunc quis dicitur teneri *in solidum*, cum aliis non restituentibus, ipse tenetur ad totum per se, ideoque etiam ad partem aliorum: *solidum*, idest integrum, plenum.

gium ad injustam actionem, quæ secus non obtineret, teneris in solidum. Si vero sine ipsorum opera illud damnum adhuc secutum fuisset, ut si apponas ignem simul cum aliis ad domum proximi, quam, te absente, alii nihilominus incendissent, utrum hoc in casu tenearis cum ceteris in solidum, disputant.

Prima probabilis sententia, quam tenent Cajetanus, Salmanticenses, Sanchez, etc., affirmat; nam propter concursum particularis cooperatio cujusque unam actionem constituit contra justitiam: unde quia damnum ex hac unica actione evenit, omnes in solidum obligantur ad restitutionem. Neque est de natura veræ causæ, ut ea non posita, non sequatur effectus; sed dumtaxat, ut ex ea effectus revera sequatur. Verum secunda adhuc probabilis sententia Navarri, Sylvii et aliorum, docet singulos tunc teneri tantum pro parte sua; quia cum obligatio restitutionis pendeat ab influxu seu causalitate in damnum, obligatio non debet esse major, quam sit influxus ipse; sed influxus est tantum pro parte damni: ergo pro parte tantum erit et obligatio restitutionis [1].

663. *Ad quid tenetur* (quæres) *qui nescit aut dubitat, an consocii restituerint vel restituri sint?*

R. Alii dicunt quod si dubium perseverat facta diligenti inquisitione, cooperator non tenetur nisi ad partem suam; nam non tenetur ad totum nisi in defectum alterius. Porro cum dubium sit de illo defectu, consequenter dubium est de obligatione; et sic cum certo non possideat obligatio non urget: ideo magis quia in dubio non est præsumendum quod alter nolit satisfacere suæ obligationi. Sed hoc s. Alphonsus non probat; sane hic certa est obligatio restituendi totum in aliorum defectu: item certum est jus quod habet dominus exigendi a quolibet e sociis reparationem totius damni; ideo obligatio et jus certum non possunt elidi per solutionem dubiam.

664. Quidquid sit, non debemus omittere animadversionem momenti gravissimi, et est quod rudes, etiamsi teneantur in solidum; raro tamen in praxi eosdem expedit obligare ad totum, cum difficulter isti sibi persuadeant sese teneri ad restituendam etiam partem a sociis ablatam. Quo in casu satis præsumi potest, quod domini quibus est restituendum, libenter consentiant, ut illi restituant partem propriam; cum valde timendum sit, ne nihil omnino restituant, si obligentur ad totum.

Neque prætermittenda declaratio *Codicis* tum *pœnalis*, quæ habet: *I condannati per uno stesso reato sono tenuti solidariamente alle restituzioni, ai danni ed alle spese* [2]: tum *civilis*, ex qua solidaria debitorum obligatio non præsumitur in contractibus, nisi vel expressa sit, vel ab ipsa lege inducta [3].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 579.

[2] Art. 75.

[3] Art. 1186; — *C. A.* 891; — *C. G.* 1200; — *C. S.* 1153; — *C. P.* 1177; — *C. M.* 1253; — *C. T.* 585.

Ab ipsa lege: « Per *esempio*, gli esecutori testamentari *(art.* 910) sono solidariamente contabili della loro amministrazione. »

N. I. — *De mandante seu jubente, ac consulente.*

665. Q. 1. *Quis intelligitur nomine mandantis seu jubentis?*

R. Mandantis seu jubentis nomine eum intelligimus, *qui alterum inducit, ut suo nomine damnum inferat proximo:* dupliciter potest inducere, expresse vel tacite. *Expresse*, idest verbo, scripto, nuntio; *tacite*, idest nutu, signo vel aliquo facto: uti si pater vel dominus filio vel servo significet sibi gratam fore illius personæ occisionem, aut cum iisdem conqueratur, quod nemo injuriam sibi factam ulciscatur. Sic refert historia contigisse mortem s. Thomæ Cantuariensis sub Henrico II Angliæ rege, qui cum suis sæpius conquerebatur se cum uno regni sui sacerdote pacem habere non posse [1]. Item si quis paratus sit tuo nomine damnum inferre, et tu cum commode possis impedire, non impedis; censeris tacite mandare.

Mandans, *seu ille, qui jubet, est principaliter movens*, inquit Angelicus, *unde ipse principaliter tenetur ad restituendum* [2]; qui enim facit per alium, per se facere censetur. Tenetur etiam reparare omnia damna, quæ ex mandati sui executione sequuntur, si actio imperata de se periculosa sit; quo sensu accipitur illud canonici Juris: *Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet vel occidat; cum mandando in culpa fuerit; et hoc evenire posse debuerit cogitare* [3]. Similiter si quis Cajo mandaveris, ut noctu ingrediatur domum Titii ad furandum, si dum Cajus furatur, aliquid frangit etiam fortuito, tenetur mandans ad restitutionem quoque ejus; quia poterat et debebat prævidere in tenebris id de facili contingere.

Diximus tamen: *si actio imperata de se periculosa sit;* aliter esset de damnis quæ ultro causavit executor mandati limites excedendo: tunc excessus ille non ex efficacia mandati, sed ex sola voluntate mandatarii fluit; ac proinde ipsi unice tribuendus est.

[1] « L' impetuoso Enrico disse alla presenza della Corte, che malediva tutti coloro che aveva onorato della sua amicizia e ricolmato di beni, posciachè nessuno di essi aveva il coraggio di vendicarlo da un sacerdote che disturbava il regno, e da cui riceveva tanti disgusti. Udite queste parole, quattro gentiluomini, Guglielmo di Tracy, Ugo di Morvilla, Riccardo il Bretone e Rinaldo Fitz-Ottone, formarono l'orribil congiura di trucidar l'Arcivescovo. » Ita *Fasti della Chiesa nella vita dei Santi*, t. XII,

[2] 2, 2, q. 62, a. 7. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 558 et seqq.

[3] *Sext. Decr.*, l. V, t. IV *de homic.*, c. ult. — V. *Cod. pœn.*, art. 102. « Così il padrone che ha ordinato al suo servitore, ch' ei conosce per un uomo violento e brutale, di battere qualcuno, è tenuto per la morte della persona percossa, se questo servitore gli dà un colpo mortale. » *Gousset.*

666. Q. 2. *Quid si mandans mandatum noxium serio retractaverit?*

R. Vel vera mandati revocatio innotuit mandatario ante executionem, vel non innotuit. — Si 1, ad nihil amplius tenetur mandans uti mandans; quia per veram, sufficientem ac sinceram revocationem mandatum extinguitur. Unde si adhuc mandatarius quidpiam operatur, non amplius nomine mandantis operari dicendus erit, sed nomine proprio et propria voluntate; si tamen impediatur quantum potest mandatarius obstinatus, qui non obstante mandati revocationem vult damnum inferre. Si 2, mandans tenetur ad damna compensanda, perinde ac si mandatum minime retractatum fuisset; idque etsi mandati revocatio non fuerit mandatario significata ex culpa vel oblivione nuntii, aut alia de causa, ut si mandans literas revocantes mandatum mittat, quæ tamen diripiantur ab hostibus. Semper enim verum est etiam in hoc casu, mandantem ipsum esse causam injustam et efficacem damni alterius; cum tunc mandatum non sit satis ac sufficienter retractatum quoad damnum.

Etiam tacite cessare potest mandatum, nempe per mortem mandantis [1]; quia morte voluntas hominis finitur. Non tamen diuturnitate temporis; sola enim temporis longitudo non est signum mutatæ voluntatis, nisi adsint alia indicia.

667. Q. 3. *An damnosum consilium tribuens teneatur ex justitia ad restitutionem?*

R. Duplex hic distinguitur consilium: aliud *doctrinale*, et est illud, quo quis pronuntiat de bonitate vel malitia, justitia vel injustitia alicujus actionis, v. g. talem contractum esse licitum vel illicitum. Aliud *impulsivum*, ut cum quis aliquem actionem suadet seu alium impellit ad eam peragendam cum damno alterius. Quo posito:

Dicimus: 1. Qui consiliis, precibus, suasione, promissis, adhortationibus, vel motiva utilitatis proponendo, facilitatem executionis ostendendo et similibus, efficaciter alium movet et impellit ad damnum proximo inferendum, tenetur profecto ad restitutionem; cum sit causa injusta et efficax damni. Hinc ex canonico Jure si consilium dedisti ut Cajus Titium occideret, secuta morte, teneris de homicidio. Si consilio movisti servum, ut fugeret aut furtum faceret, teneris furti vel servi corrupti. Si persuasisti Titio, ut me afficeret injuria, teneris mihi ratione injuriarum [2]. Et Innocentius XI damnavit hanc n. 39 thesim: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

1 10 *Instit.*, l. xv, cod. *Mandati.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 628.

2 Cap. *Si quis*, Diss. L. C. *Sicut* VI *de homicid.* Lib. I, § *Persuadere*, ff. de servo corrupt. L. *Non solum* XI, ff. de inj. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 561. — Carrière, *De Justitia*, n. 1175. — Vide *Cod. pœn.*, art. 102.

Aliter tamen probabilius esset (ut observant Alasia, Layman, Sanchez, Salmanticenses, etc., contra Antoine, Billuart et Cuniliati), si quis præberet pravum exemplum et scandalum daret; quia hoc est potius occasio, quam vera causa influxiva, cum exemplum ex se non sit natum ad alios efficaciter movendos, licet de facto ex eorum fragilitate illi sæpius moveantur: quo sensu explicatur illud *verba movent, exempla trahunt.* Adde: scandalum de se opponitur charitati, non justitiæ [1].

Dicimus: 2. Qui consilium doctrinale præbet licet ex ignorantia, sed cum gravi culpa, ratione proprii officii, ut solent medici, advocati, confessarii, parochi, theologi, dicendo talem actionem esse licitam cum licita non sit, vel in tali casu non restituendum, cum tamen illa si facienda, tenentur damnum reparare ex tali consilio secutum; eo enim ipso quo quis aliquid suscipit manus, justitia ab eo exigit, et omnes jus habent expectandi, ut scientiam muneri respondentem ipse habeat.

Quod etiam valet de illis, qui licet ratione officii consilium dare minime teneantur, se tamen pro idoneis consiliariis jactitant, et in tali re peritos se esse declarant: etsi enim in officio jam suscepto non deficiant, deficiunt illud voluntate suscipiendo et affectando. Unde Scriptura: *Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato* [2]. Huc possunt etiam revocari qui ratione status quam tenent, etsi non jactitent, præseferunt tamen peritiam, et imperiti illud tribuunt, ut sunt sacerdotes ac regulares.

Ceterum quoad illos, qui neque tenetur ullum consilium dare ratione status et officii, neque peritiam jactitant, uti mulieres et plebei, quorum insufficientia nota est, non tenentur erga eos qui consilium petunt ad ullam damni reparationem. Quia damnum, quod inde supponitur esse secutum, non magis consilio alterius, quam imprudentiæ ipsiusmet postulantis tribuendum est: scit enim, vel saltem scire debet, a quo petit; ideoque consilium petens discrimini voluntarie se committit.

[1] « *Esempio:* Paolo di suo proprio moto entra in una vigna per rubarvi dell'uva; da ciò Pietro prende occasione di fare lo stesso. Antonio fa altrettanto, non essendo mosso che dall'esempio di Paolo e di Pietro. In questo caso Paolo non è obbligato di restituire che il valore di quanto ha egli stesso rubato: lo stesso dicasi di Pietro. Il cattivo esempio di Paolo non è per sè stesso la causa efficiente del furto, onde i due altri si sono resi colpevoli; non è che l'occasione. Crediamo che si dovrebbe decidere lo stesso, anche quando Paolo rubando, avesse avuto intenzione di determinare col suo esempio gli altri a fare come lui. L'intenzione di Paolo, benchè riprovevole, essendo puramente interna, non rende più efficace il mal esempio che ha dato. » *Gousset.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 45; l. III, n. 537.

[2] Eccl. VI. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 564.

Diximus: 1) *nec peritiam jactitat;* aliter enim esset si peritiam dolose affectaret, uti patet; 2) *non tenetur erga eos qui consilium petunt:* obligatur enim erga tertium, si ei aliquod damnum evenerit ex tali consilio; cum iste tertius non sit sciens neque volens; et quisque jus habet, ne alter suo facto sibi noceat.

Quid (quæres) *si consulens non absolute loquatur, sed ostendat se dubitare vel nescire vel simpliciter dicat ita sibi videri, ita se credere?*

R. Tunc non tenetur damnum inde secutum reparare; quia totum esset imputandum agenti, qui veritate non satis quæsita atque perspecta, damni illius periculo se ultro exposuit.

668. Q. 4. *Si consulens consilium revocaverit, et tamen damnum adhuc sequatur, tenebiturne ad restitutionem?*

R. Certum est, quod si revocatio non innotuit damnificatori, tempore habili, adhuc tenetur consulens; nam idem est, ac si talis consilii revocatio non contigisset. Si vero innotuit, *vel* datum consilium consistebat in doctrina falsa, v. g., quod talis contractus esset licitus cum tamen esset illicitus; *vel* consistebat in ostensione utilitatis aut delectationis ab executione orituræ; *vel* denique consistebat in manifestando modo damnum inferendi, ut si furi ostendas modum ingrediendi domum, quem secus ille non invenisset. In primo casu non tenetur consulens ad restitutionem, quia per illam revocationem consilium extinguitur. Quoad alios casus disputant.

Habert, Croix, Lessius, Lugo et alii communissime affirmant; sicuti enim qui ignem injecit in segetem alienam, tenetur ad damni compensationem, etiamsi postea dolens de facto conetur omni quo potest modo, ignem extinguere; ita et consulens. Consilium enim ab eo datum, etiam post actam revocationem, adhuc efficaciter in damnum influit. Negant vero s. Antoninus, Azorius, Concina, Merbesius, Salmanticenses aliique casu, quo consulens in dati consilii revocatione curaverit omni meliori modo damnum dissuadere, adducendo rationem gravissimi reatus; quia id debet in homine præsertim christiano præponderare ceteris rationibus mundanis. Neque obest paritas; nam ignis in casu proposito operatur necessario; cum ex adverso post actam consilii revocationem damnum eveniat non amplius ex vi consilii, sed ex pura malitia executoris.

Secunda sententia est satis probabilis, sed primam nos censemus probabiliorem; quia non videtur satis retractari influxus [1] *(D).*

N. II. — *De consentiente, palpone, receptatore et participante.*

669. Q. 1. *Quis consentiens, et an teneatur ad restitutionem?*

R. Nomine *consentientis* venit *qui externa sua approbatione alium efficaciter movet ad damnum proximo inferendum.* Duplici modo potest quis in damno alterius consentire: consensu nempe inefficaci et con-

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 559. — Notandum consulentem, si executorem a perversi consilii executione nequeat removere, teneri ex justitia monere lædendum, ut sibi caveat.

sensu efficaci. *Inefficaci*, quando quis videt malum proximo inferendum vel jam illatum, et simpliciter sibi gaudet: qui proinde nihil tenetur restituere; cum damnum non causet. — *Efficaci*, quando malum proximo inferendum pendet, vel determinatur a suo consensu. Sic, v. g. consentiunt Senatores ac Judices, cum per sua suffragia positive concurrunt ad legem vel sententiam injustam: quos quidem dubium non est teneri in solidum de damno, quia nempe positive, efficaciter et injuste in illud influunt. Idem dicendum, si quis de industria, et absque sufficienti causa, abest v. g., a Senatu vel a Capitulo, cum prævidet defectu sui suffragii numerum suffragiorum sufficientem fore ad damnum proximo inferendum; absentia enim esset de industria quæsita, ac injusta damni causa.

Hac in re: 1. Certum est suffragantes omnes ad restitutionem teneri, si de condicto suffragia dederint; nam semel inita conspiratione, omnium unica fit actio moralis influxiva, etsi non omnium suffragia necessaria sint ad damnum inferendum.

2. Certum est etiam, omnes consentientes ac suffragium dantes contrahere obligationem restituendi, quando eodem tempore suffragati sint (uti una voce, per acclamationem); quia cum nullus tunc prior fuerit neque posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa, singulis suffragantibus merito tribuitur.

3. Certum est, eos qui prima suffragia præbent antequam numerus compleatur, teneri ad restitutionem in solidum, etiamsi præviderint alios item esse consensuros: quia de facto in damnum efficaciter influunt. Ob eandem causam certum erit, illum quoque in solidum teneri ad restitutionem, qui post completum numerum suffragiorum dat suffragium ultimum pro sententia injusta, si prævideat alios suum revocaturos, quando ipse suffragium bonum præberet, vel ceteros suffragium dantes ad id hortaretur.

4. Probabiliter dicunt, eos quoque teneri de damnis, qui suffragantur injustæ sententiæ vel legi, etsi numerus suffragiorum jam completus fuerit, et etiam seclusa conspiratione, quando adhuc requiratur sanctio judicis, præsidis vel regis ad firmandam sententiam illam vel legem uti maxime fit in guberniis constitutionalibus. Idque sive sciant quid alii facturi sint, sive non; sive secreto suffragia ferantur, sive non: nam omnes concurrunt tam primi quam ultimi ad injustam sententiam vel legem, cum ipsa efformetur ex collectione omnium votorum: et revera nomine omnium simul fertur et promulgatur.

670. *Quid vero* (quæres) *si nulla proprie dicta sanctio requiratur, sed tot suffragiis jam numerus sufficienter sit completus, uti evenit in*

apertis nominationibus? An seclusa omni conspiratione et simultanea suffragiorum collatione, qui suffragium suum tribuit, jam sufficientibus datis, teneatur nihilominus sicut ceteri ad restitutionem?

R. Sunt qui affirmant: quia etiam ejus nomine iniqua deliberatio executioni mandatur; et iste se habet ut ille qui se adjungit curro, qui jam a duobus sufficienter trahitur: nunc revera trahitur a tribus. Sed negandum, nam quando suffragia jam irrevocabiliter data sunt sufficientia ad damnum, tunc qui post suffragia illa dat suum, non potest dici in damnum efficaciter influere, cum jam sit consummatum: causa enim præcedit effectum suum, non eundem subsequitur.

Esto quod de scandalo teneatur, si ejus suffragium notum fit; at non potest dici quod revera in damnum influat: et ideo nonnisi inefficaciter ejus nomen usurpatur quoad illud, cum jam determinatum sit. Allata autem paritas non tenet; nam in nostro casu qui dat suffragium, numero suffragiorum ad damnum jam consummato, sese adjungit curro, non ad illud ducendum, sed curro jam ad metam suam ab aliis ducto.

671. Q. 2. *Qui dubitat, an suum suffragium fuerit ex prioribus et necessariis ad damnum alicui inferendum, quod evenit si suffragia secreto data sint, teneturne ad restitutionem?*

R. Diana dicit eum ad nihil teneri; quia in dubio melior est conditio possidentis exemptionem ab obligatione restitutionis. Alii cum Bonacina docent omnes teneri in solidum; quia omnes isti fuerunt concausæ totius damni. Sed verius docent Lugo, Molina et Sporer dubitantem teneri uti ceteros pro rata: et si alii non restituant, teneri in solidum; per illius enim suffragium jus alterius saltem deterius evasit ac incertum. — Nec obstat, quod cooperator non teneatur, nisi quando scit se fuisse certam damni causam; quia in nostro casu quilibet suffragium ferentium est certus, se ad minus deterius fecisse suo suffragio jus, quod habebat damnificatus ad exigendam restitutionem totius damni ab aliis suffragium exhibentibus, rem incertam reddendo [1].

672. Q. 3. *Quis palpo et an teneatur ad restitutionem?*

R. Palpo *a palpando* dicitur: quia quos adulamur, manu blandiri ac palpare solemus [2]. Unde palpo dicitur qui *laude, adulatione, vel*

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 566.

2 « Quo blandior (adulatio), eo periculosior esse solet (ait *Stapf*, § 372); adulator quippe, dum indigne coram aliis reptat, et quidquid dicunt, aguntve, summa cum impudentia miratur et effert, non se tantum, sed et illos deprimit, quorum gratiam et favores eblandiri studet; eos enim non amat, sed ludificat. Et quantam stragem impii assentatores regno morali non jam intulerunt! Quis illorum numerum computare poterit, quos adulatio corrupit et perdidit? Imo historia exempla plurima refert, exinde fortissima quoque Regna et Imperia corruisse. Ab his ergo deceptatoribus unumquemque nostrum, illos vero maxime, qui aliqua auctoritate pollent, sibi cavere oportet, memores illius quod Sapiens inquit: *Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.* Eccl. VII, 6. Cf. Prov., 29, 12; Is. III, XIV. » — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 567.

Venditores olei adulatores vocat d. Gregorius (Homil. XII *in Evang.*): de quo profecto oleo Regius Psalmista dicit: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (Ps. CXL).

vituperatione alium inducit ad damnum proximo inferendum: sic, v. g. palponem vocabimus qui duellum laudando, patientiam irridendo, ignaviam increpando ad illud alium incitat. — Palpo, utpote efficax causa damni, ipsa lege civili tenetur illud reparare [9]; nam sæpe magis laudibus et vituperationibus impellitur quis ad damnum inferendum, quam malo consilio. Necesse autem non est, ut damnum intendat: sufficit, ut sciat se in damnum efficaciter influere.

673. Q. 4. *Quis intelligitur nomine receptatoris?*

R. Receptator, seu recursum præstans, est *qui præbet alteri securitatem, commoditatem, et protectionem ad damnum proximo inferendum, vel ne illatum compenset.* Receptator tenetur ad restitutionem, *quando receptatio est causa furti:* tunc enim, ut ait Augustinus, patet receptatorem *socium esse fraudis et criminis* [2]; atque sic in damnum positive influit et efficaciter. Hinc tenebitur ad damni compensationem, qui furta aut instrumenta occultaverit aut emerit; cum hoc generatim idem sit ac rapinas fovere. Item tenebuntur caupones, qui a filiisfamilias acceptant pecunias aliasque res a parentibus subreptas, nisi rationabiliter judicari possit, quod parentes non sint inviti. Item domini, principes, parentes non impedientes famulos, subditos, filios si possunt, quando confisi in illorum potentia aut de ipsorum confidentia proximum damnificant.

Diximus: *quando receptatio est causa furti:* unde non teneretur qui post furtum juvat furem ad fugam capiendam, modo non influat in damna futura: sicut nec qui furem et malefactorem domi recipit non qua furem et malefactorem; sed qua amicum aut parentem. Item dicendum de illo, qui nempe ratione officii furem vel recipit tantummodo, uti caupo apud quem ipse diversatur; vel defendit uti advocatus qui ejus partes in judicio sustinet: sub eadem tamen conditione, idest dummodo in furta futura non influat; sic non est de crimine participare, sed humanitatis officium præbere.

In *Codice pœnali* graviter in receptatores animadvertitur et quædam sapienter ad furta cavenda præscribuntur, tum artificibus circa res a privatis emptas, tum cauponibus quoad personas suspectas vel incognitas, quas ipsi hospitio excipiunt [3].

674. Q. 5. *Quis intelligitur nomine participantis ad damnum?*

R. *Participantis* vocabulo intelligitur *qui vel in præda, vel in ipsa actione damnificativa fit socius quoad damnum proximo irrogatum.* Fit socius *in præda*, si, v. g., post furtum suscipiat partem de re furto

[1] *Cod. pœn.*, art. 103.
[2] Ep. CLIII, alias LIV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 568.
[3] Art. 285, 626, etc. — *C. A. pœn.*, p. 3, § 219.

ipso ablata; fit socius *in ipsa actione damnificativa*, si in illam actionem concurrat, qua fuit proximo damnum illatum. Participans in præda tenetur restituere quantum participavit[1]; sic enim satisfacit omni damno, quod proximo intulit. Participans autem in actione damnificativa tenetur ad restitutionem pro modo concursus, ideo aliquando tenetur etiam in solidum ex dictis [1].

675. *Sed quid* (dices) *si quis concurrat quidem ad damnum alterius, sed nonnisi ob metum gravis detrimenti?*

R. Si damnum quod ipse timet non concurrendo, est superioris ordinis, si v. g., timet mortem, mutilationem, etc., nisi furto gravi cooperetur, sunt qui volunt nihilominus ipsum non posse sine justitiæ læsione cooperari ad furtum; quia talis actus videtur intrinsece malus, siquidem lædit jus proximi; excipiunt tamen si cooperans velit et possit damnum reparare. — Verum in nostra sententia, neque peccat, neque tenetur de restitutione, quocunque modo cooperetur sive mediate sive immediate [2]: quia habet justam causam. Neque dominus potest esse rationabiliter invitus; cum tunc illius bona necessaria evadant alteri ad se tuendum in re ordinis superioris, ut ait doctus Milante cum Laymano, Medina et Navarro. Imo si agatur de vita tuenda, tunc agitur de extrema necessitate, in qua insuper omnia bona sunt communia.

Si damnum non sit ordinis superioris, sed vel *inferioris*, uti si quis timeat verbera, nisi morti alterius cooperetur; vel *ordinis æqualis*, uti si damnum timeat in bonis fortunæ, nisi cooperetur in furto, non poterit ullo modo concurrere; tum quia non adesset proportio; tum quia in pari causa quisque legitime jus habet, ut sua bona possideat. Excipe nisi nimia sit inæqualitas, ut si furando parum de alienis possis servare te indemnem in magnis; sed eo in casu teneris rei ablatæ valorem domino restituere; cum agatur de re in eodem genere, et æquivalenter possideas quod alterius est.

[1] Participatio in actione injusta vel fit *immediate*, ut cum quis actionem damnificativam cum alio exercet, v. g., si duo simul incendant domum; vel *mediate*, quando quis ponit actiones ex se non damnificativas; sed iis alter abutitur ad malum proximi. ut si scalam teneat, dum fur eam ascendit. — At si furi terga servat, vel si munusculum a fure accipiat, ne clamet dum hic furatur, peccaret contra justitiam, per hæc sane influeret in ipsam voluntatem furis eum saltem animosiorem reddendo, et sic formaliter cooperaretur ad ejus furtum. Plura *De cooperatione*, tract. sequenti.

[2] « Alii in nullo casu permittunt concursum immediatum; quia esset facere malum ut eveniret bonum; alii permittunt in bonis inferioris ordinis ad mortem vitandam, si tamen participans animum gerat damnum reparandi. Concursum vero mediatum, ex gravi causa permittunt, cum sit ponere rem ex se indifferentem. » *Lyonnet.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 66; et l. III, n. 571; *Ho. Ap.*, tr. IV, n. 31.

N. III. — *De muto, non obstante et non manifestante.*

676. Q. 1. *Quid est mutus, non obstans et non manifestans; et quando tenentur ad restitutionem?*

R. Ad. 1: *Mutus* dicitur qui ante damnum tacet, et non monet; cum monere teneatur. *Non obstans* dicitur qui dum fit damnum, illud non impedit; cum teneatur impedire. *Non manifestans* dicitur qui post damnum, illud non denuntiat; cum debeat denuntiare.

R. Ad 2: Mutus, non obstans, non manifestans tunc restituere tenentur, ait Angelicus, cum malum alterius culpabiliter sinunt: quod vel ex pacto implicito aut explicito, vel ex officio rigoroso, vel ex stipendio tenentur impedire; tunc enim violant alterius jus strictum [1]: hac quippe de causa conducti sunt, mercedem recipiunt ac officium sustinent, ut nempe clament, obstent, manifestent. Sic Magistratus et Duces belli tenebuntur ad restitutionem damnorum, quæ a latronibus ac militibus ob culpabilem illorum negligentiam inferuntur. Item Canonici tacentes ac non impedientes electionem iniquam: item administratores bonorum non impedientes damna minorum et Ecclesiæ: item famuli custodientes bona domini, si damna ab extraneis non impedierint. Ad rem Codex civilis: *Ognuno è responsale del danno che ha cagionato non solamente per un fatto proprio; ma ancora per propria negligenza od imprudenza. Ciascuno parimenti è obbligato non solo pel danno che cagiona per fatto proprio; ma ancora per quello che viene arrecato col fatto delle persone, delle quali deve rispondere, o colle cose che ha in custodia* [2] (art. 1152).

Ceterum observandum est non omne officium obligare sub restitutionis onere, saltem in foro conscientiæ, sed illud tantum, quod ex justitia ortum habet, et delictum vel quasi-delictum supponit [3]. Quare parentes ad restitutionem non videntur per se teneri, si omittant filios corrigere; nam illorum officium ortum ducit a sola pietatis obligatione. Quamvis jure merito in foro externo puniantur, ut diligentiores se gerant in cura suorum: et ideo sententiæ punitivæ debent obtemperare, si revera a filiis illatum sit damnum *(E)*.

677. Q. 2. *An peccent et obligentur ad restitutionem qui ex officio suo tenentur denuntiare contravenientes legi, nec denuntient?*

R. Huc maxime veniunt qui custodiæ sylvarum, agrorum, tribu-

[1] 2, 2, q. 62, a. 7. — *V.* Carrière, *De Justitia*, nn. 1209 et seqq.
[2] *C. A.* 1301; — *C. G.* 1384; — *C. S.* 1338; — *C. P.* 2087; — *C. M.* 1395; — *C. T.* 1095 et seqq.
[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 40; et l. III, n. 573.

torum exactioni, etc., a principe, communitate vel privato præficiuntur. Qui si deficiant proprio muneri (præter peccatum contra juramentum, si illud emittant) peccant etiam contra justitiam commutativam erga damnificatos, et tenentur de damnis sua negligentia non impeditis in defectu damnificatorum [1]; cum ideo stipendio conducti sint, ut dominum servent indemnem.

An autem præter damna teneantur in conscientia etiam solvere *mulctam*, quam dominus a reis percepisset, si ipsi eos denuntiassent, disputant. Valde probabiliter affirmant Layman, Sotus et Sporer; quia omissio denunciationis, quæ est facienda ratione officii, est causa, ut illud jus amittatur. Attamen communius ac satis probabiliter negant Lessius, Lopez, Lugo, Salmanticenses et Sanchez: ratio est, quia lex pœnalis non intendit, ut fiscus vel domini dicantur mulctis [2]; sed tantum, ut illi serventur indemnes ac transgressores puniantur. Unde non est nisi indirecte, quod illæ debitæ sint, nempe post sententiam: ac proinde nec fiscus nec domini jus strictum, seu acquisitum habent ad illas. Qua ex doctrina concludunt, quod fiscales non denuntiando peccant tantum contra justitiam legalem in ordine ad mulctam, ideoque tenentur tantummodo resarcire damnum vectigalium, quæ mercatores debuissent. Idem dicunt de judice mulctam punitoriam non exigente: et talis est praxis ex Gury, cui communis sensus concordat.

Pariter communissime dicunt, neque illum teneri ad mulctam, qui impedit, ne mulcta fisco applicetur ante sententiam: vel quia fiscus ante sententiam nullum ad pœnam jus acquirit; vel quia sic saltem accipitur communiter hoc fisci jus ad pœnas.

Art. II. — *De eo cui restitutio facienda est, de ordine et restitutionis circumstantiis.*

678. Q. 1. *Cuinam restituenda sunt bona certa?*

R. Bona certa ordinarie loquendo restituenda sunt possessori legitimo, quamvis non sit eorum dominus, ut si esset depositarius, locatarius; hic enim jus habet bona illa penes se retinendi. Diximus *ordinarie loquendo*, quia si bona restituenda in manu posses-

[1] Excipe: nisi prudenter præsumi possit, dominum damnum condonare, ut eveni in reus levioris momenti, aut cum damnum fit a pueris, pro quibus una vel altera vice sufficit ex præsumpta domini voluntate et consuetudine secreta monitio. — *V.* Ferraris; V. *Locatio, Restitutio*, a. 1. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 383; l. IV, n. 237.

[2] Hujus generis mulctæ, quæ cedebant fisco, in Pedemontano regno hodie applicantur beneficentiæ operibus, quæ iis in locis existunt, ubi transgressio contingit.

soris periclitentur, v. g., si iisdem sit abusurus in sui aut aliorum perniciem, utiliter geret negotium domini ille, qui domino ea non restituit; nisi aliud obstet [1].

Hic nonnulla notanda ex lege civili: 1. Solutio bona fide facta illi, qui crediti titulum possidet, valida est, etsi postea possessor crediti evictionem patiatur *(art.* 1242) [2].

2. Nulla est solutio facta creditori, qui ad eam recipiendam capax non est, ut est minor, interdictus, etc. Excipe nisi debitor probaverit rem a se solutam in creditoris utilitatem versam fuisse, ut si inservierit ad necessarias impensas pro conservatione ejus fundi.

3. Solutio facta a debitore creditori suo in damnum positi sequestri, vel factæ exceptionis, non valet quoad illos creditores, in quorum utilitatem sequestrum positum fuit vel facta exceptio. Isti enim possunt adstringere debitorem ad novam solutionem quoad eorum jura; salvo debitori regressu contra creditorem *(art.* 1246) [3].

4. Debitor adigere nequit creditorem ad recipiendam per partes solutionem, licet debitum sit divisibile *(art.* 1237) [4].

679. Q. 2. *Quibusnam sunt restituenda bona incerta, quorum nempe dominus post diligentem inquisitionem cognosci non possit?*

R. Si dominus ille incertus est in particulari, si nempe sciatur quidem bona illa spectare ad tres, aut quatuor homines in particulari, sed ignoretur ad quemnam præcise pertineant, tunc illa inter tres vel quatuor illos homines dividenda erunt pro rata dubii, nec posset tunc restitutio fieri pauperibus: *quia ego Dominus*, ait Deus apud Isaiam, *odio habens rapinam in holocausto* [5].

At si res etiam in generali incerta est, vel illa acquisita fuit *mala fide*, puta ex furto, aut usuris; vel *dubia fide*, ut si rem obtinueris suspensus, an tua revera sit, necne; vel *bona fide*, ut si ab ignoto et transeunte mercatore decem ulnas panni accipias pro quinque.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 596. — Ferraris; V. *Restitutio*, art. 3.

[2] « *Esempio:* il mio creditore muore; uno dei suoi parenti gli succede, e si mette al possesso dei suoi beni: pago il mio debito e sono interamente liberato. Poco monta che un parente ignoto di quello più prossimo si presenti e ottenga, in azione d'evizione, il possesso dell'eredità, poichè ogni possessore è di diritto presunto proprietario: *possessor pro domino habetur*. È colpa del proprietario vero di non essersi presentato. È però necessario che io fossi in buona fede, cioè credessi che colui cui pagai, era l'erede vero. » — *C. G.* 1240; — *C. S.* 1195, — *C. P.* 1217; — *C. M.* 1291; — *C. T.* 621 et seqq.

[3] « Con questi atti s'impedisce che il debitore sia soddisfatto di quanto gli deve un terzo. — *Esempio:* voi dovete 6,000 lire che ricusate di pagare. Paolo ve ne deve 4,000 che è pronto a pagarvi: faccio opposizione e chieggo che a me siano pagate a conto di quanto mi è dovuto. Se non ostante tale opposizione Paolo vi paga, potrò, dopo accolta la mia domanda dal tribunale, obbligarlo a rimettermi 4,000 lire, come se ve le dovesse ancora, salvo a lui il diritto di chiedervi le 4,000 lire che vi ha pagate, poichè col mezzo dell'atto di opposizione era reso avvertito che poteva essere obbligato a pagare a mie mani, ed io era quasi diventato suo creditore. »
C. A. 1424, 234, 239, 961; — *C. G.* 1241; — *C. S.* 1194; — *C. P.* 1218; — *C. M.* 1295; — *C. T.* 623 et seqq.

[4] *C. A.* 1413; — *C. G.* 1243; — *C. S.* 1194; — *C. P.* 1220; — *C. M.* 1297; — *C. T.* 633.

[5] Is. LXI. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 589.

Si 1, res illa est danda pauperibus aut locis piis; nemini enim fraus sua patrocinari debet, nec commodum quis debet reportare ex sua iniquitate.

Si 2, perseverante dubio post debitam inquisitionem, res illa partim tribuenda est pauperibus et partim retineri potest; cum enim par sit ratio, et par esse debet conditio ac jus.

Si 3, tunc si spectatis omnibus circumstantiis, est adhuc possibile, ut dominus inveniatur, res vel ejus pretium servari debet. Et si neutrum servari possit, in pios usus fiat conversio juxta voluntatem domini rationabiliter præsumptam, qui rei dominium conservat, quandiu illa suas in manus redire potest. Quod si non est amplius possibile, ut dominus inveniatur, eo in casu res habetur tanquam derelicta, juxta veriorem sententiam.

680. *Quid* (quæres) *si res mala fide acquisita tradita sit pauperibus, et postea dominus compareat?*

R. Quando fuit præmissa debita diligentia ad inveniendum dominum rei, si post factam distributionem pauperibus, ipse dignoscatur, alii cum Ledesma, Navarro, Henriquez docent, rem illam domino non amplius esse restituendam, quia tunc pauperes absolute acquisierunt dominium. Alii communius cum Laymano, Lessio, Sporer, Salmanticensibus dicunt, quod si res existat, debet pauper illam restituere; vel id in quo evadit ditior, si illam consummaverit, quia videtur distributio facta sub tacita conditione, ut res redeat ad dominum suum, illo comparente.

Sed verius huc redit quod dictum est de acquisitore *bonæ fidei;* nempe si post adhibitam debitam diligentiam pro rei natura, adest adhuc, judicio prudentis, aliqua spes dominum inveniendi, tunc pauper non acquirit ejus dominium, et proinde debet eam domino servare aut ejus pretium, et illi restituere, si forte compareat. Si vero, spectatis omnibus circumstantiis, non amplius videatur possibile quod dominus inveniatur, tunc saltem in foro conscientiæ pauper acquisivit absolutum dominium illius rei. Et quidem sine onere restitutionis, neque etiam ex parte ejus qui illam pauperi tribuit; quia hujus culpa jam fuit abstersa per restitutionem factam eo modo quo potuit et debuit in tali casu fieri.

681. Q. 3. *Quisnam in restitutione facienda servandus est ordo* [1]*?*

R. 1. Hic tria sunt præmittenda: — 1) qui rem alterius apud se tenet, quocunque titulo teneat, eam debet vel domino, vel ejus hæredibus tradere, quia res semper clamat ad dominum; — 2) debita ex titulo oneroso, v. g., ex contractu venditionis, prius solvenda sunt

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 684; — Ferraris; V. *Restitutio*, art. 4.

debitis ex titulo gratuito, v. g., ex donatione, ut communiter docent, etiamsi hæc facta sit ab eo, qui quando donavit, impar non erat ad solvenda debita; nam in omni promissione gratuita hæc semper includitur conditio generalis: *si fortius vinculum non obsit* [1]. Est etiam axioma: *nemo liberalis, nisi liberatus.* Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia vota et legata etiam pia. — 3) Si debitor omnibus creditoribus satisfacere potest, nullus ordo necessario servandus est, ut patet, modo suo tempore omnibus solvat. Si vero nequeat omnibus satisfacere, tunc creditores a creditoribus sunt distinguendi, quorum alii sunt *privilegiati* qui ex legis civilis privilegio jus habent debitum suum ante alios repetendi; alii *hypothecarii,* qui titulo assecurationis in bonis debitorum fundatæ, jus habent solutionem obtinendi post privilegiatos; alii *communes* et *simplices*, qui nullo privilegio vel hypothecæ privilegio gaudent. Quæ distinctio obtinet etiam in conscientia cum sit in bonum commune, ut ait s. Antoninus cum Theologis universim. Hoc posito:

R. 2. Ante omnia in conscientia solvenda sunt debita privilegiata, etsi aliis debitis sint tempore posteriora; ita jure statutum est. Si porro eadem est ratio privilegii, eadem est ratio concursus [2], juxta mensuram debiti [3]; secus videatur non tempus, sed privilegiorum qualitas. Etenim privilegia alia constituta sunt in omnibus mobilibus, ita ut de iis omnibus peti possit solutio: tales sunt *impensæ judiciales* et *funeris, stipendia medicorum, famulorum, subministratio alimentorum a sex ultimis mensibus*, etc. Alia constituuntur in quibusdam mobilibus tantum. Item alia in immobilibus. Alia in bonis tum mobilibus tum immobilibus, id est in universam substantiam, ita ut de universa substantia solutio peti judicialiter possit.

Secundo loco solvendi sunt creditores hypothecarii, servato temporis ordine, nempe qui primo inscripti sunt in officio hypothecarum; hic enim *qui prior est tempore, potior est jure* [4].

Tertio loco solvendi sunt creditores communes, dividendo bona inter illos juxta debitorum proportionem; nam cum debitor omnibus æqualiter sit obstrictus, iniquum foret omnia uni solvere, aliis posthabitis. Idque probabilius tenet etsi debita alia solvenda sint ex

[1] Aliter esset si donatio jam sit consummata, et res donatario tradita sit; tunc contractus firmus est ac stabilis, atque in absolutum dominium donatarii res transit.

[2] « Un medico curò un ammalato, e il farmacista fornì i rimedi; a ciascuno si denno 100 franchi. Se, pagando le spese di giustizia e funerarie, non restano che franchi 100, il medico non sarà collocato prima del farmacista, nè questi prima del medico; onde verranno per contributo prendendo 50 franchi cadauno. »

[3] « Per *esempio:* se a Tizio sono dovute lire 3,000 e a Cajo 2,000, se sono debiti egualmente privilegiati, e non vi fossero che lire 500, il primo riceverebbe lire 300, l'altro 200. *Cod. civ.*, art. 1952. — *C. A.* 60; — *C. G.* 2093; — *C. S.* 1965; — *C. P.* 2122; — *C. R.* 60; — *C. M.* 2114; — *C. T.* 1171.

[4] *De hypotheca* vide supra n. 433.

delicto, alia tantummodo ex contractu: item etsi unus de creditoribus sit pauper, alter dives; nam justitia commutativa non respicit qualitatem eorum cui debetur, sed res quæ debetur.

Ceterum utrum creditores communes, qui priores sunt tempore aliis sint præferendi, quorum credita posteriora sunt, atque illis antea integre solvendum sit, disputant. Alii probabiliter negant cum Azorio, Holzman, Lessio, Vasquez, etc.; ratio quia hisce creditoribus non bona, sed ipsa persona ligata est, quæ omnibus æqualiter obnoxia est. Sed alii probabilius et communius affirmant cum s. Antonino, d. Thoma, Concina, Croix, Navarro, Salmanticensibus, Suarez, etc.; nam regula *qui prior est in tempore, potior est in jure*, licet a jure civili pro solis hypothecariis assignata sit, attamen a Jure canonico [1] illa admittitur pro omnibus. Et quod præcipuum est, id fundatur in Jure naturali; creditor enim anterior personalis, quamvis directe personam debitoris, indirecte tamen habet obligata etiam ejus bona, in quibus proinde non debet præjudicari a creditore superveniente.

682. Q. 4. *An prius exigenti liceat prius persolvere?*

R. Si creditor in judicio petit, commune est licere ipsi prius totum persolvere, etsi tempore posterior sit; lex enim tale tribuit privilegium in obsequium publici judicii [2]. Imo adhuc communissime et probabilius affirmant Billuart, Lessius, etc., contra Lugo, si creditor sibi satisfieri petat extra judicium, modo ipsi tribuantur bona non aliunde obligata, id est quæ jam aliis non sint debita ratione privilegii vel hypothecæ, et modo *absit fraus;* jura enim favent vigilantibus, et non distinguunt in judicio, an extra [3]. Non ideo tamen potest debitor non rogatus arbitrio suo uni præ alio satisfacere, cum id nulla lege fuerit ei concessum: et tunc qui accepit tenetur refundere pro rata aliis creditoribus; quia leges intendunt solum præmio afficere diligentiam creditoris exigentis, non autem dare illi jus retinendi id quod injuste debitor solvit proprio marte.

Diximus: *modo absit fraus;* quæ tamen adesset, si publice jam declarata sit cessio bonorum; nam tunc debitor omni actione spoliatus existeret. Hinc creditores a lege civili jus habent impugnandi omnes actus, quos debitor egit in fraudem creditorum. Sic si debitor velit renuntiare hæreditatem sibi delatam, vel usumfructum sibi constitutum, qua renuntiatione fiat impos ad solvendum, creditores illam fraudulentam renuntiationem prohibere possunt, et ipsi subingredi

[1] *Reg.* XLV *jur.*, in 6. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 690.
[2] Art. 1970; — *C. G.* 2123; — *C. S.* 2007; — *C. P.* 2177; — *C. R.* 120; — *C. M.* 2175; — *C. T.* 1147.
[3] L. pupill. *ff. quæ in fraud.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 692 693.

in jus debitoris pro quota crediti [1]. Addit Codex civilis: *Trattandosi di atti a titolo oneroso la frode debbe risultare dal canto di ambedue i contraenti. Per gli atti a titolo gratuito basta che la frode sia intervenuta per parte del debitore* (art. 1235) [2] *(F).*

Hic tamen notamus cum sapienti Billuart, creditores illos minime esse inquietandos qui, exorta de fortuna debitoris suspicione, debitum repetunt: tum quia hæc est vigilantia; tum quia non constando de impotentia debitoris, jus suum legitime prosequuntur.

683. Q. 5. *Quisnam restitutionis ordo servandus est inter causas negativas et causas positivas?*

R. Inter varios cooperantes ille tenetur primo loco restituere, qui rem alienam habet; cum ea semper clamet ad dominum. Neque obstat, si eam consumpserit; quia recte *pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.* Quod si nemo rem alienam unquam habuerit, ut evenit, v. g., si ea in incendio fuerit consumpta, tunc primo loco tenetur restituere *mandans*, sive consilio sive imperio mandaverit; quia ipse fuit primus movens, et princeps causa [3]. — Secundo loco tenetur *executor* seu mandatarius; quia est principalis, qui post mandantem damnum immediatius attingit. — Tertio loco ceteræ *causæ positivæ:* consulens in alterius gratiam, consentiens, laudans, etc., habita videlicet ratione cooperationis; neque enim una est magis vel minus principalis causa respectu alterius, sed unaquæque in suo ordine cooperata est. Quia tamen ad totum est cooperata, sunt qui quamlibet causam obligant ad totum damnum resarciendum, aliis deficientibus. Hæc de causis positivis.

Ultimo loco veniunt *causæ negativæ*, sed in aliarum defectu; quia cum causa positiva sit potior in influxu, ideo prima esse debet in restituendo. Porro inter causas negativas illa primitus tenetur, quæ magis damnum avertere tenebatur: sic custos specialis rei alicujus probabilius tenetur ante custodem generalem, cujus est primario invigilare in speciales custodes, non in rem ipsam. Ordinarie tamen inter eas nullus videtur ordo adesse; cum illæ æqualiter de re te-

[1] Art. 949. — Quid *si debitor ecclesiasticum Beneficium possideat; potest ne lex civilis illum a renuntiatione prohibere?*

R. Esto quod possit sequestrare fructus jam a Beneficio perceptos; at non potest ejus renuntiationem impedire; nam Beneficium, si sit ecclesiasticum, non est juris civilis, ut de illo valeat disponere.

[2] « Sarebbe infatti troppo dura cosa, che contro il creditore potesse prevalere una donazione, benchè vi sia buona fede per parte del donatario. Il donatario *certat de lucro captando;* mentre il creditore che impugna quella donazione, *certat de damno vitando.* » — *C. G.* 1167; — *C. S.* 1120; — *C. P.* 1129; — *C. M.* 1208.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 279. De consulente (damno ex consilio secuto) ait s. Alphonsus *(Op. Mor.*, l. III, n. 560): « Si consilium sit utile illud præbenti, ipsum primo teneri; secus si soli executori. Si tamen sit utile utrique, utrumque teneri pro rata: et idem puto, si ex damno illato neutri utile evenerit. In defectu autem alterius tenentur in solidum. »

neantur, ac per se loquendo ad suam tantummodo partem obligentur, quia neutra est alterius instrumentum. Aliis tamen deficientibus, valde probabiliter unaquæque causa negativa tenetur ad totum, cum revera unaquæque totum damnum avertere tenebatur.

Hoc autem maximum est discrimen inter causas tum positivas tum negativas: 1) quod causa, quæ primo loco tenetur, semper teneatur restituere, licet aliæ causæ subordinatæ restituerint, id est solutum in istas refundendo: nam ipsa est causa prima. Ceteræ autem non tenentur, nisi quando recte præsumunt, primas causas vel non posse vel nolle resarcire damnum; — 2) si damnum passus illud principali damnificatori condonaverit, ceteræ causæ liberantur, quia principale deficit cum accessorio. Secus si condonatio fiat minus principali, tunc hic solummodo liberatur.

684. Q. 6. *Quo tempore facienda est restitutio?*

R. Si restitutio seu potius solutio facienda est ex contractu, fier debet eo tempore, quo fuit conventum, etiamsi eam creditor non petat; quia *dies interpellat pro homine*, uti fert juris adagium. Ubi vero nullum conventum fuerit tempus, non peccat graviter qui restitutionem differt quoad rogetur a creditore; nam creditor scienter non petendo videtur consentire dilationi, et talis est usus [1]. Excipe nisi ob timorem, oblivionem aut impotentiam creditor omittat monere debitorem: item nisi debitor ad solvendum se obligaverit juramento; nam juramentum de se obligat quamprimum. Neque dicas quod juramentum sequitur naturam contractus; respondent enim Salmanticenses: juramentum sequitur naturam contractus, sed primordialem seu actus substantialem: porro quod in contractu monitione opus sit, est tantum ex accidenti, nempe ex consuetudine, non autem ex se.

Si vero restitutio facienda sit ex alio titulo, illa fieri debet statim ac moraliter potest; secus non restituens esset morosus detentor, et privaret alterum usu rei suæ. Quod si nequeat obligationi huic suæ satisfacere pro toto, tenetur pro parte quam potest; utile enim per inutile non vitiatur. Item qui non potest commode restituere aperte, restituat occulte; qui nequit per se, faciat per alium, v. g. per ipsum confessarium aut amicum. Attamen excusatur a mortali qui differt restitutionem ad breve tempus, si dominus nec grave damnum patiatur nec graviter censeatur invitus: Palaus spatium 20 dierum putat ordinarie tempus breve esse [2].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 676, etc. — Pavone, *Spicilegio*, § 95. Monet imo Lugo cum aliis non illico damnandum de culpa gravi qui differt solvere debitum ex contractu sine gravi damno creditoris, licet iste petat; quia talis dilatio non videtur tunc graviter et injuriosa.

[2] Hic observandum cum Antoine, licitum esse debitori anticipate solvere debita sua, si terminus fuerit præfinitus in ejus favorem, ut in mutuo; nam quisque potest juri

An (quæres) *qui differt restitutionem ultra tempus definitum, teneatur compensare damna, quæ ideo creditor patitur?*

R. Si restitutio fieri debet ex contractu et non sit culpabilis mora, ex communi sententia non sunt in conscientia compensanda damna; neque enim quis portare debet tantum onus sine culpa [1]. Si vero restitutio fieri debet ex delicto, puta ex furto, probabilius et communius docent Croix, Layman, Lessius et Lugo debitorem teneri compensare omne damnum ex dilatione proveniens, etsi habeat nunc justam causam differendi; quia licet justa dilatio posterior non sit causa damni, tamen revera causa fuit illa prima injusta acceptio.

685. Q. 7. *Quid de eo qui non vult restituere, nisi in morte?*

R. Qui non vult restituere nisi in morte, non debet absolutionis beneficio donari; quia semper est in statu habitualis peccati, juxta illud Augustini: *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum* [2]. Restitutio enim omni tempore semper urget: *Retentio rei alienæ*, ait Angelicus, *contrariatur præcepto negativo, quod obligat semper et ad semper; et ideo tenetur semper ad statim restituendum* [3]. Excipitur: 1) si debitor sit in bona fide, neque monitio prævideatur ei profutura; tunc ne peccatum ipsum materiale evadat formale, in sua bona fide relinquendus est; 2) si adsit causa restitutionem differendi, v. g., si statim fieri nequeat sine scandalo vel infamia: tunc enim dilatio rationabilis est.

Sed (quæres) *qui culpabiliter restitutionem differt ac negligit, præter peccatum habituale, committitne nova peccata actualia?*

R. Prima sententia cum Suarez, Vasquez, Tapia, etc. docet tot peccata actualia ab eo committi, quot sunt occasiones restituendi, vel quoties a domino res petitur, vel de restitutione a confessario monetur. Item quoties ipse proponit se nolle restituere: imo quoties per somnum, vel per alias causas distrahitur; tunc enim (ajunt) tot sunt interruptiones, ideoque et totidem nova peccata. — Secunda vero opinio cum Lugo, Navarro et aliis tradit, quod si voluntas retinendi non revocatur per contrariam voluntatem, unum tantum adest peccatum, licet per annum et amplius restitutio negligatur. Tale enim peccatum (inquiunt) licet physice interrumpatur, non interrumpitur moraliter; cum mala voluntas non retractetur, et virtualiter perseverare dicenda sit in externo opere, scilicet in retentione rei alienæ: ideoque putant sufficere, si pœnitens confiteatur restitutionis omissionem, quin tempus exprimat, quo ipsa omissio perduravit.

suo cedere; neque tunc terminus appositus est, ne solutio anticipate fiat; sed ne ultra differatur. Secus, si terminus sit appositus in favorem creditoris; nam fieret injuria creditori habenti jus, ne sibi fiat solutio ante præfinitum tempus: ita ex l. xv, § *de ann. legat.*

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 680 et 704. Si restitutio facienda sit in pecunia, aliquando ex lege civili ipsa fructus producit, ut jam dictum est *De contractibus*, ubi de eorum obligatione.

[2] Ep. CLIII *ad Maced.*, al. 54.

[3] Supplem. q. 6, a. 5.

Prima sententia est probabilis; at secunda videtur probabilior. Merito tamen censet Diana, quod si fur redditur impotens ad restituendum, et deinde factus potens, data opportunitate non restituit, novum peccatum committit; quia per tempus impotentiæ voluntas non restituendi non perseverat in effectu [1].

686. *Eritne* (quæres) *debitor absolvendus antequam restituat?*

R. Regulariter loquendo non est absolvendus, si restitutio sit ipsi moraliter possibilis; luctuosa enim experientia docet, debitores post absolutionem, raro admodum restituere. Quare s. Thomas a Villanova: *Prius ergo vadat* (pœnitens) *et... pecuniam alienam restituat... et tunc ad confessarium redeat, ut absolvatur* [2]. Si tamen prudens confessarius revera deprehendat ipsum debitorem sincere paratum ad restituendum quam primum, recte procedet, si absolutionem impertiatur etiam pro tertia vice, modo tales occurrant circumstantiæ impellentes, ut ipse confessarius solo restituendi proposito debeat esse omnino contentus: quod tamen raro evenit.

687. Q. 9. *Quo loco et cujus impensis fieri debet restitutio?*

R. Si agitur de restitutione facienda ex vi contractus (quanquam proprie loquendo tunc non tam habeatur restitutio, quam solutio), citra specialem conventionem, en legis determinatio æquitati conformis: *Il pagamento deve farsi nel luogo fissato dal contratto. Non essendo fissato il luogo, e trattandosi di cosa certa e determinata, il pagamento deve farsi nel luogo, ove al tempo del contratto si trovava la cosa, che ne forma l'oggetto. Fuori di questi due casi, il pagamento si deve fare nel domicilio del debitore. Le spese del pagamento sono a carico del debitore* [3].

Si vero restitutio aliter facienda est, quam vi contractus, tunc vel agitur de possessore bonæ fidei; vel de possessore malæ fidei.

Si 1, restitutio facienda est in loco, in quo res extat, et impensis domini; ipsa enim naturalis æquitas minime patitur, ut possessor bonæ fidei absque culpa sua damnum aliquod patiatur. Quando tamen primo advertit rem esse alienam, statim debet ejus dominum admonere, ut possit sibi consulere. Si 2, restitutio facienda est in

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n 683; l. V, n. 40.
2 *Fer.* 6 *post. Dom.* IV *Quadr.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 682.
3 Art. 1249; — *C. A.* 1420; — *C. G.* 1247; — *C. S.* 1200; — *C. P.* 1224; — *C. M.* 1302; — *C. T.* 628. « *Di cosa certa e determinata:* per esempio, vi ho venduto il grano che si trovava nei granai; ve lo dovrò rimettere nel granajo, e non essendovi convenzione contraria, siete obbligato a riceverlo *al domicilio del debitore*, perocchè le clausule s'interpretano a favore del debitore. *A carico del debitore;* essendo esso obbligato a consegnare la cosa. Essendovi spese a fare per trasportare l'oggetto in luogo determinato, esse sono a di lui carico: lo stesso dicasi delle spese necessarie per far risultare del pagamento, per esempio, quelle di quietanza, qualora si dovesse fare innanzi notajo, od insinuare.

» Questione: *dovrà il creditore pagare la multa per aver fatta quitanza su carta libera?* No, per ragione che le spese di bollo fanno parte delle spese di pagamento; e però dal debitore si fa frode alla legge. » *Cod. spieg.*

loco, ubi dominus eam possedisset, si non fuisset ei subrepta, et expensis possessoris malæ fidei vel injusti damnificatoris, iis tantummodo deductis, quas fecisset dominus in ejus conservatione et translatione. Nam si ex una parte dominus ob alterius culpam jacturam pati non debet, ex alia neque locupletari de alienis.

688. Q. 9. *An debitor iterum debeat restituere, si debitum per nuntium fidelem ad creditorem missum, alterius culpa vel casu perierit in ejus translatione?*

R. Si res est restituenda solum ex re accepta, seu a possessore bonæ fidei, illa perit domino; quia possessor bonæ fidei non est in culpa neque in ea acquirenda neque in ea transmittenda. Hinc qui in grege suo ovem alterius casu inveniat, et mittat per virum fidelem ad dominum, perit domino, si in translatione pereat.

Si vero res debetur ex contractu, pariter debitor ad nihil amplius tenetur, casu, quo agatur de re existente in individuo, puta si sit commodatum, vel depositum; nam res sicut stat, ita perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus si agatur de pretio solvendo; quia debitor dominium in illud servat, donec ad creditorem, vel ad personam a creditore designatam pervenerit.

Si tandem agatur de debitore ex delicto (seu fure), tunc ipse non liberatur a nova restitutione in dicto casu, ut communis ac tenenda sententia contra Lessium, Sporer et Frassinetti docet: nam debitor ex delicto tenetur ad omne damnum licet fortuitum; quia ex jure *culpa præcedente, casus etiam fortuitus imputatur*. Præterea fur tenetur dominum efficaciter reddere indemnem eum restituendo in illum statum, in quo erat antea. Adde si res in manu furis periret, fatentibus omnibus, ipsi periret; ergo a pari ipsi perire debet in manibus nuncii, cum illius personam repræsentet. Excipe: 1) si dominus designaverit nuntium, per quem res mittenda erat; tunc nuncius gereret personam creditoris; 2) si nuntius a judice fuerit designatus; judex enim creditoris causam tuetur ac vestit; 3) si creditor ipsi debitori expressis verbis libertatem tribuerit eligendi nuntium, et nuntius prudens, ac fidelis fuerit electus a debitore [1].

689. Q. 10. *Cum quo damno debet injustus damnificator restituere?*

R. Damnum hic est pensandum comparative ad subjectum; nam fieri potest, ut damnum decem libellarum respectu debitoris inopis sit longe majus, quam damnum libellarum centum respectu creditoris opulenti, et contra. Quo posito, sententia communissima et probabilior cum Billuart, Lugo, Vogler, etc., negat damnificatorem teneri ad restitutionem cum quocunque sui damno etiam gravis-

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 704.

simo ; justitia enim est virtus præcipiens prudentiam et æquitatem, ideoque non potest obligare ad restitutionem cum quocunque damno etiam gravissimo debitoris : tunc dominus ipse censetur irrationabiliter invitus. Pro certo iccirco dicimus, damnificatorem hujusmodi teneri ad restitutionem cum damno simili : imo Lugo, si agatur de re magni momenti, obligat furem ad restituendum, etiamsi passurus sit damnum duplo majus, ut si, v. g., ad restituendum tria debeat expendere sex ; cum enim sit in culpa, merito illum excessum sustinere debet, ut dominum indemnem faciat.

Quod si restituere nequeat, nisi cum sumptibus longe majoribus, et nequeat ope cambii pretium transmittere, vel rem conservare domino aut ejus hæredibus, in probabiliori saltem sententia, sufficit, ut rem tribuat pauperibus, quia sic videtur charitati conforme : nam tunc restitutio habetur moraliter impossibilis. S. Antoninus, Billuart, Lessius, Lugo, Sporer aliique communiter [1].

CAPUT SECUNDUM

DE CAUSIS A RESTITUTIONIS OBLIGATIONE EXCUSANTIBUS.

690. Q. 1. *Quænam sunt causæ a restitutione excusantes?*

R. Causæ a restitutione excusantes sex præcipuæ numerantur, quarum tres primæ temporaneæ sunt, quæ illis tantum durantibus, ceteræ vero sunt perpetuæ, quæ videlicet pro semper extinguunt obligationem restitutionis [2].

Hisce autem versibus breviter exprimuntur :

Sex, ne restituas, possunt permittere causæ :
Si impos, si damnum faceres, si cesseris æri,
Parcant, compensent, componat summa potestas.

1. **Impotentia:** tum physica, tum moralis. *Physica,* cum nempe quis neque in re neque in spe habeat, unde restituere valeat; sane nemo potest ad impossibile obligari. *Moralis,* si nempe absque magna difficultate restitui non possit; hæc enim in moralibus idem est ac si esset omnino impossibilis. Qua in re commune est, debitorem non teneri ad restitutionem cum jactura bonorum superioris ordinis : ideo regulariter nemo restituere debet bona fortunæ cum

1 *V.* Liguori, *Opus Mor.,* l. III, n. 598.
2 *V.* Liguori, *Opus Mor.,* l. III, nn. 697 et seqq. — Ferraris ; V. *Restitutio,* a. 5. An etiam ingressus in Religionem liberet a restitutione, vide *De obligationibus,* n. 481, l. I.

detrimento suæ famæ; quia tunc creditor non est rationabiliter invitus; nemo enim ita cum se ipso agi vellet.

Ergo a restitutione liberatur tum jactura *animæ suæ vel suorum*, v. g., periculum desperationis, vel ne filii dent operam latrociniis; tum jactura *vitæ*, v. g., si debitor per restitutionem pecuniæ esset periturus: cum in extrema necessitate liceat aliena retinere, sicuti licet eadem auferre. Item jactura *status juste acquisiti*, adeo ut nemo teneatur agrum vendere ut illico solvat, nec artifices instrumenta suæ artis, quibus necessaria acquirunt ad sui suorumque sustentationem, aut si ideo magnum damnum subeant. Idem est si civis primarius debeat obire artem mechanicam sibi insuetam; vel si nobilis nequeat restituere, nisi se privet famulis, equis, armis, etc., si inde magnam admirationem excitet, adeo ut videatur suum statum mutare. Hoc enim in casu hi omnes restitutionem differre possunt, ut commune est cum Alasia, Concina, Lugo, Natali Alexandro et s. Antonino, etc.; nam pertinet ad bonum commune proprii status conservatio [1]. Id tamen intelligitur, dummodo creditori æquale damnum non sit obventurum ex tali restitutionis omissione vel dilatione. Insuper ipsi tenerentur sibi subtrahere ex non absolute necessariis, studendo parsimoniæ, minuendo famulos, mensam, vestitum, pompas aliaque hujusmodi, abstinendo quoque ab iis quæ solam voluptatem sapiunt, uti sunt quidam ludi et itinera; neque enim decentia status consistit in indivisibili [2].

Diximus: *juste acquisiti;* si enim status injuste acquisitus sit, puta rapinis, concussionibus, etc., etiam cum illius jactura restitui debet: quia non esset statum amittere, sed ad pristinum reverti. Excipe nisi id debitor agere debeat paullatim, ne bonum superius amittat, scilicet famam, si ea injusta status acquisitio ignoretur: inhumanum enim foret ac plurimos in baratrum desperationis pene conjiceret, si hujus rei non haberetur ratio.

2. **Damnum** grave creditoris ipsius, si prævideatur eidem obventurum in restitutionis hypothesi: v. g., si velit pecuniam mihi mutuo datam, ut ea utatur ad peccandum. Restitutio enim ordinatur ad utilitatem creditoris; ideoque non potest esse rationabiliter invitus, si debitor ei differat restitutionem, quia certo prævidet ipsam hic et nunc ejus animæ graviter noxiam esse futuram [3]. Aliter tamen dicendum esset: *a)* si restitutionis denegatio parum serviat ad culpam impediendam; quia nempe aliam pecuniam obtinere potest; *b)* si damnum proportionate grave debitori immineat, nam charitas cum tanto incommodo non obligat: esset, v. g., si debitor ideo perderet creditoris amicitiam sibi valde necessariam; *c)* si creditor debitorem continuis petitionibus vexet: ex repetitis enim pe-

[1] Excipiunt plures si debitor culpabiliter, v. g. ludis, crapulis in talem necessitatem se conjecerit. Verum hoc non obstante, si debitor e statu suo juste acquisito casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum statim obligare: ita s. Alphonsus, *Opus Mor.*, l. III, n. 703.

[2] Qui sane utitur parsimonia et industria sensim sine sensu plura congerere potest, quibus valeat sua debita solvere: unde non tam facile sunt audiendi, qui impotentiam adstruunt. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 762.

[3] S. Thomas, 2, 2, q. 65, a. 5. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 571 et 697.

titionibus multiplicantur peccata; *d)* si restitutio afferat creditori tantummodo temporale detrimentum, quod ipse licite potest subire; ut si petat solutionem pecuniæ mutuo concessæ, quam vult applicare convivio minime necessario. Ratio, quia non potes prohibere dominum aut creditorem graviter invitum, ne sua bona expendat in iis, in quibus satis licite potest.

Item excusat grave damnum reipublicæ, quod quidem omnimode impediendum est; cum sit damnum publicum. Item damnum tertii: unde quando dominus re in tertii damnum est abusurus, tu teneris ex justitia denegare illam, semper ac sine tuo graviori damno, vel saltem æquali, id possis. Nam ex una parte dominus non habet jus rem suam habendi in iis circumstantiis, ex alia autem parte tertius jus habet, ne quis in sui damnum cooperetur.

3. **Cessio** bonorum vel fori: est quando debitor debitis suis solvendis factus impar, bona omnia creditoribus cedit. Cessio duplex est: una *voluntaria,* quam omnes simul creditores libere acceptant; altera *judicialis*, quam lex ipsa debitori bonæ fidei ac infelici tribuit [1]: hæc autem non transfert bonorum proprietatem in creditores, sed ipsis jus tribuit exigendi, ut ea vendantur, et interim ut ex illis fructus percipiant [2]. Possunt quoque creditores reservare debitori administrationem sub datis regulis, moram concedere, partem remittere debitorum, ac alia ordinare in propriam utilitatem; modo non vergant in præjudicium hypothecarii aut privilegiati.

Manet tamen semper in omni casu obligatio præstandi integram solutionem, si ad pinguiorem fortunam debitor venerit; imo et quoad potest laborandi, ut aliquando creditoribus suis satisfacere queat, qui si compositionem ineunt cum debitore, ideo est quia plus habere nequeunt: nec propterea renuntiare censentur juri ad perfectam solutionem. Imo leges ipsæ civiles judicialiter concedentes illam bonorum cessionem, non intendunt creditores jure suo privare, sed tantum debitori privilegium impertiri, ne queat ob debita, quibus solvendis est impar, in carcerem detrudi; ideoque cessante impotentia, cessat etiam excusatio a restitutionis obligatione [3]. Verun-

[1] Fraudes punit *Cod. pœn.*, art. 381 et 626; V. *Cod. commerc.*, art. 543; et *Cod. proc. civil.*, art. 557.

[2] Etiam credita quæ habet qui bonis cedere coactus est, debentur suis creditoribus; quia a jure habent ut ex omnibus ejus bonis se indemnes faciant; et in foro conscientiæ tutus non esset qui illa credita tribueret ipsi cedenti, nisi agatur de parva re, vel de necessariis ad ejus victum. *Gousset, Gury.*

[3] « Quare videant (ait *Slapf*, § 72) quid æterno Judici aliquando responsuri sint, qui postquam fortunas suas dilapidarunt, et exinde bonis suis cedere coacti sunt, creditores adhuc dum defraudare pergunt, et de omnibus prius cogitant, quam qua ratione tum Deo tum hominibus allatas injurias resarcire possint. » *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 699. — Carrière, *De Contractibus*, nn. 414 et seqq.

tamen si creditores omnino sponte et libere debitori compositionem faciendo, reliquum condonassent, ille tunc ad ulteriorem solutionem non teneretur. Item bonorum suorum cedens, attento Jure naturæ, potest sibi aliquid clam retinere, si certo videat, quod pars sibi assignanda insufficiens sit sui suorumque necessitatibus; et si iis omnino indigeat, potest judici interroganti respondere, se non habere, quod nempe teneatur cedere [1]. Ceterum in hac re caute procedendum; quia plerumque bonorum cessores suas necessitates plus nimium exaggerant, et moderato victu qui ipsis convenit, nunquam contenti sunt.

4. **Remissio** creditoris, dummodo libera sit et non extorta vi, metu aut fraude, neque aliqua lege prohibita (ut, v. g., prohibita est Canonicis condonatio amissarum distributionum facta absentibus); cum enim creditor sit dominus rei suæ, potest eam alteri donare, sicque remittere obligationem illius restituendæ, si sit oblata. Quæ remissio, etiamsi tacita sit, valet; nam *taciti et expressi consensus eadem ferme est vis atque conditio.* Hic juverit duos proferre articulos *Codicis civilis;* primus est: *La volontaria restituzione del titolo originale sotto firma privata, fatta dal creditore al debitore, costituisce la prova della liberazione tanto in favore dello stesso debitore, quanto in favore dei condebitori in solido* (art. 1279). Alter sic habet: *La restituzione del pegno non basta per far presumere la remissione del debitore* (art. 1280) [2].

Etiam certo præsumpta remissio liberat, adeo ut liceat tibi rem alienam retinere vel accipere ex præsumpta voluntate domini, nempe quod si peteres libenter ille donaret, prout satis communiter docent cum Angelico: *quid enim dolo facit, qui putat dominum consensurum fuisse* [3]? Hinc dominus ob levia furtula servum expellens censetur eidem remittere omnem obligationem, hoc ipso, quod nihil petat et eum dimittat *(G).*

5. **Compensatio:** alia est *impropria:* et est debiti recuperatio, inscio debitore, facta. Evenit quando tantum auferimus de bonis debitoris, quantum satis est ad recuperandum quod nobis debitum

[1] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 158.

[2] *C. A.* 467; — *C. G.* 1286; — *C. S.* 1240; — *C. P.* 1267; — *C. M.* 1345; — *C. T.* 651 et seqq.

« La remissione del pegno dato a guarentigia del mio credito prova unicamente la volontà mia di affidarmi a voi per l'adempimento dell'obbligazione; ma non l'intenzione di rimettervi il debito. » *V.* Carrière, *De Contractibus*, n. 424.

[3] L. XLVI, § 7, *ff. de furtis.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 700. Neque obstat, quod ad Confessiones excipiendas, vel Matrimonio assistendum requiratur de validitate facultas data præsens et positiva; nam in nostro casu non requiritur positiva domini voluntas, sed satis est quod positive non sit invitus. Hac tamen in re non sunt laxandæ habenæ, ne furtis via aperiatur, ut recte observat Alasia.

est [1]. Alia est propria seu *legalis*, quæ nempe in contractibus obtinet, et definitur: *debiti et crediti inter se invicem contributio:* unde duo debita debent intervenire, quæ invicem compensatione extinguantur. Nulli dubium est, quod ea licita sit; nam resolvitur in veram debiti solutionem: imo expedit; sic enim inanes circuli evitantur in rerum translatione. Et probatur lege civili [2], ubi statuitur compensationem ipso facto, sub datis conditionibus, obtinere, insciis quoque debitoribus, usque ad concurrentem utriusque debiti, quod sit ejusdem speciei et æque exigibilis ac liquidi, quantitatem [3]. Dilatio quæ conceditur gratis debitori ad solvendum non obstat compensationi [4]; hæc tamen non obtinet contra jura a tertio jam acquisita [5].

Ex civili Jure compensatio non admittitur: 1) *quando si tratta della domanda per la restituzione della cosa di cui il proprietario fu ingiustamente spogliato ;* 2) *quando si tratta della domanda per la restituzione del deposito o del comodato;* 3) *quando si tratta di un debito il cui titolo deriva da alimenti dichiarati non soggetti a sequestro* [6]*;* 4) *quando il creditore ha preventivamente rinunziato alla compensazione* (art. 1289).

6. **Compositio.** Et est quando summus Pontifex suprema qua pollet auctoritate in commune fidelium bonum, ita rem componit, ut unam partem debiti impendat in pias causas, aliam condonans ipsi debitori ; supplendo tamen de thesauro Ecclesiæ utilitatem quæ domino obvenerit, si totum debitum in eleemosynam datum fuisset. Ut compositio legitima sit, requiritur: — 1) ut bona incerta sint; si enim domini *aliqualiter* cognoscantur, non poterunt sine injuria directe absque eorum consensu expoliari; — 2) ut adsit causa, secus esset illicita compositio in rebus ecclesiasticis, et in aliis bonis etiam invalida: quia in primo casu dispensat in lege propria, non

1 De compensatione impropria vide infra *De furto.*

2 Art. 1285; — *C. A.* 1438; — *C. G.* 1290; — *C. S.* 1243; — *C. P.* 1270; — *C. M.* 1348. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 521; — Ferraris; V. *Compensatio.*

3 « Per *esempio:* Tizio è debitore di lire 8,000 verso Cajo per residuo prezzo di un fondo da lui acquistato. Muore Cajo, e Andrea è suo creditore, e Tizio suo legatario per lire 3,000. Tizio può opporre la composizione sino a lire 3,000 ad Andrea che subentrò nelle ragione di Cajo. La compensazione si opera da sè sino alla concorrenza di lire 3,000, e però il debito di Tizio si riduce a 5,000. »

4 « Così Tizio mi dee dare 6,000 per mutuo; in vista delle sue disgrazie gli accordo tre anni di dilazione al pagamento successivi alla scadenza. Nel frattempo Tizio diventa legatario di Paolo di lire 8,000 che io quale crede di Paolo devo pagargli; la compensazione opera subito sino alla concorrenza di lire 6,000; e non potrebbe Tizio pretendere subito il pagamento dell' intero legato e riservarsi di pagare in seguito il suo debito portato bonariamente alla scadenza più lunga. »

5 « Per *esempio:* Tizio è debitore verso Cajo di lire 3,000. Andrea creditore verso Cajo sequestrò il credito che questi ha con Tizio. Indi Tizio diviene creditore verso Cajo di lire 3,000; egli non potrebbe più opporre la compensazione a pregiudizio di Andrea. »

6 « Tali sono gli stipendi e le pensioni dovute dallo Stato; gli assegni per alimenti. » *Cod. proced. civ.*, art. 591, 592.

item in secundo. Si tamen causa justa sit, semel facta compositio non revocatur, quamvis compareat dominus; quia jam dominium legitime translatum fuit. Ita Lugo contra alios, qui quidem volunt eo in casu debitorem teneri semper domino restituere illud in quo factus est ditior.

Hanc compositionem concedit vel ipsa Pœnitentiaria, ut docet Benedictus XIV Bulla *Pastor bonus*. Non tamen Episcopus; hæc enim facultas actus est supremæ potestatis [1].

DISPUTATIO SECUNDA

DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

CAPUT PRIMUM

DE BONIS ANIMÆ ET CORPORIS [2].

691. Bona spiritualia seu animæ duplicis sunt generis: supernaturalia et naturalia. *Supernaturalia*, quæ conducunt ad salutem æternam, uti gratia, sanctitas, virtutes, Sacramenta. *Naturalia* quæ referuntur ad ipsam naturam humanam ejusque perfectiones, uti usus rationis, ingenium, memoria, item scientiæ et artes.

Inter bona autem corporis hic præcipue numerantur *vita*, *membrorum integritas*, *virginitas*, *pudicitia* ac *castitas conjugalis*. De quibus omnibus ad rerum complementum est in præsentiarum agendum, etsi non omnia restitutionem inducant.

692. Q. 1. *Ad quid tenetur qui alium læsit in supernaturalibus?*

R. Qui alterum vi, fraude aut dolo læsit in bonis ordinis supernaturalis, v. g., illum inducendo ad peccatum, vel avocando a virtute, vel imbuendo falsa doctrina, tenetur ex justitia vim, fraudem et dolum auferre, eumque in pristinam libertatem restituere et omnia damna resarcire inde secuta; cum istorum fuerit causa positiva, efficax et injusta. Hinc qui pravos libros propagarunt (incautos falsis doctrinis imbuentes), eos quantum possunt colligere tenentur, reprobare, anathematizare, ne ulterius damnum afferant [3].

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 591.
2 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 660 et seqq. — Carrière, *De Justitia*, n. 1302.
3 Egregium reliquit exemplum Fénelon, qui licet bona fide errorem docuerit, Brevi Innocentii XII damnanti suum librum *(Maximæ dei Sancti)* non solum statim et ex toto corde adhæsit, laudabiliter se subjiciens; sed eundem librum solemniter reprobavit, diffusa exemplaria colligens. Utinam illum imitentur qui hisce nostris temporibus in fœdissimos errores impigerunt et eos ubique disseminarunt!

An autem sic ad malum inducens, ex justitia teneatur removere non tantum causas lapsus, sed etiam efficere, ut seductus convertatur, multi probabiliter affirmant: secus non satis damnum pravæ dispositionis injuste causatum repararet. Sed alii volunt ad id teneri tantum ex charitate; quia sicut qui ligavit Cajum et sic impedivit quominus iret ad templum, satisfacit si eum solvat, nec tenetur ex justitia curare, ut eat ad templum; ita et hic. Cum enim cesset vis et fraus, et alter sciat se deceptum, potest si velit ipse se a peccato expedire, sicque censetur alteri remittere obligationem se convertendi: quod si non agat, tunc id sibi tantummodo imputabitur.

Qui vero sine vi, fraude aut dolo sed mero consilio ac suasione alium ad peccatum induxit, ex justitia ad nihil tenetur erga inductum; nam qui peccat non seductus vi, fraude aut dolo, peccat sciens ac volens: scienti autem atque volenti, ex juris adagio non fit injuria: et *nullus spiritualiter moritur*, dicente Angelico [1], *nisi propria voluntate peccando*. Sed tenetur ex charitate, quoad potest, conversionem seducti procurare; ipsa enim naturalis æquitas ex charitatis præcepto exigit, ut auctor mali illud reparare nitatur suadendo saltem atque monendo. Hinc nemo non videt quanta sit obligatio corruptorum, qui alios ac præsertim juvenes incautos viam criminis edocent; cum difficile admodum sit ex eorum animis libidines deinceps propellere et extinguere.

693. Q. 2. *Ad quid tenetur qui alium læsit in bonis naturalibus?*

R. Qui alium læsit in bonis animæ naturalibus, iisdem subjacet obligationibus, quibus obnoxius est damnificator in bonis animæ supernaturalibus. Quapropter si quis alium veneno vel alio quovis medio efficaci privavit memoria, ingenio vel usu rationis, tenetur ex justitia reparare tum damnum personale, eum nempe a morbo curare quoad potest; tum omne damnum reale, quod inde secutum est, ut est amissio officii, lucri, etc. Item si quis officium vel conventionem susceperit alios edocendi artem, scientiam aut disciplinam aliquam, si munus tale susceperit absque sufficienti peritia, vel illud negligenter impleverit, non tantum prætium acceptum restituere tenebitur pro ratione suæ ignorantiæ aut negligentiæ; sed etiam damnum, quod intulit male docendo, reparare; ideo enim stipendium accipit, ut se utilem præbeat [2].

[1] 1, 2, q. 13, a. 8. Diximus *erga inductum;* si enim ideo lædatur jus tertii, erga tertium utique adesset obligatio justitiæ, ex dictis supra n. 667.

[2] Videant ergo quid supremo Exactori sint responsuri *tum* illi, qui ad salebrosa officia non meritis propriis, sed aliorum pervenientes, non curant quid valeant humeri, bene vero quid velit ambitio; *tum* illi, qui vix uni officio sufficientes, at superbi vel avari plura suscipiunt exolvenda, sed omnibus deficiunt; et si desint lau-

Corporis bona violantur per homicidium, mutilationem (vel aliud simile); item per stuprum et adulterium. Sit ergo:

Articulus I. — *De homicidio et mutilatione membrorum.*

694. Q. 1. *Quid est homicidium, quotuplex et quale peccatum?*

R. Ad 1: Homicidium (sic dictum ab *hominis cæde)* definiri potest *violenta occisio hominis facta ab homine.* Quæ enim fit a fera, proprie homicidium non dicitur, sed *pauperies* in jure appellatur.

R. Ad 2: Homicidium aliud est casuale, aliud voluntarium, aliud qualificatum, aliud simplex. *Casuale* contingit præter hominis intentionem. *Voluntarium* contingit ex ipsa hominis intentione, et dupliciter voluntarium esse potest: *directe*, cum quis data opera alium interimit; et *indirecte*, cum quis directe quidem alterius mortem non vult nec intendit; sed ponit ea, ex quibus potest prævidere mortem alterius secuturum. *Qualificatum* est quod speciales circumstantias habet adnexas: tale est ex moderno jure *veneficium*, quod cum substantiis veneficis; *infanticidium*, quod contra infantem recens natum; *assassinium*, quod vel proditorie, id est sub specie amicitiæ, vel habita præmeditatione, vel insidiose perpetratur. Sed maxime venit cædes *parentum*, *conjugis*, *principis* ac *personæ sacræ*, quæ singularem qualificationem et atrocitatem involvit ac gravius punitur. Quod porro hisce circumstantiis non est vestitum, dicitur *homicidium simplex.*

R. Ad 3: Injusta hominis occisio vetita est quinto Decalogi præcepto: *non occides.* Est autem peccatum gravissimum *in Deum*, qui solus est mortis et vitæ dominus; *in rempublicam*, cum sua parte privetur: *in occisum*, cum ei bonum adimatur temporale maximum, irreparabile ac aliorum bonorum fundamentum. Hinc est, quod jure omni punitur.

Jure canonico lata est irregularitas: et in mandantes occidi christianum excommunicatio ipso facto incurrenda; item depositio ab omni dignitate, officio et Beneficio [1]. Quæ tamen pœnæ probabilius non incurruntur ab ipsis mandatariis, quia lex loquitur tantum de mandantibus, et eos occultantibus ac defendentibus [2]. *Jure diœcesano* est

datores, ipsi se apud suos inferiores, arrepta occasione, ad nauseam attollunt. Oh quam vera est sententia: *non nocet, si omnibus te supponas; nocet autem plurimum, si vel uni te præponas!* Kempis, *De Imitat. Christi*, l. I, c. 7.

[1] C. *Pro humanis*, de hom., in 6. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 363; — Ferraris; V. *Assassinium, Grassator, Homicidium, Restitutio*, art. 2.

[2] Item amittitur localis immunitas apud nos si culpabile homicidium a majori annis 20 sit commissum; vel *atroce* id est cum circumstantiis aggravantibus, a minori. *V.* Alasia, *Commentaria*, t. I *De ecclesiastica immunitate.*

generatim reservatio, si agatur de homicidio directe voluntario sive per se sive per alium patrato; *Jure municipali* seu civili fere ubique est ultimum supplicium [1].

695. Q. 2. *Quid sentiendum de homicidio casuali?*

R. Duplici modo contingere potest homicidium casuale: dando operam rei licitæ vel illicitæ. Utrumque sic resolvit Angelicus: *Secundum jura si aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens et ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum; si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opere mors hominis consequatur* [2]. Ubi animadvertendum ad homicidii imputationem non sufficere, quod opus sit illicitum per se; sed insuper requiri, quod sit præcise illicitum et vetitum relate ad ipsum homicidium. Ad hoc vero in foro saltem conscientiæ, omissis diversis sententiis, dicimus:

1. Si opus sit quidem illicitum, sed minime de se periculosum, non imputabitur homicidium, si ex illo opere sequatur. Uti si fœmina, fœtu ex crimine concepto, in ejus partu moriatur; quia cum effectus non necessario et directe procedat a causa illa, non potest esse in prævisione.

2. Si opus illicitum quidem sit et simul etiam periculosum, sed ita raro, ut non soleat mors, nisi valde raro inde evenire, non erit imputandum homicidium, casu quo sequatur, si diligentia adhibeatur ad illud vitandum. Sic excusabitur ab homicidio clericus, qui venationi sibi prohibitæ vacans hominem casu interficiat, modo diligentiam adhibuerit, ne homini mortem inferret: ratio quia res est resolvenda ex communiter contingentibus.

3. Si opus sit illicitum simul et tam frequenter periculosum, ut ex eo communiter soleat mors evenire, tunc homicidium certe imputabitur, quæcunque ad illud vitandum diligentia adhibeatur; est enim tunc omnino voluntarium in causa: ut si quis funda lapides in via publica projiciat.

696. Huic revocari potest reservatio quæ in omnibus fere Synodis diœcesanis statuitur (ut in Novariensi, pag. 320): *Suffocatio, imo et retentio infantis in lecto anno expleto minoris, omissa cautione cunarum vel alterius firmi repaguli.* — Et lege civili habetur: *Chiunque per inavvertenza, disattenzione, imprudenza, negligenza, o per imperizia dell'arte o della professione che esercita, o per inosservanza dei regolamenti, avrà involontariamente commesso un omicidio, o vi avrà dato causa, sarà punito colla pena del carcere estensibile a due anni, e con multa sino a lire duemila* (Cod. pœn., art. 554).

1 *Cod. pœn.*, tit. x, art. 522.
2 2, 2, q. 64, a. 8. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 398.

697. Q. 3. *Ad quid tenetur injustus occisor?*

R. Generatim loquendo injustus occisor tenetur compensare damna omnia realia in bonis fortunæ; si quæ ex ejus actione secuta sunt; fuit enim eorum causa injusta et efficax. Hinc compensare debet: 1) expensas in medicinis peractas ad vulnus curandum; 2) lucra, quæ ob occisionem cessaverint, non quidem in totum, ut si jam de facto ea fuissent acquisita (potuisset enim occisus multipliciter impediri): sed pro majori vel minori spe eadem acquirendi juxta viri prudentis æstimationem. Nihil vero tenetur restituere pro expensis funeris; cum ipsæ aliquando faciendæ essent: excipe si ob occasionem necis illatæ (v. g. extra patriam) oportuerit eas fieri majores; 3) aliquas satisfactiones præstare pro anima occisi, si iste erat pro se probabiliter satisfacturus; bene enim tunc restitutio fieri potest in æquivalenti, nempe per orationes et eleemosynas [1].

Diximus: *generatim loquendo;* nam claritatis gratia occisoris obligationes considerari possunt vel relate ad hæredes occisi; vel relate ad illius creditores; vel demum respectu alterius personæ, cui forte homicidium fuerit imputatum.

698. Q. 4. *Ad quidnam tenetur injustus homicida erga hæredes ipsius occisi?*

R. Hæredibus necessariis, nempe patri, matri, uxori, liberis, aliisque ascendentibus et descendentibus [2], tenetur injustus homicida compensare damnum emergens et lucrum cessans non solum quod cum occisi vita cessavit; sed etiam quod cessavit post ejus mortem, juxta tempus quo defunctus verosimiliter fuisset vitam suam acturus, attenta ejus ætate, valetudine aliisque circumstantiis; quia isti unam personam constituunt cum occiso, atque in illius jura succedunt. Non tamen damnum est compensandum per integrum omnino (nam, ut bene advertit s. Thomas, illud poterat multipliciter impe-

[1] Duplex est damnum, quod causat occisor: unum *naturale* seu *personale*, quod est ipsa amissio vitæ; alterum *temporale* seu *reale*, quod est bonorum fortunæ, quæ occisus, salva vita, sperabat sibi comparanda. Primum occisor reparare non valet in æquivalenti; neque enim occisum resuscitare potest: unde de damno temporali præsens tantummodo instituitur quæstio. Porro communius docent, nihil esse deducendum pro labore, quem occisus ad lucrandum impendere debuisset; quia labor iste libenter et non tanquam pœna sustinetur nisi in casu quo præsumatur, quod occisus libenti animo aliquid daturus fuisset pro redemptione talis laboris, ut si ille esset arduus. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 639 et seqq.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 631 et seqq. Hæredes in duplici sunt differentia: alii sunt *necessarii* quos nempe testator non potest prætermittere, ut sunt ascendentes et descendentes. Alii *non necessarii*, qui possunt prætermitti: succedunt tamen (hæredibus necessariis deficientibus) ab intestato, ut sunt fratres, ceterique consanguinei; et veniunt ceteri, quos testator ex sola sua voluntate instituit. Est autem notandum, quod in præsenti quæstione uxor habetur ut hæres necessarius, etsi stricte non sit talis; quia vivens pertinet ad familiam mariti, et ideo necessario est ab eo sustinenda.

diri); sed satis est, quod illud compensetur juxta spem, judicio prudentis æstimandam.

Si tamen uxor post occisum maritum æque commode nubat, aut si quis ea occasione sponte ipsi succurrat, tunc contra Lugo recte dicit Croix, quod non est opus aliquid illi pro damnis futuris restituere: tum quia reipsa non remanet damnificata, tum quia occisor ideo tenetur, quia succedit in mariti obligationem, qui eam alere debuisset; at maritus non tenetur alere, si aliunde ei sit provisum. Idem quoque est dicendum de filiis, aliisque omnibus hæredibus necessariis [1].

Loquendo autem de aliis hæredibus, qui necessarii non sunt, nec unam occiso personam constituunt, ut sunt fratres, cum ceterisque consanguineis, tenetur quidem homicida ipsis restituere tum damnum jam bonis occisi irrogatum per occisionem, tum lucrum quod amisit ipse vulneratus tempore quo vixit; nam moriendo transmisit ipsa lege ad illos (aliis supra memoratis hæredibus deficientibus) omnia sua jura proprie dicta. Sed non tenetur, in nostra sententia, restituere lucrum quod cessavit a tempore mortis; istud enim non erat debitum reale cum defuncto ipso contractum, sed personale, quod fundatur in industria futura personæ occisæ: in illud ergo nullum ipsis competit jus, cum non censeantur una persona cum defuncto. — Item probabilius ex Concina, Filliucio, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, etc., neque tenetur iis restituere ea, quæ occisus si viveret, erat probabiliter daturus, licet homicida hæc damna præviderit; quia semper remote, et per accidens sequeretur illud damnum, cum directe non intendatur.

699. *Quid* (dices) *si læsus omnia ante mortem lædenti remiserit?* R. Si remisit damtaxat injuriam (ut plurimum fieri solet), adhuc viget obligatio compensandi damna; nam hæc duo non sunt necessario connexa, injuriam dimittere, pacem concedere et condonare damna: primum præcipit charitas; secundum pietas aliquando prohibet, ut si læsus relinquat indigentes propinquos [2]. Quod si læsus revera remisit omnia damna inde obvenientia, lædens ad nihil tenetur erga hæredes; isti enim quidquid acquirunt, non acquirunt, nisi per ipsam voluntatem defuncti.

Nec dicas patrem teneri alere uxorem et filios, ideo saltem condonationem restitutionis quoad illos invalidam esse. Etenim pater ex pietate tantum, non ex justitia alere tenetur familiam suam; sicut enim si pater ante mortem omnia sua bona dissipet, ita ut nihil supersit ad familiam alendam, valide dissipat, etsi illicite; ita valide quoque remittit ipsi occisori obligationem restituendi, quamvis illicite. *Alasia.*

[1] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. x, n. 87; *Opus Mor.*, l. III, n. 631.

[2] Neque etiam resarciuntur damna per mortem lædentis; hæc enim datur ad solam publicæ justitiæ satisfactionem. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 630 et 705.

700. Q. 5. *Quid resolvendum de creditoribus, si ex homicidio fuerint damnificati?*

R. Alii cum Laymano semper obligant injustum homicidam ad restituendum creditoribus occisi, si bona non supersint sufficientia ad solvenda debita, quibus defunctus satisfecisset per lucra a se comparanda, si non fuisset occisus; ratio quia creditores jus habebant in debitorem, et eo per iniquam mortem expoliati sunt: qui ergo est causa mortis, ipse est causa damni. Alii cum Sanchez eum obligant tantum casu, quo lædens damnum creditorum prævideriit; quia tunc damnum est directe volitum. Verum Billuart, Concina, Lessius, Salmanticenses, Sylvius et Viva probabilius docent homicidam ad nihil teneri erga creditores occisi quamvis ipsorum damna prævideriit, modo tamen ea non intenderit: tunc enim eorum damna censentur evenisse per accidens, quia actio occisionis non est immediate, ex natura sua, ut plurimum, ipsis damnosa. Creditores enim jus quidem habent in personam debitoris, ut de illius industria solutionem obtineant; sed nullum habent jus in actiones, quæ nonnisi mediate et præter intentionem sunt damnificativæ. Adde: in ipso foro externo nunquam datur actio creditoribus occisi contra homicidam, sed tantummodo hæredibus; at perpetua fori externi praxis legitima est Juris naturalis interpretatio [1].

Diximus: *modo tamen ea* (damna) *non intenderit;* qui enim hominem interficit animo nocendi directe creditoribus vel aliis, recte dicunt communius et probabilius cum Concina, ipsum peccare contra justitiam erga illos; nam tunc læsio fit ex proposito injusta, et efficaciter damnificativa; et unusquisque jus habet, ne vi vel fraude impediatur a consecutione justi boni.

701. Q. 6. *Quid si homicidium imputetur innocenti?*

R. Si homicida nullimode prævidit suum homicidium imputandum esse innocenti, ad nihil tenetur erga ipsum innocentem etsi damnetur; neque tenetur se prodere ut innocentem liberet; nam damnum pendet ab aliorum judicio, quod oritur ex diversis rerum vel personarum vel loci vel temporis circumstantiis. Si vero id prævidit, Croix, Lessius, Lopez, Sanchez, Sotus, etc., probabilius docent occisorem adhuc ad nihil teneri: semper enim verum est, non censeri alteri injuriosam actionem illam ex qua provenit quidem damnum; sed non per se, bene vero ex errore aliorum, licet error iste præ-

[1] Idem affirmandum de iis, quos forte occisus alebat bonis suis, etiamsi horum quoque damnum homicida prævideriit, modo non intenderit; eadem enim semper ratio currit, nempe pauper nullum commutativæ justitiæ jus habet, ut ego non occidam ejus benefactorem. Unde tunc cum neque directe ejus læsionem intendam, neque mea actio directe in eam influat, ea læsio nonnisi uti accessoria ex homicidio sequitur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 633 et seqq.

videatur. Hoc nempe homicidium est causa occasionalis imputationis ; non vero efficiens causa damni, in quo proxime et directe non influit.

Quod si ab homicida talis error non solum prævideatur, sed etiam intendatur, tunc Lugo affirmat adesse obligationem restitutionis in homicida ; quia licet ejus actio sit causa remota imputationis, ejus tamen prava intentio nocendi efficit, ut sit causa moralis. Verum probabilius putamus cum Croix, Lessio, Sanchez, etc., etiam in hoc casu homicidam nulla restitutionis obligatione teneri ; nam quotiescunque actio ex se, vel ex suis circumstantiis non causat proxime et immediate imputationem, intentio prava juxta doctrinam communiorem non efficit, ut sit injustum illud opus, quod de se externe et graviter non est injustum respectu tertii. Nempe imputatio homicidii in talem personam non necessario sequitur, adeo ut homicida esse non possit persona alia ; illa ergo imputatio cum tali homicidio patrato nonnisi remote et per accidens jungitur. Sane tota imputatio pendet ex judicio aliorum putantium, ob extrinsecas ac labiles conjecturas, ipsum fuisse homicidam ; unde si damnum evenit, est remote et per accidens. Excipe si ideo præcise aliquid ipse faciat, unde alii naturaliter id colligant : v. g., si vestibus alterius indutus occidas.

Dices : *sicut si quis occidens hominem, ut noceat fratribus, aut aliis, quibus homo ille benefaciebat, licet ex liberalitate, sed ideo ut non amplius benefaciat, tenetur eis damnum restituere ; sic etiam tenetur qui alium occidit, ut alteri homicidium imputetur.*

R. Casus differt : nam ibi damnum fratrum aut aliorum per se necessario et proxime est conjunctum cum morte benefactoris. At hic damnum ejus cui imputatur homicidium, non est necessario et immediate conjunctum cum morte occisi, sed remote et per accidens ; cum proprie pendeat ex judicio aliorum putantium ob extrinsecas conjecturas, ipsum fuisse homicidam. Unde in hoc casu homicidium est tantum occasio imputationis ; non autem causa, quia non influit proxime et directe [1].

702. Q. 7. *An liceat occidere facinorosos bono publico noxios ?*

R. Erat Waldensium doctrina, reipublicæ non licere malefactores occidere : hanc moderni nonnulli, duce Beccaria, secuti sunt, qui sub mentito philantropiæ prætextu, clamitant mortis pœnam bono societatis non esse necessariam, imo iniquam esse.

Verum homines facinorosos publica auctoritate occidere fas esse demonstramus : — 1) ex veteri Testamento : *maleficos non patieris vivere*, ait Dominus : *qui immolat Diis, occidetur* [2] ; — 2) ex novo : *qui in gladio occiderit*, legimus in Apocalypsi, *oportet eum gladio occidi* [3] ; — 3) ex Jure canonico, ubi dicitur non imputandum fidelibus, *qui ex officio aut tormenta exercent, aut capitalem sententiam ferunt* [4].

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 636. 2 Exod. XXII.
3 Cap. XIII. 4 *Decr.*, pars 2ª, causa 33, q. 4, can. 45.

Item ex Jure civili [1]; — 4) ex universali gentium consensu, siquidem penes omnes populos majora crimina pœna mortis mulctari consueverunt ac consuescunt; — 5) ex ratione; nam pars noxia toti communitati licite abscindi potest ob conservationem totius, quum pars sit propter totum; sed quilibet homo est pars communitatis: ergo si communitati sit noxius, poterit licite occidi, ut bonum commune conservetur. Adde: nihil magis facinorosos avertit a criminibus, quam metus mortis. ergo si efficaciter societas vult suo bono providere, hoc remedio uti debet.

Quod autem scelesti magis terrerentur, si scirent se perpetuo damnandos ad durissima, falsum est: *Il fatto parla qui con troppa evidenza, giacchè quanti sono i condannati a morte, che chiedono per favore la commutazione coi lavori forzati? E la ragione è chiara* (ad rem cl. Taparelli): *chi vive può sperare grazia per mille guise, può sperar fuga, può sperar rivoluzione, può sperar mitigazione e guadagni. Eppoi che cosa è per la maggior parte dei galeotti la loro galera? sospinti per lo più dalla loro miseria al delitto, portano alla pena nome già infame per sceleraggini, mani già incallite al lavoro e vita già usa agli stenti* [2].

Diximus: *pubblica auctoritate;* ait enim Doctor Angelicus: *Occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis; et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandæ* [3]. Nomine autem *publicæ auctoritatis*, non quæcunque intelligitur; sed quæ societati politicæ completæ, nulli subordinatæ præest, ut rex in regno; nam supremum jus nonnisi supremæ auctoritati convenit. Hinc qui præsunt aliis communitatibus etsi numerosis, sibi subjectos corrigere possunt pœnis ordinariis præservativis; non tamen pure vindicativis atque exterminantibus. — Quanquam ipsa suprema auctoritas ordinem justi judicii servare debet; cum agatur de re gravissima ipsi a Deo communicata ob solam necessitatem. Hinc non potest lex facultatem tribuere marito, ut uxorem in adulterio deprehensam occidat; tum quia ex juris regula: *non est singulis concedendum, quod per magistratum publice potest impediri;* tum quia nisi urgeat gravis necessitas, nemo est inauditus damnandus, aut impœniteus occidendus. Unde damnata est ab Alexandro VII hæc sub n. 19 propositio: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Non tamen negandum hanc occisionem remissius puniri; quia hæc plerunque censetur committi ob vehementem iræ motum, qui voluntarium minuit ac suo veluti impetu hominem aliquatenus vincit *(H)*.

Nota: Quæ disputavimus de homicidio, cum proportione intelligenda sunt de injusta mutilatione ac vulneratione, de qua etiam *Codex pœnalis* (art. 537 et seqq.). Ad homicidium pertinent etiam *bellum*, *suicidium*, *duellum*, *abortus* atque *aggressoris occisio.*

§ I. — *De bello* [4].

703. Q. 1. *Quid est bellum et an licitum?*

R. Ad 1: Bellum definitur *congressio vi et armis inter principes,*

[1] L. vi *be Offic. procons.* — *Cod. pœn.*, l. 2°, t. x. — *Civ. Cattoli* c, ser. 3ª, t. x: *I regicidi al tribunale* ecc.

[2] *Saggio teoretico* ecc., § 837, ecc. [3] 2, 2, q. 64, a. 3.

[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 404 et seqq. Bellum sic dictum est vel per *anti-*

vel respublicas superiorem minime agnoscentes: ex quo patet discrimen belli a rebellione, seditione et duello. Duplex est bellum : aliud *defensivum* ad propulsandam injuriam ; aliud *offensivum* ad obtinendam satisfactionem pro injuria.

R. Ad 2: Bellum est licitum, si justæ adsint conditiones : nonne Abraham in Lege naturæ bellum gessit, et ei a bello redeunti benedixit Melchisedech Sacerdos Dei ? Nonne in Lege scripta Deus ipse bellum probavit ? Nonne Christus in Lege nova laudavit Centurionem, qui erat militiæ addictus [1] ? Adde: tenetur princeps subditorum suorum vitam ac substantias tueri ac regni jura curare ; atqui id sæpe non potest peragere, nisi bellum gerendo ; cum altiora desint tribunalia, ad quæ recurrere queat : nec ita facile ac semper aliis Principibus quæstionem remittere valeat. Conditiones autem sunt :

1. Ut adsit causa justa et gravis, v. g., necessitas boni communis vel quietis publicæ conservandæ, coercitio perduellium, defensio innocentium, etc. ; cum enim e bello tot mala et corpori et animæ proveniant, illud nonnisi in extremis tentandum est : unde Augustinus relatus in jure ait : *Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas* [2]. Qui propterea bellum injustum indicunt, tenentur in solidum de damno per exercitum illato, cum sint causæ principales. Milites autem in bello evidenter injusto tenentur singuli de damnis quæ per actionem privatam (id est non qua militeš) privatis intulerint ; et singuli pro rata de damnis a toto exercitu illatis, et unus etiam in defectu alterius ; cum omnes agant simul conspirando, nisi forte ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint.

2. Ut recta habeatur intentio, id est non odium, non amor partium, non invidia vel inanis gloriæ cupiditas imperium dilatandi. Hæc tamen conditio, si desit (dummodo adsit prima) ex bello non oritur obligatio restitutionis quia adest causa, licet deficiat in modo.

704. Q. 2. *Quænam speciales obligationes principum, ducum quoad milites ; et quæ obligationes ipsorum militum ?*

R. Ad 1 : Principes et duces tenentur sub gravi curare, ut milites præcepta Dei, atque Ecclesiæ (quoad potest) observent : sunt

phrasim, quia nihil habet belli seu amæni ; vel a *bellua,* quia uti immanis bellua homines devorat ; vel potius a Belo rege Assyriorum (quem Genesis appellat Nemrod), qui primus ferreum gladium ad finium suorum defensionem invexit. — *V.* Christianus Lupus, t. XI *De antiqua disciplina christianæ militiæ.*

[1] Gen. XIV ; Exodi XVII et Matth. VIII — *V.* Taparelli, *Saggio* ecc., §§ 1317, etc. — *Civiltà Cattolica,* ser. 4ª, t. VII : art. *La tregua di Dio e la pace filantropica.* — Ferraris ; V. *Tregua.*

[2] Ideo etiam quia sine maximis expensis bellum sustineri non potest ; quare ultra modum gravandi sunt subditi. Hac in re celebris est Bulla *Clericis laicos* Bonifacii VIII, anno 1296, et alia *Ineffabilis,* ubi excommunicantur qui ideo clericos et Ecclesiæ bona taxa gravant, ut erat in usu et adhuc est.

enim sub eorum tutela ac cura; neque qua milites desinunt esse christiani; ideo et commodum ad illa observanda et sacerdotes ad id necessarios illis sub gravi assignare debent. Item omnimode præcavere, ne populis scandalo sint vel damno; ideo debent illis stipendia persolvere, alioquin tenerentur ipsi compensare damna et militibus, et etiam aliis, qui a militibus damna acceperunt; cum horum omnium tunc sint causa injusta, atque efficaciter movens.

Qua in re dicimus: peccant duces, tribuni, centuriones aliique officiales, et tenentur ad restitutionem: 1) si pauciores habeant milites, quam exhibent in stipendiorum solutione, ut cum a commissariis lustrantur copiæ, ipsi non milites sub habitu militari vel bis eundem militem præsentent; 2) quando commeatus curæ præfecti dant militibus cibum vel potum corruptum, ex quo morbi oriantur; 3) quando, in transitu per regiones, accipiunt pecunias a variis pagis, ne hic vel illic pernoctent: vel quando uni militi dant plures syngraphas ad domos diversas: vel stipendium militibus debitum subtrahunt, et permittunt, ut isti ab innocentibus extorqueant; nam tunc ipsi ad hoc ansam darent.

R. Ad 2: Milites in tria maxime peccata impingunt, a quibus fortiter arcendi sunt: in *luxuriam*, tanquam gens militaris nata sit ad carnis petulantiam; in *blasphemias*, quasi non sit virilis animi qui sine imprecatione loquitur; in *furta*, quasi omnia liceant arma ferentibus. Hac in re contra justitiam peccant et tenentur ad restitutionem milites, ut ait Gousset: 1) *Quando sotto pretesto che il loro soldo non è sufficiente, cercano rifarsi sopra i cittadini, usurpando roba altrui: essi non hanno verun diritto sopra i beni de' privati, i quali pagano allo Stato quanto torna necessario pel mantenimento delle truppe;* — 2) *quando vendono le armi o altre cose spettanti al governo, o di cui essi non hanno che l'uso* (qua in re et ipsi emptores de furto tenentur); — 3) *quando, essendo alloggiati presso i cittadini, adoprano violenza e minacce per farsi dare più del dovuto;* — 4) *quando di loro privata autorità tolgon cavalli o vetture ai privati per condurre i loro bagagli. Allorchè le truppe hanno bisogno di vetture, possono domandarle a richiesta del Capo che le comanda; ma si dee a questo riguardo uniformarsi ai regolamenti;* — 5) *quando, per negligenza gravemente colpevole o viltà, non impedissero il nemico di mettere a ruba e a sacco il paese e le case de' privati.*

705. Q. 3. *Quid de militibus qui castra deserunt?*

R. Tenentur desertores sub gravi ad castra redire ex obedientia, seu legali justitia (imo si a Principe stipendio conducti sunt ex contractu, ad id tenentur etiam ex justitia commutativa). Excipe nisi bel-

lum sit injustum, vel si media necessaria ad vitam, ad salutem non haberent, vel si redeundo gravissimis pœnis essent plectendi; nemo enim videtur ultro teneri iisdem se subjicere.

Qui vero se locaverunt pro aliis, et militiam sine causa deserunt, tenentur insuper pretium restituere ei, a quo illud acceperunt; quia non fuit tributum, nisi sub onere militiæ.

706. Q. 4. *Quid de illis, qui militiæ se subtrahunt exemptionem sine veris causis obtinendo?*

R. Qui pecunia, seductione aut protectione magistratus vel medicos corrumpunt, ad restitutionem tenentur; nam morali efficacia movent et directe publicos officiales ad inferendum damnum alteri, ei videlicet qui in eorum loco ad militiam vocatus fuit, cui proinde restituendum est. Et in defectu corruptoris, tenentur magistratus et medici, cum ejus iniquitati efficaciter cooperati sint [1].

Qui vero tantummodo mendaciis, fraudibus, se mutilando, magistratus decipiunt et legem, an obligentur ad restitutionem, disputant: alii affirmant, quia juvenes exempti jus strictum habent, ne talia media in ipsorum præjudicium adhibeantur, cum ideo ipsi teneantur militare. Alii vero negant teneri sic decipientes ad restitutionem: etsi enim peccent tum in seipsos se mutilando sine causa, tum contra justitiam legalem gubernio non obediendo, ac ideo gravissime puniantur [2]: non tamen videntur teneri ad restitutionem, quia non efficaciter influunt in alios vocandos, sed solum in se eximendo: deceptio enim directe ac per se non inducit magistratus ad alios adscribendos. Neque si deprehenduntur, ideo in ipsorum loco appellati dimittuntur, vel aliqua compensatio imponitur illis a deceptoribus tribuenda.

Quidquid sit, in praxi non præstat valde urgere juvenes, qui hisce deceptionibus a militia se liberant; plerique enim ignorant, se committere injustitiam, et raro moniti obtemperarent; relinquantur ergo in illorum bona fide. *Gousset*, *Lyonnet*, *Gury*, etc [3].

Plura quoad praxim de *militia* ac *militibus* Lib. IV, *Append.* 37.

[1] An autem acceptam a seductore pecuniam possint retinere medici et magistratus, negandum antequam seductorem invalidum ad militiam declaraverint, cum enim contractus sit de turpi, irritus est. Facta autem declaratione fraudulenta, controvertitur; communius affirmant acceptum posse retineri ex dictis n. 393.

[2] Alii legem militiæ legi tributorum æquiparant et pari modo quæstionem resolvunt: si enim tributa sunt solvenda ad sustinenda onera regni, milites sunt dandi ad illud tuendum. Est quasi contractus: societas milites tribuit et princeps jura nostra tuetur: porro qui commoda sentit et incommoda sustinere debet: qui autem inservire debeat, illum non personarum acceptio, sed sors designat; est ergo (concludunt) stricta obligatio justitiæ.

[3] « Che se poi gl'impiegati del governo sapendo che un padre di famiglia potrebbe spendere e dar loro qualche considerevole regalo, si mostrassero ripugnanti a riconoscere i giusti motivi che avesse il figlio, e con manifesta ingiustizia volessero

§ II. — *De suicidio, duello et abortu.*

707. Q. 1. *An suicidium sit licitum?*

R. Absque divina auctoritate nefas est seipsum directe interficere: est contra Stoicos, quorum errorem plures ex modernis pseudo-philosophis instaurare conati sunt, præsertim Montesquieu, Rousseau et Voltaire (qui tamen non semper sibi sunt consentientes). Id sane repugnat charitati erga seipsum, et est graviter injuriosum tam Deo, qui solus est directus et absolutus dominus vitæ humanæ; quam societati et reipublicæ, quæ injuste per suicidium privatur sua parte, seu cive: ita Angelicus [1]. Hoc prohibetur generali illo præcepto: *non occides. Neque enim*, ait Augustinus, *qui se occidit, aliud quam hominem occidit* [2]: et hæresi 69 inter hæreticos recenset Circumcelliones, qui insana feritate se ipsos occidebant, et alios ad id inducebant. Id ipsum erudite probat more suo cl. episcopus Scotti in suis *Theorematibus*. Ipsi gentiles hoc scelus detestati sunt; audiatur Tullius: *Piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis; nec injussu ejus, a quo ille vobis est datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini* [3].

Hinc lex ecclesiastica privat suicidam sacra sepultura ex *Rituali Romano:* quæ tamen pœna eos non complectitur, qui furore, amentia aut phrenesi per gravissimam animæ tristitiam turbati, vitam sibi eripuerunt, vel qui ante mortem doluerunt. Item hodie invaluit praxis, ut in dubio, an quis ab alio vel a se ipso necatus sit, an deliberate vel ex animo turbato sibi mortem intulerit, sepultura ecclesiastica non privetur. Nam crimen tam atrox et contra naturam non præsumitur deliberate positum ad ultimum alitum vitæ, nisi sint indicia manifestissima [4].

708. Q. 2. *An liceat mutilare seipsos?*

R. Negative: nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium; idque etiamsi fiat ad tuendam castitatem et sedandas tentationes. Solus enim Deus est vitæ humanæ dominus absolutus et directus; homo vero non habet, nisi convenientem usum.

obbligarlo al servizio militare, non v'ha dubbio, che il padre per ottener giustizia e redimere l'ingiusta vessazione, potrebbe dar loro quanto desiderassero per dichiarare il figlio, giusto la verità, inabile. » Frassinetti, *Compendio* ecc., Dissertaz. VII.

1 2, 2, q. 74, a. 5. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 366 et seqq.

2 L. I *De Civ. Dei*, l. II, c. 20.

3 *De Republ.*, l. VI. — *V.* Taparelli, *Saggio teoretico*, n. 270, ubi refert illud Socratis in Phœdone: *Noi siamo qui posti dagli Dei quasi sentinelle; or la sentinella non può muoversi dal posto senza licenza del capitano.*

4 *V.* Plura hac de re Lib. IV, *Append.* de ecclesiastica sepultura.

Diximus: 1. *Nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium;* cum enim pars ordinetur ad totum corpus conservandum, tali urgente necessitate, poterit utique membrum aliquod resecari. Hinc licet probabilius sibi abscindere manum catena ligatam ad fugiendum incendium, aut ad vitandam mortem a bellua vel tyranno inferendam: ita Billuart, Croix, Lugo contra alios.

2. *Etiamsi fiat ad tuendam castitatem et tentationes superandas;* quia hoc remedium non est absolute necessarium, cum sint alia media [1]. Imo neque utile, uti docent Basilius, Chrysostomus et Augustinus, cum potius tentatio fiat vividior, et facilis desperationi via aperiatur; privatio enim generat appetitum. Aliunde *peccatum subjacet voluntati*, ut ait Angelicus, non corporis membro [2].

Ex quo patet, quid sentiendum de puerorum eviratione ad vocem conservandam, licet consentiant pueri et absit periculum mortis; id non pauci permittunt ex consuetudine, et bono quod pueris obvenit. *Sed vicit apud plerosque*, ait Benedictus XIV, *et facta est communior opinio negans* [3]; nam conservatio vocis non est bonum tanti momenti neque conducens ad totius conservationem, ut liceat quod tantopere natura reprobat.

709. Q. 3. *Quibus mediis tenetur homo vitam sibi servare?*

R. Tenetur mediis ordinariis; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media quæ sunt facilia; secus idem esset ac sibi moraliter mortem inferre. Sed non tenetur ad extraordinaria, nempe quoties remedium durissimum est, vel pudori valde repugnans: nisi ejus vita bono communi sit omnino conducens. Hinc non tenetur quis abscissione cruris, vel alia ejusdem generis operatione dolores nimis atroces afferente, vitam sibi servare; cum id sit extra communes vires positum. Eo in casu in communi æstimatione censetur justa de causa mortem tantummodo permittere. Hic puella cancro, aliove morbo, in verendis et secretis partibus laborans, non tenetur admittere inspectionem ac curationem a medicis aut chirurgis, quamvis licite possit; ratio quia plerunque ab hoc abhorrent fœminæ non minus quam ab ipsa morte.

710. Q. 4. *Quid de vigiliis, macerationibus, aliisque pœnis, quibus indulgere solent christianæ perfectionis studiosi?*

R. Pœnitentiæ istæ licent, si exerceantur consilio prudentis Prælati vel confessarii, et justa de causa, hoc est ad corpus in servitutem

[1] Hinc communiter reprehenditur Origenes, qui ut tuto posset etiam mulieres instruere se eunuchum reddidit. Unde verba Christi, *se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum*, non de physica membrorum amputatione, sed de pravarum cogitationum expulsione sunt accipienda ex s. Chrysostomo, *Hom.* LXII *in Matth.*

[2] 2, 2, q. 65. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 374; et *Homo Apost.*, tract. VIII, nn. 1 et seqq. Simul ab experientia constat (ait *Stapf*, § 282), per talem injuriam animum ipsum effœminari, atque totam indolem hominis non parum corrumpi. Imo natura ipsa conspectum talium quodammodo horrere solet. Exinde etiam Ecclesia eunuchos irregulares declarat quoad Ordines; etsi a choris musicis eos non eliminet.

[3] *De Syn. Diœc.*, l. XI, c. 7. — *V.* Theophilus Raynaudus, *De triplici eunuchismo*, seu *eunuchi nati, facti, mystici;* inter ejus Opusc. moralia; *oper.* t. XIX. — Carrière, *De Justitia* etc., n. 844.

animæ redigendum, quamvis per aliquos annos vita brevior efficiatur, *et in hoc vera est Theologorum sententia, ac* (opera) *licite et cum merito fieri posse*, ut loquitur Benedictus XIV. Si enim licet fabrisferrariis vitam sibi minuere laborando quotidie corpore prope ignem, a quo non potest non notabiliter consumari humidum illud naturale, quo tam indiget vita hominis: si licet studiosis sanitatem sibi labefactare ad scientias addiscendas; si licet militibus exponere vitam tot ærumnis atque mortis etiam periculis, cur non licebit religiosæ perfectionis amatoribus austeritates corporales amplecti, ut rebellem carnem in servitutem redigere valeant?

Neque dici potest, qui ita agunt, seipsos directe occidere: nam carnis tantum rebellionem directe coercent et effrænem illius concupiscentiam, permittentes indirecte, ut ob justum finem hujusmodi vita sua aliquantisper imminuatur. Aliud profecto est procurare directe vitæ imminutionem, vel mortem sibi positive inferre; et aliud illam permittere vel ejus subire periculum ob justam causam *(I)*.

711. Q. 5. *Quid est duellum?*

R. Duellum (græca voce *monomachia* dictum) definitur: *pugna inter duos vel paucos privata auctoritate et ex condicto inita, cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris.* Dicitur: 1) *pugna inter duos vel paucos*, ut distinguatur a bello, quod est multorum contra multos; 2) *privata auctoritate;* duellum enim initum auctoritate publica, quale fuit illud Horatiorum cum Curiatiis in historia profana, et illud Davidis cum gigante Golia in historia sacra, licitum est; cum paucorum pugna non minus licita sit, quam multorum: imo desideranda, quia paucorum cæde finitur bellum; 3) *ex condicto,* quod indicat locum ac tempus, sicque distinguitur a rixa, quæ non supponit pactum ullum præcedens; 4) *cum periculo occisionis, mutilationis vel vulneris*, ut excludantur pugnæ ad gravem læsionem inferendam ineptæ, uti quæ fiunt virgis vel etiam levi baculo.

Duellum aliud *solemne* est, aliud *simplex*. Primum fit adhibita quadam speciali et designata forma circa tempus et locum, assumptis etiam testibus, sive ut vocant, *patrinis;* secundum absque dictis solemnitatibus exercetur. — Porro duellum sive solemne sive simplex, est prorsus illicitum, intrinsece malum et mortale; est contra Hobbesium aliosque pseudo-philosophos. Nemo sane potest seipsum privata auctoritate exponere periculo hominis occidendi vel mutilandi: jus enim necis nonnisi Domini est, ac illius qui Dei vices gerit. Duellum jus Dei usurpat, societatem offendit, justitiam lædit, rationem insultat, mores subvertit, ferocitatem fovet, leges omnes pessumdat, Religionem conculcat, animas perdit.

Quare Tridentinum fortiter ait: *Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur* [1]. Et Ale-

[1] Sess. XXV, c. 19 *de R.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 399.

xander VII damnat hanc sub n. 2 propositionem : *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Quod valet ex Benedicto XIV, licet aliunde *officio et sustentatione privaretur;* et licet *certo sciat pugnam non esse secuturam,* utpote ab alio impediendam; et licet id faciat *ad bona conservanda* [1]: neque enim sunt facienda mala sub quacunque bona spe.

Si duellum suscipiatur ad veritatem indagandam, ad justitiam vel innocentiam detegendam, indueret etiam malitiam superstitionis.

712. Q. 6. *Quœnam sunt pœnæ contra duellantes statutæ?*

R. Jure civili pœnæ statuta contra duellantes est relegatio vel carceris detentio plus minusque ex diversitate circumstantiarum [2].

Jure ecclesiastico pœnæ statutæ in Concilio Tridentino, sunt :

1. Excommunicatio ipso facto incurrenda, dein Pontifici Maximo reservata ex Bulla *Illius vice* Clementis VIII 1592, quam incurrunt etiam patrini : item duellum efficaciter consulentes, favorem eidem præstantes et locum exhibentes : superiores, domini, magistratus qui illud permittunt, cum possint impedire : spectatores, non quidem qui obiter transeundo casu ibi reperiuntur; sed qui de industria spectant et propria præsentia duellum quodammodo approbant, ac duellantes ad pugnam inflammant [3].

2. Proscriptio omnium bonorum cum perpetua infamia : hæc pœnæ non amplius viget. Neque interdictum papale emanatum a Clemente VIII in loca, ubi duella a dominis permittuntur.

3. Privatio sepulturæ ecclesiasticæ, si duellantes in conflictu ipso decedant, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa. Imo *etiamsi, extra locum conflictus, Sacramentis muniti decesserint,* uti præcipit Benedictus XIV Bulla *Detestabilem;* quanquam hoc ultimum non sit in omnibus Diœcesibus receptum.

4. In clericos adest etiam privatio Beneficiorum jam obtentorum, et inhabilitas ad alia obtinenda.

Advertendum autem est : 1) has pœnas incurri etiam ob duellum privatum seu sine patrinis, modo tamen agatur de duello stricte sumpto, id est *de condicto,* convento loco et tempore; non vero ob conflictum quemcunque improvisum, quamvis pugnantes ex eodem rixæ impetu ad locum aliquem idoneum ex æquo perrexerint, prout

[1] Benedictus XIV, Bulla *Detestabilem,* quinque propositiones damnavit circa duellum; has retulimus Lib. IV, ad *Appendicem : Damnatæ propositiones.* — *V.* Ferraris; V. *Duellum.*

[2] *Cod. pœn. comm.,* art. 588 et seqq. Quanquam hodie detestabile duellum leges humanæ tollerant passim !

[3] An censuram incurrant principales eo quod solum offerant vel acceptent duellum, quod postea non sequatur, disputant. Videtur negandum : versamur enim in odiosis. Utique Benedictus XIV citata Bulla ait illos *non excusari;* at hoc intelligendum est de culpa, non de pœna; nam Pontifex quæ voluit sub censura declarari, aperte et explicite explicavit. — *V.* Bertagna, *De Casuum reservatione,* pag. 12.

declaravit S. Concilii Congregatio 5 oct. 1744; — 2) dictas pœnas, præter excommunicationem, non incurri, nisi post sententiam saltem declaratoriam criminis. Excommunicatio autem lata in provocantes et acceptantes duellum incurritur *etiam pugna non secuta*, ex citato Pontifice; — 3) nisi duellum sit notorium aut deductum ad forum contentiosum, bene possunt Episcopi absolvere ab excommunicatione ex capite *Liceat* (in Tridentino). Regulares vero, extra urbem et intra Italiam, non possunt vi privilegiorum absolvere; possunt tamen in urbe Romæ, et extra Italiam ex Decreto S. C. Congr. 16 nov. 1602 mandante Clemente Papa VIII *(J)* [1].

713. Q. 7. *Quid est abortus, et quale peccatum?*

R. Ad 1: Abortus definitur: *ejectio fœtus immaturi* (id est nondum ad vitalem nativitatem apti), quem mulier in utero gestat. Etsi fœtus ex communi Doctorum et antiquorum physicorum sententia cum Aristotele, ac praxi S. Pœnitentiariæ, dicatur animari spatio 40 dierum si masculus, 80 si fœmina; hodie tamen medici, pro certo habent ex innumeris experimentis fœtum, nulla facta sexus distinctione, ab ipsa conceptione animari, statim ac nempe ipse incipit formari [2]: quod quidem non multo a copula completa, evenire censent. Hic obiter notandum, ab Innocentio XI damnatam fuisse hanc n. 35 propositionem: *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali.*

R. Ad 2: Quicunque malitiose in se vel in altero *directe abortum procurat*, graviter peccat, sive fœtus animatus sit sive non. Etenim in primo casu est verum homicidium, in secundo tendit in homicidium, et est contra naturam generationis; cum proxime impediat vitam hominis: *Homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, aut nascentem disturbet: homo est qui est futurus; etiam fructus hominis jam in semine est*, ait Tertullianus [3]. Stricte tamen homicidium non est; nam fœtus inanimis non est complete et simpliciter homo. Ceterum ex communiori et omnino tenenda sententia [4], non licet matri, quamvis morbo extremo laboranti remedia sumere directe ad expellendum fœtum, etsi inanimem; quia directe abortus procuraretur: et si illicitum est directe

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 401 et 638; l. VII, n. 220; et *Ho. Ap.*, tr. VIII, n. 2.

[2] Quando agitur de pœnis et irregularitate, res dijudicanda est juxta praxim S. Pœnitentiariæ, non quod ea opinio vera existimetur, sed ut aliquid certi ac determinati in foro externo habeatur. At hodie non ita, si de peccato quæritur: sed illico ac merito homicidam dicimus (ex doctrina peritorum) qui abortum curat a conceptione, homicidam, inquam, peratrocem, qui et corpus et animam perdit.

[3] *Apolog.*, c. IX. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 364; — Ferraris; V. *Abortu.*

[4] Est contra d. Antoninum, qui probabiliter cui plures moderni adhærent, ait: *s Si puerperium nondum est animatum, posset tunc et deberet (medicus) talem dare medicinam; quia licet impediret animationem talis fœtus; non tamen esset causa mortis alicujus hominis, et hoc bonum sequitur, quia liberat matrem a morte.*

expellere semen, etsi ex ejus abundantia mors timeatur, tanto minus licebit expellere fœtum qui est propinquior vitæ humanæ. Neque potest dici pars viscerum, cum sit inchoative condistinctum individuum humanum. Neque vitæ aggressor, cum ex se mortem non intentet, sed ea per accidens eveniat.

Hoc tamen intelligendum: 1) de vero fœtu; nam si sit corruptus licet expellere, quia potius est massa putrida; 2) de fœtu, qui jam sit in uteri possessione. Ex quo resolvitur, quod mulier oppressa poterit se vertere, coitum interrumpere, semen repellere ac prohibere ne immittatur; cum tunc per accidens ex viri malitia effundatur. Non tamen poterit expellere, si jam illud receperit; quia jam tunc esset in pacifica possessione, uti recte ait Croix et alii.

Diximus: *directe abortum procurat;* nam indirecte tantum procurare seu permittere, subministrando videlicet matri, morbo gravi laboranti, remedia fœtui etiam animato nociva, utique licet sub certis conditionibus; nam tunc per accidens et citra intentionem abortus evenit. Sunt autem conditiones:

1. Ut agatur de morbo matris lethali; nam remedia periculosa tantum in extremis sunt tentanda. Ipsa autem remedia non sint per se fœtui nociva, ut esset dilaceratio uteri; tunc enim esset directe abortum tentare, neque intentio mutat medium. Remedium igitur debet esse per se ad morbum curandum directe et immediate efficax: talis esset moderata corporis purgatio, scissio venæ, etc.

2. Ut nulla sit spes fœtui illi per Baptismum vitam æternam procurandi: tunc providendo matri non fit deterior salus prolis: neque enim ideo prolis periculum crescit. Quod si fœtus sit animatus, et dubium sit, an pereunte matre, proles supervivere possit et baptizari, tunc si medicinam sumendo periculum non fit majus, poterit mater medicinam suscipere; quia sic vitæ suæ juste consuleret sine majori fœtus periculo. Si secus, minime poterit; nemini enim fas est ad tuendam vitam suam temporalem exponere positive proximum periculo mortis æternæ [1].

Ceterum etsi medici scrupulis non sint agitandi circa pharmaca, quæ prægnanti præbent, cum rarissime ipsa proles eis supervivat, quia lethalis morbus et humores corrumpit et prolis alimentum contaminat; attamen neque id negligendum est, quia etiam accidit, quod ob peritiam chirurgorum statim ac spiritum exalaverit mater, inciso ejus utero proles viva extracta fuerit et baptizata.

1 Hoc semper intelligendum, si aliqua vera spes adsit salvandi vitam prolis post mortem matris; secus non videtur charitas obligare matrem in extrema necessitate positam ad vitam suam negligendam abstinendo se a remediis ob exiguam spem vitæ prolis. Ceterum *de fœtu et abortu* plura Lib. IV, *Append.* 42.

714. Q. 8. *Quid de pœnis in procurantes abortum?*

R. Sixtus V Bulla *Effrœnatam* 1588 omnes scienter procurantes abortum fœtus etiam inanimati, et in eum consentientes, vel mulieribus præbentes venena sterilitatis, gravibus subjecit pœnis. Sunt autem, habita ratione diversitatis personarum:

1. Privatio privilegii clericalis cum degradatione; item cujuscunque dignitatis, officii ac Beneficii ecclesiastici, necnon inhabilitas ad ea in posterum consequenda. Quod pertinet ad *privationem*, ad eam incurrendam requiritur sententia saltem declaratoria criminis, cum sit expoliatio juris acquisiti; at non ita est de *inhabilitate*, sed eam statim incurritur, cum non privet nisi jure acquirendi. Hæc autem privatio et inhabilitas (ut omnino tenemus contra plures) non potest auferri ab Episcopis, cum sit lex papalis; inferior autem nihil potest in lege sui superioris [1].

2. Irregularitas et excommunicatio ipso facto incurrenda, effectu secuto: utraque Pontifici reservata. Cum autem Papa loquatur *de scienter abortum procurantibus*, iccirco a pœnis illis excusat ignorantia etiam crassa [2], nec tantum juris, scilicet latæ censuræ ignorantia; sed etiam facti, ignorantia scilicet effectus, qui potest sequi a propinatione medicinæ. Verum Gregorius XIV, Const. *Sedes Apostolica* 1591, irregularitatem et excommunicationem limitavit tantum ad abortum fœtus animati.

Ab hac excommunicatione Episcopus potest absolvere etiam per specialiter ab ipso delegatos, cum talis sit facultas a Pontifice tributa. Quod tamen pertinet ad irregularitatem, ea ab unico Pontifice auferri potest, licet abortus sit occultus; patet ex Tridentino [3] *(K)*.

In Synodo Novariensi (sicut in omnibus fere Synodis Diœcesanis) procuratio abortus relata est inter casus reservatos sub n. 3: *sive fœtus sit animatus, sive inanimatus, et licet irrito effectu tentatus.* Et hic observandum est: cui deputatur facultas ab hoc casu absolvendi, illi est quoque ab Episcopo deputata facultas absolvendi ab excommunicatione Papali reos abortus fœtus animati [4].

Etiam lex civilis procurantes abortum (etsi sit ipsa mulier gravida) gravissime punit modo relegatione, modo operibus duris; item animadvertit in eos qui media ministrant, aut indicant [5].

[1] Nec obstat Glossa in cap. *Nuper de sent. excomm.*, ubi habetur ab excommunicatione papali posse absolvere Episcopum, nisi *specialiter* sibi Papa eam reservaverit. Valde enim differt absolutio a censuris ab absolutione ab aliis pœnis, ut sapienter notat Suarez; nam apud omnes consuetudine receptum est, quod censuræ non reservatæ, præsertim excommunicationes ab Episcopis non solum, sed etiam ab approbatis confessariis absolvantur; at diversa omnino res est, si agatur de aliis dispensationibus et absolutionibus. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 191.

[2] Non tamen *affectata*, ut communius dicunt. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 395; l. VII, nn. 47 et 48; *Homo Apost.*, tract. VIII, n. 26.

[3] C. *Liceat* VI, in sess. 24.

[4] Pag. 319.

[5] *Cod. pœn.*, art. 501 et seqq. — *C. A. pœn.*, p. I, § 128.

§ III. — *De vitæ, pudicitiæ, honoris et bonorum aggressione.*

715. Q. 1. *An liceat injustum vitæ nostræ aggressorem occidere?*

R. Quilibet injustum vitæ suæ aggressorem occidere potest; *cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ.* Ita unanimiter Theologi cum Angelico, qui thesim suam confirmat ex eo, quod Exodi XXII furem nocturnum occidere licet; ergo *multo magis*, ait, *licitum est defendere propriam vitam* [1]. Deinde notum est, quod *vim vi repellere omnes leges, et omnia jura permittunt* [2]. Denique ipsa natura docet, esse in homine verum jus vitam propriam defendendi, si injuste oppugnetur, eamque præferendi vitæ aggressoris, qui ex propria malitia in tale periculum se conjecit. *Hoc* (ait Tullius pro Milone) *et ratio indoctis et necessitas barbaris et mos gentibus et feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.*

Quod probat etiam valere non solum pro sæcularibus, sed etiam pro ipsis clericis et religiosis: jus enim defensionis est unicuique a natura inditum. Si secus esset, injustitiæ, bonorum cædi, rerum publicarum eversioni arma ministrarentur: hinc *Catechismus Romanus* hoc jus omnibus tribuit indiscriminatim. Neque obstat quod tunc præferatur vita nostra temporalis æternæ vitæ invasoris; qui si in eo statu fuerit occisus, damnabitur; nam non ipsi nos, sed ipse se invasor sponte et ex sui tantummodo malitia conjicit in periculum damnationis [3].

Diximus *potest;* non enim tenetur quis aggressorem occidere; nam (si non agatur de eo, cujus vita sit omnino necessaria bono communi, quo in casu tenetur se ipsum defendere ratione publica boni), actus virtutis est sui occisionem permittere, ne alter vita temporali simul et æterna privetur. Addimus: *cum moderamine inculpatæ tutelæ;* ut scilicet in tuendis nostris juribus illud moderamen semper servemus, quod nequeat culpari. Hoc autem juxta omnes importat:

1. Ut occisio aggressoris non fiat ad vindictam, cum hæc privatorum non sit; neque ex odio, cum hoc charitati adversetur. Et en quo sensu Christus præcipit, ne rependamus malum pro malo [4]: *Hinc autem dictum est* (ait Augustinus): non resistamus malo, *ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo pascit animum* [5].

[1] 2, 2, q. 64, a. 7. [2] Cap. XVIII *de homic.*
[3] Id etiam dicendum ex Salmanticensibus et Roncaglia si ab invasore timeatur vulnus grave aut deformitatem afferens, si aliter omnino præcaveri nequeat.
[4] Matth. VII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 380.
[5] Epist. *ad Publ.* CXXXIV; it. l. I *de Serm. Domini*, c. XIX. — Carrière, *De Justitia, et Jure*, n. 777.

2. Ut qui aggressionem patitur, non utatur majori violentia, quam necesse sit ad mortem vitandam. Ideoque si ab injusto aggressore liberare se queat clamando, fugiendo vel vulnerando tantum, non potest occidere; alioquin occideret injuste, et teneretur ad restitutionem, cum jus tunc excederet a natura tributum [1].

3. Ut aggressio sit injusta. Hinc non licet reo se defendere contra ministros justitiæ, a quibus ad supplicium trahitur vel cum juste ipsum aggrediantur: sane non datur jus juri oppositum.

4. Ut aggressio actu moraliter inferatur, id est ita impendens sit, ut non possit, nisi adhibita vi, eam repelli; si enim aggressionem vix probabilem feriendo vel occidendo præveniamus, vitæ alienæ aggressores nos ipsi efficiemur, non defensores nostræ [2].

716. Q. 2. *An nobis liceat injustum aggressorem occidere ad defendendam vitam proximi?*

R. Affirmant communiter; si enim licet ad defendendam vitam propriam, item licebit ad defendendam vitam proximi innocentis, quem debemus ex divino charitatis præcepto diligere sicut nos ipsos. Hoc modo s. Thomas a culpa excusat Moysen, qui occidit Ægyptium [3]: *Potest dici, quod Moyses occidit Ægyptium defendendo eum, qui injuriam patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Imo communiter docent Lessius, Lugo, Salmanticenses, etc., id locum habere, quamvis aggressus velit pati occidi: tunc enim non defenderes jus quod habet aggressus se tuendi, cui cessit; sed jus ad vitam, cui cedere nequit.

Sed (quæres) *an sit etiam obligatio defendendi vitam proximi innocentis cum occisione aggressoris injusti?*

R. Certum est ad id teneri Principes, Magistratus et milites, qui specialiter conducti sunt ad civium defensionem. Isti tenentur etiam cum periculo vitæ propriæ, ubi agatur de avertendo a civibus malo publico; sed ubi agitur de vita dumtaxat alicujus privati, non tenentur cum tanto incommodo eum tueri. Ad alios autem quod attinet, probabilius est cum Lessio, Lugo et Tournely, saltem generatim loquendo eos non obligari ad talem innocentis defensionem cum occisione aggressoris injusti; tum quia præceptum charitatis eo in casu non videtur rigorose obligare, cum potius præstet evitare mortem æternam aggressoris; tum quia in alterius occisione non potest evitari incommodum grave, v. g., timorem inimicitiarum aut publicæ justitiæ, vel horrorem qui concipitur fœdando manus nostras sanguine humano; porro charitatis præceptum certe non obligat cum tanto incommodo.

Diximus: *saltem generatim loquendo;* nam excipe: — 1) si invasus esset necessarius ad bonum publicum, ad quod curandum quisque tene-

[1] Hoc tamen in casu, juxta plures, qui moderamen excedit, non teneretur ad totum damnum, sed tantum ad illud, quod proportionatur excessui defensionis, quia dumtaxat talis excessus injustus est: hoc Collet dicit communissimum esse. At notandum quod hisce in accidentibus non adeo facilis est consilii locus atque moderationi: aliquando enim excitato clamore vel tumultu, facile putamus non posse aggressorem abigere; at aliquando ita subito tanto timore percutimur, ut juxta nostrum captum de nobis actum sit, nisi subito percutiamus, quod evenit maxime, si nocturni fures armati nos aggrediantur, vel ex insidiis in nos precipites ruant.

[2] V. *Cod. pœn.*, art. 563, ubi carcere punitur, qui moderamen excedit.

[3] 2, 2, q. 60, a. 6. — Item *Cod. pœnal.*, art. 538 et seqq.

tur sub gravi; — 2) si ipse sit pater, filius, uxor aut frater, quos pietas ipsa obligat omnino tueri; — 3) si sit ebrius et in statu peccati mortalis; quia tunc iste vere esset in extremæ animæ necessitate, cui subveniendum est etiam cum ipso corporis detrimento.

717. Q. 3. *Quid dicendum de injusto aggressore pudicitiæ?*

R. Mulier in omnium sententia non potest suum oppressorem occidere vel mutilare, si aliter eum repellere valide potest, v. g., verberibus, unguibus, etc. Hæc si non prosint, utrum puella possit illum occidere, vel graviter mutilare ad se liberandum, disputant. Multi negant cum Antoine, Ballerino, Dens, etc.; quia pudicitia cum sit virtus quæ non in corpore, sed in anima residet, nemo eam formaliter potest auferre, nobis invitis: unde tyranno dicebat s. Lucia: *si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Materialis autem pudicitia non est tanti facienda, ut propter illam liceat invaso in invasorem ita acriter insurgere.

Verum nos cum Anacleto, Cuniliati, Elbel, Filliucio, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sporer, et aliis communiter dicimus fas esse mulieri, quæ injustam pudicitiæ suæ aggressionem patitur, seipsam defendere cum ipsius aggressoris occisione. Rationem affert s. Antoninus: *Mulier utitur jure suo naturali, quo licet vim vi repellere, et magis tenetur saluti tuæ providere, quam alienæ; nam exponit se periculo consentiendi actui peccati permittendo se opprimi* [1]. Ideo quamvis puella invasorem occidere non teneatur, sed possit passive se habere, quia castitas invite non amittitur; ad id non obligatur, tum quia ipsa materialis corporis integritas maximum est bonum, ita ut quis mallet mori, quam vel solum materialiter violari; tum quia adest periculum pudoris, *quod bonis fœminis morte gravius est* [2].

Neque valet reponere, quod potior est vita proximi quam materialis nostri corporis integritas. Nam hoc semel indiscriminatim admisso, neque fas esset occidere invasorem vitæ nostræ; quia invasor occisus amittit etiam vitam æternam, quæ quidem est potior vita nostra temporali: hoc tamen vel ipsi adversarii non tuentur. Dicendum ergo tunc habendam esse rationem proximi vitæ, quando in vitæ discrimen illum conjicit necessitas, non autem ejus voluntas.

Hic autem bene advertunt, quod non solum licet puellæ aggressionem propulsare actu, quo eandem patitur; sed etiam postea aggressorem potest percutere alapis, pugnis, fuste, baculo et similibus ictibus

1 Art. 559, hoc admittit *Cod. pœn.*

2 S. Ambrosius, l. III *De Officiis.* Imo licet etiam ex charitatis suasione interficere invasorem *pudicitiæ alienæ*, si aliter defendi nequeat. Intellige modo invasa suum invasori consensum non præbeat, sed *positive* eidem resistat; alioquin invasorem occidere non esset vim vi repellere, cum non detur injuria ubi est consensus. Excipiunt nonnulli, si persona invasa sit tibi valde propinqua: tunc (ajunt) ante factum adhuc potes invasorem occidere, quamvis aggressa consentiat; eo enim in casu injuriam propulsas, quæ etiam in te redundat. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 386.

minime periculosis, ut sic displicentiam suam atque constantiam ostendat, et aggressor facilius discedat, nec revertatur. Id porro (modo fiat immediate post acceptam injuriam et nunquam ad vindictam) non tantum permittendum, sed etiam consulendum est. Ad rem Chrysostomus: *Percute vultum ejus, sanctifica manum tuam (L).*

718. Q. 4. *An liceat occidere invasorem honoris?*

R. Negative, si invasio honoris verbis tantummodo fiat, ut si viro honorato contumeliose dicitur *mentiris;* aliter enim repelli injuria potest, debet et solet, nempe verbis potest responderi verbis; ideo tunc vulneratio aut percussio non defensionis, sed vindictæ rationem haberet. Item negative, si honor impetatur factis, v. g. calcibus, colaphis aut similibus injuriis gravibus; sed facta jam evenerint; læsio enim aggressoris post jam illatas injurias (nisi agatur de moderata correptione cum pueris et aliis hujusmodi adhibenda) ultio esset, non autem defensio. Huc spectat propositio 30 ab Innocentio XI damnata, etiam utpote nimis generalis: *Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre* (ubi non distinguit, an id verbis tantum fiat, an etiam factis), *si aliter hæc calumnia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fusto percutiat, et post impactam alapam vel fustis ictum fugiat.*

Si vero res de illo sit qui factis honorem hinc et nunc lædere conatur, viro nobili licebit omni modo injuriam propulsare. Neque enim illi imponi posset obligatio passive se habendi, dum alter in contemptum conetur, v. g. impingere alapam, aut vestes conspurcare; sed licebit ei sane, servato moderamine inculpatæ tutelæ, injuriam repellere. Et si quidem pervicax aggressor ad præstitutam injuriam inferendam vim adhibeat ac repulsus etiam arma arripiat, fas profecto erit alteri vim vi repellere et armis arma opponere, ad tuendum bonum, quod *melius est quam divitiæ multæ* [1]. Ita plurimi cum s. Antonino, Lessio, Laymano, Lugo, Molina, Navarro, etc. contra plures qui acriter tuentur contrarium; sive honor sumatur *radicaliter*, qui est excellentia illa, ob quam unus alteri præfertur; sive sumatur *formaliter*, prout nempe est bona æstimatio, quam homines concipiunt de aliquo ob dictam excellentiam, ac foris signo aliquo manifestant. Porro primo modo honor, nobis invitis non amittitur; secundo modo, utpote vanus et fragilis non tanti habendus, ut ad illum tuendum invadere hominis vitam. *Alasia*, *Concina*, *Antoine*, *Carrière*, *Patuzzi*, etc.

Diximus: *viro nobili;* quia hoc non licet neque plebeis, quibus probrum non est fugere: neque clericis et religiosis quibus pariter

[1] Eccl. XLI. — *V.* Ballerini, *In adnot. ad Gury*, t. I, n. 398. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 381 et 391; *Homo Apost.*, tract. VIII, n. 14. — Croix, *l.* III, *p.* 1ª, *n.* 803.

non dedecet fugere, cum armorum usum non profiteantur; semper ac sine vitæ periculo possunt. Ceterum quoad praxim prima sententia parum aut nihil deserviet etiam respectu sæcularium nobilium; ut enim sapienter ajunt Sylvius, Lessius ac Viva, impossibilis aut valde rarus est casus, quo id liceat si de solo honore agatur, nisi forsan cum Principe res sit; cum generatim fuga videatur in casu potius prudens dicenda, quam ignominiosa: et de facili honor ordine justi judicii recuperari possit.

719. Q. 5. *An liceat occidere aggressorem bonorum fortunæ?*

R. Antoine, Billuart et Collet cum aliis bene multis negant, licere occidere injustum aggressorem bonorum fortunæ, cum nulla sit proportio inter rem, quæ defenditur et vitam invasoris.

Verum in sententia nostra, si bona fortunæ sint magni momenti, et non possent aliter defendi aut recuperari, potest dominus omni modo resistere et vim vi repellere etiam usque ad latronis necem. Tunc enim consideratur vis illata domino rem suam custodienti; quia quando quis ita defendit sua, regulariter defendit simul propriam personam, quam periculo pro suarum rerum defensione exponit. Ita passim docent Cajetanus, Croix, Elbel, Ferraris, Lessius, Lugo, Roncaglia, Salmanticenses, Sylvester, Sylvius, Sotus, Stapf, Suarez et Viva freti auctoritate ss. Antonini et Raymundi. Ratio generalis et decretoria est quod præceptum charitatis (quod unice movet adversarios) tunc tantum obligat præferre bona proximi altioris ordinis, quando proximus est in extrema necessitate; non vero quando ipse de se et sponte et ex malitia propria periculo mortis occurrit, prout in casu nostro [1].

Neque facessit, quod nulla sit proportio inter bona fortunæ et bonum corporis: et persona hominis superet omnem æstimationem pecuniæ. Nonne longe superioris ordinis est vita spiritualis proximi nostri respectu vitæ propriæ corporalis? nonne vita animæ superat omnem æstimationem vitæ corporis? Attamen licet vitam spiritus injusto aggressori adimere etiam in adversariorum sententia pro nobis servanda vita corporis. Quare? quia non necessitate, sed voluntate aggressor in illud discrimen se committit: unde per ipsum tantummodo stat, si velit perire. Hujus autem sententiæ communis ac probabilissimæ est certe s. Thomas, qui eam supponit ex illo

1 « Quest'opinione (ait doctissimus *Gousset*) ci sembra più probabile dell'opinione contraria; perchè, lasciato stare ogni altro motivo, ciò sarebbe un rendere arditi i ladroni a commettere i più grandi disordini, se si ponesse un uomo nell'obbligo di lasciarsi rubare ogni volta che gli venisse chiesta o la borsa o la vita. È necessario che uno scellerato sappia che si ha diritto di resistergli, e che, anche nel caso ch'ei non teme nè la giustizia di Dio, nè quella degli uomini, non possa impunemente intraprendere di spogliare un onest'uomo. » Etiam *Cod. pœn.* regni, art. 560 in hoc casu nullam in occisorem pœnam decernit.

Exodi: *Sive effringes fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere, mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Hinc subdit: *Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum* [1].

Diximus: *si bona fortunæ sint magni momenti;* etenim non expedit *pro conservandis vilibus et transitoriis rebus tam acriter in alios excandescere:* hæc sunt verba Juris canonici, quibus damnantur duo Religiosi, quorum unus interfecerat duos latrones vestes tantum ipsis eripere conantes [2]. Porro generatim loquendo bona illa censentur magni momenti, quibus ablatis, deficeret alicui sustentatio pro se et suis. Gravis autem notæ Theologi, inter quos Lugo, docent etiam hoc nomine donari posse illa, quorum jactura damnum notabile afferret domino juxta qualitatem personæ.

Hic tamen notamus propositiones sub Innocentio XI proscriptas: 1ª *regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei;* 2ª *non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus;* 3ª *licitum est tam hæredi quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et ejus habenti in cathedram vel præbendam contra earum possessionem injuste impedientem* (sub nn. 31, 32 et 33).

Art. VIII. — *De stupro et adulterio.*

720. Q. 1. *Quid hic intelligitur nomine stupri?*

R. Stuprum quamvis, si proprie sumatur, sit *illicita defloratio virginis invitæ;* attamen quoad moralium quæstionum resolutiones sumitur pro *illicita* virginis defloratione sive virgo consentiat sive non [3]. *Illicita,* id est extra legitimum conjugium.

Lege autem civili stuprum accipitur pro concubitu violento cum persona alterius sexus; et violentia semper supponitur si persona stuprata, nondum compleverit annum duodecimum, vel non fuerit compos sui. Hoc autem punitur pœna triremium; ceteri autem actus libidinis juxta circumstantiarum varietate plectuntur.

[1] 2, 2, q. 64, a. 7. — Neque obstant verba, quæ post allata leguntur in eodem Exodo (cap. XXII), nimirum: *quod si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* Nam bene respondet hic Cornelius A-Lapide, quod id non dicitur ibi, quia post lucem abest periculum mortis; sed quia alto jam meridie fur melius agnosci potest, et sic facilius bona recuperari possunt in judicio, quin a se jus faciat: et insuper quia, orto sole, melius potest fur repelli, invocato vicinorum auxilio. Alia, quæ ex Jure et Patribus opponuntur, facile resolvuntur si totus legatur contextus; res enim est vel de occisione animo vindictæ suscepta, vel de quacunque re etiam parva defendenda, vel de excessu in defensione, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 383; — Sylvius, *In* 2, 2, q. 46, a. 6, *d. Thomæ.*

[2] C. *Suscepimus,* de homicid.

[3] *Cod. pœn.,* art. 420 et 489. De gravitate stupri. *V.* Lib. I, n. 775.

721. Q. 2. *Ad quid tenetur stuprator, qui puellam defloraverit consentientem; sed absque ulla matrimonii promissione?*

R. Stuprator, qui defloraverit puellam consentientem, absque ulla matrimonii promissione, in foro conscientiæ ad nihil tenetur erga puellam ipsam; nam *volenti et consentienti non fit injuria* [1]. Dictum est *in foro conscientiæ;* quia aliquando in foro externo stuprator cogitur puellam dotare, quia præsumitur seducta, sicut præsumitur virgo, nisi contrarium probetur.

Utrum vero teneatur ad aliquam satisfactionem erga parentes violatæ puellæ, si illa sub eorum potestate adhuc sit, negamus cum stuprum est eis occultum; nam tunc eos exterius non dehonoravit, neque tenetur prodere turpitudinem suam. At si stuprum notum sit parentibus, utrum illis satisfacere debeat pro dehonoratione in ipsos redundante, puta per veniæ petitionem, humilem sui submissionem, honoris exhibitionem, etc., adhuc negant Lugo, Lessius, Suarez et alii; quia nullum eorum jus strictum fuit violatum cum puella libere cessit juri in corpus suum. Affirmant vero Navarrus et Salmanticenses cum s. Antonino et d. Thoma; stuprato (sicut et puella) non tantummodo castitatem, sed violavit etiam jus custodiæ quod habent parentes circa illam puellam, justam doloris causam eis præbuit, familiam dedecoravit, si crimen vulgetur, etc.; hæc igitur omnia meliori quo possunt modo resarcienda sunt.

722. *Quid vero* (dices) *si ob secutum stuprum teneantur parentes augere dotem ad filiam in matrimonio collocandam?*

R. Antoine, Habert, Collet et alii obligant stupratorem ad damnum reparandum aliquid tribuendo; violavit enim jus strictum, quod parentes habebant, ut filia sua decenter nubere posset. Sed communissime negant cum Billuart, Laymano, Lugo, Navarro, Roncaglia, Sanchez, Soto, Suarez et Vasquez; nam sicut puella cum libere possit quascunque nuptias respuere, nullam parentibus injuriam irrogat, si ad illas se reddat minus idoneam consentiendo in sui defloration-em, ita iis nullam irrogat injuriam deflorator. Excipe tamen:

1. Si stuprator facinus ipse propalando puellam infamaverit; tunc tenetur ex justitia omne damnum ex tali infamatione proveniens compensare tum puellæ ipsi, quam ejus etiam parentibus; cum illa iniqua manifestatio vera sit et efficax causa damnorum.

2. Si stuprator sit valde dives et puella pauper, aliquam ad minus partem dotis eidem tradere debebit, etsi non promiserit; quia

1 « Gli Ateniesi... punivano più gravemente lo stupro di seduzione, che il violento, per la ragione, che il seduttore corrompeva il corpo e il cuore della donna; mentre colui che adoperava la violenza, non corrompeva che il corpo. » *Cod. spieg.*

tunc censetur puella sub hac spe et quasi implicita conditione consensisse. At alii dicunt id esse tantum de æquitate.

3. Si judex defloratorem ad aliquid condemnaverit ob injuriam parentibus illatam, superiori enim obtemperandum est: et bene contra ipsum competit parentibus actio pro injuria.

723. Q. 3. *Ad quid tenetur stuprator, si virginem dissentientem seduxerit vi, minis, fraudibus; sed sine matrimonii promissione?*

R. 1: Si crimen illud manifestum est, tenetur stuprator tam puellæ, quam parentibus omnia reparare damna honoris atque fortunæ; cum eorum sit vera causa injusta et efficax. Ita est definitum Jure canonico [1]: hinc ob dehonorationem debebit veniam petere a parentibus; puellæ vero dotem augere tenebitur ita, ut bene nubere valeat perinde, ac si minime violata fuisset. Non tenetur illam sibi ducere in uxorem, cum id non promiserit, nisi forte damnum aliter reparari non possit, vel nisi intercesserit sententia judicis, quæ ipsum damnaverit ad ducendam in pœnam tanti criminis [2].

R. 2: Si crimen sit occultum, ubi puella æque nubat, ad nihil tenetur seductor: non pro violatione *virginitatis*, quæ probabilius non est pecunia commensurabilis: non pro *damno*, quia ex hypothesi nullum adest: non pro periculo *nuptias non inveniendi*, quia inventæ sunt: non pro *injuria parentum*, quia defloratiouem ignorant. Sunt tamen qui volunt adhuc stupratorem teneri aliquid puellæ suppeditare arbitrio prudentis, propter mœrorem et periculum vexationis tolerandæ a viro, si ejus turpitudinem cognoscat.

Sed quid (quæres) *si stuprator loco fraudis, vis ac metus, adhibuerit preces repetitas et importunas, vel dona et similia?*

R. Communissime dicunt, stupratorem generatim ad nihil teneri; preces enim, dona et similia non tollunt, quod virgo sponte consentiat, cum facile possit molestias illas excutere. Excipe:

1. Si unacum precibus conjungatur metus reverentialis; attenta sexus fragilitate, contradictio tunc evadit moraliter impossibilis.

2. Si preces adeo essent importunæ et molestæ, ut puella majoris faceret vexationem illam, quam virginitatis jacturam; tunc sollicitatio esset cum ipsa vi comparanda. Id tamen non potest contingere, nisi rarissime, cum fœmina quælibet possit facile, sancta concepta ira, aliquo modo a sollicitatore se liberare, si efficaciter velit.

3. Si seductor jam incipiat vim puellæ irrogare tactibus, oscu-

[1] C. *si culpa*, de injur. — *V.* Ferraris; V. *Stuprum*.

[2] C. 1 *de adult.* Si seductor puellam ducere velit, sed ipsa renuat, tunc eam dotare debebit, ut sic illata damna valeat reparare. Quod tenet etiam in dubio, num puella fuerit ante ab ipso violata, an ab alio; quia semper præsumitur inviolata, donec contrarium probetur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 642.

iis aliisque similibus, etiamsi postea consentiat; quia per vim illam antecedentem vir censetur eam constituere in periculo proximo consentiendi. Item si nollit vir discedere, et virgo consentiat, ut postea statim discedat; quia timent infamari, si ab aliis sola cum solo inveniatur: tunc habetur quasi moralis coactio. Ita Lugo, Navarrus, Roncaglia, Salmanticenses, etc.

In his tamen casibus, et similibus violator tenetur tantum ad partem damnorum, cum proprie puella omnino invita non sit.

721. Q. 4. *Ad quidnam tenetur stuprator, qui virginem seduxerit per matrimonii promissionem?*

R. Stuprator qui virginem sive consentientem sive dissentientem seduxit per matrimonii promissionem, juxta aliquos satis est si damnum reparet, eam dotando; sed non tenetur eam ducere sive ficte sive vere matrimonium promiserit. Quia si illud ficte promisit, promissio de se nulla est; si vere promisit, iterum invalida habenda est promissio, cum sit de re turpi: quod autem turpe est nullam habet obligandi vim, et Cosci testatur hanc esse praxim tribunalium — Verum sententia communis et omnino tenenda cum d. Thoma [1] docet, quod cum promissio adest, deflorator tenetur, si potest ac generatim loquendo, puellam seductam ducere, non solum si promissio est vera, sed etiam cum est ficta; tum quia aliter nequit restituere ad æqualitatem, neque damnum adæquate reficere; tum quia in contractibus innominatis *do ut des, facio ut facias*, quando unus suam partem onerosam implevit, tenetur et alter ex justitia implere suam; hic enim non adest tantum simplex promissio, sed etiam verum damnum. Idque declaravit S. Concilii Congregatio 17 sept. 1722; 29 nov. 1862, et 27 julii 1867 [2].

Diximus: *si potest:* nam *si aliam jam duxerit*, ita Angelicus, *sufficit, si ei de nuptiis provideat.* Addimus *generatim:* sunt enim casus in quibus stuprator ab ea servanda promissione communiter ac rite excusatur, nempe:

1. Si fœmina ex verbis aliisque conjecturis facile cognoscere poterat malam promittentis fidem et deceptionem: in hoc enim casu ipsam censetur libere cunsensisse. Hinc Lessius docet, quod si vir vel inconstanter fuerit allocutus, vel adhibuerit verba ambigua et vaga, ut si dicat simpliciter puellæ, suam esse voluntatem ineundi in posterum cum ea matrimonium, ad illud non tenetur [3].

[1] Suppl. q. 46, a. 2. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 641; *Homo Apost.*, tract. x, n. 93.
[2] V. *Acta S. Sedis* etc., t. I, pag. 341; et t. III, pag. 304.
[3] Imo s. Antoninus, Lugo, Sancius, etc., probabilius docent illum in hac hypothesi nè teneri quidem ad damnum compensandum; quia deest actio externa injusta per se apta ad damnum inferendum; poterat enim puella facillime deceptionem perci-

2. Si stuprator nobilitate vel divitiis valde superet conditionem mulieris, et hæc talem disparitatem non ignoraverit, ut valde probabiliter dicunt; ipsa enim conditionum disparitas de se ingerit motivum prudenter dubitandi de veritate promissionis. Quo in casu probabilius nec tenetur stuprator de damnis: *servet promissum*, ait s. Antoninus, *nisi nimis distans esset eorum conditio, puta mulier plebea, vir nobilis et potens* [1].

3. Si timeatur ex matrimonio pessimus exitus, ut si puella sit nimis levis. Idem dicunt si timeantur magna scandala aut rixæ inter contrahentium consanguineos, vel dedecus familiæ viri. Putamus tunc stupratorem non teneri ad virginem violatam ducendam, etsi vere promisisset; quia hæc promissio nulla esset, utpote de illicito. Ita s. Antoninus, Layman, Roncaglia, etc. [2].

4. Si vir fœminam cognoverit existimans esse virginem, sed corruptam invenerit: idque magis, si fœminam se virginem finxerit, cum tamen non esset; tunc deceptio deceptione compensatur. Idem putat Sanchez pro alio notabili errore viri.

Si autem ante patratum crimen vir jam sciverit, fœminam jam ab alio cognitam, tenebitur quidem eam ducere, si sit bonæ famæ et cognita in conjugio, quia id non habetur dedecori. Si vero extra conjugium fuerit cognita, non tenetur nisi ad damna, uti si forte ex copula illa infamiam mulier contraxisset: nam matrimonium cum fœmina inhoneste corrupta longe pejus habetur, quam copula extorta, prout verius dicunt Salmanticenses ac Lugo.

Quid (dices) *si stuprator exhibeat consensum ad matrimonium quod promisit, et puella renuat?*

R. Ad nihil stuprator tenetur; cum per ipsum non stet, quominus matrimonium contrahatur. Quod si puella non recuset, sed contradicant parentes, tunc alii dicunt adhuc ad nihil stupratorem teneri; cum adhuc per ipsum non stet. Sed alii verius illum obligant ad damnum reparandum; nam matrimonium principaliter ad damnum compensandum promisit: et licet per ipsum non stet quo-

pere et sic sponte decipi voluit. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 613. — Ferraris; V. *Stuprator*.

[1] *Quid vero, si puella dictam conditionis disparitatem ignoraverit?* Affirmant probabiliter Lessius et Busembaum, tunc stupratorem teneri ad matrimonium; nam mulier non potuit deceptionem cognoscere. Verum adhuc valde probabile est illum non teneri, ut dicunt Lugo, Viva, Salmanticenses aliique; nam stuprator non debet obligari ad restitutionem, nisi ad æqualitatem injuriæ illatæ: sed compensatio injuriæ illatæ in hoc consistit, ut ipse servet quod mulier rationabiliter petiit, et propter quod crimini perpetrato consentit. Quid porro rationabile petiit mulier ignorans dictam conditionis disparitatem? Non aliud profecto, nisi ut alter ejusdem conditionis vel parum excedentis eam duceret in uxorem; ergo si vir conditionis multo melioris illam duceret, redderet aliquid supra injuriam illatam, quod nec petiit nec petere intendit ipsa mulier. Unde tunc satis est, si ei tantam pecuniam tribuat, quanta requiritur ut nubat viro suæ conditionis.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 644; l. VII, n. 851.

minus nubat, cum neque id stet per puellam, ideo ista semper urgere potest, uti sibi compensetur.

725. Q. 5. *Quid si stuprator, qui virginem seduxerit vera aut falsa matrimonii promissione, voto castitatis aut ingrediendæ Religionis sit ligatus, vel cum stuprata consanguinitate vel affinitate conjunctus?*

R. Ad 1: Si stuprator votum illud emisit post promissionem, docent communiter illum teneri ad conjugium; nam votum nullius est ponderis, cum emissum fuerit in injuriam puellæ deceptæ. Si vero emisit ante promissionem, Concina et Layman negant stupratorem ad conjugium teneri. Sed sententia probabilior et tenenda recte tradit adhuc ipsum obligari; quia damnum defiorationis nunquam adæquate reparatur, nisi per ipsum conjugium. Nec obstat votum; nam debita onerosa sunt communiter præferenda gratuitis, quibus nempe semper inest conditio: *dabo, si status rerum non mutetur.* Hinc si quis voverit, v. g. dare bona sua Ecclesiæ et postea damnum alicui inferat, prius tenetur resarcire damnum et postea implere votum. Imo Lugo certe et longe probabilius id censet valere, etsi virgo violata fuerit conscia voti; quia cum post copulam facile posset obtineri voti dispensatio, potuit fœmina intelligere, sibi promitti dispensationis procurationem: quam ideo curare tenetur stuprator. Quod si eam obtinere non posset, tenetur saltem ad compensandum damnum.

R. Ad 2: Violans virginem, quam scit sibi esse conjunctam, sub matrimonii promissione etiam ficta (casu quo mulier non potuisset fictionem animadvertere), tenetur dispensationem impetrare, quamvis, ut verius putamus, nulla sit facta in illa promissione mentio dispensationis impetrandæ. Id enim subintelligitur, prout si religiosus promittat se aliquid daturum, subintelligitur *de licentia Prælati;* ideo vir tenetur procurare dispensationem et matrimonium contrahere ad damna omnia resarcienda et pacta servanda; cum taciti et expressi eadem sit ratio.

Si tamen stuprator inculpabiliter non advertisset ad impedimentum, et pro dispensatione opus esset magna difficultate aut sumptu, satis est si damna reficiat, sicut quilibet alius injustus defiorator [1].

726. Q. 6. *Quænam sunt stupratoris et stupratæ obligationes erga prolem, si nascatur?*

R. Si proles enascatur, magis urget obligatio matrimonium celebrandi inter stupratorem et stupratam ad illam legitimandam ac sustinendam. Quod si nuptiæ locum habere nequeunt, tunc si agatur de stupro violento, Jure naturæ sub gravi stuprator tenetur ad

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 650; *Homo Apost.*, tract. X, n. 98.

omnes *ventris expensas*, ut vocant, nempe ad prolis alimoniam, quamdiu hæc victum sibi per se valeat comparare ac sibi sufficere, cum solus fuerit causa damni. Attamen ejus defectu tenetur mater, etsi culpam non admiserit; nam mater est: sed tunc habet regressum in stupratorem, qui omnes expensas ei refundere tenetur.

Si vero agatur de stupro voluntario, cum uterque in culpa sit, seductor et puella tenentur æqualiter et in solidum ex officio naturæ prolem sustinere et educare quousque sibi sufficiat. *Olim ex romano Jure* mater tenebatur prolem alere pro primo triennio. Postea obligatio transibat in stupratorem, ita ut si ultra mulier prolem alebat jus habebat adæquatam compensationem a stupratore repetendi; vel ab hæredibus, si ille moriebatur [1]. Hinc illud:

Mater alat puerum trimum trimoque minorem;
Majorem vero pascere patris erit.

Diximus: *olim ex Jure romano;* hodie enim Jure civili, si filius extra matrimonium natus legitimatur, legitimorum jura acquirit; si non legitimatur, sed legaliter recognoscatur, a patre vel matre est alendus, educandus, instruendus, etc. [2]. Quod si recognosci prohibeatur a lege, tunc jus tantum habet ad alimenta, casu quo certo colligi possit quis pater vel mater illius sit [3].

727. Q. 7. *Ad quid tenetur adulter?*

R. Vel proles ex adulterio non est nata; vel proles nata est; vel dubitatur, utrum nata proles, ex ipso adulterio nata sit.

a) *Si proles certe nata non est*, nulla erit ex hoc capite obligatio restitutionis. Imo si crimen marito occultum sit, ad nihil tenebuntur neque erga eundem adulteri; cum non teneantur se infamare. Quod si ei innotuerit, debent personalem injuriam compensare per veniæ petitionem, per signa doloris et alia hujusmodi.

b) *Si proles ex adulterio nata est*, tunc si uxor omnino invita (v. g., vi, minis aut dolo) ad adulterium fuit inducta, damna omnia reparare tenetur adulter, utpote qui solus est eorum causa efficax et injusta: nempe tenetur restituere filiis legitimis tam hæreditatem suæ proli relictam, quam alimenta huic exhibita, expensas pro ejus educatione procuratas, etc. Quæ restitutio fieri potest occulte per confessarium vel aliam personam fidelem [4].

[1] L. IX, Codicis *de patria potest.*

[2] *Cod., civ.* art. 186; *Cod. proced. civ.*, art. 338; *Lex transitoria* 30 nov. 1865, art. 7. — *C. G.* 338; — *C. A.* 165; — *C. P.* 121; — *C. M.* 161, 165; — *C. T.* 89.

[3] *Cod. civ.*, art. 193; — *C. G.* 342, 762; — *C. S.* 265; — *C. T.* 86.

[4] Ceterum mulier adhuc teneretur ratione maternitatis ad curandam prolem eam lactando si potest, cum hoc sit matris officium; attamen sine ulla expensa, de qua semper teneretur adulter ut pote solus reus, uti supponitur. Si tamen adulter impie

Si vero uxor libere omnino adulterio consenserit, tunc cum uterque adulter sit æque principalis causa, uterque tenetur in pari gradu, et in solidum ad alendam adulterinam prolem quousque valeat sibi per se providere. Quod item pertinet ad alia damna tam marito quam filiis legitimis obvenientia ex introductione prolis illegitimæ in familiam, utérque pariter tenetur illa resarcire; et una parte deficiente, obligatio devolvitur ad aliam. At si adultera uxor nequeat prolem adulterinam alere extra domum, nec damnum familiæ alia ratione compensare absque gravi dispendio famæ, vel rixarum periculo, debet aliis industriis uti, v. g., diligentius curare rem familiarem, cultum sui corporis minuere, adulterum filium inducere, ut Religionem ingrediatur, si sit ad illam idoneus; et si adultera bona propria habeat, plus legitimis quam spuriis tribuere per donationes manuales, per contractum, legata, testamentum, etc. [1].

c) *Si dubitetur an nata proles, nata sit ex adulterio* (puta, quia tempus partus correspondet etiam tempori adulterii, vel quia maritus antea filios ex uxore non genuerat), tunc alii cum Antoine, Billuart, Laymano, etc., dicunt restituendum esse pro rata dubii: æquum enim non est, ut maritus totum onus habeat prolem alendi, quæ forsan non est sua. Sed communis sententia cum Azorio, Concina, Continuatore Tournely, Croix, Elbel, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Soto, Sporer, etc., adulterum liberat ab omni restitutionis obligatione; quia, stante tali dubio, possidet matrimonium, et filius semper reputatur legitimus, donec constet oppositum. Neque sane rarum est, ut qui steriles videbantur, tandem filios insperato obtineant.

Quid (quæres) *si proles sit certo illegitima; sed incertum sit, an ad unum vel alterum ex duobus adulteris pertineat?*

R. Communius docent cum Lacroix, Lugo, Gury et aliis utrumque adulterum obligandum esse ad restituendum pro rata, quia eo in casu damnum est certum et constat illud ab alterutro patratum esse; uterque igitur est causa incertitudinis quæ impedit ne compensatio ab uno determinato exigi possit. Verum alii cum Gobat, Filliucio, Lessio, Lopez, Sanchez, Zacharia, etc., utrumque adulterum liberant; hæc sententia dura est, at spectata ratione et absolute loquendo probabilior; nemo enim tenetur de damno, nisi certo moraliter constet ipsum fuisse damni causam. Nec sufficit ut posuerit actionem aptam ad damnum, sed insuper requiritur, ut illud revera intulerit; neque enim semper actio de se injuriosa damnum causat, ut argumentatur Ange-

renueret prolem curare, ipsa adultera etsi innocens, deberet providere infantulo suo impotenti, non quidem ratione culpæ, sed ex officio pietatis; est enim ille caro de carne sua; sed haberet semper jus repetendi ab adultero omnia damna et expensas. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 631; et de enormitate adulterii Lib. I, n. 777.

1 *V.* Carrière, *De Justitia et Jure*, nn. 1389 et seqq.

licus [1]. Excipe nisi duo illi ex communi consilio adulterium patraverint; vel si posterior sciat adulterium jam factum ab altero; tunc ipse esset causa incertitudinis prolis, ideo vera causa, ne a primo possit exigi compensatio.

728. *An adulteri, stupratores, fornicarii divites, qui prolem ad hospitale detulerint, teneantur expensas eidem compensare?*

R. Universim affirmant Antoine, Billuart, Lessius, Lugo, Salmanticenses, etc. quia xenodochia solum pro sustentatione pauperum sunt instituta: neque sunt præsumendi eorum fundatores voluisse divites ab expensis eximere. Laymam idipsum docet, casu quo hospitale sit pauper; quia non pauper divitem, sed dives pauperem alere debet: imo in Mediolanensi Diœcesi infantis expositio facta a divite parente quacunque causa, est casus reservatus, ni damna pio loco resarciat. Verum plures alii cum Dicastillo, Henriquez et Renzio universim negant, teneri divites parentes ex justitia reficere hospitali, etsi pauper sit, expensas pro nutrienda prole, si illi eam exponant.

Hoc porro putamus probabilius; quia hospitalia hujusmodi erecta sunt pro omnibus indiscriminatim infantibus, qui a parentibus abjiciuntur, sive parentes divites sint sive pauperes. Neque obstat quod subsidia a gubernio vel a municipio istis parvulis præbeantur; quia hæc pro parvulis derelictis generatim tribuuntur, quin ad parentes attendatur. Adde: hujusmodi nosocomia instituta sunt eo fine, ut infantes et illegitimi liberentur a periculo mortis tum æternæ tum temporalis, cui maxime exponerentur, nisi in iis piis locis susciperentur. Quot enim parentes impios et barbaros infamiæ metus adegit sive ad abortum prolis procurandum, sive ad necem ipsi inferendam? porro filii divitum non minus ac filii pauperum tale periculum incurrerent [2].

Ceterum pro praxi omnes, uti par est, conveniunt enixe, atque ut ita dicam opportune et importune adhortandos, urgendos genitores divites saltem titulo pœnitentiæ, ad aliquid hospitali tribuendum; tum ut tanti facinoris gravamen sentiant; tum maxime quia hodie ob nimiam morum undique dissolutionem, expositorum numerus crescit in dies, adeo ut expensæ continuo augendæ sint, quin sufficiant. Sæculi nostri opprobrium! en quo ducit non fræno cohibita licentia; sed ita est, quo magis decrescit pietas, eo magis crescit corruptio *(M)*.

CAPUT SECUNDUM

DE BONIS FAMÆ ET HONORIS.

729. Q. 1. *Quid est fama et honor?*

R. Fama (a *fando* dicta) hic sumitur *pro opinione publica de alterius excellentia:* honor autem est *ipsa testificatio alienæ excellentiæ.* Ex quibus patet discrimen famam inter et honorem: *fama* potissimum consistit in opinione interiori de alterius excellentia; *honor* in testificatione externa, quæ fit verbis aut factis. *Fama* fertur de ab-

[1] 2, 2, q 62, a. 7. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 638; — Ferraris; V. *Adulterium.*

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 656. De *expositis* vide supra n. 594.

sente: *honor* exhibetur præsenti vel in se vel in alio qui illum repræsentat, sicut rex honoratur in suo legato vel statua. *Fama* læditur vel interius per dubitationem, suspicionem, opinionem et judicium temerarium; vel exterius per detractionem: *honor* autem maxime per contumeliam læditur.

Oportebit igitur utrumque in Confessione explicare, quia continet diversam specie malitiam læsio famæ ab ipsa læsione honoris.

730. Q. 2. *An committat diversa peccata qui detrahit alicui in pluribus materiis, vel cum diversis contumeliis afficit, adeo ut debeat explicare in particulari mala, de quibus se accusavit?*

R. Negant Lugo, Molina et alii, quia materialiter quidem distinguuntur specie diversæ detractiones et contumeliæ, at non moraliter; cum semper unam famam, unum honorem lædant. Sed affirmant probabilius Concina et Croix cum Sylvio, quia læduntur diversa jura quæ alteri competunt, quæ quidem diversa sunt in genere morum; per hoc enim quod quis est diffamatus in uno crimine, non ideo est diffamatus in alio. Hinc si quis furto est diffamatus, novum peccatum esset eum accusare libidinis: sic fœmina de uno tantum adulterio diffamata, nequit sine novo peccato de alio occulto diffamari: quia unum non dicit connexionem ad alterum, nec pravam consuetudinem importat. Excipe, nisi revera crimina illa sint connexa et unum præseferat affinitatem cum alio; quia tunc non censetur nova infamia gravis inferri vel augeri, ut si dicas de ebrio rixari cum uxore. Item recte excipiunt mulierculas et plebeos, qui simul rixantes eodem impetu diversis contumeliis se dehonorant; nam in communi æstimatione hæc convicia non habentur uti gravia, et audientes nullam ipsis præstant fidem, putantes illa potius proficisci ex impetu iræ, quam ex animo et rei veritate; et ideo ut plurimum rixantes excusantur a mortali, nisi forte de aliquo particulari facto adversarium improperent [1].

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, nn. 48 et 49. Quod de detractione (atque de illam culpabiliter audiente), idem dicunt de judicio temerario: alii volunt esse explicandam materiam, in qua judicatur, cum bona existimatio circa unam virtutem sit diversa a bona existimatione circa virtutem aliam. Sed alii contendunt satis sufficere, si dicatur: *temere judicavi in materia gravi de Titio*, cum bona existimatio de aliquo una sit ejusdemque speciei in genere moris.

Utrum sit indicanda qualitas personæ, per detractionem vel judicium temerarium, læsæ, adhuc disputant: aliqui negant, quia hoc esset nimis onerosum, neque est in usu. Aliqui vero affirmant, si agatur de persona arctissimo vinculo conjuncta cum lædente, ut si læsus sit pater; tunc enim læditur et pietas. Hoc tamen non valeret de conjunctis remotioribus; neque de confessario, quia extra Confessionem inter pœnitentem et confessarium tanta relatio non habetur, ut detractio novam addere debeat malitiam mortalem; et sane communiter non attenditur ut gravis talis culpa.

Attamen etiam dato, quod ratione sui non sit explicanda qualitas personæ per detractionem læsæ: plerumque illa videtur necessario indicanda ratione consectariorum, ad quæ forsan plures non animadvertunt: quoties, v. g., detrahendo superioribus, maxime ecclesiasticis, auditores avertuntur ab obedientia, a religione, ac rebelles fiunt, et ad extrema deveniunt!

An (addes) *qui detrahit alicui in una tantum re, sed coram pluribus plura committat peccata?*

R. Affirmat Croix, quia tot jura is lædit, quot sunt personæ, apud quas alter infamatur. Sed negat Lugo, cum aliis, quia jus ad famam est unicum apud omnes, non autem multiplex: est ergo tantum circumstantia aggravans; ideo in Confessione sufficit dicere: *detraxi in tali re coram pluribus.*

Art. I. — *De læsione et reparatione famæ.*

731. Q. 1. *Quid de dubitatione, suspicione et opinione temeraria?*

R. Dubitatio temeraria est *suspensio animi circa proximi bonitatem absque fundamento rationabili.* Suspicio temeraria est *assensus inchoatus, quo quis absque fundamento rationabili inclinatur ad malum judicandum de proximo suo.* Opinio temeraria dicit *assensum in illud judicium, sed infirmam de opposito formidinem habentem.*

Hæc inter se discrepant, ut patet; sed quia parva est distantia, in moralibus promiscue usurpantur. Imo Angelicus eas sub uno tantummodo suspicionis nomine includit [1].

Dubitatio, suspicio et opinio temeraria regulariter loquendo non videntur nisi peccata venialia, præsertim si procedant ex errore intellectus. Sane *suspicio* in se non est, nisi quædam animi concitatio ad assensum: *dubitatio* est simplex animi suspensio in partem neutram inclinantis: *opinio* tandem est cum formidine oppositi. Ergo manet adhuc in mente aliqua bona proximi existimatio, neque illi proinde gravis infertur injuria, neque in possessione famæ suæ graviter perturbatur; uno verbo fama læditur tantum, non tollitur quod ipse docet s. Thomas [2].

Diximus: 1. *Regulariter loquendo;* quia probabilius docent esse mortale, si suspicio, dubitatio vel opinio temeraria fieret de peccatis gravissimis, ut si de religioso temeraria fieret suspicio, dubitatio vel opinio, quod sit hæreticus: vel de viro communiter uti catholico habito, quod sit judæus, turca vel atheus; tales enim su-

[1] 2, 2, q. 70, a. 3. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 962 et seqq. — Ferraris; V. *Fama.*

[2] 2, 2, q. 60, a. 3. — « Interdum hæc animi ad suspiciones propensio vel ex indole hominis, vel ex præteritis illius factis aliquam excusationem admittit: e. g., ab ætate senili, vel dum quis iterato ab hominibus quos fidissimos arbitrabatur, se deceptum vidit. At pessima illorum conditio est, qui ut fieri consuevit, ideo dumtaxat de aliis quidvis mali suspicantur et credunt; quia sibimet nullius virtutis conscii sunt. » Ad rem *Stapf*, § 399.

Suspiciones ac temeraria judicia maxime vexare solent scrupulosos, qui omnino inducendi sunt ad ea despicienda, nec permittendum, ut de illis se accusent.

spiciones, dubitationes et opiniones majorem quodammodo videntur iisdem injuriam inferre, quam si certum haberetur eorum judicium de delictis gravibus ordinariis.

Diximus: 2. *Præsertim si procedant ex errore intellectus;* nam si orirentur ex malevolentia, et in iisdem graviter temerariis quis pertinaciter immoraretur, mortale vix effugeret ob injuriæ gravitatem.

732. Q. 2. *An dubia semper sint in meliorem partem interpretanda?*

R. Generatim sufficit dubia *de personis* explicare negative, nempe ipsas nec bonas nec malas judicando: tum quia non est necessitas judicii; tum quia per se nemo tenetur ad illum assensum, in quo se exponit errandi formidini; tum quia licet judicare pro modo objecti: quod cum neutrum sit, neutrum erit judicium.

Si tamen non placeat, aut non liceat suspendere judicium, tunc si agitur de damno vitando, possumus dubia de personis pejorem in partem accipere, non quidem definiendo, ut ait Angelicus [1], sed tantum supponendo, nempe ita nos gerendo quasi illa persona sit revera mala: in tanta hominum corruptione (ad rem Stapf) talis circumspectio regulis justæ prudentiæ consentanea est, et nemo obinde tanquam de injuria sibi illata conqueri potest; non enim alios magis, quam nosmetipsos, diligere jubemur. Hinc Job, licet nihil suspicaretur de filiis suis, offerebat tamen holocausta pro iis, *ne forte peccaverint.* Neque ideo aliquod verum damnum irrogatur personis, cum sit simplex suppositum. Hinc qui ignotum domi recipit, potest se gerere, quasi esset fur: hinc superior se gerere potest, ac si subditi delinquant, cum hoc sit nisi ad cautelam, atque ad invigilandum.

Si vero non agatur de damno vitando, debemus dubia positive interpretari in meliorem partem, nempe positive asserendo proximum non deliquisse; jus enim quilibet habet ad famam: *neque in dubio est præsumendum delictum.* Neque proximus sine causa a possessione suæ integritatis dejiciendus est: et melius est errare bene, quam male judicando.

Hactenus si dubia sint de personis; si vero dubia sint *de rebus*, v. g., an talis contractus sit licitus, non necessario sunt ea in meliorem partem interpretanda, sed res est suis æstimanda momentis: quia in his solum agitur de eo, ut veritas attingatur; nec ideo alicui irrogatur injuria. Unde si audio aliquem propositionem hæreticam proferentem, propositionem hæreticam judicabo, quia est judicium de rebus; sed ipsum qui eam profert, hæreticum esse non ita subito dicam, cum possit ex inadvertentia vel ignorantia id evenire, non autem ex pertinacia: *Etiamsi*, ait s. Bernardus, *perperam actum quid*

[1] 2, 2, q. 60, a. 4.

deprehendas, ne sic judices proximum; magis autem excusa: excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum [1].

733. Q. 3. *Quid est judicium temerarium et quale peccatum?*

R. Judicium temerarium est *firmus animi consensus, quo quis absque rationabili fundamento judicat malum de proximo suo.* Si sit cum plena advertentia conceptum de gravi proximi malo, communiter loquendo erit mortale; gravem enim proximi injuriam irrogat, cum violet jus quòd ipse habet, ne absque justa causa reprobus judicetur. Hinc legimus: *nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis,* et alia hujusmodi [2].

Diximus: *communiter loquendo;* nam tale judicium erit veniale: 1) si habeat quis magnam probabilitatem, etsi non omnino sufficientem ad certitudinem; certitudo enim moralis et magna probabilitas non adeo distant, ut gravis censeatur injuria tenere uti pene certum, quod est valde probabile: v. g., si quis judicet procacem juvenem inventum solum cum puella in cubiculo, inhonesta tractasse; — 2) si malum quod judicatur, non sit adeo grave; judicium enim informatur a sua materia; — 3) si quis advertat quidem se male de proximo judicare; sed minime advertat signa sic judicandi non esse sufficientia; — 4) si judicium sit de indeterminata vel ignota persona: tunc per se loquendo injuria gravis irrogatur nemini [3].

734. Q. 4. *Quid est detractio et quale peccatum?*

R. Detractio est *famæ proximi extinctio vel imminutio injuste facta in ejus absentia.* Dicitur: 1) *proximi;* qui enim propriam lædit, ordinarie injustus non est, cum sit illius dominus; 2) *injusta,* quia ob justam causam licet culpam proximi manifestare; 3) *facta in ejus absentia:* quia si fit in præsentia, superadditur contumelia.

Detractio ex genere suo est lethalis; et gravior ipso furto quod utique lethale est, fatentibus omnibus: lædit videlicet proximi famam, quæ est majus bonum, quam opes et divitiæ; etenim ex s. Scriptura *fama bona impinguat ossa* [4]; *si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit; abominatio hominum*

[1] Sermo XL *in Cant.* — *V.* Ferraris; V. *Judicium temerarium, Suspicio, Dubitatio.*

[2] Matth. VII. — Judicium temerarium specie differt a detractione, et ideo hæc seorsim confitenda sunt: qui enim temere tantum judicat, malam existimationem apud se retinet; qui vero detrahit, et aliis ipsam significat et exterius prodit.

[3] « Ond'è che tali giudizi difficilmente giungono ad essere mortali, mentre per lo più o il fondamento si giudica sufficiente, oppure questi giudizi non sono giudizi, ma sospetti, i quali (benchè temerari) ordinariamente sono scusati da colpa grave, se non fossero di scelleraggini enormi, come di eresie, parricidi e simili. » S. Alphonsus, *Il Confessore diretto,* cap. XI, n. 1.

[4] Prov. XV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.,* l. III, n. 966.

detractor; neque maledici... Regnum Dei possidebunt [1]. Et d. Hieronymus: *Non putent religiosi se esse securos dicentes: grandia crimina non facimus, non adulteror, non furtum facio, non homicidium: grande scelus est quando detrahis fratri tuo* [2]. Videlicet unico ictu detractio tres interficit lethaliter ex d. Bernardo, detractum, detrahentem et audientem detractionem. Quod peccatum ideo etiam grande est, quia difficulter fama semel læsa, ex toto restauratur: hinc illud axioma vere satanicum: *calumniare audacter, aliquid semper hæret.*

Porro si alicui detrahatur, crimen verum aperiendo, dicitur simplex *detractio:* si aperiendo falsum, dicitur *calumnia,* quæ est gravior et differt specie a simplici detractione, quia detractioni mendacium superaddit proximo perniciosum ac lethale: *os autem quod mentitur, occidit animam* [3]. Attamen sive detractio sive calumnia potest esse tantum venialis, vel ex levitate materiæ, si grave damnum non inferat; vel ex defectu deliberationis: *Peccata quæ committuntur in proximum,* ait Angelicus [4], *sunt pensanda per se quidem secundum nocumenta, quæ proximo inferunt, quia ex hoc habent rationem culpæ: tanto autem est majus nocumentum, quanto majus bonum demitur* [5].

735. Q. 5. *Quot modis fieri potest detractio?*

R. Octo modis hisce versibus ab Angelico expressis:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat aut reticet, minuit laudatve remisse [6].

Primus omnium gravissimus est falsi criminis impositio, et dicitur *calumnia* vel *contumelia,* si contingat in præsentia illius cui falsum crimen imponitur, vel eo fine ut id alter resciat. Secundus est criminis veri *amplificatio,* quæ quoad augmentum calumnia est. Tertius est *revelatio* criminis occulti. Quartus *sinistra interpretatio* boni operis: si quis, v. g., dicat, eleemosynam mulieri pauperi fuisse quidem datam a Titio, sed ad pravum seductionis finem, vel ex hypocrisi. Quintus boni operis *negatio.* Sextus *reticentia* et silentium in iis circumstantiis, in quibus facile intelligi queat proximum vel non esse laude dignum, vel non tantam sibi mereri [7]. Septimus

1 Eccli. x; Prov. xxiv; i, Cor. vi. — *Cod. pœn.*, art. 370 detractores punit.
2 In Ps. cxlix. 3 Sap. i. 4 2, 2, q. 73, a. 3.
5 Non excusaretur a gravi culpa qui sine animo lædendi, sed ex levitate graviter detraheret, si id deliberate agat. Non enim officit quod detractio directe non intendatur; nam est implicite volita, si dicantur ea, ex quibus illa provenit.
6 Quatuor primi detrahunt directe, alii indirecte: omnes autem hi modi per se sunt ejusdem speciei: quia omnia respiciunt unum bonum famæ. Attamen novam possunt speciem addere ex accidenti, ut si detrahas alicui in ejus præsentia, esset enim et contumelia, vel si inde prævideas detractum esse amissurum sua bona, etc., tunc accipiet aliam speciem injuriæ in bona fortunæ, quod ideo in Confessione de necessitate explicandum est. *Lugo.* — *V.* Ferraris; V. *Detractio.*
7 « Un servitore, per esempio, osserva il silenzio, allorchè in sua presenza si loda o si biasima il suo padrone: egli si fa chiaramente intendere con ciò, che il suo pa-

alienæ virtutis *extenuatio*. Octavus *frigida commendatio*, ex qua adstantes intelligant sic laudantem, non bene sentire de illo, quem ipse laudat *(N)*.

736. Q. 6. *Quid susurratio, et quale peccatum?*

R. Susurratio est *verbum seminans inter amicos discordias*. Convenit cum detractione ex parte materiæ, quia utraque malum de proximo dicit; sed specie differt ex parte finis, quia susurratio insuper dissolutionem amicitiæ intendit. Et ideo est ex genere suo mortalis, specie diversa ac gravior detractione: unde in Confessione est exprimenda, ut notat Angelicus [1]. Quot malorum sint causa susurrones in familiis, in communitatibus, in universa societate, haud dici potest. Hinc illud Ecclesiastici: *Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes; verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris* [2].

737. Q. 7. *An peccet peccato detractionis qui grave crimen revelat; sed uni vel alteri tantum, qui illud sub secreto continebit?*

R. Cum distinctione: vel revelatio fit ad leniendum offensæ dolorem; vel revelatio fit ex levitate et sine causa.

Si 1, communissime docent revelationem delicti factam uni vel alteri tantum non esse peccaminosam; durum enim videtur, ut quis prohibeatur solatium quærere suum dolorem amico manifestando. Neque tunc malum proximi intenditur; imo medium hoc institutum est ab ipsa natura, a qua habemus, ut dolor communicando dimidietur: atque id fieri per amicorum compassionem docet Angelicus [3]. Hinc excusant saltem a mortali famulos, qui referunt injurias sibi a domino illatas, uxores quæ referunt improperia mariti, matres quæ referunt offensas filii, etc.

Si 2, alii cum Busembaum censent esse mortale uni etiam crimen revelare: quisquis enim ægre fert, quod apud virum cordatum dehonoretur. Adde: in omnium sensu judicium temerarium est mortale, licet unus tantum illud concipiat de aliquo. Multi tamen cum Cajetano, Covarruvia, Lessio, Navarro, etc., satis probabiliter negant esse grave; nam fama consistit in opinione multorum: unde non est infamatio, si crimen uni vel alteri viro prudenti reveletur. Huic sententiæ adhæret aperte Angelicus: *ita tamen*, addit, *ut non proveniat inde aliud vel infamia vel vituperium proximo delinquenti*, id est, nisi alter alteri sit crimen manifestaturus (quod observatu difficile est), et dummodo semper excludatur animus nocendi [4]. Nec tenet paritas judicii temerarii, quia in hoc habetur falsi criminis impositio; sed in nostro casu est tantummodo nuda veri criminis manifestatio.

738. Q. 8. *An sit grave, si detrahatur coram pluribus, sed reticita persona, dicendo, v. g., in tali loco esse qui male vivunt?*

drone non merita le lodi dategli, o meriti i biasimi che gli fanno. Nulladimeno per ciò che riguarda i biasimi, il silenzio d'un servitore, d'un amico, o di qualunque altra persona, può in certi casi attribuirsi alla timidezza, alla prudenza, o al timore di un maggior male. » *Gousset.*

[1] 2, 2, q. 74, a. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 72.
[2] Cap. XXVIII; et Prov. XXVI, v. 20 et 22; et Eccli. VI.
[3] 1, 2, q. 38, a. 2.
[4] Quodl. 11, a. 13. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 973.

R. Grave peccatum non est generatim loquendo hic dicendi modus; in omnibus enim locis ordinarie sunt homines mali: unde per se proprie dicta infamia nulli inuritur. Verum aliter esset, si inde aliqua infamia alicui redundaret: sic peccat qui detrahit Ordini religioso, vel nominat Monasterium, in quo quis grave peccatum occultum commiserit; id enim toti Ordini graviter nocet; nisi, excipit Concina, agatur de aliquo Ordine amplo, neque sit strictioris observantiæ, cum in quolibet amplo loco ferme semper sint aliqui discoli. Hic venit graviter reprehendenda prava illorum consuetudo, quæ hisce temporibus adeo invaluit, ut nempe, si quis fortasse de Clero scandalose deliquerit, universus Clerus traducatur uti criminosus : hoc injustitiam simul et odium in Religionis ministros plane ostendit [1].

Quid (addes), *si nominetur persona, sed non notentur ejus peculiares defectus, ut si dicas : multa scio de illo, sed patefacere prohibet charitas, scit me illum posse ad tacendum cogere, etc.?*

R. Id per se videtur mortale; nam sic gravis suspicio ingeritur in audientium animis. Si tamen nominentur defectus, sed in genere dicendo talem esse avarum, iracundum, etc., ex se non videtur mortale; quia, ut plurimum, audientes id interpretari solent de quadam propensione tantummodo naturali ac quasi involuntaria. Ceterum ipsa personarum qualitas est attendenda: etenim erit mortale de optimi nominis Prælato dicere, mendaciis esse assuetum; aut de ecclesiastico, quod duellum commiserit vel sit amans puellarum. Non est autem ordinarie grave id asserere de milite, aut de juvene mediocris famæ; nec dicere de puella, quod sit garrula, elata, vel impatiens, etc.

Quid (quæres) *si nominentur quidem defectus, sed isti naturales sint?*

R. Per se mortale non est illos defectus nominare; cum enim a voluntate non profluant, animam non afficiunt, neque sunt dedecori. Poterit tamen esse mortale, vel ratione magni mœroris, ut si proferantur in faciem, v. g., si dicas de aliquo, ipsum esse spurium; vel ratione præjudicii quod inde evenire potest, ut si quis dicat de viro honorabili fuisse vile mancipium [2].

Quid (addes) *si nominentur quidem defectus morales; sed defuncti jam sint, quibus detrahitur?*

R. Detrahere defunctis ultro concedimus, ceteris paribus, non adeo grave esse ac detrahere vivis; cum defuncti non amplius fama indigeant ad recte vivendum. Dicimus tamen adhuc mortale esse ipsis detrahere in re gravi: nam juxta communem hominum æstimationem semper in fama sua vivere censentur. Unde scriptum est : *mortuo non prohibeas gratiam* [3]; et Proverbium habet: *de mortuis nisi bene.* Hinc historiographi ignominiæ notam memoriæ defunctorum sine sufficienti causa inurentes occulta manifestando, cognita exaggerando, nec actam pœnitentiam referendo, graviter peccant, atque ad restitutionem tenentur: neque hæredes condonare id possunt, cum famæ aliorum domini non sint. Idque valet, licet defuncti sint damnati; nam adhuc

[1] V. *Civiltà Cattolica*, t. VIII : *I complici del regicida ;* — Martinet, *La science sociale au point de vue des faits*, l. II, c. 10 ; — Mura, *Il Clero e la società moderna, ossia esame critico di alcune lagnanze della società moderna contro del Clero e contro i suoi diritti.* Roma, 1826.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 72.

[3] Eccli. VII. — *V.* Manno, *Opuscoli*, articolo: *Della libertà dei giudizi storici sopra i morti* ecc. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n 979. Ad rem Sales: *Il dir male de' morti è grande empietà ; è un fare come quelle feroci belve, che disotterrano i corpi per divorarli.*

sunt nostri proximi secundum naturam: ideo neque licet ipsis duplex tormentum desiderare, ut ait Roncaglia.

739. Q. 9. *An liceat revelare crimen, quod semel publicum est?*

R. Triplici modo crimen publicum dici potest:

1. *Publicitate juris*, cum nempe de eodem publice constat vel per judicis sententiam, vel per ipsam rei confessionem, vel per legitimam testium depositionem in judicio secutam.

2. *Publicitate facti*, cum id publico loco coram multis patratum est, ita ut non amplius possit ulla neque tergiversatione celari, neque ullo excusari juris suffragio.

3. *Publicitate famæ*, quando fama criminis pervenit ad majorem partem communitatis, vel ad tot personas ejusdem, ut, spectatis omnibus circumstantiis, fieri nequeat quin ad notitiam majoris etiam partis deveniat. Nos porro dicimus, ad hoc, ut crimen dici possit publicum sufficere, quod si communitas constet octo personis, illud sciant quatuor; si centum, sciant quindecim; si mille, sciant viginti circiter diversarum familiarum [1]. Publicum autem erit in aliqua vicinia 40 personarum, si sciant 8 ex diversis familiis; item si in oppido 5,000 civium, sciant 40 per illud dispersi. Addunt autem crimen dici *famosum*, si illius fama pervagatur per majorem partem oppidi, communitatis viciniæ vel Parœciæ. Item dicunt infamatum in Regno, quia jam est infamatum in Curia principis, vel in alio loco illustri, ex quo facile in Regnum fama dimanat. Hoc posito:

Dicimus nullum peccatum est neque contra justitiam neque contra charitatem, si verum alterius crimen reveletur in loco, ubi sive juris, sive facti, sive famæ publicitate jam est notum: *Si palam res est, repetitio injuria non est*, ex juris adagio. Imo expedit ad bonum publicum, ut unusquisque cognoscatur qualis publice cognitus est.

Imo communius videtur non peccare saltem mortaliter neque contra justitiam neque contra charitatem qui crimen in uno loco publicum etiam ex solo facto, in alio loco manifestat ubi nondum notitia pervenit, nec perventum erit ita facile; nam expedit publica delicta, publica execratione notare, ut ab iis caveant omnes. Hoc consuetudo passim confirmat, dum historici nemine reclamante, narrant ubique, præsentibus et futuris, delicta solummodo in uno

[1] Notandum est, crimen in una tantum familia vel monasterio notum non posse dici absolute publicum; ac proinde non posse manifestari ne in alio quidem monasterio ejusdem Ordinis, quia est semper privatorum notitia, cum una familia habeatur ut unus homo. — *V.* Liguori, *Ho. Apost.*, tract. XI, n. 12; *Op. Mor.*, t. III, n. 974. Billuart id judicio prudentis remittit, si attento communitatis numero, hominum garulitate et aliis circumstantiis, judicet vix possibile, ut res secreta maneat.

loco nota notorietate facti, uti passim videre est apud sacros, ecclesiasticos et profanos historicos [1].

740. Q. 10. *An aliquando liceat alterius crimen occultum revelare?*

R. Si notitia sit habita ex Confessione sacramentali, in nullo casu licet alterius crimen revelare, quamvis sit levissimum, atque agatur de ipsa morte vitanda; nam semel data contraria suppositione, retraherentur fideles a Sacramento. — Si vero notitia aliunde habita sit, illud revelare fas est *propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis*, ut ait s. Thomas [2]. Unde dicimus cum Concina, licere revelare verum et occultum alterius crimen:

1. Ut proximus emendetur illud deferendo judici aut Prælato aut domino aut parenti, modo ex tali revelatione majus eidem damnum minime contingat. Ideo tanto magis licet crimen revelare ad consilium petendum pro delinquentis emendatione; bonum enim animæ spirituale præferendum est bono temporali famæ, uti habet sanctus Basilius [3].

2. Ut publicum damnum evitetur: quo in casu quisque per se loquendo crimen manifestare tenetur; nam bonum communitatis vincit bonum particularis, ac quælibet pars tenetur ad bonum totius conferre. Hinc detegenda sunt crimina quæ in Religionis aut Reipublicæ ruinam vertunt; si enim unusquisque tenetur de proximo suo, quanto magis si de plurimorum bono curando agatur!

3. Ut salvetur vita hominis innocentis, ut si innocens accusetur de homicidio, erit revelandus homicida; cum potior sit conditio innocentis. Imo licet alterius occultum crimen revelare ad vitandum grave damnum proprium, vel alienum, etiam in bonis fortunæ; quia nocens non habet jus ad famam suam cum gravi damno innocentis, et ex lege charitatis bonum proprium, vel alterius innocentis bono nocentis est præferendum [4].

Hæc omnia tamen tunc tantummodo obtinent, cum damnum non potest aliter evitari, et damnum satis proportionatur amissioni famæ;

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 974; *Homo Apost.*, tract. XI, n. 13. — Frassinetti, *nota* 83. Et celebris historicus hac de re ajebat: *voi vi siete infamati colle vostre azioni, ed io vi infamo co' miei scritti.*

2 2, 2, q. 73, a. 2. 3 *In reg. brev.*

4 « Perciò si può avvisare un padrone, che il suo servitore è infedele; un superiore che il tale o tal altro inferiore non è degno della sua confidenza: spesso anche vi è obbligo per carità. Neppure è maldicenza il dare di alcuno informazioni poco favorevoli, ma conformi alla verità, quando si è consultato intorno a persone interessate a conoscerlo, perchè si tratta o di un matrimonio, o di un altro negozio importante, pel quale si teme d'essere ingannato. » *Gousset*, n. 1070.

« Hinc (recte addit *Lyonnet*), a peccato exulant: — 1) qui superiores, aut patresfamilias monent de subditorum, filiorum, aut famulorum vitiis, ut eos reprehendant aut coerceant; — 2) qui medici, advocati, confessarii, magistri, aut famuli inscientiam, aut pravitatem detegit iis quorum interest ista cognoscere; — 3) qui juvenes monet de vitiis sociorum, ut periculosam eorum societatem fugiant. »

et dummodo nec amplius nec pluribus crimen manifestetur, quam oporteat ad avertendum damnum, quod in se ipso quis pertimescit. Unde sapienter monet Suarez ex Angelico: *Charitas obligat ad subveniendum communi bono cum minimo damno privato; ergo si potest illud defendi et hoc vitari, utrumque faciendum est* [1]. Quare eo in casu per se liberum non erit superiori crimen aperire *(O)*.

741. Q. 11. *Quid de iis, qui detractionem audiunt?*

R. Si gravem detractionem audiens ipsi cooperatur, detractorem excitando, laudando, interrogando, etc. peccat contra charitatem et contra justitiam; cum efficiatur vera causa damni, quod proximus patitur, injusta et efficax. Et hæc differentia est ex d. Bernardo inter detrahentem et detractionem audientem, quod primus dæmonem habet in ore, secundus in aure. Si vero detractionem audiens illi non cooperatur, tunc vel secum ipse de illa gaudet, vel minime gaudet de illa.

Si audiens detractionem secum de illa gaudet, peccat mortaliter in materia gravi contra charitatem, et affectu etiam contra justitiam; cum delectetur de gravi damno proximi sui, et de actu injusto. Unde monet Scriptura: *Linguam nequam noli audire: detrahentia labia sint procul a te; cum detractoribus non commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum* [2]. Imo peccaret contra justitiam etiam effective, si delectationem suam exterius manifestaret; cum tunc se habeat, uti laudator detractionis. Excipiunt: 1) si quis non delectetur de detractione quatenus est proximi damnum, sed tanquam de auditione rei novæ, seu de curiosa cognitione criminum alienorum; 2) si quis delectetur quidem de ipsa detractione; sed non ex odio vel gaudio de alterius damno, bene vero ex simplici animi vanitate seu curiositate: id deducunt ex s. Thoma, qui tunc tantum docet esse grave pecatum, quando *placeat ei detractio propter odium ejus, cui detrahitur* [3].

Si vero audiens detractionem de illa non gaudet, non peccat: modo 1) si eam commode impedire nequeat, se haberet modo tantum positivo; 2) modo non sit superior, quia tunc specialis obligatio resistendi ei incumbit.

742. Q. 12. *Adestne obligatio detractionem impediendi?*

R. Si gravem detractionem audiens est *superior*, utique tenetur illam sub gravi impedire; cum ratio officii peculiariter adstrictus sit ad occurrendum subditorum damnis. Utrum vere obligetur ex

[1] *De charitate*. diss. VIII, sess. 6ª. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 969; l. IV, n. 247.
[2] Eccli. XXVIII; et Prov. IV et XXIV.
[3] 2, 2, q. 73, a. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 979.

justitia, ita ut in defectu detractoris, ipse teneatur restituere famam læsam, alii affirmant de superiore infamantis, quia superior tenetur ex officio curare, ne subditus alteri noceat. Alii affirmant de superiore infamati, quia pariter ex officio tenetur damnum subditi impedire. Alii vero forte probabilius cum Lugo, Soto aliisque de utroque negant: et 1) de *superiore infamantis*, cum non teneatur invigilare bono non subditi (licet peccet contra justitiam in ipsum subditum, quatenus eum corrigere debet); 2) de *superiore infamati*, quia ipsi non incumbit bono temporali subditorum prospicere. Hæc tamen ratio probat illum ex justitia teneri, si ipse in temporalibus esset præpositus.

Quod pertinet ad *personam privatam*, certum est, quod si detractionem audiens eam non impediat, contra justitiam non peccat; quia nulla ei obligatio ex officio incumbit. Imo neque contra charitatem, si inutiliter corrigeret juxta illud: *ubi auditus non est, non effundas sermonem* [1]; vel si non posset sine gravi incommodo, quocum non obligat charitas; vel si dubium sit, num delictum evaserit publicum; non enim supponitur malus qui illud patefecit.

Tota ergo quæstio est de casu, quo detractio sit certo injusta: an scilicet peccet graviter persona privata, quæ cum commode possit, tamen detractorem non admonet. Censet sapientissimus Lugo, corrigere sub gravi æqualem raro, inferiorem rarissime teneri; imo absolute dicunt Salmanticenses cum communi Thomistarum, nonnisi leviter peccare privatum, qui ex verecundia, timore, negligentia detractioni non resistit; quod eruunt ex Angelico, qui id libenter admittit, si ultra infamiam aliud proximi damnum non timeatur [2]. Hæc communissima sententia (quæ occurrit plurimorum angustiis) rationabiliter sustineri potest, tum quia in hac materia difficillime constat monitionem fore profuturam; tum quia facillime offenduntur detrahentes coram aliis corripi, et periculum est quod potius augeant vel confirment detractionem. Excusantur autem etiam a veniali illi, qui advertendo detractionem vel discedunt, vel sermonem ad alia industrie divertunt, vel faciem tristem ostendunt, vel referunt bona de illo cui detrahitur. Ratio est quia istæ actiones sunt veræ correptiones juxta illud: *dissipat... facies tristis linguam detrahentem; per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis* [3].

[1] Eccli. XXXII. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XI, n. 17.
[2] 2, 2, q. 73, a. 4.
[3] Prov. XXV; Eccl. VII. Expedit raro detrahentem ab initio sermonis abrumpere, quia sæpe nonnisi communia et publica facta asseruntur; aliunde talis interruptio ad attentionem detrectantibus conciliandam inserviret. *Lyonnet.* Vide Stapf, § 403.

743. Q. 13. *An sub gravi facienda sit restitutio famæ?*

R. Sub gravi fama restituenda est, si graviter læsa: si enim gravis est obligatio reparandi damnum grave in divitiis, a fortiori urgebit hæc obligatio, quando agitur de recuperanda fama; nam *melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ* [1]. Hinc ad rem Gregorius IX: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata... jure super his satisfacere te oportet.* Nec juvat dicere bono publico expedire, ut delicta detegantur: id verum est, si directe in damnum vergant communitatis. Secus non; sic enim et pax et tranquillitas turbaretur, frænum tolleretur ad alia crimina vitanda, ac cædes inveherentur sæpe. Imo confessarius curet, ut hujusmodi restitutio ante absolutionem fiat; quia ceteroquin difficulter postea implebitur, quamvis hæc ordinarie sit minoris difficultatis, quam restitutio pecuniæ.

Hic tamen advertendum est facile evenire, quod audientes nullam fidem habeant detractori, quia loquitur ex ira vel alia passione non probando delictum; tunc nulla proprie esset læsio.

744. Q. 14. *Quomodo fieri debet restitutio famæ?*

R. Vel restitutio famæ facienda est ob revelationem criminis veri, sed occulti; vel ob imputationem criminis falsi:

Si 1, debet infamans, quoad potest, opinionem de eo ab audientibus conceptam abolere, dicendo, v. g.: *se male dixisse, injuste diffamasse.* Quia tamen hic modus vix hodie sufficiens est apud rusticos et simplices, qui adhuc crederent vera esse quæ a detractore dicta fuerunt; ideo convenientius erit dicere: *se falsum dixisse, errasse, se deceptum vel mentitum fuisse.* Neque hæc verba mendacia sunt (uti cum bene multis docet Lugo), sed vere amphibologica; *nam ipsa peccata,* inquit Angelicus, *falsitates dicuntur in Scriptura secundum Psalmum:* ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium [2]? *Ego soleo hoc consilium dare,* ait s. Alphonsus, *ut dicant: ex capite meo hoc erui (vulgo:* me l' ho cavato dal capo) *æquivocando nempe; quia omnia verba a mente, pro qua accipitur caput, procedunt.* Verum si prudenter judicetur restitutionem sic factam potius fore noxiam, quam utilem, maxime apud nasutos et intelligentes, qui talem modum jam sciunt, melius erit ut eam detractores, tacendo de primo delicto, indirecte et industrie agant, videlicet offensum pluries serio et data occasione honorando, vel de eo bene loquendo.

[1] Prov. XXII. Si fama leviter tantum sit læsa, sub levi reparanda est; nam justitia sive in magnis sive in parvis vult æqualitatem. In praxi tamen difficile est obtinere, ut restitutio famæ, si leviter sit læsa, fiat directe per retractationem: unde sufficit si restitutio fiat indirecte, videlicet bene loquendo de persona læsa, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 991; *Homo Apost.*, tract. XI, n. 18.

[2] 1, p. q. 17, a. 1. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 992; *Ho. Apost.*, tract. XI, n. 18.

Et tunc pro præteritis detractionibus cum illis confessarius se gerat, uti solet cum vero paupere, a quo nulla potest restitutio exigi.

Si 2, infamans tenetur crimen falsum aperte retractare, adhibito etiam, ubi sit opus, juramento; nam qui intulit damnum, ad totum id tenetur, quod necessarium est ad injuriam reparandam, si adeo difficile non sit, uti non est juramentum. Neque obstat, quod ipse tunc diffametur; potior enim esse debet conditio innocentis quam nocentis. An vero teneatur etiam testes adhibere, si juramento fides non habeatur, videtur negandum, nisi in aliquo casu raro; nam id uti valde arduum habetur. Aliunde quid magis agere debet detractor, quam Deum vocare in testem? unde restitutio nimium tunc damnum excederet, ut tenent Dicastillus, Navarrus, Salmanticenses et Trullenchus contra Bonacinam et Lugo, qui etiam testes requirunt.

Ceterum non sufficit prout verius dicunt Concina, Croix, Lessius, Roncaglia, Salmanticenses, etc., ut retractatio fiat apud auditores immediatos; sed ea est facienda, quantum moraliter est possibile, etiam apud mediatos, quibus nempe crimen revelatum est ab auditoribus immediatis, si præviderit detractor, hos crimen esse aliis revelaturos, et simul videat eos retractationem negligere. Ratio quia ipse fuit prima et efficax causa damni; at secundis causis deficientibus, semper remanet obstricta causa prima [1]. Hinc videant in quantas se conjiciunt angustias illi qui tam facile aliorum famam dilacerant!

745. Q. 15. *An simul cum redintegratione famæ adsit obligatio reparandi cetera damna, si quæ ex detractione secuta sint?*

R. Si ex læsione famæ ob delicti falsi propalationem ortum est alteri damnum fortunarum, ut si læsus privatus est famulatu, officio, pensione, si excidit spe matrimonii divitis, si dotem amisit, etc., tunc et fama reparanda est, et omnia damna illa juxta æstimationem prudentum compensanda sunt, si saltem in communi fuerint prævisa, ut ordinarie prævidentur; qui enim aliquam liberam causam posuit, tenetur de illius effectibus. Adde, quod hæc damna compensandi obligatio ad hæredes detractoris transit; cum habeat respectum ad illius bona [2].

Quæstio esse potest, si manifestatum sit delictum verum, occultum tamen; quo quidem semel cognito, aliquis fuerit, v. g., a lucroso officio a suo superiore expoliatus. Sotus docet non esse in hoc casu ex integro damna resarcienda, sed tantum quoad partem,

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 991.
[2] Non tamen transit ad hæredes obligatio compensandi famam; nam hæc consistit in actione pure personali, quæ cum ipsa persona tota extinguitur.

judicio viri prudentis; quia revera præcipua damni causa est ipsum crimen, non vero revelatio, quæ est solum conditio sine qua non. Verum hic allucinatur doctor oculatissimus, ait Billuart; ut quid tunc Theologi omnes laborant in assignando modo restituendi famam ob occultum sed verum crimen revelatum? satis esset, ut detractorem pœniteat. Crimen utique patratum est, sed quando occultum (nec publico perniciosum), idem est ac si non esset perpetratum; et ideo tunc tota ratio damni est sinistra opinio quam injuste detractor ingessit in audientium animos sua iniqua propalatione.

Ideo omnino tenendum cum Croix, Laymano, Lugo, Salmanticensibus aliisque etiam in eo casu integre damnum secutum esse reparandum; quia hic et nunc injusta (ut supponitur) revelatio est causa vera et unica damni, dum sine ipsa illud omnino abfuisset [1].

746. Q. 16. *Quænam causæ excusant a famæ restitutione?*

R. Quinque causæ excusant a famæ restitutione:

1. Si adsit impotentia physica vel moralis: *physica*, ut si nulla ratione possit quis restitutionem peragere; *moralis*, uti si eam peragere nequeat sine damno longe majori, ceteris paribus: hæc nempe physicæ comparatur; at impossibilium nulla obligatio. Qui autem restituere non potest totum, tenebitur saltem ad partem, quam potest; neque enim restitutio consistit in indivisibili.

2. Si crimen quod erat antea occultum, alia via evadat publicum; jus enim ad famam jam esset amissum.

3. Si prudenter judicetur res jam oblivione deleta; nam longe periculosius est renovare memoriam per retractationem, quam retractationem ipsam omittere [2].

4. Si adsit infamati expressa, vel tacita condonatio: imo quandoque sufficit præsumpta, sive interpretativa ejusdem voluntas, si, v. g., ita sit bonus animo affectus, ut si rogaretur, certo condonaret; tunc non est invitus, et quilibet est suæ famæ dominus. Attamen aliquando læsus illicite condonat, si ejus fama videlicet inserviat ad proximi ædificationem; ex charitate tunc illam curare tenetur. Aliquando etiam invalide, si quando fama ei necessaria sit ad damnum alterius præcavendum, quod avertere tenetur ex justitia, ut si esset superior; nam strictum jus habent subditi, ne sui infamia ipsorum bonum impediat [3].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 994. — Lugo, *De rest.*, diss. XV, n. 22.

[2] *Quid* (quæres) *in dubio, utrum oblivio illa existat necne?*
Si agitur de crimine vero, non est facile in memoriam revocandum: cum potius attendatur ad delictum, quam ad retractationem; nisi adsit periculum evidens, ne infamia illa ex alia via in hominum memoriam sit reditura. Si de crimine falso, revocanda est infamatio, nisi certo constet de oblivione; cum enim res vera haud sit, nullam proprie dictam infamiam per se importare poterit.

[3] « Se si trattasse, per esempio, d'una calunnia portata contro un Pastore, un Prin-

5. Si fama aliis modis sit recuperata, v. g., judicis sententia, veritatis evidentia, testimonio prudentum; nam tunc nullum damnum.

6. Si auditores mihi alterius crimen narranti fidem non adhibuerint; eo in casu damnum non fuisset illatum *(P)*.

Quæ causæ continentur hisce versiculis:

Impos, publicitas, oblivio, cessio, fama
Si reparata fuit, si data nulla fides.

ART. II. — *De modo quo læditur et reparatur honor.*

747. Q. 1. *Quid est contumelia?*

R. 1: Contumelia est *læsio honoris alterius absque justa causa, quæ fit in ipsa ejus præsentia; vel in ejus absentia, sed eo fine, ut alter resciat.* Differt a simplici detractione non solum quod illa honorem, hæc famam respiciat; sed etiam quod contumelia fiat aperte instar rapinæ contra præsentem, detractio e contrario instar furti occulti contra absentem.

Contumelia autem multipliciter fit: 1) *omissione*, si, v. g., cultus superioribus debitus denegetur; 2) *factis*, si, v. g., superiorum imago conculcetur; 3) *dictis:* hoc vero contingit vel objiciendo alicui naturales defectus, et dicitur *convicium;* vel defectus morales, et simpliciter appellatur *contumelia;* vel ejus indigentiam, et habetur *improperium.* Si vero quid jocando ei objiciatur, ut erubescat, dicitur *derisio* vel *irrisio* vel *illusio.* Quæ omnia sub uno contumeliæ nomine accipi solent, et eandem speciem habent, si excipias derisionem, qui sane modus ab aliis specie differt ex parte motivi; nam ex Angelico alii modi intendunt honorem deprimere, hic vero pudorem et verecundiam causare [1].

R. 2: Contumelia est peccatum ex genere suo mortale, sicut detractio; nam quemadmodum detractio proximum lædit in fama, ita contumelia lædit eundem in honore, qui est bonum præstantius divitiis quibuscunque: hinc Apostolus contumeliosos a Regno Dei excludit [2]; et Christus dicit illos reos gehennæ [3]. Erit autem multo gravior contumelia, si fiat in superiorem, cui certo detraheretur non parum.

cipe, un magistrato, la condonazione non dispenserebbe dall'obbligo di far cessare lo scandalo che risulta dalla diffamazione. » *Gousset*, n. 1080.

[1] 2, 2, q. 75, a. 1. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 334, 966 et 984.

[2] Rom. I. [3] Matth. V.

Sed erit aliquando tantum veniale, et aliquando nullum peccatum: — 1) venialis erit contumelia, tum ex imperfectione actus, tum *si sit leve convicium non multum hominem dehonestans, et proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira absque firmo proposito aliquem dehonestandi*, ut ait s. Tomas [1]; — 2) nullum erit peccatum ex eodem Angelico, si convicium aliquod leve proferatur *causa delectationis ac joci, si debitæ circumstantiæ serventur;* id enim pertinet ad eutrapeliam. Idem est, si convicium dicere proficiat ad correctionem: *hoc modo Dominus discipulos vocavit stultos, et Apostolus Galatas insensatos;* sed raro expedit, quia ex Augustino sæpius subditos ad iram excitat [2].

748. Q. 2. *An et quomodo reparandus honor contumelia ablatus?*

R. Ad 1: Honor ablatus sub gravi, si graviter læsus, reparandus est; est enim vera læsio et juris alterius violatio, gravior ipso furto; nam bonum nomen magis permanebit, *quam mille thesauri magni et pretiosi* [3]. Excipe: 1) si recte credi possit læsum reparationem recusare, ne memoria acceptæ injuriæ renovetur; 2) si adsit periculum, ne renoventur odia in actu illo; 3) si manifesta appareat injuriæ condonatio, ut si offensus sponte ad offensorem accedat, cum eo familiariter loquatur, jocose conversetur; 4) si offensus jam sibi vindictam sumpserit, offensorem percutiendo, injuriis afficiendo, etc.; tunc censetur sibi jam satisfecisse: hac ratione eximuntur rustici, si inter ipsos habita fuerint ferme æqualia convicia et improperia. Idem dicit Lugo, si pro honore ablato a judice pœna inflicta fuit (quæ in conscientia erit solvenda); nam in communi æstimatione tunc videtur satis honor reparatus.

R. Ad 2: Si honor fuit publice ablatus in præsentia aliorum, restitui debet coram illis; vel saltem per modum, quo satisfactio ad illorum notitiam queat facile pervenire: alioquin non restitueretur integre. Sufficit autem id agere etiam per aliam personam: qui enim per alium facit, per se facere censetur. Si vero ablatus fuit in præsentia tantum contumelia affecti, tunc satisfactio privata sufficit; nam pro modo peccati fit restitutio.

Brevius: ad restitutionem honoris illa satisfactio requiritur, quæ censeatur sufficiens ad integrandam æstimationem juxta conditionem personæ offensæ. Sic si dehonorator fuit *superior*, sufficit, si honorabiliter dehonoratum salutet, domum invitet et benevolentia excipiat; si enim amplius ageret, non satis consuleret suæ digni-

[1] 2, 2, q. 72, a. 2.
[2] Lib. II *De Serm. Domini*, c. XIX. — *Codex pœn.*, art. 375 calumniatores punit.
[3] Eccli. XLI. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 990.

tati. Unde ajunt raro teneri veniam petere Episcopum a clerico, herum a famulo, virum ab uxore, principem a subdito, *ne dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas* [1].

Si vero dehonorator fuerit *æqualis* vel *inferior*, requiritur satisfactio major, v. g., ut locum ei cedat, salutando præveniat et similia peragat, quibus prudenter judicetur satis reddi ablatus honor [2]. Etsi autem hic veniæ petitio sit aptior modus; attamen non necessario requiritur. Excipe nisi aliter honor satis reparari nequeat: imo aliquando venia expostulanda est modo extraordinario, v. g., flexis genibus, vel aliam similem humiliationem ostendendo, si injuria fuerit gravissima, uti si subditus superiori alapam impingat.

749. Q. 3. *Quomodo se gerere debet contumelia affectus?*

R. Omnes tenemur contumelias patienter ferre animi præparatione, quatenus abjiciamus omnem vindictæ amorem exemplo Christi ac Sanctorum; nam vindicta Domini est.

Diximus: *animi præparatione;* non enim semper actu contumeliam silentio ferre tenemur: sic ipse Christus cum suscepisset alapam, dixit: *Quid me cædis* [3]? Igitur oportebit contumeliam illatam repellere: 1) propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut ejus audacia reprimatur, dicente Scriptura: *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur* [4]; 2) propter bonum aliorum, ut si Prælatus eam tolerando redderetur subditis contemptibilis. Unde Gregorius dicit [5]: *Hi, quorum vitam in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere.* Idem fere Angelicus [6].

Scholium. — *De Secreti manifestatione et Libello infamatorio.*

750. Q. 1. *Quid est, et quotuplex secretum?*

R. Secretum, quod est *notitia rei occultæ*, triplex distinguitur: *naturale, commissum* et *promissum.*

Naturale est illud, quod ab ipsa natura imponitur: ut si quid sciam, quod manifestare nequeam sine gravi alterius læsione in honore vel bonis. Quod si sciam ex alterius levitate vel casu, dicitur *naturale simplex;* si de industria, *naturale extortum* [7].

1 S. Augustinus, *Epist.* CCXI, alias C.

2 Non autem reparatur honor per communia signa postea ab offensore exhibita; quia hoc est pro præsenti honore, non pro damno præterito, quod tamdiu perseverat, quandiu non repararetur per specialem satisfactionem. Ceterum quoad praxim diligenter advertendum, quod multoties expedit, ut confessarius omittat monere pœnitentem in bona fide existentem qui alium inhonoravit, de satisfactione præstanda, si prævideat monitionem non profuturam; imo potius obfuturam, dum experientia constat quod pœnitentes facile tales satisfactiones promittunt; sed difficulter in facto adimplent, ob ruborem quem postea in hoc sentiunt vel apprehendunt. Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 988.

3 Joann. XVIII.

4 Prov. XXVI.

5 Homil. IX *in Ezech.*

6 2, 2, q. 72, a. 3.

7 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 970. — Lugo, *De Jure*, diss. XI, Asess. IX. — Molina, *De Justitia*, t. IV, tr. 4°, disc. 3. Il. Billuart, Carrière, etc.

Commissum seu rigorosum est, quando quis alteri quidpiam manifestat, eidem committens silentium circa illud. Id autem fieri potest vel expresse, si expressis verbis silentium committatur; vel tacite, si ab ipsa rei manifestatæ natura id deducatur: uti contingit medicis, advocatis, theologis aliisque, ad quos vel pro remedio vel pro consilio fit recursus.

Promissum est quando et qui rem manifestat, silentium exigit; et qui accipit illius rei notitiam silentium promittit.

751. Q. 2. *An peccet qui violat secretum sine causa?*

R. Affirmative, quia aperte violat jus alienum: *qui ambulat fraudulenter* (ait Sapiens), *revelat arcana* [1]. Imo per se loquendo id mortale est; nam loquendo de secreto naturali ipsa naturæ lex jubet illud servari sub mortali et ex justitia, quoties ex illius revelatione graviter læditur ille, cujus est secretum: quisque enim jus habet, ut secretum suum nemini manifestetur sine causa. Quod magis valet de commisso et promisso: nam in commisso exigitur; in promisso insuper promittitur secretum non revelari: et revelans tenetur de damnis, si quæ sequantur; cum injusta revelatione fuerit causa vera et efficax.

Diximus: *per se loquendo;* a gravi etenim peccato excusat parvitas damni in secreto naturali ac commisso; et in promisso excusat etiam, si promittens tantum sub levi se obligaverit ad silentium.

752. Q. 3. *Quandonam sine culpa manifestatur secretum?*

R. Casus, in quibus sine peccato secretum commissum potest manifestari, hoc versiculo continentur:

Res, consensus, inadvertentia, justaque causa.

1. Quando res sub secreto commissa vel est parva, neque ex revelatione damnum timetur; tunc enim non videtur posse saltem gravem obligationem inducere: vel aliunde jam cognita est aut publica; tunc enim non detegitur secretum. Imo Azorius, Lugo, Mazzota et Roncaglia probabiliter tuentur mortale non esse, rem gravem sub secreto commissam revelare sub eodem secreto uni vel alteri probo, sed modo hic sub secreto contineat, nec alteri revelet, secus de uno in alium, res tandem aperiretur omnibus, ut non raro evenit; item modo non detegatur cui specialiter celari voluerit ille, qui secretum commisit.

[1] Prov. XI. — V. *Codex pœnalis*, art. 587, ubi qui violant secretum, quod servare tenentur ratione officii, carcere ab uno ad sex menses, et etiam suspensione ab exercitio proprii officii puniuntur. — *C. A. pœn.*, p. 1ª, § 86.

2. Quando adest præsumptus consensus ejus, qui illud commisit; consentienti enim nulla injuria.

3. Quando manifestatio contingit ex inadvertentia, ex indeliberatione, vel ex animi persuasione, quod res non sit gravis.

4. Cum adest justa causa, si nempe secretum servare verteret in grave damnum publicum vel innocentis vel ipsius committentis. Imo tunc etiamsi jurasses servare, ex ordine charitatis illud recte revelas: est commune. Et idem probabilius ac communius dicendum, si agatur de proprio damno vitando; neque enim præsumitur quis se voluisse cum tanto onere obligare, uti dicunt Elbel, Layman, Lessius, Lugo, Roncaglia, Sotus, Sporer, etc. Quod si quis promiserit se etiam cum vitæ dispendio secretum esse servaturum, tunc vel cum gravi suo damno tenetur promittens stare promissis. Imo valde probabile et communius est cum Croix, Molina et aliis teneri etiam cum ipso vitæ periculo; quia hoc non esset sibi mortem directe inferre, sed vitam minime tueri, quod licitum est ob justam causam, v. g., ad fidelitatem promissam conservandam, cum id sit bonum virtutis.

753. Q. 4. *An liceat aperire et legere literas alienas?*

R. Literas alienas aperire licet:

1. Si sciamus eas in nostrum injustum damnum conscriptas, vel in nostram injuriam cedere, quam intendimus a nobis propulsare; hoc enim ad jus propriæ defensionis pertinet. Sic Princeps potest aperire literas et hostium et aliorum omnium, quæ tempore belli a locis hostium finitimis circumferuntur. Item ministri publici, si tamen bono publico expediat.

2. Si habeatur consensus expressus, aut saltem tacitus illius, a quo vel ad quem literæ mittuntur, neque id speciali lege prohibeatur; ubi enim consensus adest, nequit esse injuria.

3. Si Communitatis vel Instituti regulæ, aut legitima cõnsuetudo id sinunt: sic superior religiosus literas aperit subditorum suorum; id enim valde confert, imo necessarium est ad disciplinam sustinendam. Quod etiam de superiore in collegiis et seminariis affirmandum est ob eandem rationem [1].

4. Si id necessarium sit, vel expediens ad avertendam injuriam alteri imminentem, modo non plus legatur, quam quod ad talem finem necesse sit: atque ille, cui imminet damnum, jus habeat literas aperiendi ad malum illud propulsandum; quia proximo nostro consulere licet contra injustum damnificatorem.

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 70. — Carrière, *De Justitia*, n. 974.

Exceptis hisce casibus, erit mortale contra charitatem et justitiam legere literas alienas (sive sigillo clausas sive non), si existimetur in iis contineri res gravis momenti; veniale vero, si contra; ideoque semper peccatum est. Sane quilibet ita jus habet ad suum secretum, ut ipse solus sciat, vel communicet cui voluerit [1]. Quod si ille, a quo vel ad quem literæ mittuntur, prævideatur id pro gravi sibi injuria habiturus, erit adhuc mortale contra charitatem, etiamsi res in literis illis sic lectis non sint nisi levis momenti, idque ratione gravis tristitiæ inde orituræ. Dicimus *contra charitatem*, quia materia utpote in se levis, non est apta ex natura sua, nisi ad levem injuriam afferendam contra justitiam.

754. Q. 5. *Quid de illo dicendum est, qui furtim scripta aliena legit, invito domino?*

R. Sic legens peccat duplici ex capite: — 1) peccato curiositatis, etiamsi faciat animo discendi et sine ulla damni suspicione; cum hic discendi appetitus non sit secundum ordinem; — 2) peccato injustitiæ; quia quilibet habet jus secreti suis in scriptis, quæ aliis non vult esse communia. Peccatum autem erit mortale, si contingat cum notabili proximi damno (quod erit reparandum quoad potest) vel cum magna ejusdem animi conturbatione.

Sed quid (inquies), *si dominus literas dilaceravit, in publicum abjecerit, et alter colligat, jungat et legat?*

R. Quæ sic in publicam viam dejiciuntur, pro derelictis habentur; eaque tunc legere quisque potest, et convertere in sui utilitatem, absque injustitia; si enim dominus ea legi noluisset, debuerat comburere, non in publicum dejicere (erit tamen veniale si id fiat ex curiositate): ita plures cum Lugo et Roncaglia. Sed Croix et alii probabilius contradicunt; hoc enim ipso, quod dominus illas minutatim dilaceravit, satis ostendit haud velle, ut legantur; ex industria ergo colligere est agere fraudulenter *(Q)*.

755. Q. 6. *Quid est libellus infamatorius?*

R. Libellus infamatorius seu famosus est *scriptura vel signum ad aliquem publice infamia aspergendum*. Dicitur *scriptura*, sub quo nomine venit quidquid aut manu exaratur aut typis imprimitur. *Signum*, sub quo nomine veniunt quæcunque emblemata, imagines, figuræ hominem dedecorantes (vulgo *caricature*, *pasquinate)*. Additur *publice*, ut enim reatus habeatur, scriptura vel signa publice sunt affigenda aut distribuenda et diffundenda. Varios diffusionis modos notat versus:

Signa, manuscripta, atque emblemata, schedula, imago.

[1] *Codex pœn.*, art. 296, decernit mulctam pecuniariam et carcerem in eos qui alienas epistolas aut involucra sigillo signata aperiunt vel subtrahunt.

Libelli famosi auctores et complices graviter peccant, si occulta fratris publicent, licet vera; gravissime vero, si falsa, quia tunc detractioni superadditur calumnia. Ceterum etsi vera promulgent, semper gravius peccant quam alii, qui verbis tantum detrahunt; nam scripta ac signa evulgantur facilius et manent diutius: unde tunc ut restitutio sit efficax atque ad æqualitatem, fieri debet per publica scripta, vel publica revocatione.

In auctorem autem, et complices libelli famosi animadvertit tum Lex civilis mulcta pecuniaria ac carcere; tum Lex canonica, ex qua pœna est excommunicatio ferendæ sententiæ, si tamen clare indicetur injuriatus, libellus fiat publicus, considerabile delictum contineat, et animo injuriandi publicetur, sine nomine injuriatoris. Excommunicatio autem est latæ sententiæ, non reservatæ, si libellus sit contra Papam aut Cardinalem; latæ vero sententiæ et reservatæ, si libellus famosus sit contra Ordines religiosos, Prædicatorum aut Fratrum minorum; non vero si sit tantum contra aliquem religiosum particularem [1].

CAPUT TERTIUM

DE BONIS FORTUNÆ.

Articulus unicus. — *De furto.*

756. Q. 1. *Quid est et quotuplex furtum?*

R. Ad 1: Furtum communiter definitur: *ablatio occulta et injusta rei alienæ, domino rationabiliter invito.*

Dicitur 1. *Ablatio*, ut distinguatur a simplici damnificatione, quæ fieri solet absque ablatione rei, uti contingeret in eo, qui domum alienam incenderet. Ceterum sub nomine *ablationis* intelligitur etiam iniqua retentio; nam *detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta* [2].

1 *V.* Constitutio Alexandri IV. *Ex alto;* item Jus canonicum, caus. 5, 9, 1, cap. 2 et 3; et cap. 1, habetur: *Qui in alterius famam publice scripturam aut verba contumeliosa confixerit, et detectus scripta non reprobaverit, flagelletur* (quot hodie et quoties flagellandi !); *et qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 995. — Ferraris; V. *Libellus famosus.* — *Cod. pœn.*, art. 570.

2 S. Thomas, 2, 2, q. 66, a. 3. Ex qua parte non videmus, quomodo a furti macula se valeant purgare *tum* illi qui finito opere, inanibus subterfugiis de pacta mercede fere semper aliquid subtrahunt operariis, qui non consentiunt, sed consentire debent; *tum* illi, qui modo apud unum, modo apud alterum cauponem divertunt edentes et bibentes, nihil tamen solventes; ac inde gloriantur, cum male fecerint; *tum* illi, qui pensionis solutionem, quam collegiis, seminariis vel aliis contubernariis

2. *Occulta*, ut distinguatur a *rapina*, quæ cum ipsa rei ablatione includit violentiam domino scienti et invito irrogatam.

3. *Injusta*, aliquando enim qui alienum accipit, non furatur, imo actum virtutis exercet: esset si uxor auferat a marito pecunias, ne ludis indulgeat; aut vinum, ne ebrietur; aut librum perniciosum, ne pervertatur. Prudenter tamen hic agendum est, ne dum unum peccati genus impedire quærimus, aliud gravius excitemus nimium provocantes alterius indignationem.

4. *Rei*, quo nomine non corporales tantum res, sed etiam incorporea jura intelliguntur, ut census, credita, etc.

5. *Alienæ*, etenim in re propria furtum non committitur. Nihil autem refert sive res sit aliena absolute et perpetuo; sive sit talis ad tempus tantum, uti in commodato et usufructu determinato.

6. *Domino rationabiliter invito:* ratio furti in eo posita est, quod alterius jus violetur per ejusdem rei ablationem; atqui jus hujuscemodi non violatur, quando dominus rationabiliter tenetur in ablationem assentiri. Sic nemo furem diceret qui gladium ab ebrio, vel mente capto, seipsum aut alium interfecturo surriperet [1].

757. R. Ad 2: Furtum aliud est *simplex*, nempe modo descriptum; aliud *qualificatum*, si nempe aliquid furto simplici superaddat. Et multiplex distinguitur: 1) *rapina*, id est usurpatio rei violenta, seu facta præsente et contradicente domino; 2) *sacrilegium*, seu furtum rei sacræ, vel rei profanæ patratum in loco sacro; 3) *peculatus*, quo aufertur pecunia vel res ad Fiscum principis aut reipublicæ pertinens; 4) *plagium*, quo surripitur servus seu mancipium a domino: sic dicitur quia de hoc crimine convictus damnabatur ad plagas; 5) *abigeatus* a verbo abigere, quo abducuntur animalia e grege alieno.

Iterum ex lege civili furtum uti qualificatum habetur, et ideo gravius puniendum: 1) *ratione valoris*, si excedat libellas 500; 2) *ratione personæ*, v. g., si persona quæ furatur sit famulus, hospes, caupo, 3) *ratione temporis*, si, v. g., noctu sit commissum in habitatione; 4) *ratione loci*, v. g., si fiat in Ecclesia vel regiis dominiis: ut tale etiam habetur furtum animalium e stabulis vel agris: imo erit abigeatus, si valor illorum excedat 500 libellas; 5) *ratione mediorum*, si adhibeantur arma, claves adulterinæ, etc.; 7) *ratione rei*, ut esset res sacro cultui dicata surrepta in ipso loco sacro: item dicendum de pecunia regia [2].

debent, recusant: vel ne solvant, infinitas prætexunt causas, propria auctoritate rem definientes, nec parsimoniæ student, nec aliquid sibi subtrahunt, ut valeant propriæ obligationi facere satis, quasi agatur de supervacanea illis facta donatione, non de stricto debito justitiæ. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 518.

[1] Ajunt plures illud *rationabiliter invito* satis contineri in verbo *injusta*.

[2] *Cod. pœn.*, art. 605 et 622; it. *Cod. milit.*, art. 199. — Ferraris; V. *Peculatus*.

758. An varia illa furta specie differant inter se, adeo ut eorum diversitas sit necessario aperienda in Confessione, negant communiter, si excipiatur tum furtum rei sacræ vel in loco sacro, quod addit furto malitiam sacrilegii; tum rapina, ex qua injuria fit non solum circa res, sed etiam circa personam.

759. Q. 2. *Quale peccatum est furtum?*

R. Furtum est peccatum ex genere suo mortale, idque probatur tum Scriptura; Apostolus enim scribit: *neque fures, neque rapaces Regnum Dei possidebunt* [1]; tum ratione, quia per furtum violatur justitia, cujus præceptum est, ut *nemo lædatur, et jus suum unicuique servetur*; atqui justitiæ præcepta obligant per se sub gravi. Adde: per furtum maxime perturbatur atque subvertitur pax et tranquillitas Reipublicæ; unde s. Thomas ait, quod si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas [2]. Hinc Catechismus Romanus: *quam grave scelus furtum sit, ipsa naturæ vis et ratio satis ostendit.* — Imo ne dum furtum, sed vel ipsum furti desiderium graviter prohibetur decimo Decalogi præcepto [3]: contra quod proinde peccant tum mercatores, qui rerum penuriam expetunt, ut suas merces carioris vendant et sic aliorum miseria ditescant; tum milites qui bellum exoptant, ut impune aliena diripiant; tum medici qui ideo morbos, judices qui ideo lites, advocati qui ideo contentiones concupiscunt, ut ditescant; est enim concupiscere alienum sine justa causa.

Diximus: *ex genere suo;* nam furtum peccatum erit veniale vel ex levitate materiæ, vel ex imperfectione actus. Si furtum grave est, gravis erit obligatio restituendi: si furtum est leve, erit levis obligatio; justitia enim exigit, ut omnibus reddatur usque ad ultimum quadrantem, et pro mensura illatæ injuriæ sit reparationis ratio [4].

760. Q. 3. *Quænam censenda gravis et notabilis materia furti?*

R. Materia furti potest esse gravis vel ratione *circumstantiæ specialis*, vel *absolute* et in se, vel *relative* ad personas damnificatas.

1. Ratione specialis circumstantiæ furtum rei etiam levis erit mortale peccatum, tum ob damnum secutum, ut si acum fureris sartori quem scis alium non posse habere; tum ob scandalum, ut

[1] 1, Cor. VI. — Ferraris; V. *Fur, Furtum*, ubi plura.
[2] 2, 2, q. 66, a. 6. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 518.
[3] Quod sapienter actum est: — 1) ut nemo de sui justitia sibi blandiatur, dum abstinet ab omni exteriori peccato, sed interim peccatum tenet in corde; — 2) ut significetur, Deum esse cordium scrutatorem, simulque demonstretur excellentia divinæ legis supra humanas, quæ non possunt interiora dirigere; — 3) ut peccatum in sua radice destruat: prava enim cupiditas et peccatum est et omnium peccatorum fons, cum ex corde exeant omnia delicta atque scelera.
[4] Rustici, præsertim parvuli, mortalia ex errore conscientiæ sæpe reputant furta in se levia, et in Confessione non raro reticent: ideo interrogandi et instruendi.

si noscas ideo alium esse blasphematurum; tum ob intentionem, ut si quis putet et velit rem notabilem auferre; tum demum ob mœrorem quem concepturus est dominus ex furto illo.

2. Furtum erit *absolute* grave, quando independenter a damno quod patitur dominus, in communi hominum sensu per se censetur sufficere ad costituendum peccatum lethale. Tunc autem censetur constituere lethale peccatum, quando res ablata juxta judicium prudentum potest unicuique afferre gravem utilitatem: id autem censetur talem utilitatem afferre, quod ad quotidianam sustentationem unius honesti operarii, unius honesti viri seu mediocriter divitis requiritur et sufficit.

3. Erit furtum *relative* grave, quando speciatim attenditur ad damnum quod inde patitur dominus: quod quidem non idem est pro omnibus. Sic respectu quorundam, v. g., pauperum, quibus res furto aufertur, censetur gravis; respectu vero aliorum, v. g., divitum, censetur levis: *In amissione unius gallinæ*, ait Angelicus, *plus* (pauper nempe) *gravatur, quam unus multum dives gravaretur in mille marcis*[1].

Patet autem, quod determinatio materiæ absolutæ ad judicandum de peccati gravitate, tunc tantum debeat habere locum, quando ignoretur status ac conditio personæ damnificatæ; sed in aliis casibus habenda est ratio materiæ relativæ. Porro antiquitus rigidiores erant auctores in assignanda materia furti gravis; cum tunc pecunia esset rarior. At hodie communiter non ita severiores sunt; nam pecunia hisce temporibus utpote in humano commercio abundantior, non ita habetur pretiosa; ideoque Theologi majorem summam requirunt ad mortale furtum constituendum. In hac autem re (quæ magnopere pendet a prudentum æstimatione) major auctoritas majorem constituit probabilitatem.

Si igitur agatur de summa absolute gravi, eam determinant ad quinque aut sex circiter libellas (vulgo *franchi*). Si vero agatur de materia gravi relative spectata, attentis præcipuis Europæ locis et temporum nostrorum adjunctis, ad eam ex modernis auctoribus requiri videtur: — 1) circiter valor unius franci relate ad pauperes, et non raro minus pro majori pauperis necessitate; — 2) circiter duo vel tres franci relate ad operarios, qui labore diurno victum sibi comparant; — 3) circiter quatuor, vel quinque franci relate ad homines mediocriter divites; — 4) circiter sex, vel septem franci relate ad divites ordinarios; — 5) a peccato gravi nunquam excusa-

[1] Opus de *erud. Princ.*, l. VII, c. 8.

bitur qui decem aut quindecim francos subripuerit apud ditissimos *grave* etiam apud principes [1].

761. Q. 4. *An, et quandonam per plura minuta furta constituatur peccatum?*

R. Ad 1: Certum est etiam per minuta furta mortaliter posse delinqui, si nempe illa ad notabilem quantitatem pervenerit, etsi sint facta diversis dominis (modo inter illa non interponatur magnum intervallum). Esto quod tunc domini non sint graviter læsi formaliter; sed læsi sunt, ut ita dicam radicaliter, scilicet in hoc quod nisi graviter prohibeatur, magnum sequeretur inconveniens contra bonum publicum et indemnitatem singulorum. Si enim liceret unicuique ex industria ditescere de alieno, fraudando mensuras, falsificando merces et similibus, quænam securitas? qui mores?

Sed notandum est, quod ad constituendam gravem materiam major quantitas requiritur in furtis minutis, quam in aliis; minus enim in istis, quam in illis solent certo domini esse inviti. Hinc si minuta furta fiant eidem personæ diversis vicibus, aut personis diversis eodem tempore, ad materiam gravem requiritur et sufficit (nostra quidem sententia) unum simplex cum dimidio: v. g., si sint materia gravis scuta quatuor, per furta minuta requiruntur sex. Si vero hujusmodi furtula fiant diversis personis et vicibus diversis, putamus requiri duplum, scuta nempe octo; quia tunc gravitas non tam exurgit ex damno illato, quam quod ille ditescat de alieno. Item in furtis rerum expositarum, ut sunt fructus secus vias et ligna in sylvis, ad gravitatem major requiritur materia. Quod idem ordinarie docent de furto esculentorum ac poculentorum; ac de furtis uxorum et filiorumfamilias.

762. R. Ad 2: Minuta furta tripliciter possunt contingere: *vel quando unus multum furatur in globo* (seu toto simul considerato), *sed parum singulis personis:* sic mercator, qui utitur statera dolosa, parum a singulis fraudat, sed multum ab omnibus simul sumptis. *Vel quando plures furantur uni, singuli parum, sed simul sumpti multum:* ut si plures latrones ingrediantur domum alienam, et parum singuli surripientes domum expolient. *Vel quando unus pluries furatur uni, sed parum singulis vicibus,* ut famulus vel filius, qui quotidie parum a domino vel patre sustulit ad ludum. Hoc posito:

[1] « Respectu regis assignatur summa 40 libellarum; respectu mediocriter divitum tres libellæ sufficiunt; respectu artificum triginta circiter solidi (libella cum dimidia); respectu operariorum una libella; respectu mendicantium decem prope solidi (dimidia libella): » ita Talento. Hæc regula potest etiam attendi, si placet; sed furtum excipe respectu regis, quod, nostra sententia, nimis exorbitat. Quoad reges enim non adeo attendenda est materia relativa; secus possent fures ditescere apud principes furando, quin mortaliter peccarent, quod bono publico repugnat, ut scite notat Gury cum communi. — *V.* Carrière, *De Justitia,* n. 986.

1. Qui pluribus personis furatur, parum quidem singulis, sed multum in globo seu simul sumptum, statim ac pervenit ad notabilem quantitatem peccat graviter; quia dolose ditescit de re aliena gravi. Hinc Scriptura: *Non habebis in sacculo diversa pondera: statera dolosa abominatio est apud Dominum* [1].

2. Si plerique simul uni furentur pauca, quæ simul collecta damnum grave proximo irrogent, tunc si id agant communi consensu atque consilio, singuli graviter peccant; quia singuli suo consilio atque consensu cooperantur moraliter in totum damnum, ideoque etiam singuli tenentur in solidum ad restitutionem. Quod si agant independenter unus ab alio, nemo eorum peccat mortaliter, neque ullam contrahit restituendi obligationem gravem: quia tunc nemo esset causa formaliter injusta gravis damni. Imo probabilissimum est, neminem eorum peccare graviter, etiamsi sciant per minuta illa furta grave damnum domino irrogari; semper enim verum est neminem esse causam efficacem totius damni, sed per accidens ab aliis obvenit domino. Ita Habert, Lessius, Sanchez, Sotus aliique plures.

3. Qui uni pluries furatur, sed parum singulis vicibus, si non intendat inferre grave damnum, neque paullatim ditescere, in singulis furtis levibus non peccat graviter, quia tunc nulla est ratio, qua latro possit damnari de mortali: non res furtiva quæ, ut supponitur, modica est; non animus furis, qui non habet conscientiam nisi de levi. Excipe casum, quo furta levia simul sumpta pervenerint ad notabilem quantitatem, quin inter illa notabile intervallum intercesserit; tunc simul uniuntur non quidem statim et ex animo, sed ex re accepta: unde fur sub gravi tenetur ad restitutionem, etiamsi illa furtula singulis vicibus consumpserit; tenetur enim eo in casu non quatenus illa retinet, sed quatenus accepit. Ajunt tamen Lugo, Layman, Roncaglia, Sanchez, Viva, etc., furtula moraliter non coalescere, si inter illa notabile adsit intervallum, v. g., saltem duorum mensium, et absit animus amplius furandi; nam tunc ex hominum acceptione non amplius videntur constituere unum et idem objectum in genere moris [2].

763. Q. 5. *Quomodo restituenda ablata per minuta furta?*

R. Certum est ea sub gravi esse restituenda cum ad notabilem quantitatem pervenerint. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 38 propositio: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna*

[1] Deut. xxv; et Prov. xi. — *V.* Martinet, *Filosofia e Catechismo filosofico*, l. iii.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. iii, n. 530. — Carriere, *De Justitia*, n. 995.

summa totalis. Porro si domini incerti sunt, ea restitutio sub gravi facienda est pauperibus ant locis piis, juxta præsumptam videlicet dominorum voluntatem [1]. Si vero domini certi sint, tunc singulis sua portio sub gravi tribuenda est, si portio singulis ablata per se materiam gravem constituat; nec fieret satis per eleemosynas jam tributas vel tribuendas, cum res clamet ad suum dominum.

Quid (addes) *si singuli domini non sint graviter damnificati?* Etsi adhuc dominis qui dignoscuntur, videatur facienda restitutio juxta regulam generalem, quod nempe res quælibet sive parva, sive ingens sit, semper clamet ad dominum; nihilominus Alphonsus noster putat probabilius cum aliis doctis, quos consuluit, non peccare graviter qui restitueret pauperibus loci; nam fur in eo casu non intulit damnum grave dominis, sed reipublicæ: hæc vero merito præsumitur non ita esse graviter invita, si restituatur partibus magis indigentibus reipublicæ. Hinc licet communissimum sit, quod tabernarii pro minutis furtis per se loquendo, debeant restituere civibus, qui minutas merces ab ipsis emerunt; excusantur tamen a gravi culpa ex dicta ratione, si quod ablatum est sive per Parochum qui suorum indigentiam novit, sive aliter in pauperes loci, ubi furta evenerunt, diffundere curent, vel in alia opera *eidem loco* utilia insumant. Imo etiam a veniali excusabuntur, si id suggerat rationabilis aliqua causa, puta si urgeat necessitas pauperum, vel aliqua infamia timeatur.

Diximus *eidem loco*, ubi nempe damnum illatum est; nam etsi non improbabiliter aliqui censeant, quod restitutio fieri possit pauperibus cujuscunque loci, si defraudati pauciores sint (puta tres aut quatuor), ita ut res non ita verosimiliter sit ventura in manus proprii domini; attamen communissimum est et suadendum restitutionem faciendam esse civibus illius loci, ubi fraus commissa est; quia cum existant damnum passi et aliquo modo cogniti, iis quantum fieri potest damnum compensari debet; saltem hæc est eorum præsumpta voluntas, ut restitutio fiat propriis civibus [2].

764. Q. 6. *Quid de iis, qui ligna in sylva Communitatis cædunt?* R. Certum est Communitati cuilibet fas esse ob bonum publicum sub aliqua pœna vetare, ne quis ligna in sua sylva cædat, dummodo aliunde oppidani possint sibi commode providere. Hac tamen prohibitione data, communiter docent cum Bonacina, Filliucio, Laymano, Lugo, Molina, Salmanticensibus, Sanchez et Soto, quod non

[1] Ex *Decr.* Greg., l. v, t. xix *De usur.*, c. 5. Distributio fieri debet pauperibus loci, ubi læsio facta est, si verosimiliter speretur res ad dominos perventura.
[2] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. x, n. 28; et *Op. Mor.*, l. iii, nn. 595 et 534.

peccat, saltem graviter, incola in eadem Communitate contra prohibitionem illam ligna cædens: neque tenetur ad restitutionem, nisi magnam fecerit lignorum stragem, sed tenetur tantum ad pœnam post judicis sententiam [1]. Talis enim prohibitio habetur uti pure pœnalis, sicuti fert communis atque recepta consuetudo [2].

Diximus: nisi *magnam faciat lignorum stragem;* tunc enim excederet in jure suo particulari et restituere deberet Communitati læsæ (nempe pauperibus vel pio instituto loci ipsius, cum restitutio ordinarie alio modo nequeat fieri). Hæc tamen, ut *magna* dicatur, non est attendenda gravitas materiæ in se, sed damnum quod ipsi infertur Communitati. Hinc videtur non peccare saltem mortaliter qui sibi comparat unam sarcinam singulis diebus pro uso proprio, vel duas singulis hebdomadibus etiam ad vendendum; quia quod dives accipit ad usum proprium, pauper accipit ad vendendum ut vivat *(R)*.

765. Q. 7. *Quid sentiendum de furto uxoris?*

R. Uxor furti rea non est subducendo aliqua de communibus bonis (etsi habeat bona propria) pro victu, vestitu, ceterisque familiæ necessariis, vel pro ordinariis eleemosynis quæ sæpe mariti non intelligunt, vel nolunt intelligere; et ideo frustra ab illis peterentur, vel nonnisi cum rixarum periculo: etiam consuetudo tale jus eidem concedit [4]. Sane uxor non est mancipium, sed socia viri; ergo plane expers esse non debet administrationis domesticæ; etiamsi viro uti capiti subjecta sit. Hoc tamen esse debet in ea mensura, quam proprius status concedit, et quam communiter tenere solent ejusdem conditionis timoratæ uxores; nam si uxor, marito rationabiliter invito, vel ejus voluntate non satis prudenter præsumpta, frumenta, pecunias et hujusmodi in notabili quantitate impenderet in eleemosynas, donationes, itinera, ex bonis nempe, quæ subjacent administrationi mariti, peccaret graviter; cum præter injuriam, quæ marito ipsi irrogaretur, familiæ etiam præjudicium non leve ex nimia illa liberalitate certo impenderet.

Quid si uxoris pater, mater, vel proles alio matrimonio suscepta egeat? Ubi maritus nolit ipsis opitulari, poterit uxor alere ex com-

[1] V. *Cod. pœn.*, art. 624 et 674; RR. Patent. 16 sept., 1845; et Lex 8 julii, 1854.

[2] Id tenet etiamsi quis ligna cædat de sylva alterius Communitatis vicinæ, ut Filliucius, Lugo et Molina docent; quia illa Communitas videtur esse contenta illius pœnæ, quam a cædentibus exigit: et hoc præsumitur cum læsa silet, neque damni per lignorum cæsuram sibimet irrogati, compensationem curat. Quod autem dictum est de sylvis, quoad scissionem arborum, dicitur etiam de agris ac pratis quoad pascenda animalia. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 529. — Ferraris; V. *Pascua*.

[3] Recte monent, ne confessarius in concedendis ejusmodi expensis, quæ viro nesciente fiunt, facilis sit, eo quod uxores propensæ sint ad jura sua plus æquo extendenda. *Stapf*, § 445. — *V.* Carrière, *De Justitia* etc., n. 272.

Etiam potest cum Abigail moderatas eleemosynas dare ut mariti conversionem imploret, vel ne Deus illum puniat. Vasquez, Bonacina contra Coninck. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 540.

munibus bonis, si propria non habeat; Jure enim naturæ tenetur eosdem alere, et maritus debet consentire; et si renuit, non esset nisi irrationabiliter. Hanc facultatem extendunt ad fratres et sorores Lessius, Lugo, Molina, Sanchez aliique [1]; adde Jus civile [2]. Neque uxor hæc bona in tali necessitate tributa referre debet, cum venerit in mariti hæreditatem, vel cum dotem suam recuperaverit, si sint parvi momenti; quia tunc habentur ut eleemosynæ communes. Si tamen sint alicujus momenti, ipsa tenetur ea recompensare filiis secundi matrimonii.

766. Q. 8. *Quid si maritus notabilem partem bonorum uxoris prodige vel male impendat; teneturne ad restitutionem?*

R. 1: Si dissipet dotem uxoris, utique in justitiam committit, et tenetur restituere uxori vel ejus hæredibus; quia dotis proprietas est uxoris. Quod magis dicendum si, invita uxore, distrahat bona paraphernalia, quorum et proprietas et administratio et usufructus est solius uxoris.

R. 2: Si dissipet bona communia, alii obligant ad restitutionem; quia licet maritus habeat administrationem horum bonorum; uxor tamen habet dominium dimidiæ partis illorum, et proinde jus illud violatur, si, ipsa rationabiliter invita, pars illa a marito dissipetur. Secunda sententia etiam probabilis negat generatim, nisi maritus excedat limites juris ipsi a lege concessi [3]. Ratio est, quia uxor ex lege non habet jus strictum, nisi ad suam partem bonorum, quæ, soluto matrimonio, extabunt; nec tenetur maritus reddere rationem suæ administrationis. Unde quamvis peccet graviter contra pietatem erga uxorem et filios; non tamen peccat contra justitiam proprie dictam, quæ restitutionis obligationem inducit.

Sed uxor præcavere potest bonorum dissipationem per facultatem, quæ ipsi conceditur a lege, separationem bonorum juridice postulando, et interim bona caute abscondere, ut in utilitatem familiæ illa servet *(Cod. Civ.*, art. 1442).

767. Q. 9. *Quid de furtis filiorumfamilias?*

R. Filiifamilias graviter peccant, si invitis parentibus, ex bonis domesticis sibi surripiant summam notabilem; non enim sunt bonorum illorum domini. Hinc in Scriptura legimus: *Qui subtrahit aliquid a patre suo et a matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est* [4]. Unde si cohæredibus noceant notabiliter, tenentur sub gravi ad restitutionem ex bonis castrensibus vel quasi-castrensibus, si quæ habeant; vel quantitatem rei ablatæ conferendo in divisionem hæreditatis post mortem patris, nisi pater ipse expresse aut tacite restitutionem remiserit, et remittere potuerit:

1 *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract., x, n. 33; *Opus Mor.*, l. III, nn. 539 et 546.
2 Art. 140. — *C. G.* 206; — *C. S.* 192; — *C. P.* 109; — *C. M.* 152.
3 Habet *Cod. civ.*, art. 1438: « Il marito solo può amministrare i beni della comunione e stare in giudizio per le azioni risguardanti le medesime; ma non può, salvo che a titolo oneroso, alienare o ipotecare i beni, la cui proprietà cade nella communione. » *C. G.* 1421.
4 Prov. XXVIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 543; *Homo Apost.*, tract. x, n. 32. Parentes in hac re delinquentes filios graviter puniant, atque ipsis continuo invigilent; pessima enim ac probrosa furandi consuetudo difficile rumpitur, atque tristissimos exitus tandem habet.

quod præsumitur juxta Lessium, si furtum jam sit consumptum, nec ideo filius ditescerit.

Quod si filius sit solus, neque habeat cohæredes, Sanchez eum liberat ab omni onere restitutionis, quia pater in hoc casu censetur minus invitus, et aliunde filius est aliquid patris.

768. *Sed* (quæres) *quænam summa erit in furtis filiifamilias censenda notabilis?*

R. Dicunt Lessius, Navarrus et Filliucius, etc., non peccare graviter filium, qui patri diviti furatur duo, aut tria scuta; imo dicit Bannez, quod a patre valde opulento non est mortale furtum, nisi ascendat ad 50 scuta; sed hoc rationabiliter respuunt De-Lugo et La-Croix, nisi esset filius principis. Et idem dicit Holzman, qui contra admittit esse grave surripere decem scuta a patre nimis divite; Sanchez admittit usque ad sex. Si vero pater mitteret filio, qui alibi studeret, centum scuta, dicunt probabiliter Sotus, Navarrus, Layman, etc., filium posse impendere quinque eorum in honestas recreationes.

Ex lege civili non datur actio patri vel marito in filiorum furtis, uxorum, et vicissim: neque in furtis inter fratres et affines in eodem gradu, si simul convivant. Cooperatores tamen extranei puniuntur [1].

769. Q. 10. *Quid sentiendum de famulorum furtis?*

R. Si famuli esculenta et poculenta domo exportent in materia gravi, aut divendant, graviter peccant et tenentur ad restitutionem; cum domini graviter et jure sint inviti. Si vero domi consument, facilius excusantur, nisi sint pretii extraordinarii; quia dominus, maxime si non sit ita tenax, in his, ut plurimum, esse solet magis invitus circa modum illum occultum, quam circa rerum substantiam. Sciunt enim domini id communiter evenire, attenta humana fragilitate: ad modum quo operarios in vineam conducens scit, uvas ab iis esse comedendas ad saturitatem; nam quis bovi trituranti os alligabit?

Si famuli furentur pecuniam aut res sedulo custoditas, peccant mortaliter; nec major quantitas requiritur, quam in aliorum furtis. Imo eorum furtum jure civili gravius punitur [2]; cum domini in hoc sint maxime inviti, et famuli ipsorum abutantur confidentia.

770. Q. 11. *Quid si famuli non impediant furta in rebus dominorum?*

R. Tenentur ipsi restituere, si furtum fiat ab extraneis; nam ex officio tenentur rem dominorum tueri: ac ideo valde probabiliter omnes obligantur etiam in solidum. Si vero furtum fiat ab aliis do-

[1] *Cod. pœn.*, art. 635. [2] *Cod. pœn.*, art. 607.

mesticis, adhuc tenentur, si res sit illis commissa specialiter, vel se obligaverint, vel teneant præsidentiam totius domus; nam tunc habent determinatum onus. Si secus, licet alii item affirment cum Bouvier generali ratione famulatus; alii tamen negant communius et probabilius cum Lessio, Lugo, Holzman, Salmanticensibus, Vogler, etc., quia res domini tueri a domesticis ex justitia non obligantur, sed solum ex præcepto generali charitatis; justitia enim respicit extraneos *(S)* [1].

771. Q. 12. *Quænam excusant a malitia furti?*

R. Duo excusant: necessitas et compensatio.

Primo *necessitas:* nomine *necessitatis* a furto excusantis non intelligitur necessitas ordinaria, quam communiter patiuntur pauperes hostiatim viventes; alioquin nihil esset magis commune, quam furtum. Neque gravis, si grave nempe ex restitutione damuum timeatur, v. g., gravis infamia, dedecus, aut e proprio statu juste acquisito decidendi periculum; hanc enim facile quisque fingere potest. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 36 propositio: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

Tantum extrema necessitas hic intelligitur, et est quando vita ipsa periclitatur; quod tamen raro evenit. At si quando eveniat, eum qui tali laborat necessitate, posse per se alienum surripere quantum satis est ad se liberandum ab illo mortis discrimine (quin teneatur petere), docent communiter cum Lugo, innixi auctoritate et ratione d. Thomæ. Sane tunc omnia bona sunt communia; Jus enim gentium, quo bonorum divisio facta fuit, non potest derogare Juri naturali, quod cuique competit vivendi in extremis de quibuscunque bonis [2]. Et idem dicunt de necessitate proxima extremæ, aut illi æquivalenti; qui enim in ea constitutus est, potest sibi mediis, quibus valet, providere: cum in moralibus parvi non habeatur æstimatio. Talis esset necessitas illius, qui vel est in probabili mortis periculo, aut amittendi membrum aliquod principale, aut aliquem sensum, puta oculum; vel est in proximo periculo incidendi in perpetuam captivitatem sive pœnam triremium, in gravissimam et perpetuam infamiam.

Id autem quod licitum est auferre pro necessitate propria, licet quoque pro necessitate suorum, nempe uxoris, parentum et filiorum.

1 *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 344 et 545.

2 *Quæ sunt Juris humani non possunt derogare Juri naturali, vel Juri divino. Secundum autem naturalem ordinem ex divina Providentia institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc, quod ex his subveniatur hominum necessitati. Et ideo per rerum divisionem et appropriationem ex Jure humano procedentem non impeditur, quin hominis necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus.* Angelicus, 2, 2, q. 66.

Quidam addunt fratres et sorores, si adhuc isti sint in tenera ætate, et sibi aliter providere nequeant [1].

Secundo *compensatio* impropria, quæ definitur: *acceptio rei alienæ sibi debitæ, inscio debitore* [2]. Hæc licita est sub debitis conditionibus; sic enim redditur unicuique suum. Conditiones sunt: — 1) ut debitum sit ex justitia; si enim esset ex charitate vel gratitudine, non esset rigorosum et strictum debitum; — 2) ut nequeat recuperari neque via juris, neque alio modo sine notabili damno et molestia, aut sine gravi offensione aut inimicitia; secus bono publico expedit, ut nemo sibi jus dicat. Hoc tamen omittere est tantum veniale; quia defectus non esset nisi in modo; — 3) ut sit liquidum, nempe clarum, certum et sine exceptione; alioquin semper melior est conditio possidentis; — 4) ut compensatio fiat in re debitoris. Secus esset cum damno tertii: uti contingeret, si fieret in re deposita vel commodata; — 5) ut debitor, si fieri potest, moneatur de debiti sui extinctione, ne ipse vivat in conscientia erronea; — 6) ut non sit cum damno ipsius debitoris, ut esset si plus creditor accipiat quam sibi debeatur.

Attamen cum hæc res sit plena periculi et allucinationis, bonum erit, si nunquam fiat sine consilio directoris vel confessarii, cui innotescant singulæ circumstantiæ personarum et rerum.

772. *An* (quæres) *possit famulis permitti, ut sibi occulte compensent in bonis domini, si non satis sibi tribui prætendant?*

R. Negative generatim loquendo; hoc enim semel admisso, furta passim inducerentur. Unde Innocentius XI hanc sub n. 37 damnavit propositionem: *Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Quare non facile famuli audiantur, qui fere semper solent conqueri ac propriam miseriam exaggerare.

Diximus *generatim loquendo;* nam Salmanticenses hanc Pontificis condemnationem explicando docent: — 1) quod famulus, artifex, operarius, agricola, non potest sibi occulte compensare, si absque necessitate libere convenerit cum domino de stipendio minori: tunc dominus illi dicere potest: *nonne ex denario convenisti mecum?* Potest tamen aliquid, si ex necessitate, id est si ad levandam miseriam convenerit de salario notabiliter minori, quod injustum sit; non enim

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 31; l. III, nn. 520 et 701. Probabilius hac extrema necessitate non laborat qui ob inopiam est in periculo prostituendi filiam: quia potest alia via, v. g., mendicando suæ necessitati subvenire. Si vero vir honoratus puderet laborare vel mendicare, an possit de alienis surripere, disputant; videtur probabilius posse, si pudor esset tantus, ut potius mortem subiret; etsi in foro externo non audiretur.

[2] Quoad compensationem propriam vide dicta de *Restitut. in genere*, n. 690.

Pontifex intendit obligare contra justitiam [1]; — 2) quod famulus si ex sui electione operas augeat, nihil possit sibi compensare: tunc censetur operam suam condonare ad domini benevolentiam conciliandam. Si vero operas augeat ex domini certa voluntate expressa vel tacita, compensatio erit concedenda: quia *dignus est operarius mercede sua.*

Monita *pro confessariis circa furta.*

773. Inquirant quoad furtum omni studio, ac diligentia confessarii a fure: 1) quantitatem; 2) intentionem plus furandi, si habita fuerit; 3) damnum extrinsecum, seu lucrum cessans et damnum emergens; 4) si revocavit intentionem furandi, et adhuc furatus sit; vel si revocavit intentionem rem alienam retinendi, sed adhuc retinere voluit ac retinet; 5) ex Billuart, an a paupere, vel divite furatus sit.

At non præsumant directores individuales casus certo resolvere, hoc est mortale, hoc veniale, nisi id constet aperte; sed plerunque expedit cum s. Augustino suam ignorantiam fateri. Et dum ea de re a pœnitentibus interrogantur, prudenter responsionem absolutam et decretoriam declinent, illisque omnium peccatorum etiam venialium horrorem incutiant.

An autem sit explicanda circumstantia filii, si ille a patre furatus sit, negandum cum Lugo, quia furtum non opponitur regulariter contra id quod filius debet peculiariter patri, id est non opponitur graviter et directe contra virtutem pietatis, reverentiæ et amoris parentibus debitæ, sicut opponitur contumelia, vulneratio, odium et similia. Diximus *regulariter;* nam aliquando potest utique graviter opponi, v. g., si filius auferret a patre tantam substantiæ partem, ut pater reduceretur ad egestatem, vel si pater pateretur multum hac de causa circa statum et conditionem suam.

774. Graviter reprehendant confessarii illos perditos genitores, qui aliquid domum deferentibus eorum filiis, leviter acquiescunt ipsorum futilibus rationibus: principiis fortiter obstent, neque sinant, ut vel quid minimum surripiant quocunque prætextu. « I furti (ita liber, *Metodo per la direzione delle anime* ecc.), che i figli di famiglia fanno a' loro genitori sono non solamente peccati d' ingiustizia, ma dispongono pure a gravissimi mali: d' ordinario si commettono per farli servire di mezzi alla vanità, all' intemperanza, al giuoco, a banchettare e stravizzare: il Parroco ne inspirerà abborrimento ai giovani; cercherà di preservarneli. Si dee inveire con forza contro quelli che comperano, o che ricettano le cose rubate dai figli di famiglia. »

775. Confessarii ne facile compensationem suadeant; nam etsi omnes ab auctoribus propositæ conditiones adsint, notat Stapf n. 449,

[1] Quod tamen ita accipiendum est, tum quod dominus alios famulos pro eodem parvo pretio juste non invenerit, tum quod famulus seipsum ultro non obtulerit pro pretio illo, eumque dominus non susceperit ex pietate, et ex bona quadam animi indulgentia: unde in hac re caute procedendum est. Etsi autem satis sit probabile, quod famulus ipse, si prudens et timoratus, vere aptus sit ad recte judicandum de justitia compensationis, hoc tamen non ita subito ac facile admittendum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 522 et seqq.

quod « leges civiles tali compensationi parum favent, utpotequod ordo juris negligitur, atque discussio causæ ad privatum exactoris judicium defertur. Unde etiam in confessionali, ubi hujus generis casus exponuntur, nos cautissimos esse oportet, ita ut eam vix unquam consulere et raro permittere expediat. At vero compensationi jam factæ; si quidem nullæ ex necessariis conditionibus desiderentur, eatenus connivere licet, ut pœnitens ad restitutionem haud obstringatur. »

776. Ex Frassinetti, *dissert.* VI, q. 3: « Qualora si tratti di furti o danni cagionati, non molto rilevanti, avvenuti da molto tempo, per mano dei figliuoli o dei congiunti, degli amici, dei domestici o dei fanciulli non ancora bastantemente giudiziosi, tante volte è da supporre che il padrone della roba rubata o danneggiata non esigerebbe restituzione, ma condannerebbe il furto e il danno...

» Ora qualora il confessore veda, che la supposizione della condannazione sia veramente ragionevole, non dee tuttavia obbligare il penitente a restituire: e ciò può fare sicuramente ogni volta che il penitente ben disposto e giudizioso lo assicuri che il congiunto, l'amico, ecc. non esigerebbe da lui restituzione nè per furto nè per danno... Per esempio: avrei difficoltà che il mio domestico mi rubasse uno scudo, ed egli peccherebbe rubandomelo; per altro se venissi a sapere che una persona che era al mio servizio venti anni fa, mi ha rubato uno scudo, non ne esigerei la restituzione, ma lo condonerei agevolmente. » Ceterum talis facilis dispositio non ita supponi potest in tanta hominum tenacitate, ac quotidie crescentibus necessitatibus.

Quoad infirmos qui ad restitutionem tenentur vide Lib. IV, *App.* 8.

APPENDIX

DE JUSTITIÆ FILIABUS AC CETERIS VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

CAPUT PRIMUM

DE PRÆCIPUIS JUSTITIÆ FILIABUS [1].

ART. I. — *De pietate, observantia, obedientia et veracitate.*

777. Q. 1. *Quid pietatis et observantiæ nomine?*

R. Ad 1: *Pietas* late sumpta idem sonat ac *vitæ bonitas et morum integritas*, ita ut ille *pius* dicatur, qui probitate et innocentia præstat: est etiam Spiritus Sancti donum, quo prompte movemur ad Dei cultum. Si vero pietas stricte accipiatur, ex d. Thoma est *virtus moralis qua bene animo afficimur in parentes, atque in patriam nostram*: in parentes, a quibus gignimur et gubernamur; in patriam, in qua nati sumus et educati *(patria* dicitur quasi *terra Patrum)*. Ad paren-

[1] *V.* Orsini, *I Fiori del cielo.*

tes reducuntur *consanguinei, qui referuntur ad principia nostri esse* [1]: ad patriam referuntur concives propter eorum cum ipsa conjunctionem.

R. Ad 2: Observantia est *virtus moralis, qua personis dignitate præstantibus debiti honoris signa et reverentiæ argumenta deferimus.* Sane non eos solos debemus in societate colere et revereri, qui nobis præsunt ex officio; sed etiam illos, qui ratione quacunque præeminent sive ætate, sive sapientia et doctrina, sive honoris et muneris gradu, etc. *Est debitum morale,* inquit Angelicus, *quod ex quadam honestate debetur: et hoc modo debemus cultum et honorem his, qui sunt in dignitate constituti, etiamsi non simus eis subjecti* [2].

778. Graviora præcepta pietatis et observantiæ sunt:

1. Ut debitus cultus et honor parentibus, patriæ, superioribus et singulis in dignitate constitutis, vel clara aliqua prærogativa fulgentibus, exhibeatur verbis et factis. Diximus *debitus cultus,* ita ut justitiæ dictamini ac moderationi subjiciatur; non enim raro in hoc cultu deplorantur excessus: v. g., quot sunt qui vitioso patriæ amore ducti aliorum jura pessumdant, Religionis præcepta conculcant, æterna fata contemnunt, fraudolenti, feroces, blasphemi [3]! Hoc merito Pius IX damnavit in *Syllabo* propositione 64.

2. Ut molestiæ, quas nobis vel difficiles consuetudine vel ingenio nimis interdum fastidiosi afferunt, æquo animo ferantur, neque ideo debita ipsis officia prætermittantur: *Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius: et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua* [4].

3. Ut illa ipsa officia cum quodam jucunditatis sensu et animo lubenti persolvantur; quod quidem meritum operis auget.

779. Q. 2. *Quid est obedientia et quotuplex?*

R. Ad 1. Obedientia est *virtus moralis, quæ reddit promptam hominis voluntatem ad exequendam voluntatem alterius, scilicet præcipientis:* ita Angelicus [5]. Speciale obedientiæ objectum est legitimum ac justum præceptum superioris tam si expressum sit, id est verbis voluntatem ejus clare manifestantibus; quam si sit tacitum, id est signis ad illam voluntatem indicandam.

R. Ad 2. In se et ratione sui objecti una est obedientia; sed ratione superioritatis a qua procedit præceptum, quadruplex distinguitur:

1. *Civilis,* quæ in eo consistit, quod populi, principi et magistratibus subjiciantur, legesque servent ad commune bonum promulgatas; ex quo oritur tam reipublicæ quies, quam subditorum salus.

2. *Ecclesiastica,* per quam fideles in rebus ad Religionem pertinentibus obtemperant sacerdotibus atque Prælatis; ex qua et doctrinæ puritas et fidei unitas conservatur.

3. *Domestica,* qua uxores maritis, filii parentibus, servi dominis, discipuli præceptoribus parent: ex qua familiarum bonum et pax.

[1] S. Thomas, 2, 2, q. 101 et 103. — *V.* Roberti, *Dell'amor della patria;* — Porioni, *Difesa della patria;* — Châteaubriand, *Genio* ecc., — Taparelli, *Saggio teorico,* nn. 945, ecc.; — Lacordaire, *Lettere sulla vita cristiana;* in fine. — *Civiltà Cattolica,* ser, 1ª, t. VII: *Lo Stato e la Patria.* — Stapf, § 500, ubi plura et præclara.

[2] L. c. q. 102. — *V.* Ferraris; V. *Civis.*

[3] *V.* Castruccio Bonamici, *De bello italico.* Huc etiam revocatur nimius ille patriæ amor, ut ejus abscessus ad notabile tempus luctuose influat in corporis sanitatem, quod maxime de Helvetiis evenire solet: *È celebre,* ait Roberti, *certa malattia svizzera* (dicta *nostalgia*), *la quale è prodotta da una tristezza intima di essere lontani dalla cara patria, e da una brama violenta di rivederla. Consunti da questo acre desiderio impallidiscono, dimagrano, delirano, muojono.*

[4] Eccli. III. [5] 2, 2, q. 104.

4. *Sacramentalis*, per quam fideles in sacramento Pœnitentiæ obediunt proprio confessario; sic consulitur conscientiarum tranquillitati.

Obedientia civilis, ecclesiastica atque domestica dicitur necessaria, quatenus in arbitrio nostro non est eligere Principem, Episcopum et parentes, quibus obtemperemus. Sed obedientia sacramentalis dicitur voluntaria, non quatenus sit in nostro arbitrio eam præstare vel negare; sed quatenus generatim pendet a nobis electio confessarii [1].

780. Obedientia venit sub præcepto gravissimo:

1. Civilis; in Scripturis legimus [2]: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Iterum: *Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse.*

2. Ecclesiastica; de hac porro Christus ait: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut etnicus et publicanus* [3].

3. Domestica; Apostolus clamat uxoribus: *Subditæ estote viris sicut oportet in Domino.* Filiis: *Obedite parentibus per omnia.* Servis: *Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.* Singulis: *Obedite præpositis vestris* [4].

4. Sacramentalis: in iis quæ respiciunt animæ directionem in sacramento Pœnitentiæ, confessarius est solus legitimus superior, cui a Christo facultas facta est: *Quæcunque solveris super terram, soluta erunt et in cœlo, et quæcunque retinueris, retenta sunt* [5].

781. Maxima autem est obedientiæ præstantia, eamque Christus toto vitæ suæ curriculo in se ipso expressit *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Imo *melior est obedientia, quam victima* [6]; ac merito, *quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas mactatur*, ut ait d. Gregorius. Et s. Augustinus vocat legitimam obedientiam virtutem, *quæ in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosque virtutum* [7].

782. Tres sunt obedientiæ regulæ seu gradus, ut vocant:

1. *Animi alacritas:* quæ in eo consistit, quod obediens præceptum, licet videatur humile, molestum, intempestivum, impleat expedite, exacte et animo volenti: *cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus* [8]. Nec sane est vere obediens qui præceptum complet fastidiose, querulus, susurrans: *Si moleste cæperis sustinere*, ait d. Bernardus, *si dijudicare Prælatum, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleas quod jubetur, non est virtus obedientiæ; sed velamentum malitiæ.* Iterum: *fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem* [9].

2. *Animi simplicitas*, quam sic indicat Apostolus: *obedite in simplicitate cordis vestri* [10]. In eo autem posita est, quod quisque superioris præceptum impleat cum certitudine implendi voluntatem Dei,

[1] *V.* Sales, *Filotea*, c. XI; et Lib. III *De Pœnitentia.*
[2] Rom. XIII; et Tit. III. Excipe, nisi civilis lex pugnet cum lege Dei vel Ecclesiæ; nam si pugnet, ex Scriptura (Act. V) oportet magis obedire Deo, quam hominibus.
[3] Luc. X; et Matth. XVIII.
[4] Coloss. III; Hebr. XIII. — V. *Civ. Catt.*, ser. 6ª, t. X, pag. 513: *Il centenario di san Pietro.*
[5] *V.* Liguori, *Sermoni compendiati*, t. I, serm. 25, ubi: — 1) *quanto sia sicuro di salvarsi chi obbedisce al Confessore*, — 2) *in quanto pericolo sia chi non obbedisce.*
[6] Philipp. II; et I, Reg. XV.
[7] *De Civ. Dei*, l. XIV, c. 12.
[8] Ephes. VI.
[9] Serm. III *De circum.*; et serm., *de obed.*
[10] II, Cor. I. — *V.* Stapf, § 552.

quin ultro inquirat: *Imperfecti cordis et infirmæ prorsus voluntatis indicium est* (ait s. Bernardus) *statuta seniorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ injunguntur, exigere de quibusque rationem, aut nolle libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit* [1]. Contra tam insignem obedientiæ prærogativam peccant adolescentes, qui, licet nondum judicii maturitate et rerum experientia prædíti, eminere tamen volunt supra seniores, eorumque et dicta et facta vituperare, atque aspernari mandata [2]. Item peccat qui nonnisi obmurmurando obediunt, ideo quia ille qui imperat, non est numeris omnibus absolutus, imo rudis, difficilis, imperitus, iracundus, superbus, desidiosus, etc.; non enim qua homo est, sed qua Dei vices gerit, superiori est obtemperandum, si velimus obedientiæ nostræ merita cumulare. Hinc clamat Apostolorum princeps: *Subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis, sed etiam discolis* [3].

3. *Animi hilaritas;* ait enim d. Bernardus: *Tertius gradus obedientiæ est hilariter obedire: non ex tristitia, inquit Apostolus, non ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.... Serenitas in vultu; dulcedo in sermone multum colorat obedientiam obsequentis...; quis enim locus obedientiæ, ubi tristitiæ cernitur amaritudo* [4]?

783. Obedientiæ opponitur contumacia, quæ *inobedientia* nuncupatur, et est *voluntas agendi contra præceptum superioris.* Cum ex philosophorum adagio *eadem contrariorum sint consequentia*, patet tot mala ex hoc vitio oriri, quot ex obedientia enascuntur bona. Hac videlicet peste evertuntur familiæ, perturbantur communitates, labefactatur respublica, et omnia foventur vitia ad perniciem tam animæ quam corporis. Illud etiam malum est tristissimum, quod qui abjicit obedientiam, reddit se Deo execrabilem, dicente ipso Deo: *Sicut gentes quas delevit Dominus... ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis* [5]. Sed contumacia præ ceteris nocet adolescentibus, qui per hoc vitium sibi præcludunt viam ad suscipiendam disciplinam et sapientiam; sicque incidunt in illud: *disciplinam qui abjicit, infelix est* [6].

784. Q. 3. *Quid sentiendum de veracitate?*

R. Veracitas est virtus, *quæ id sibi propositum habet, ut in significandis nostris cogitationibus res enuntiemus cujusmodi sunt, vel cujusmodi esse putamus.* Ex quo patet discrimen veracitatem inter et veritatem: nam veritas tota sumitur ex conformitate judicii cum ipsa re judicata; veracitas autem spectat potissimum conformitatem locutionis cum mente ipsiusmet hominis loquentis: prima tota est objectiva; altera subjectiva. Verax iccirco esse potest etiam qui falsum dicit, si nempe putet se verum enuntiare; sicut et mendax esset, si verum pronuntiaret putans se dicere falsum.

[1] *De præcept. et dispensat.*

[2] Ex quo illud oritur, quod educatores sæpius dolenter animadvertunt, ut nempe juvenes quidam plurium annorum spatio in disciplinam traditi, nihil utique prætermittant eorum quæ jubentur; nunquam tamen obedientiæ habitum sibi comparent, et vix e disciplina et schola egressi pessimam animorum elactionem ostendant, vera Reipublicæ pestis, dedecus communitatum et familiarum ruina.

[3] 1, Petri, II. — V. *De Legibus*, t. 1, n. 212.

[4] Serm. *de obed.* — *V.* Bourdaloue, *Pensieri* h. tit. — Rodriguez, *Esercizio* ecc. Aliud tamen est cum tristitia obedire, aliud obediendo tristitiam in parte inferiori sentire nec assentire: primum est imperfecti animi, secundum notat tantum vim doloris, quam quis patitur. Ita Christi anima in sua passione tristis erat usque ad mortem, et adeo tristis, ut vehementia doloris vivum sanguinem a corpore expresserit. V. *Bibbia* di Vence, dissertaz., vol. VI: *Sopra il sudor di sangue di Gesù Cristo nell' Orto degli Ulivi.*

[5] Deut. I. — De obedientia cæca plura, Lib. IV, *Append.* 41.

[6] Sap. III. — *V.* Liguori, *La Monaca santa;* — Scaramelli, *Direttorio ascetico.*

In veracitate naturalis honestas inest, uti naturalis turpitudo est in mendacio: *Verba sunt instituta*, ait Augustinus, *non per quæ se homines invicem fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat; verbis igitur uti ad fallaciam peccatum est* [1]. Adde: ad mutuam inter homines societatem veracitas prorsus est necessaria; societas enim consistere nequit, nisi homines sibi invicem credant. Quare Apostolus: *deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque proximo suo* [2]. Hæc etiam nos similes Deo reddit: *nam principium verborum tuorum veritas* [3].

785. Veracitati opponitur mendacium, quod definitur: *locutio* vel *significatio contra mentem* [4]. Pertinet ad ejus naturam, ut qui mendacium profert, aliud clausum in pectore teneat, aliud exterius verbis vel signis exprimat. Sed non requiritur etiam animus fallendi; *mentiri* enim dictum est quasi ex verbo *contra mentem ire*. Diximus *locutio* vel *significatio*, ut indicemus mendacium confici tam ore, nempe verbis, scriptis et nutibus; quam facto, seu *simulatione*: sic mentitur facto qui, cum mortali odio interius exardescat contra aliquem, eum tamen exterius verbis amicitiæ adhuc prosequitur. Ad simulationem, seu ad mendacium facti pertinent *jactantia, hypocrisis, adulatio*, etc.

Omnibus nota est mendacii divisio: in *jocosum*, quod patratur ob nostram vel aliorum solatium, *in officiosum* quod patratur ob nostram vel aliorum utilitatem; in *perniciosum*, quod patratur in injustam alterius damnificationem [5].

786. Q. 4. *An omne mendacium sit peccatum?*

R. Docuerunt ex Græcis nonnulli, uti Origenes, Cassianus, Theodoretus, esse licitum mendacium ob urgentem necessitatem. Sed hic maxime veniunt Priscillianistæ, penes quos celebre erat hoc effatum ad suam occultandam hæresim: *jura, perjura, secretum prodere noli.* Contra quos omnes dicimus, mendacium in omni casu per se esse peccatum. Probatur:

1. Scripturis: *verbum mendax justus detestabitur: omne mendacium ex veritate non est: mendacium fugies: perdes omnes qui loquuntur mendacium* [6]. Atqui omne illud quod justus debet fugere, detestari, quod non est ex veritate, etc., peccatum est; cum ex natura sua adversetur Deo, qui est summa veritas.

2. Patribus: clamat d. Ambrosius: *Os justi mendacium nescire* [7]. Et s. Thomas: *non est licitum mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium a quocunque periculo liberet* [8]. Quare Alexander III aperte docuit omne mendacium prohiberi etiam ad vitam alterius salvandam [9].

3. Ratione; si enim homo in casu aliquo mentiri licite posset, Deus diceretur mendacium illud approbare: imo in tali casu Deus ipse posset mentiri; atqui hæc duo repugnant: veritas enim est essentia-

[1] *Ench.*, c. XXII. [2] Eph. IV. [3] Ps. CXVIII; Stapf, § 369.

[4] De mendacio prolato in Confessione erit in tract. *De Pœnitentia;* de locutionibus vero æquivocis, jam actum est in tract. *De Virt. Religionis*, ubi de juramento.

[5] Grotius putat non aliter mendacium definiri posse quam *repugnantiam* (non cum veracitate aut veritate), sed *cum jure existente et manente ejus ad quem sermo aut nota dirigitur* (lib. *De jur. bell. et pact.* 3, c. 1, § 11); et ideo dicit esse licitum quotiescunque sit utile ei, ad quem dirigitur, v. g., quando dirigitur a superiore ad inferiorem, quando profertur ad salvandum innocentem, etc. Sed Grotiana hæc definitio admitti non potest, cum mendacium sit evidentissime contra naturam et commune societatis bonum: utraque scilicet clamat cum poeta: *odi etenim ceu claustra Erebi quicunque loquuntur ore aliud, tacitoque aliud sub pectore claudunt.*

[6] Eccli. VII; Joann. I, c. 2; Exod. XXIII; Ps. V. — Ferraris; V. *Mendacium.*

[7] L. II *in c.* I *Lucam.* — *V.* Stapf, § 370. [8] 2, 2, q. 110, a. 3.

[9] *Decr.* Greg., l. XIX, *De usur.*, c. 4.

liter perfectio naturæ divinæ. Adde inordinationem manifestam in mendacio quocunque; istud enim pervertit finem locutionis, ut homines possint sensus suos sibi invicem communicare.

Mendacium tamen si neque proximum neque Deum graviter lædat, neque grave scandalum pariat, veniale est, uti de mendacio jocoso et officioso tradit d. Augustinus *(In Ps.* v); adest tantum inordinatio levis; cum ea non opponatur charitati. — Imo non raro mendacia jocosa carent omni culpa, uti si intentio jocandi, ac ridendi ita pateat, ut facillime percipi possit sive ex ipsa re quæ dicitur, sive ex tono vocis lepido, sive ex aliis circumstantiis; tunc potius facetia est [1]. Addit Stattler: « Infantes, amentes, furiosi, ebrios simulatione aut falsiloquio licet inducere ad aliquid; cum id genus homines usu rationis careant, solis hisce stimulis aguntur. »

Mendacium vero perniciosum, quod graviter aut lædat proximum aut Deum offendat, vel grave scandalum pariat, erit mortale ob rationem contrariam. Et de hoc intelligitur illud [2]: *Sermo obscurus in vacuum non ibit; os autem quod mentitur, occidit animam.*

787. Ars decipiendi notum omnibus est quanta cura hodie maxime ad praxim deducatur in politicis negotiationibus; hinc nulla fides, nulla quies, nulla securitas; omnes decipiunt, omnes decipiuntur. Refert Carrière: *Don Juan de Véga disant à don Diego de Mendoza, qui lui succédait dans une ambassade, qu'il ne trouverait guère de vérité parmi les ministres de cette Cour-là. — Ils ont donc rencontré leur homme*, répondit Diégo, *car pour un mensonge qu'ils me diront, je leur en dirai cent.* — Répliqua Vega: *Et moi j'ai pris une autre route, car j'ai répondu à tous leurs mensonges par autant de vérités, et cela m'a reussi d'autant mieux qu'ils ne me croyoient presque jamais. Voilà comme il faut tromper les menteurs* (De Justitia et Jure, *n.* 924) [3].

788. Q. 5. *An aliquando licita sit simulatio?*

R. Simulatio *formalis*, nempe cum quis intendit per factum externum aliud significare, quam quod in animo habet, illicita est: quia est verum mendacium facti [4]. At simulatio *materialis*, scilicet cum quis aliquid agit, non intendens deceptionem alterius, sed aliquem suum finem, licita est cum causa, semper ac ex circumstantiis alii possint conjicere ad alium finem id agi. Sic Josue licite fugit non intendens significare metum, sed ut hostes longe abducerentur ab urbe *Hai*, et reliqui milites irruerent in urbem [5]. Ita Christus *finxit se longius ire* [6], non intendens ut Discipuli hoc crederent, sed volens significare, se revera iturum longius, nisi ab eis invitaretur.

Simulatio confundi non debet cum reticentia et taciturnitate. Officium *reticentiæ* in eo consistit, ut cognitiones et notitiæ quæ audientibus periculosæ vel noxiæ videntur, iisdem celentur; ad quod quidem semper charitas, sed et aliquando justitia nos impellit: hinc illud *est tempus tacendi.* Quod si in loquendo nos cautos esse oportet, quanto magis, dum sensus nostros literis consignamus? scripta manent.

[1] Hinc non sunt mendacia locutiones tropicæ, ironicæ, hyperbolicæ, quæ ut tales facile ab audientibus accipi possunt. Multo minus parabolæ, apologi, fabulæ, et æquivocationes ita claræ, ut facile intentio loquentis pateat. — *V.* Cavalieri, *La veracità e la menzogna.*

[2] Sap. 1. — Quod de mendacio dictum est, ad simulationem, jactantiam et similia extendi debet, quippe quæ sunt mendacia facti.

[3] Ad rem ait sapiens homo: *Per poco che si continui di questo passo, la diplomazia sarà il mestiere più avvilito della terra. Ma vi resterà sempre la Corte di Roma; la:* est est, non, non.

[4] S. Thomas, 2, 2, q. 111, a. 1. [5] Jos., c. VIII.

[6] Luc. XXIV. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 171.

Officium *taciturnitatis* generatim prudentem verborum parsimoniam et præcipue justam curam in celandis tum nostri tum aliorum arcanis designat. Etsi candor animi et sinceritas plurimum commendari mereantur; in præsenti tamen hominum corruptione, multa simul circumspectio requiritur. — Non loquimur tamen de vitiosa illa taciturnitate, quæ honestam conversationem fastidit, socios fugit, difficilis, tenax; melancholia nimis tristes effectus habet, maxime in juvenibus; hinc Philippus Nerius: *Nè scrupoli nè melanconie* [1]. Et Apostolus: *Gaudete in Domino, semper, iterum dico gaudete, et pax quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu Domino nostro* [2]. Quod facile consequitur qui sua sorte contentus, continuo meditatur cum Augustino in mundo *nihil fieri sensibiliter et visibiliter quod de interiori illa aula* (cœli) *aut non jubeatur aut non permittatur*, ad sui gloriam, nostramque salutem: *bona et mala, vita et mors* (legitur Eccle. XI), *paupertas et honestas a Deo sunt*, qui nihil odit eorum quæ fecit.

Ceterum, ut nostra conversatio bona sit et vita nostra perjucunda, *sæpe* de Deo, *bene* de proximo, *nihil* de nobis ordinarie loquendum. *Il parlar di sè è cosa tanto pericolosa quanto il ballare sulla corda, per cui ci vogliono e contrappesi e somma circospezione per non mettere piè in fallo.* Sales.

ART. II. — *De gratitudine, benevolentia, amicitia, liberalitate, affabilitate, urbanitate et comitate.*

789. Q. 1. *Quid de gratitudine et benevolentia?*

R. Ad 1: Gratitudo seu gratia est virtus, *quæ tum beneficiorum quibus affecti sumus, memoriam retinet, tum iisdem remunerandi voluntatem habet.* Sane post Deum, parentes, patriam et superiores nostros natura illis peculiariter animo adstrictos esse docet, qui nos beneficiis suis exornaverunt: *Si ab aliquo benefactore aliqua peculiaria beneficia percipimus*, ait Angelicus, *illi per hæc peculiariter obligamur ex debito honestatis... ideo justitiæ adjungitur gratitudo* [3]. Hanc virtutem commendabat Paulus inquiens: *grati estote* [4]. Duplex est gratitudinis præceptum: 1) ut cum possumus, paria et etiam majora beneficia referamus; 2) ut cum referre non possumus, saltem gratias agere et constanter habere satagamus [5].

Gratitudini opponitur *ingratus animus* et *egoismus*, cujus est acceptum beneficium dissimulare, vel non æstimare satis, vel vituperare, vel habere pro maleficio. *Hoc tu cave tanquam maximum crimen*, inquit Seneca [6]. Et Aristoteles ait nihil pejus de aliquo dici posse, quam

[1] *V.* Stapf, §§ 375, 376, 626. — Lombez, *Dell'allegrezza cristiana.*
[2] Phil. IV. — *V.* De-Sarasa, *L'arte di goder sempre*; tradotta dal p. Bresciani.
[3] 2, 2, q. 106. [4] II, Tessal. VI.
[5] Scilicet *habemus gratias*, cum habemus voluntatem remunerandi: *agimus* vero *gratias*, cum verbis et aliis significationibus externis, quo animo in benefactorem nostrum affecti simus, libenter et aperte pandimus.

Ad excitandam nostram gratitudinem et amorem erga Deum a quo sunt omnia bona, præstat, *ut consideremus* (cum Augustino) *quæ accepimus a Domino Deo communia cum omnibus, particularia cum aliquibus, singularia nobis.*
[6] L. IV *de Benef.*

ipsum de ingratitudine accusare et arguere: *dixeris cuncta maledicta, si ingratum dixeris.*

R. Ad 2: Benevolentia, ut nomen indicat, *est illa animi affectio, qua aliis bonum volumus et optamus.* Ad eam nos impellit tam natura, quæ homines considerat quasi communis ejusdem civitatis incolas, et ejusdem corporis membra; quam Religio, cujus sane illud est præceptum: *diliges proximum tuum sicut te ipsum* [1]. Huic opponitur malevolentia seu odium proximi, de quo vide n. 990.

790. Q. 2. *Quid est amicitia, et quotuplex?*

R. Ad 1: Amicitia dici potest *mutuus, manifestus et gratuitus amor inter aliquas personas quæ sibi invicem bene volunt, et se mutuo bonis cumulare desiderant* [2]. Quibus patet: — 1) discrimen maximum inter amorem proprie dictum et amicitiam; ille enim esse potest non mutuus, imo etiam non notus personæ, quæ amatur; et ideo fit ut in amicitia semper sit amor, sed non semper in amore amicitia; — 2) ad amicitiam requiri mutuam honestorum bonorum communicationem, sine qua amicitia esse nequit: imo corruptela potius dicenda foret, quam amicitia [3]; — 3) mutuum illum amorem gratuitum esse debere; qui enim privatam utilitatem respiceret, mercenarius esset, non amicus: *Non debemus amare*, ait Augustinus, *quomodo audimus gulosum:* amo turdos: *quæris, quare amat? ut occidat et consumat... amicitia est quædam benevolentia, ut aliquid præstemus eis, quos amamus* [4].

R. Ad 2: Cum amicitia oriatur præsertim ex bonorum communicatione, tot erunt assignandæ amicitiæ species, quot sunt species bonorum, quæ inter amicos communicantur. Iccirco amicitiæ divisio erit in veram et falsam, in corporalem et spiritualem, in sensibilem et sensualem, prout bona quæ communicantur, vera vel falsa sunt, temporalia vel spiritualia, sensibilia vel sensualia. Porro solum amicitiæ veræ, quæ fundatur in communicatione bonorum (quæ talia sint, non apparenter), convenit *illud amicitiæ sanctum ac venerabile nomen.*

Quo autem bona perfectiora sunt, eo etiam perfectior erit amicitia: sic si bona, quæ inter amicos communicantur, sunt scientiæ et artes, laudabilis erit talis amicitia, quia in bono fundatur. Si invicem communicentur virtutes, v. g. fortitudinis et temperantiæ, erit laudabilior, quia fundatur in meliori. At si communicentur pietas, religio, charitas in Deum et proximum, eximia tunc erit amicitia, et omnium præstantissima; cum Deum habeat pro suo principio et fine, ideoque fundetur in optimo. De hac Salesius: *Quest' amicizia sarà eccellente, perchè viene da Dio; eccellente, perchè tende a Dio; eccellente, perchè il suo legame è Dio; eccellente, perchè durerà eternamente in Dio.*

791. Q. 3. *An liceat amicitias contrahere, et contractas fovere?*

R. Vel agitur de amicitia falsa, aut sensuali, aut sensibili; vel agitur de amicitia vera, spirituali et sancta:

1. *Amicitias sensuales* nec contrahere licet nec fovere; cum fundentur super peccato: et dicente s. Ambrosio, *non potest homo homini esse amicus, qui Deo fuerit inimicus.* Amicitiæ sensuales reprobantur ab omnibus utpote inhonestæ, et vulgo *innamoramenti* appel-

[1] Matth. XXII.

[2] Ex vulgari usu etiam illos *amicos* dicimus, quorum generatim favorem et promptitudinem experimur; etiam quibuscum familiariter aliquando conversati sumus, et hoc maxime evenit collegialiter viventibus. Hic tamen stricte nomen sumimus: quo sensu Tullius, *multi modii salis simul edendi sunt, ut amicitiæ munus expletum sit.* De amicitia egregie Stapf in sua *Theologia* passim, ac præsertim §§ 469 et seqq.

[3] *V.* Liguori, *Sermoni:* Del fuggire i mali compagni. — Sales, *Filotea*, c. XVII, ecc.

[4] Tract. VIII *in Joann.* — *V.* Rosignoli, *L'elezione dell'amico.*

lantur, de quibus Salesius: *Io grido ad alta voce a chiunque è legato dentro le reti dell' innamoramento: tagliate, troncate, rompete; non bisogna fermarsi a scucire queste sciocche amicizie, bisogna schiantarle; non bisogna snodare questi legami, bisogna romperli e tagliarli?*.

2. *Amicitiæ sensibiles*, quæ fundàntur in bonis corporis sensibilibus: v. g., pulcritudine, benevolentia, tractu, voce, etc., licet non sint aperte inhonestæ, sunt tamen valde imperfectæ et periculosæ, maxime si contingant inter personas diversi sexus: ideo reprobandæ a Moralista et rejiciendæ [2]. A sensibilitate ad sensualitatem parva distantia: imo experientia teste, una ad aliam marte suo ducit *(T)*.

3. Amicitias *sanctas*, *spirituales*, *ad virtutem directas* etiam personis, quæ in sæculo vivunt et bonum animæ diligunt, perutiles pronuntiamus. En verba Salesii: *Quanto alle persone che vivono tra i mondani, e che abbracciano la vera virtù, è lor necessario l' unirsi le une colle altre, mediante una santa e sacra amicizia, perchè col mezzo di questa si ajutano e si eccitano vicendevolmente al bene.* Nonne inter se junguntur, hac ætate, filii tenebrarum ad malum? cur non filii lucis ad bonum [3]. Hic Scriptura: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma: amico fideli nulla comparatio* [4].

792. Q. 4. *Quid de liberalitate et affabilitate?*

R. Ad 1: Liberalitas est *virtus, quæ nos docet ordinem ad rectæ rationis tramites servandum in largiendis pecuniis et rebus omnibus, quæ solent pecunia æstimari.* Differt a misericordia, quæ tribuit indigentibus, hæc omnibus: a magnificentia, quæ respicit sumptos egregios, hæc mediocres. Liberalitatis conditiones præcipua sunt: — 1) ut quod datur, honestatis et benevotentiæ causa detur: nam qui dat aut majoris lucri reportandi causa aut turpi consilio, a liberalitate longissime abest; — 2) ut largitiones ad facultates nostras accomodemus; prodigus enim non liberalis est, qui adeo largitur, ut ipse redigatur ad egestatem [5]; — 3) ut quisque caveat quibus dandum, quantum et quo tempore: omnia enim secundum ordinem fieri debent; — 4) ut libenter et hilariter elargiamur; nam ut ait Poeta: *cum properat gratia, grata nimis.*

Liberalitati opponitur tenacitas seu avaritia, in quantum quis nimis amat vel desiderat divitias, in eisque delectatur, quin tamen id sit cum damno alterius.

R. Ad 2: Affabilitas est *virtus, qua quis in convictu et in omni vitæ consuetudine facilem se aliis exhibere, et iisdem, ut decet, obsequi studet. Homo*, inquit Angelicus, *tenetur ex naturali debito honestatis, ut aliis delectabiliter convivat* [6]. Hanc virtutem Hieronymus Nepotiano suo enixe commendans sic eam descripsit: *Virtus est lenis, blanda, tranquilla et omnium bonorum apta consortio; invitans ad familiari-*

1 Sales, *Filotea*, c. XVIII et XXII. — Stapf, § 471.
2 *V.* Scaramelli, *Direttorio ascetico*, tract. II, c. 9. — Pinamonti, *Il direttore*, c. XVI.
3 Castelvetere, p. 2, c. 7. — Frassinetti, *Riflessioni agli ecclesiastici.*
4 Eccli. VI; et Prov. XVIII. In divinis libris plura habentur de amicitia vera.
5 *V.* Eccli. XII, ubi dotes liberalitatis notantur.
6 2, 2, q. 124, a. 2. Affabilitas mire in Christo elucebat, in cujus labiis ita diffusa erat gratia, *ut omnes mirarentur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius* (Luc. IV); et Apostolus obsecrat Corinthios *per mansuetudinem Christi* (II ad Cor. X).
Ubi non attingimus quæstionem, an Jesus fuerit aspectu decorus, ut censent Hieronymus, Nicephorus, Bernardus, Laurentius Justiniani, etc.; vel an vultu inglorius, ut docent Origenes, Clemens Alexandrinus, Cyrillus, Tertullianus, Augustinus, etc., vel potius quid medii, nempe neque deformis neque pulcher nimis, sed forma ordinaria, ut pluribus maxime ex modernis placet. — V. *Bibbia* di Vence, dissert. vol. V: *Sopra la bellezza di Gesu Cristo.*

tatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata. Sunt autem affabilitatis officia: — 1) omnes benigne audire, eosque hilari vultu alloqui; — 2) interroganti humaniter respondere, etsi importunus aliquando videri possit; 3) obvios salutare et salutationibus respondere, ea honoris et benevolentiæ significatione, quam vel locorum consuetudo vel amicitiæ ratio vel dignitas vel urbanitas exigit; — 4) vocem, verba, gestum et vultum ita componere, ut quidquid incidit in oculos eorum quibuscum conversamur, præseferat suavitatem: et sit argumentum charitatis vere christianæ, ita ut dicere possimus cum Apostolo: *per omnia omnibus placeo* [1].

Duo opponuntur affabilitati, assentatio et asperitas. *Assentatio* est propria illorum, qui omnia ad alterius voluntatem sive vera sive falsa, sive bona sive mala, et loquuntur et faciunt et laudant. Quod viro ingenuo et christiano indignum est, et parit etiam vilissimam blanditoris existimationem. *Asperitas* est in iis, qui habitum habent perversum nihil unquam dicendi ad cujuscunque voluptatem, improbandi semper aliena facta et dicta, omnia ægre ferendi, semper contendendi, singulis in re quacunque contradicendi. Hoc in quibusdam superbissimis hominibus cernere est, ac sæpe adolescentibus, qui omnium sunt derisores, detractores, susurrones, a quorum defectu Timotheum caute removebat Apostulus: *Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites.* Et ad Colossenses scribit: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus* [2].

793. Q. 5. *Quid de comitate et urbanitate?*

R. Ad 1: Comitas est *virtus, quæ servat decorem in jocis.* Patet discrimen affabilitatem inter et comitatem: prima tenet modum in suavitate sermonis; altera in conversationibus et in ludis. — Adversatur comitati *scurrilitas* et *rusticitas:* est scurrilitas insulsa quædam et molesta dicacitas sæpe etiam odiosa, qua ordo et modus omnis in jocis ludisque pervertitur. Rusticitas vero est vitium, quo nec festivitate jocorum nec conversationis jucunditate quis delinitur, ita ut nec facetum quid unquam dicat, nec qui dicunt, ferre possit. Quod sane reprehendendum; nam adversatur homini ad societatem nato [3].

Ad 2: Licet affabilitas et comitas ad urbanitatem quodammodo referantur; tamen differunt, quod hæc latius pateat, atque omnes ferme hominis actiones et mores respiciat, ut boni sint ac decori. Toto ergo cœlo errant qui urbanitatem collocant in corporis forma et vestium elegantia; nam est in animo bene constituto, et exculto Religionis præceptis et exercitatione virtutum, sine quibus hominum mores neque vere boni, neque vere decori esse poterunt *(U).*

CAPUT SECUNDUM

DE CETERIS VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

ART. UNICUS. — *de prudentia, fortitudine et temperantia.*

794. Q. 1. *Quid est prudentia et quot ejus species?*

R. Ad 1: Ab Aristotele definitur prudentia: *animi habitus vera cum ratione actiones dirigens in iis, quæ sunt homini bona vel mala* [4].

[1] 1, Cor. x. [2] Ep. II, c. 2; ad Coloss. IV.

[3] D. Thomas, 2, 2, q. 168, a. 4. — *V.* Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIV,* t. 1: *Virtù sociali dell'ecclesiastico.*

[4] Non loquimur de terrena prudentia, quæ suum finem constituit in carne vel di-

Dicitur: 1) *vera cum ratione*, ut a prudentia excludatur temeritas et præcipitatio; 2) *actiones dirigens*, ut secernatur ab habitibus mere theoreticis; nam potest quis esse doctissimus, et eruditus artibus et disciplinis omnibus, quæ in mundo sunt, quin tamen item sit prudens; 3) *in iis quæ sunt homini bona vel mala*, ut indicetur prudentiæ objectum in cavendo a malo, et inquirendo bono consistere. Eximia sane ac necessaria virtus! neque enim opera nostra laudari possunt, nisi fiat electio eorum, quæ conveniunt ad finem. Hæc ex Angelico *adjuvat omnes virtutes et operatur in omnibus* [1]. Et ab Augustino vocatur *rerum agendarum et fugiendarum scientia*. Et d. Bernardus: *tolle prudentiam, et virtus vitium erit.*

R. Ad 2: Tres sunt prudentiæ species: *monastica* sive privata, *œconomica* sive domestica, *politica* sive civilis. Dirigit prima hominem in actionibus, quæ eum directe et solum afficiunt, ut nihil inconsiderate operetur. Altera eundem moderatur in actibus, qui respiciunt domum et familiam. Tertia regit actiones, quæ pertinent ad rempublicam [2]. Quo magis optandum in adolescentibus studium prudentiæ monasticæ et œconomicæ, eo magis a politica arcendi; nam juvenilis ætas nova et inexpers non bene politicis rebus peragendis accomodata est [3].

795. Q. 2. *Quænam prudentiæ munera et dotes?*

R. Ad 1: Prudentiæ munera, quæ dicuntur *partes prudentiæ potentiales*, tria sunt: nempe bene consultare, bene judicare et bene præcipere; nam actionis humanæ probitas, in quo situm est prudentiæ objectum, importat mediorum ordinationem ad finem consequendum. Hæc autem tribus perficitur: — 1) *recta eorum inquisitione*, et super iisdem consultatione; ideoque prudentia comites habet rationem, considerationem, meditationem, diligentiam, ingenium, solertiam et sagacitatem; — 2) *recto judicio* de eorum aptitudine atque natura, ad quod concurrunt æquitas, docilitas, animi candor, memoria præteritorum, intelligentia præsentium et prævidentia futurorum; — 3) *præcepto*, quo mens vult, ut ea perficiantur, quæ judicata sunt: hucque pertinent dexteritas, circumspectio, cautio et industria. Ex quo patet quam difficilis, sed pretiosa virtus prudentia sit; neque mirum iccirco esse debet, si multi inveniantur vere docti, pauci vere prudentes.

R. Ad 2: Dotes, quas prudentia præseferre debet, ut finem suum consequatur seu *partes prudentiæ integrantes*, sunt ex Angelico: 1) *memoria* seu recordatio præteritorum: præterita nos docent; 2) *intelligentia* seu diligens rerum agendarum consideratio ac cognitio, ne dicamus malum bonum et bonum malum; 3) *docilitas* sive animi promptitudo ad aliena capessenda consilia: nemo enim sufficit sibi; 4) *solertia* seu animi sagacitas ad media, quæ ad finem nostrum spectant, illico dignoscenda, ne accidentia nos animo dejiciant; 5) *ratio* sive recta ratiocinatio, ut quid ex antecedenter cognitis sit agendum di-

vitiis; hæc *stultitia est apud Deum:* imo *animalis, diabolica* (1 ad Cor. III; Jac. XIII).

Huc revocatur modernus ille *moderantismus*, qui sub fucato prudentiæ nomine, a nonnullis prædicatur; at in ruinam Religionis ac societatis inductus est. — *V.* Della-Margarita, *Avvedimenti politici*, capp. VII et XX.

[1] 1, 2. q. 58. — *V.* Scaramelli, *Direttorio ascetico*, tract. III, a. 1.

[2] *V.* Bousset, *La politica tratta della sacra Scrittura.* — Scotti, *Teoremi* ecc.

[3] Hinc tradit historia apud Cretenses fuisse legem, ut si quis adhuc juvenis accederet ad regendam rempublicam, nunquam auderet in disceptationem vocare, essentne æquæ leges an iniquæ? senex vero si quid excogitasset, principibus aut æqualibus quidem referret, juvenum tamen audiente nemine. Quapropter stomachum movent scituli quidam ætate nostra adolescentes, qui manibus vix a ferula scholastica subductis, de rebus politicis quasi ex cathedra non loqui, sed effutire et blaterare audiuntur sesquipedales sententias efferentes.

gnoscatur; 6) *prævidentia* seu futurorum consideratio, ne incipiamus fabricare, et non possimus consummare; 7) *circumspectio* seu attentio ad omnes circumstantias: non enim omnia omni tempore conveniunt; 8) *cautio*, ut nempe sciamus prævidendo impedimenta amovere; cum ea sæpe contingant.

796. Q. 3. *Quænam vitia prudentiæ contraria sunt?*

R. Vitia alia directe, et aperte prudentiæ contraria sunt; alia quandam prudentiæ speciem præseferunt, sed ementitam ac fucatam. Illa eam lædunt per defectum, ista per excessum. Vitia primi generis sunt potissimum: 1) *præcipitatio* seu *temeritas*, cum quis non ex rectæ rationis præscripto, sed ex affectus sui impetu deliberat et opus aggreditur; 2) *inconstantia*, cum quis leves ob causas a recta sententia recedit, ut aliam arripiat; 3) *inconsideratio*, cum quis sine debita attentione de mediis ad finem accomodatis judicium suum emittit; 4) *negligentia*, cum quis debitam in rebus deliberandis et peragendis sollicitudinem non adhibet. — Hæc sequens versus includit:

Præceps, inconstans, inconsideratus, inersque.

Vitia secundi generis sunt: 1) *prudentia carnis*, qua quis finem ultimum collocat in rebus creatis; 2) *calliditas*, quæ in illis cernitur, quorum celere est et aptum ingenium in excogitandis mediis ad finem consequendum idoneis, sed ab honestate et recto rationis præscripto alienis et abhorrentibus; 3) *dolus* et *fraus*, quæ calliditatis pravitatem ad effectum perducit; 4) *nimia sollicitudo* præcipue de rebus futuris quæ sine ulla utilitatis specie animum angit.

Quæ sequens versiculus exhibet:

Fraus et calliditas, carnis prudentia, cura.

Hæc omnia vel ex eo mala esse constat, quia adversantur prudentiæ, quæ omnes humanas actiones ad rectum tramitem moderatur.

797. Q. 4. *Quid est fortitudo, et quæ ejus filiæ?*

R. Ad 1: Fortitudo recte potest definiri: *virtus perficiens hominem, ut in ordine rationis humanæ et legis divinæ consistat ea repellendo, quæ ordinem eundem pervertere valeant.* Cum enim pleraque in humana vita occurrant, quæ hominem solent deterrere a recto tum rationis tum legis tramite tenendo, aut ne diu in ipso permaneat, si eum jam sit assecutus; aliquo certe præsidio nobis est opus, quo adversus impetus hujuscemodi firmemur. Hoc porro præstat fortitudo: quæ ideo omnibus necessaria est; nam *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit; Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* [1]. Est autem maxime necessaria militibus ad strenue pugnandum; magistratibus ut valeant irrumpere iniquitates; ministris altaris, ut confortati in Domino et in potentia virtutis ejus evellant et destruant, plantent atque edificent.

Duplex fortitudinis munus. Unum in malis et in laboribus perferendis situm, quod sic explicat Angelicus: *Oportet quod fortitudo animi dicatur, quæ firmiter retinet voluntatem hominis in bono rationis contra maxima mala* [2]. Huc respiciebat illud Christi: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* [3]. — Alterum

[1] II, Tim. II; Matth. XI. [2] 2, 2, q. 123, a. 10. [3] Matth. X.

munus consistit in ipsis periculis adeundis: sic fortis in nomine Dei sui David Gigantem aggressus est. Ex Angelico huic fortitudini consociatur quædam iræ species, non quasi domina, sed quasi ancilla: *iram moderatam assumit fortis ad suum actum* [1].

R. Ad 2: A virtute fortitudinis aliæ oriuntur in homine christiano virtutes morales præclarissimæ tanquam ejusdem filiæ seu *partes integrantes*, ut vocant Philosophi. Quod sic explicatur: cum fortitudo maximopere tendat ad superandas difficultates, quæ in bene agendo nobis adversantur, varias pro difficultatum varietate species in se continet, quas ejus filias nuncupamus.

Videlicet oriturne difficultas in agendo ab ipsa operis natura et magnitudine? eidem opponitur *magnanimitas*, illa nempe virtus, quæ ad quælibet magna et heroica inclinat. — Oriturne ab ingenti pecuniarum quantitate, quæ ad operis perfectionem, v. g., ad templi constructionem requiritur? eidem opponitur *munificentia*, illa virtus, quæ ad magna opera externa externis ac magnis sumptibus perficienda inclinat. — Oritur a timore et anxietate interna circa operis eventum? eidem opponitur *pax cordis et securitas animi*, illa virtus quæ nos ducit ad maxima quæque opera gaudentes, gloriantes, in nullo deficientes. — Oritur a multitudine et qualitate malorum, quæ in operis executione sunt perferenda? eidem opponitur *patientia*, illa virtus quæ facit, ut omnia adversa æquo ac forti animo toleremus. — Oritur a temporis diuturnitate? opponitur *longanimitas*, virtus illa, quæ nos firmat in expectatione. — Ab operis ipsius continuatione? opponitur *perseverantia*, virtus illa, quæ nos ad persistendum in molesto ac arduo opere inclinat. — A cordis humani instabilitate? opponitur *constantia*, quæ virtus est roborans ac firmans volubilitatem nostram. Sic de ceteris dicendum.

798. Q. 5. *Quod sunt fortitudinis gradus, et impedimenta?*

R. Ad 1: Quinque gradus: 1) animum vincere, iracundiam cohibere voluptates contemnere. Quæ sic describit s. Ambrosius: *Jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, et quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione* [2]. — 2) Vitam propriam periculo exponere ob bonum spirituale et corporale proximi, juxta illud: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [3]. — 3) Martyrium appetere corde magno et volenti, exemplo s. Ignatii Martyris, qui cum ad bestias esset damnatus: *utinam* (ad Romanos scribebat) *fruar bestiis, quæ mihi sunt paratæ!... si venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram, ut devorer.* — 4) Mala gravissima et ipsam etiam mortem si ex improviso contingat, fortiter et patienter tolerare. — 5) (En gradus heroicus) mala illa, et mortem pati etiam cum sincero animi gaudio, exemplo Apostolorum, qui *ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* [4].

R. Ad 2: Fortitudini adversantur: 1) *timiditas*, seu fuga malorum, quibus quis se objicere debet; 2) *intimiditas*, seu defectus timoris ju-

[1] « Præsertim nos sacerdotes (monet Stapf, § 267), patientia insigni armatos esse oportet, tum ut etiam ex hac parte simus exemplum gregis, tum ut in exequendo munere non tumultuarie, sed prudenter et in spiritu lenitatis agamus: qui patiens est, multa gubernatur prudentia; *qui impatiens est exaltat stultitiam suam* (Prov. XI). » *V.* Scaramelli, *Direttorio ascetico* ecc. — Rodriguez, *Esercizio di perfezione.* — Liguori, Opuscolo, *Uniformità alla volontà di Dio.*

[2] *De off.*, l. I, c. 36. — V. *Civ. Cattolica;* ser. 1ª, t. VIII: *I grandi uomini.*

[3] Joann. XV. [4] Act. V.

sti; 3) *audacia*, seu inconsiderata periculorum susceptio. Quoad primam peccat qui eos unice timet qui occidunt corpus; quoad secundam qui eum non timet, qui animam mittere potest in gehennam: quoad tertiam peccat qui temere periculum quærit.

799. Q. 6. *Quid est temperantia, et quæ ejus partes?*

R. Ad 1: Temperantia scricte sumpta definitur: *virtus moralis, quæ secundum rectam rationem et legem divinam moderatur appetitum, et usum earum rerum, quæ sensuum delectationes pariunt, uti gustus, odoratus et tactus.* Hoc sensu est specialis virtus, quia habet specialem materiam, nempe quatenus refrænat appetitum ab iis, quæ maxime alliciunt. Si autem temperantia sumatur pro quacunque temperie, tunc ipsa erit virtus generalis. Dives, qui in bonos ducit dies suos, quotidie splendide epulando, mollia induendo, deliciis omnibus se recreando, peccat contra temperantiam, et se exponit malis concupiscentiis et intemperantiæ fit reus, quæ est exprobrabile vitium, cum maxime repugnet hominis excellentiæ illum comparando jumentis [1].

R. Ad 2: Partes integrales temperantiæ sunt [2]: 1) *verecundia* seu timor turpitudinis, qui quidem custos est modestiæ; 2) *honestas*, seu amor decoris.

Partes subjectivæ sunt: 1) *abstinentia* quæ consistit in cibo moderando; 2) *sobrietas* sita in moderando potu [3]; 3) *castitas*, quæ ipsam delectationem veneream temperat; 4) *pudicitia*, quæ ab omni aspectu et tactu inhonesto abhorrere nos docet: sive potius versatur circa exteriora signa ad venerem incitantia, quæ cohibet.

Partes potentiales sunt: 1) *clementia*, virtus, quæ ex animi lenitate pœnas moderatur, prout justitia patitur; 2) *mansuetudo*, quæ iram temperat secundum rectam rationem; 3) *continentia*, virtus illa generalis, qua resistimus quibuscunque pravis motibus in quacumque vitiosa materia. Item *modestia, humilitas, studiositas, eutrapelia, ornatus* et *simplicitas:* quæ virtutes haud sunt contemnendæ, licet parvæ videantur; ipsæ enim nos comitantur ubique, ac per eas ad majora devenimus, nam in omni re a minimo incipiendum est [4].

§ UNICUS — *De modestia, humilitate, studiositate, eutrapelia, ornatu, simplicitate, et castitate conjugali, viduali et virginali.*

800. Q. 1. *Quid est modestia et ubinam collocanda?*

R. Ad 1: Modestia est *virtus, quæ exteriores hominis actiones et corporis ornatum ita moderatur, ut nullius offendat aspectum.* Verum mo-

1 *V.* s. Thomas, 2, 2, q. 141, a. 2.

2 Partes cujuslibet cardinalis virtutis sunt triplicis generis. Aliæ *integrales;* sunt quædam conditiones requisitæ ad actum ipsum virtutis bene et integre exercendum. Aliæ *subjectivæ;* sunt species diversæ virtutis, quæ variæ sunt pro varietate objecti, quod respicit virtus illa. Aliæ *potentiales;* sunt virtutes secundariæ, quæ modum, quem principalis virtus observat circa principalem aliquam materiam, eundem observant in quibusdam aliis minus principalibus, atque minus difficilibus.

3 *V.* Lessius, *De valetudine tuenda.* — Castelvetere, *Direttorio,* p. 4ª, c. XXIII. — Debreyne, *Essai sur la Théologie Morale considérée dans ses rapports avec la physiologie et la médicine.* — Martini, *Elementa medicinæ forensis.*

Hic innuenda celebris *Societas temperantiæ* quæ 1838 opera patris Mathew instituta est in Hibernia. Miri sunt illius effectus ad homines continendos. — *V.* Bergier, *Dizionario;* V. *Temperanza;* — L'*Amico Cattolico,* passim; Milano; — Margotti, *Roma e Londra,* cap. XXV.

4 *V.* Pinamonti, *Il Direttore* ecc. — Tassoni, *La Religione dimostrata,* t. III. — Roberti, *Trattatello sulle virtù piccole;* — Pertusati, *Sulle piccole differenze.*

destiæ fundamentum in humilitate situm est, sive in illo animi sensu, quem sic expressit Apostolus: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* [1]? Hinc a quibusdam definitur etiam: *humilitas ad praxim reducta* seu *humilitas practica*. Habet modestia insigne quoddam ac mirificum decus præsertim in adolescentibus, quibus et præclaram penes superiores existimationem et stabilem penes condiscipulos auctoritatem, et incredibilem amorem in omni cœtu conciliat. Ratio est, quia in bene composito corporis et motuum externorum habitu cernitur ordinate compositus animus. Quare Apostolus hanc virtutem alte commendans inquiebat: *modestia vestra nota sit omnibus hominibus* [2].

R. Ad 2: In quatuor præsertim modestia est collocanda: 1) in *oculis*, juxta illud d. Gregorii M.: *Deprimendi sunt oculi quasi raptores ad culpam* [3]. 2) In *verbis*, quod sic exponit Ambrosius: *Ne modum prætergrediaris loquendi; ne quid indecorum sermo resonet tuus; specula enim mentis plerumque in verbis refulget: ipsum vocis sonum librat modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior* [4]. 3) In *risu*, quod monet s. Basilius inquiens: *Illud etiam non mediocriter cavendum est ab iis, qui colendæ pietati student, ne in risum præter modum effusi sint* [5]. 4) In *incessu*, quod sic idem Basilius explicat: *Incessus est nec segnis, ne animum dissolutum declaret, nec rursus vehemens, insolenterque incitatus, ne consternatos impetus animi significet.* Modestia ecclesiasticis est maxime necessaria, quos Apostolus vult *ornatos et modestos* [6]. Nil ergo mirum, si d. Ambrosius duos repulit clericos, qui externum præseferebant petulans et inordinatum nimis; judicium probavit eventus [7].

801. Q. 2. *Quid de humilitate dicendum est?*

R. Humilitas est *virtus firmans voluntatem, ne inordinate extollatur*, seu ne succumbat amori inordinato propriæ excellentiæ. Hæc ab amore veritatis procedit; qui enim ad se animum convertit, illico intelligit se merum nihilum, et omnia a Deo gratis accepisse.

Tres sunt humilitatis gradus: 1) est subdere se majori et non se præferre æquali, qui est sufficiens; 2) se subdere æquali et non præferre inferiori qui est abundans; 3) subesse minori, in quo est perfectio [8]. Ubi notandum: absque præjudicio humilitatis possumus donis, quæ accepimus, præferre dona, quæ aliis collata apparent, si id manifestum est; cum dicente sancto Augustino, *in parte veritatis, non in parte falsitatis magis humilitas collocetur* [9]. — Potest quis nihilominus absque falsitate, non judicio absoluto, sed quasi suspensivo, ut dicit Estius, pronuntiare se omnibus viliorem; vel secundum defectus occultos quos in se recognoscit, et dona Dei quæ in aliis latent, aut quæ eis conferenda sunt; vel quatenus si aliis datæ fuissent gratiæ quæ datæ sunt nobis, melius Deo respondissent; vel hoc sensu, quod omnia peccata quæ ab aliis admissa videmus, debeamus reputare nobis a Deo remitti, qui custodivit nos ne ea committeremus; *nullum enim est peccatum, quod facit homo, quod non possit facere et alter homo, si*

[1] 1, Cor. IV.
[2] Phil. IV.
[3] In L. *Moral.*
[4] *De Officiis*, l. IV, c. 48.
[5] 1, Tim. III.
[6] L. I *de Offic.*, c. 18. — V. *Correspondance d'un ancien Directeur de Séminaire avec un jeune Prêtre*, etc. Lyon, 1843. — Sevoy, *Doveri* ecc. Istr. *Modestia.*
[7] *V.* Pinamonti, *Il Direttore*, c. XX. — Sales, *La Filotea*, c. III; — Stapf, §§ 258 et seqq.; — Viggitelli, *Meditazioni ed istruzioni per otto giorni di esercizi spirituali secondo la materia e le forme prescritte da sant' Ignazio.*
[8] *De nat. et grat.*, c. XXXIV.

desit rector a quo factus est homo, ait idem Augustinus [1]. Præterea cum humilitas consistat in affectu voluntatis, potius quam in judicio mentis, unusquisque potest se subjicere non solum Deo, sed omni humanæ creaturæ propter Deum, ex dispositione cordis.

Ad humilitatem fovendam hæc quatuor maxime inserviunt: 1) de se nihil, neque bene, neque male; 2) de aliis semper bene loqui; 3) libenter obedire; 4) tentationes contrarias illico confessario aperire: diabolus enim tenebrosus totus timet ad lucem trahi; 5) nos cum illis comparare, qui etsi forsan inter pericula, tamen nobis meliores sunt: *Nimis proni sumus* (ad rem Stapf, § 286), *ut cum illis nos conferamus, quos nobis pejores credimus, utque ex tali comparatione innata nobis superbia plurimum nutriatur. Ast quanto rubore suffundimur, si vitam nostram, ne dicam ad exemplum divini Redemptoris, ad conversationem tot Sanctorum exigimus! Qui nobis paullo ante gigantes videbamur, spectata eorum celsitudine, infra pygmæos subsidemus.*

802. Q. 3. *Quid de studiositate?*

R. Studiositas est *virtus quæ affectum seu studium discendi, et cognoscendi ad rectos rationis tramites moderatur ac temperat;* omnia enim secundum rectitudinem fieri debent. Pulcre d. Bernardus: *Sunt qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est; et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est... Et sunt qui scire volunt, ut scientiam vendant, verbi causa, pro pecunia, pro honoribus, et turpis quæstus est. Sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent, et charitas est; et item qui scire volunt, ut ædificentur, et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ; quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant* [2].

Duo sunt præcipua hujus virtutis munera: — 1) est cupiditatem sciendi quæ sæpe in generosis adolescentibus vehementior esse solet intra limites coercere, ne se aut immoderatius efferat, aut in vana et noxia effundat; — 2) est torporem ingenii excutere et animum ad necessaria vel utilia perdiscenda inflammare. Primo huic muneri adversatur nimia nec satis recta sciendi cupiditas, seu *inanis curiositas*. Alteri adversatur inertia laboris et pigritia, quæ a rerum pulcherrimarum studio mentem avocat, ac ingenium turpi otio non tantum languescere, sed etiam hebescere ferme cogit, et dicitur *negligentia*.

803. Q. 4. *Quid de nimia sciendi cupiditate et negligentia?*

R. Ad 1: Ad *nimiam sciendi cupiditatem* quod attinet, ea vitiosa evadere potest: — 1) ex quacunque animi pravitate eidem adjuncta, veluti ex pravo fine. Hoc iis contingit, qui e studio nihil aliud, quam propriæ superbiæ pabulum quærunt; — 2) cum quis ita liberalis cujuscumque artis vel scientiæ, vel lectionis peculiari suavitate deliniri se patiatur, ut ab iis studiis removeatur, quæ ejusdem statui, conditioni et officio sola conveniunt: uti v. g., esset adolescens ille, qui scholæ suæ libris posthabitis, totum se poneret in legendis comœdiis et fabulosis narrationibus scientiæ maxime exitiosis; — 3) cum quis ad eas res studium adhibet, quæ proprii ingenii vires superant, ex quo contingit, ut facile in perniciosos errores labatur, monente Ecclesiastico: *altiora te ne quæsieris* [3].

[1] Hom. x, inter L, cap. 9. — *V.* Balmes, *Lettere ad uno scettico in materia di Religione*, lett. XIII, ubi plura ad rem. — Martinet, *Filosofia del catechismo cattolico*, l. III, § 3. — Franco, *Risposte popolari;* Objez.: *L'umiltà è un'abjezione d'animo.*

[2] Serm. XXXVI, *in Cantica.*

[3] Cap. III. — Et presertim illa curiositatis species carpenda venit, qua quis facta aliena malesane observat, et quidquid acciderit, temere interpretatur; *tu quis es qui judicas alienum servum?* Rom. XIV. — *V.* Stapf, §§ 326 et 534.

R. Ad 2: Quod attinet *ad socordiam* et *negligentiam*, quæ discendi laborem refugit, adolescentes sciant: — 1) gravi se culpa inquinare, si a parentibus ad studia missi ætatem studiis aptissimam in ludis nugisque vel quod pejus, in morum depravatione terant; — 2) sine vitio esse non posse ipsam temporis jacturam; cum tempus, dicente Seneca, sit thesaurus, *cujus unius avaritia honesta est;* — 3) futurum esse ut se aliquando pœniteant, sed frustra et irreparabiliter [1].

804. Q. 5. *Quid de eutrapelia, ornatu et simplicitate?*

R. Ad 1: Eutrapelia est virtus omnium jucundissima, quippe *quæ tota in amœnitate versatur, temperans videlicet jocos et ludos secundum rectam rationem* [2]: animum enim cum aliqua jucunditate, et liberali joci festivitate relaxare debemus aliquando, ut ad majora vitæ officia promptior fiat atque paratior. Sed cum facile omnino sit in jocis et festivitatibus rectæ rationis violari præcepta, requiritur iccirco virtus aliqua, quæ modum iis valeat accomodare: hoc facit eutrapelia.

R. Ad 2: Ornatus atque simplicitas est *virtus, quæ externum corporis cultum ad decoris et honestatis regulas moderatur ac regit.* Videmus sæpe illud in humanæ vitæ consuetudine vitium, quo aliqui vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, aspectu fœdo, barbaræ potius et belluinæ naturæ formam præseferunt, quam mores civili societati idoneos. Alii ex adverso ita nitidi et compti conspiciuntur, ut dignitati naturæ obliti turpem animi mollitiem luxu fœmineo diffluentem insani amasiunculi expromant. Ornatus porro et simplicitas vitia hæc extinguit, et medium inter utrumque sapienter docet.

Quia tamen hac in re facilius per excessum, quam per defectum in adolescentibus præsertim peccatur, tria iccirco iisdem præcepta tradit s. Thomas: — 1) ne cultum nitidiorem affectent, quam ferat status et dignitatis conditio; — 2) ne exquisitas et effœminatas in cultu delicias sectentur; — 3) ne temporis nimium ac diligentiæ in id conferant, quod ad corporis cultum pertinet: *Vorrei che le persone divote fossero le più pulite e le meno ambiziose*, ait Salesius [3].

805. Q. 6. *Quid castitas et quotuplex?*

R. Castitas, quæ veneream delectationem temperat, triplex est: *conjugalis, vidualis* et *virginalis* [4]. Prima abstinet a voluptatibus carnis illicitis, et utitur moderate licitis in matrimonio. Hæc est de præcepto a conjugibus servanda: *Omnis autem fornicator aut immundus... non habet hæreditatem in Regno Christi et Dei*, ait Apostolus [5]. Secunda post solutum matrimonium abstinet in posterum ab omni etiam licita voluptate: est de consilio ex eodem Apostolo [6]; nam adhuc liberum est novum inire matrimonium. Tertia ab omnibus tam licitis quam illicitis venereis delectationibus perpetuo abstinet, carnisque integritatem semper servat. Qui peccarunt mente contra castitatem, virginitatem per pœnitentiam recuperant; non tamen qui carnis integritatem culpabiliter (v. g. per fornicationem, vel pollutionem volun-

[1] Mirum in modum ad inflammandos adolescentum animos in scientiarum studia loquitur s. Pagina (Eccl. VI): *fili a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam: quasi is qui arat et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius.* Quam sententiam expendens d. Hieronymus sic Nepotianum suum hortabatur: *senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, et in lege Domini meditati sunt, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior et veterum studiorum dulcissimos fructus metit.*

[2] A græco *eu* bene, et *trepô* se vertere, ex facili nempe et eleganti sermonis copia et flexibilitate. Vide Stapf, § 313. — Regulæ servandæ vide *de ludo.*

[3] *Filotea*, p. 3ª, c. 25, 28 ecc. — *V.* Castelvetere, *Direttorio* ecc., c. IV, p. 11.

[4] Plura *de castitate* Stapf, §§ 299 et seqq. [5] Eph. V.

[6] II, Cor. VII. — *V.* Sales, *Filotea*, c. XL: *Avvisi per le vedove.*

tariam) amiserunt, quæ de facto non amplius recuperatur, etiam remisso peccato, nempe quoad laureolam virginibus in cœlo præparatam [1].

806. Q. 7. *Quomodo definitur virginitas, et an bona sit?*

R. Ad 1: Virginitas recte definitur: *firma voluntas perpetuo abstinendi ab omnibus venereis voluptatibus.* Dicitur *firma voluntas*, ut indicemus nos hic non definire virginitatem materialem, quæ consistit in quadam carnis integritate; sed moralem, quæ in animo sita est et in ejus proposito. Ex quo patet differentia virginitatis a castitate; nam ista esse potest etiam in conjugatis et pœnitentibus; non autem illa. Et ideo propositum servandæ integritatis usque ad tempus nuptiarum non est virtus virginitatis, sed castitatis.

R. Ad 2: Virginitatem esse rem valde bonam in se, licitam et laudabilem, tenent omnes catholici adversus Lutherum. Et merito: nam nihil sub consilio cadere potest in Scripturis, quod non sit in se bonum, licitum et laudabile; atque virginitas in Scripturis sub consilio cadit: *De virginibus præceptum Domini non habeo*, inquit Apostolus [2]; *consilium autem do;* et postea: *Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem:* Iterum: *Dico non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant.* Idipsum probatur exemplo Christi, B. M. Virginis multorumque Sanctorum, qui virginitatem secuti sunt. Vel ipsas barbaras gentes consentientes habemus; virginitas enim semper in honore habita fuit apud Indos, Peruvianos, Mexicanos, etc. [3].

Hinc Nazianzenus sic extollit eam:

Salve, virginitas, divino tradita dono,
Mater inoffensæ vitæ, bona maxima fundens,
Christi pars, et spiritibus sociata supernis!

807. Q. 8. *An virginitas melior sit quam matrimonium?*

R. Elvidius ac Jovinianus contra quos scripsit s. Hieronymus, docebant statum virginitatis nullimode meliorem statu matrimonii: Protestantes moderni huic doctrinæ subscripserunt. At facillime refutantur vix consulendo Paulum, qui controversiam expresse sic definivit: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit...; beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam* [4]. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu quam jungi matrimonio, anathema sit* [5]. Qui error confoditur etiam a Pio IX Literis Apostolicis *Multiplices*, 10 junii 1851. Ratio suffragatur: matrimonium ex se convenit homini secundum par-

[1] S. Thomas, 2, 2, q. 132. Atque hinc sequitur, quod quæ virgo manet, citra miraculum possit esse mater; si nimirum omnino invita constuprata concipiat et pariat. Aliter esset, si virginitas sumatur non pro speciali virtute morali, ut hic; sed simpliciter pro integritate carnis seu membrorum generationi inserventium. *Tournely.*

[2] 1, Cor. VII. — *V.* Balmes, *Il Protestantismo paragonato al Cattolicismo*, c. XXVI.

[3] *V.* Scotti, *Teoremi*, p. 2ª, t. VIII, § 3. — *L'Amico Cattolico*, vol. XI. — S. Joannes Chrysostomus, *De virginitate.* — D. Ambrosius, l. III *De virginitate.*

[4] 1, Cor. VII. — *V.* Bouvier, *Instit. Theol.*, hic.

[5] Sess. XXIV, c. 10. — *V.* Liguori, *Selva di materie predicabili.* Discorso *alle zitelle.* — *La forza di un libretto.* — *Del celibato: Dei diversi stati che le donzelle possono abbracciare, e principalmente del celibato, del motivo di applicarvisi e del modo di viervi santamente anche in mezzo alla società.* — Candela, *Del bene della santa verginità*, discorsi XIV. — Lupello, *Tractatus de castitate.* Paris. 1859. — Frassinetti, *Manuale pratico del Parroco novello*, n. 413. — It. vide Lib. III, dicenda *de cœlibatu.*

tem inferiorem, quo similis est brutis; virginitas autem convenit ei secundum partem superiorem, qua similis est Angelis. Illud, ut ita dicam, in terris conversatur, et de terra pascitur; ista in cœlis habet sedem, et tota quæ sursum sunt, sapit. Unde pulcre d. Bernardus: *nuptiæ terram replent, virginitas paradisum;* et in paradiso virgines sunt qui propius sequuntur Agnum quocumque tieri, candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphîro pulcriores.

Hæc tamen accipienda sunt *de ipso statu virginitatis pro Deo electo:* 1) *de ipso statu virginitatis*, quo sensu statui matrimonii præstat; nam licet matrimonium in actu gratiam producat, si tamen consideretur in suo statu permanente, certe virginitate est inferius; — 2) *pro Deo electo;* certum est enim statum hunc non præcellere, si eligatur malo fine; quia tunc non esset bonum virtutis.

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM SEPTIMUM.

(A) Pag. 435.

808. Possessor bonæ fidei, si rem donavit aut vendidit: qui rem alienam donando rebus suis pepercit, id est si quid aliud certe dedisset, casu quo rem illam non habuisset, utique debet restituere id, in quo suis pepercit. Secus ad nihil tenetur ratione justitiæ: attamen ratione charitatis, si commode id præstare poterit, tenetur monere donatarium, ut rem domino suo reddat; vel dominum, ut ita rem suam recuperare valeat. Quoad eum autem, qui rem alienam bona fide vendidit, hæc habet civilis Codex: *Chi ha venduta la cosa ricevuta in buona fede, non è tenuto che a restituire il prezzo ricavato dalla vendita, od a cedere l'azione per conseguirlo*, si nempe illud nondum solutum sit (*art.* 1149; — *C. A.* 923; — *C. G.* 1389; — *C. S.* 1334; — C. *P.* 2083; — *C. M.* 1391; — *C. T.* 720).

Quid (dices) *si ille qui bona fide vendidit rem alienam, contractum rescindendo, non possit amplius recuperare pretium, quo et ipse rem illam emit? v. g., pretio emisti ab ignoto homine equum alienum, quem postea tertio vendidisti; si huic tertio restituatur pretium et domino equus, tu amittis tuam pecuniam, quam ignoto solvisti.*

R. Distinguendum: si proprietarius suum equum evincat a tertio, tertius iste tenetur equum domino tradere, quia ad ipsum clamat, et tu illi teneris solutum pretium reddere; quia vendidisti rem vitiosam: per accidens autem est, quod non possis recuperare pecuniam tuam. Si vero proprietarius rem suam non evincat, alii cum Lyonnet asserunt venditorem adhuc restituere debere pretium ex venditione rei alienæ perceptum, modo pretium illud bona fide non consumpserit; nam tunc non reddendo, ex bonis alterius compensaret damnum sibi per furem illatum; ideo ditesceret de re aliena non restituens. Attamen alii cum Salmanticensibus tuentur, quod si res a domino non postuletur, nulli tenetur venditor restitutionem facere: neque

etiam tenetur monere dominum, ut dicit Lessius, aut indicare emptori, quod res sit aliena, si post venditionem bona fide peractam id venditor resciscat, et non possit amplius pretium, quo ipse rem emit, recuperare; quia cum rem alienam amplius non habeat, nec sit causa cur dominus re sua privetur, non tenetur cum magno suo damno curare, ut dominus illam redipiscatur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 569, 570, 600, 601 et 800. — Carrière, *De Justitia et Jure*, nn. 1041 et seqq.

809. Possessor malæ fidei quoad augmentum rei : ante omnia : 1) fingatur casus de augmento intrinseco. Titius furatur pullum equinum valentem quinquaginta libellis; apud furem fit equus habilis ad rhedam valens libellis centum; postea labore fractus et senio, macrescit vel interiit; 2) casus fingatur ex augmento extrinseco. Titius furatur dolium vini valens libellis decem; acta ex inopinata frequentia emptorum et vini caritate, idem dolium acquirit valorem libellarum viginti: tum cessantibus his circumstantiis, iterum redit ad valorem decem libellarum, et in hoc statu vinum consumitur. In hisce casibus quæritur, utrum supputatio valoris equi et dolii vini repeti debeat a tempore, quo dominus illis rebus fuit inique privatus, an vero a tempore majoris incrementi, scilicet a tempore, quo equus valebat libellis centum, et vini dolium viginti libellis?

Sunt, qui ita distinguunt: si dominus fuisset rem conservaturus usque ad tempus majoris incrementi, seu usque ad statum rei optimum, fur tenetur compensare dominum juxta pretum majus, quod illa res habuit, saltem ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Si vero dominus fuisset certo venditurus, vel consumpturus rem in statu ejus minore, juxta hunc statum sentiunt esse faciendam damni illati supputationem et tanquam fructum meræ industriæ habendum esse incrementum, quod apud furem accepit, nec non iterum postea amisit. (Molina, Vasquius, Layman, Lessius.)

Verum alii probabilius censent (nulla facta exceptione sive fuerit sive non fuerit dominus conservaturus rem suam usque ad majus pretii incrementum) justam æstimationem rei restituendæ esse desumendam a statu meliori, quam res habuit intra tempus injustæ detentionis, quia res quælibet crescit, augetur in bonum solius domini sui; dum e contrario in damnum solius malæ fidei possessoris res perit et deterior efficitur. Dominus autem retinet semper rei suæ dominium, quo nequit expoliari iniqui detentoris injuria, et ea etiam temporis periodo, qua res existebat in statu meliori, et plurimi æstimabatur, clamabat ad dominum, urgebatque injustum detentorem ad restituendum. Enimvero fingamus, quod in allatis hypothesibus injustus detentor vendiderit tum equum, tum vini dolium in meliori eorum statu: percepisset sane ex equo centum libellas, ex vini dolio libellas viginti, cujus porro erit hoc pretium? an injusti detentoris? nequaquam, quia fur non debet ullo tempore ditescere ex re aliena. Ergo erit domini, deductis tamen, quæ sunt deducenda, nempe expensis necessariis factis a fure. *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 621.

810. Q. 1. *An fur teneatur in conscientia rem alienam restituere, etiam quando rem ipsam consumpsit eodem loco et intra idem tempus, quo jam præviderit rem apud dominum æque perituram : esset si sumas vinum alienum jamjam incendio periturum ac dissipandum, illudque statim cum amicis bibas?*

R. Lugo, Layman, Lessius, Tamburini, Molina et Vasquez contra alios merito probabiliter putant non teneri ad restitutionem; quia revera nullum damnum pretio æstimabile domino illatum est, cum res

in statu certi imminentis interitus nullius pretii sit. Quis enim rem jamjam certo perituram communi incendio, naufragio, aliisque similibus, nullique usui sibi futuram emere pretio vellet? Adde: dominum tunc non posse censeri invitum, sed tacite consentire in consumptionem rei suæ; quis enim non vellet a te concive panem vel vinum, v. g., consumi potius, quam absumi ab imminenti domus incendio, a cujus interitu servari nequit? Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 620.

511. Q. 2. *An possit emptor malæ fidei, ut emptor bonæ fidei, rem iterum tradere furi, ut pretium recuperet, et se servet indemnem?*

R. Communius docent illum non posse rem furi reddere; nam mala fide emendo, idem esset ac si de novo eam furaretur, sicque in se transtulit furis obligationem. Imo qui id ageret, gravem pœnam ex *Codice pœnali* non effugeret *(art.* 640 et seqq., ubi plura quoad res quæ emuntur a suspectis personis).

Sed Lugo appellat, hoc non obstante, forte probabiliorem sententiam, quæ docet etiam in hoc casu posse emptorem rem furi restituere, ut proprium pretium recuperare valeat; licet enim iste peccaverit rem illam mala fide sibi comparando, tamen post emptionem habet jus, non secus ac emptor bonæ fidei, contractum suum rescindendi. Neque dicas, actionem emptoris in hoc casu fuisse domino injuriosam; nam ad restitutionis obligationem requiritur, ut actio non solum sit injuriosa, sed etiam ut realiter influat in damnum alterius, quod in casu nostro non evenit; cum jam ab alio fuerit consumatum, neque de uno in alium furem, re transeunte, melioris conditionis evaserit. *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 570.

(B) Pag. 439.

512. Casus: *Didacus vas cristallinum valde pretiosum sub nocte reponit in angulo domus, qua nemo erat proxime transiturus, intendens illud summo mane in tuto loco collocare. Sed Basilius hac eadem nocte domum sine lumine ingreditur, in vas offendit illudque frangit. Quid?*

R. Neque *Didacus*, neque *Basilius* ad restitutionem tenetur, quia ex utriusque parte exulat culpa theologica; neuter enim cogitavit de damno, vel ejus periculo. Imo nec tenetur alteruter, si periculum aliquod valde remotum prævidisset, quia in moralibus non attenditur ad meram possibilitatem. *Vogler*, *Gury*, etc. — *V.* Ferraris; V. *Damnificatio.* — Liguori, *Homo Apost.*, tract. x, n. 40; et *Opus Mor.*, l. III, nn. 550 et seqq.

Casus: *Quirinus pannum furari intendens officinam de nocte ingreditur, lumen accendit, adhibita diligentia ad omne periculum incendii vitandum: sed inopinato casu, candela in paleas dejicitur, et brevi tota officina incenditur, vixque arrepta fuga, incolumis fur evadit. Quid de Quirino dicendum?*

R. Ad nihil teneretur, quia minime periculum prævidit. Imo, nec tenetur de panno quem furari voluit, etiamsi hunc apprehendisset; quia etiam illud damnum est involuntarium: nec apprehensio panni est causa damni, nec gestatio candelæ proximum periculum incendii, adhibita sufficienti cautela, creabat. Si tamen pannum non tantum apprehendisset fur, sed furtum consumasset illum e potestate et custodia domini subducendo, quando casu, v. g., candela accensa, comburitur, de illo teneretur, sicut dicitur de qualibet re furtiva, quæ

casu fortuito apud furem perit. Ita *Lugo*, *Vogler*, *La Croix*, *Reuter*, *Gury* aliique.

813. Q. 1. *Quid si culpa theologica non fuerit nisi venialis ex imperfectione deliberationis et advertentiæ, sed grave damnum illatum?*

R. Hac de re plures sunt sententiæ. Alii cum Henrico a S. Ignatio docent, auctorem damni ad totum teneri sub mortali: hoc tamen non est admittendum; quia gravis obligatio ex culpa levi per se oriri non potest. Alii obligant ad totum sub levi: sed adhuc negatur; quia aliqua debet esse proportio inter vim obligationis et illius objectum. Alii cum Laymano obligant ad partem sub mortali: quod iterum non admittitur defectu proportionis. Alii vero cum Bouvier tenent adesse obligationem restituendi partem sub culpa veniali; sic enim pro modo culpæ est obligatio damnum reparandi.

At communiter et probabilius Filliucius, Gury, Lessius, Roncaglia, Salas, Sanchez, Viva et alii multi cum sapientissimo De-Lugo, qui in materia justitiæ inter Theologos est facile princeps, docent, nullam esse restitutionis obligationem neque sub gravi neque sub levi; tum quia culpa venialis ex imperfectione deliberationis non est simpliciter delictum et injuria, ideoque non potest parere grave restitutionis onus; tum quia leves hujusmodi inadvertentiæ facillime cuique occurrunt: ergo accensendæ sunt casui fortuito quoad restituendi obligationem, nisi velimus latissimam, angustiis viam patefacere. Ergo neque sub gravi, neque sub levi esse potest in hoc casu obligatio restitutionis: non sub gravi, quia obligatio *gravis* non habet proportionem cum culpa levi; non sub levi, quia obligatio *levis* non habet proportionem cum materia gravi, in qua culpa venialis commissa est. Hinc qui subita ira correptus aliquem interimit, ita ut fuerit solum motus secundo primus, non tenetur ad ullam restitutionem.

Dices: *saltem tenetur ad aliquid leve ratione culpæ; sicut qui leve furatur, de levi tenetur.*

Sed contra: quando furtum rei parvæ est cum plena advertentia, non est mirum, si pariat obligationem levem in suo genere. At in nostro casu non datur advertentia plena ad illud grave damnum: et per consequens non parit obligationem in illo genere mali; cum ad damnum grave requiratur injuria gravis. Sicut etiam qui vovet rem parvam, tenetur sub veniali illam implere; qui vero rem magnam, sed sine plena advertentia vovet, ad nihil tenetur. *De-Lugo.*

814. Q. 2. *Quid dices de illo, qui projicit in mare gemmam alienam æstimatam* 10, *si valeat* 100?

R. Alii obligant ad restituendum 100, quia damnificans cum culpa gravi tenetur ad omne damnum factum, licet ignoratum. Alii tamen communius ac probabilius dicunt teneri tantum ad 10; quia obligatio restitutionis correspondet culpæ, et culpa injuriæ quæ intenditur: hic autem non intenditur injuria, nisi uti 10. Verum quidem est teneri ad totum damnum, cum saltem apprehenditur in confuso (ut ceteroquin regulariter apprehenditur); sed neutiquam, cum omnino invicibiliter ignoratur; nam voluntas non fertur in incognitum. *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 613.

815. Q. 3. *Quid si in læsione adsit culpa theologica gravis, non tamen in ordine ad damnum illatum: ut si quis lædat amicum illum credens invincibiliter esse inimicum suum?*

R. Certum est ipsum graviter peccare ob malum, quem gerit, affectum: et merito in foro externo sic lædens non auditur, quia ex opere externo animus ipse præsumitur. Verum ad restitutionem quod attinet, utrum ad illam in foro conscientiæ teneatur, recte censet Sanchez,

ipsum teneri, si amicum læserit ab eo aliquid furando, licet postea ablatum consumpserit: nam in furto non attenditur solum, cui volueris facere injuriam; sed an etiam vere volueris rem accipere, invito domino: ideoque a quocumque abstuleris, tu semper teneris ad restitutionem, nisi tibi fiat remissio a domino rei. Si vero agatur de simplici damnificatione, ubi unice attenditur persona, cui damnum fieri vult, non res, cum nihil in simplici damnificatione recipiat damnificator, utrum iste sit obligandus ad restitutionem, disputant. Esset, si quis noctu quærens inimicum suum ad necandum, et putans eum esse, occideret; ex errore tamen invincibili occidit amicum.

Non pauci cum Filliucio, Lugo, Sporer, Tamburini, Alphonso nostro et aliis doctis junioribus negant, ipsum teneri ad restitutionem; nam ille voluit quidem hominem occidere, sed nonnisi hominem *talem:* unde exercita actio est tantum materialiter mala: ad inducendam enim obligationem resarciendi damnum, requiritur, ut et damnum et mala actio sit circa idem. Sane si ille absolute intendit lædere solum inimicum et amicum voluntarie excludit, de facto neminem culpabiliter lædit: non *inimicum;* quia iste non læditur; non *amicum*, quia illius respectu talis actio est omnino involuntaria, cum illi potius benefacere velit: est sane valde urgens ratio. Ipse tamen adhuc incurreret excommunicationem si tam occisus, quam occidendus esset clericus, ut tenet sententia absolute probabilior atque communissima cum Viva, Bonacina, Sanchez, etc.: quia excommunicatio incurritur non ob personæ, sed ob status læsionem, qui status in eo casu jam voluntarie læditur, licet in persona erretur: et tunc multo magis incurritur ipsa irregularitas.

Alii cum Alasia, Antoine, Bonacina, etc., acriter tuentur contrarium: quia omnis actio contra justitiam advertenter posita parit onus restitutionis; atqui talis est actio, de qua agitur. Neque error in persona tollit rationem injuriæ; quæstio enim non est de nomine, sed de re: hic sane voluit hominem occidere, et hominem occidit, vel saltem humanitatem læsit. Adde: in materia justitiæ sicut in materia contractuum, non attenditur quid agens facere voluisset; sed quid reipsa facere voluit: atque reipsa in casu proposito personæ præsenti nocere voluit. — Quisque poterit abundare in sensu suo, neutram vero spernere sententiam; cum utraque et ratione et auctoritate præstet. *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 628 et 629. — Passerini, *De occidente unum pro alio.*

Sed quid pro praxi (quærit Frassinetti, qui tamen secundam sententiam mordicus tenet), deberetne confessarius absolutionem denegare pœnitenti, qui in hoc casu (satis raro) vellet sequi sententiam Liguori et Lugonis? hæc extrinsece est notabiliter probabilis ob tantorum virorum auctoritatem, etsi nobis probabilitatem intrinsece non præseferat; confessarius autem non potest esse judex opinionum inter Theologos, ut obliget suos pœnitentes. Ideo ipse deberet illum absolvere qui tuto credit se posse in praxim deducere illam Ligorii doctrinam: potuit salvus fieri Lugo, certe salutem consecutus est s. Alphonsus eam docendo; ergo et quilibet eam in praxim deducendo *(Compendio*, nota 66).

(C) Pag. 445.

816. Tributorum divisio: multa semper fuerunt tributorum genera; tributum aliud *reale*, quod imponitur immobilibus eorumque fructibus; aliud *personale* quod imponitur tantum ratione personæ, et dicitur

etiam *capitatio* vel *census;* aliud *mixtum* si pro mobilibus et personis sit solvendum. Aliud *ordinarium* quotannis præstandum; *extraordinarium*, quod imponitur ingruente extraordinaria necessitate, ut tempore belli. Aliud est *pedagium*, *guidagium*, *portorium* quod solvitur pro viarum et locorum conservatione a transeuntibus, sed maxime distingui solent tributa in *directa* et in *indirecta*.

Ad tributa *directa* revocantur quæ solvuntur ratione propriæ professionis, mercaturæ, artis, industriæ, divitiæ mobilis; item quod solvitur pro molitura; vel extraordinarie ratione belli; quod tribuendum est pro fenestris ac portis domus, juxta earum numerum; pro familia ejusque membris, ac foco *(fuocatico)*. Ad indirecta vero pertinent quod tribui debet pro jure successionis, pro usu chartæ obsignatæ *(carta bollata)*, pro descriptione contractuum, pro insinuatione; pro domesticis; item pro animalibus, curribus, equis, vel titulis honorificis, pro vestimentis familiaribus *(livree);* pro annonarum consumatione; ob manusmortuas, pro quota concursus et similibus; item pro novis inventis, thesauro vel fodinis; pro signando auro et argento; ob lites, sortes, pensiones, et census in gubernio fundatos; item pedagium, etc.

817. Tributorum moderamen: docet Lugo non posse principem ut regnum sibi conservet propter expensas belli tam subditos gravare, ut eos in magnam paupertatem conjiciat; non enim regnum est propter reges, sed viceversa; nisi bene excipit, alter princeps qui regnum invadit, sit infidelis vel hæreticus, ita ut sub ejus regimine gravissima timenda sint damna subditis maxime quoad Religionem imminere. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 615.

Quid in dubio de injustitia alicujus tributi?

R. Si nulla adsit præsumpio de injustitia, videtur tributum solvendum in conscientia; possidet enim jus legitimum principis. Si vero adsit gravis suspicio, vel ratio de ejus injustitia aut cessatione causæ, alii cum Cabassutio dicunt adhuc totum solvendum, quia lex tributi utpote a legitima potestate semper præsumi debet justa. Alii volunt cum Billuart illud solvendum pro rata dubii; quia debitum dubium non est neque certum, neque nullum, sed quid medium. Verum alii communissime cum Cajetano, Laymano, Lessio, Lugo, etc., tuentur nihil tribuendum; cum enim non omnia tributa in tanta eorum multitudine, necessarias conditiones præseferant, et cum jam plura solvantur, ideo in dubio de alicujus tributi injustitia, contra illud potius argumentandum. Adde: tot tributorum solutio est res omnino difficilis; at juxta omnes in dubio subditus non tenetur ad obediendum, quando præceptum est nimis difficile, vel grave damnum affert. Quidquid sit, concludimus cum doctissimo Sylvio, cui consentit Billuart: si quis fraudet de illis quantum bona fide existimat se plus æquo gravari, neque peccat neque tenetur restituere.

An autem peccent exigentes publica tributa in dubio, an sint justa, alii affirmant cum Molina, nisi ipsi sint subditi et a principe compulsi. Sed alii generatim negant cum Lugo, si exigant judicando regem esse prudentem; et sentit Lugo non peccare exactorem, si ei de injustitia non constet certo; potest enim præsumere pro justitia, præsertim in tanta opinionum varietate. Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 617.

818. Pauperes et Ecclesiastici quoad tributa:

a) Qui docent in conscientia tributa solvenda esse, excipere ordinarie solent: 1) res, quas quis emit et defert de loco ad locum ad *usum suum personalem;* quod alii extendunt quoque ad res necessarias pro victu ac vestitu propriæ familiæ, modo tamen nulla fiat negotiatio: unde si non adsit lex particularis et expressa, nihil pro iis

rebus solvendum in conscientia; 2) *pauperes*, si secus se et suos alere non valerent: et videtur posse ipse minister alicui valde pauperi remittere tributa ex rationabili principis voluntate. Et revera ipsa civili lege taxa tributorum omnium de regis indulgentia solet minui, si communitati vel privato alicui grave damnum casu contingat, ut in incendio, in grandine, in alluvione evenire solet. Ceterum ex lege civili æqualiter omnes urgentur ad tributorum solutionem; neque fit distinctio inter pauperes et divites, inter ementes ad negotiandum vel ad usum personalem.

b) Ex Bulla *Cœnæ* (§ 18) excommunicatione ipso facto, et reservata plectuntur omnes quacunque dignitate fulgentes, qui directe vel indirecte imponunt collectas, decimas et alia onera clericis, Prælatis, aliisque ecclesiasticis, vel Ecclesiis, Monasteriis, Beneficiis, sine auctoritate Pontificis, et exigunt. Cui privilegio alicubi legitime per Concordata derogatum est; ast alibi ecclesiastici ad solvendum compelluntur.

819. Gabellarum fraudatores: quæstiones.

Q. 1. *An peccent et teneantur restituere qui ad negotiandum adsportant et vendunt merces prohibitas, ut est tabacum exterum; vel vendunt res, quas aliqui tantum ex privilegio vendere possunt, ut sal; vel vendunt quod ut aliqui soli vendere valeant, tributum ærario solvunt, ut est vinum quod minutim venditur a caupone?*

R. Qui tenent leges tributorum esse pure pœnales, nullum peccatum nullamque injuriam in hisce fraudatoribus agnoscunt. Non ita tamen alterius sententiæ patroni. Porro quod attinet ad merces *primi generis*, eas fraudantes per se loquendo liberant non quidem a peccato, cum legi sit obtemperandum: bene vero a restitutione; quia nec principis nec privati jus strictum violant. Excipe nisi expresse prohibeatur (quod non raro contingit), ut merces regni facilius vendantur. Quoad merces *secundi generis*, obligant fraudantes ad restituendum privilegiatis lucrum, quod probabiliter fecissent; cum jus legitime ipsis concessum violent. Tandem quoad *ultimas*, iterum fraudantes de culpa et restitutione teneri docent; sed cuinam tunc restituendum? alii dicunt principi, quia contra ipsum fraus admittitur: quod adhuc valere dicunt, etsi princeps gabellas locaverit; quia ob dictas fraudes prævisas, illas minoris locare adigitur. Sunt tamen recentiores pii ac docti, observat Bouvier, qui docent restitutionem potius fieri debere subditis fidelibus; quia princeps fraudes prævidens istos cogitur tributis gravare, ut sibi compensetur. At cum sit impossibile, ut singulis subditis restitutio fiat, ideo concludunt eam pauperibus faciendam.

Q. 2. *An emens merces a gabellarum fraudatore peccet, et teneatur in defectu fraudatoris ad tributi fraudati solutionem?*

R. Negative in eorum sententia, qui legem tributorum mere pœnalem docent. In aliorum vero sententia, distinguendum: aut iste emptor cooperatur positive ad tributi fraudationem: v. g., suadendo, juvando, merces secreto deportando, etc.; et tunc quia venditori positive cooperatur ad fraudem et damnum reipublicæ, sine dubio peccat contra justitiam, et venditore non restituente, ipse secundo loco ad restitutionem obligatur. Aut talis emptor positive non cooperatur ad fraudationem; sed simpliciter emit, etsi probe sciat venditorem non soluturum gabellas, etiamsi is merces occulte in domum tuam importet, et emendas ferat; et bene scias eum id facere animo non solvendi gabellas per se loquendo non peccas contra justitiam, neque ad restitutionem obligaris in defectu venditoris; quia tua emptione tantum negative, et materialiter cooperaris ad fraudem alterius. Nam quippe stante tua emptione venditori adhuc liberum est solvere gabellas;

neque tibi ex justitia incumbit venditorem cogere vel monere ad solvendum; aut non solventis fraudem aperire aut magistratui deferre. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 617.

820. Vectores mercis fraudatæ: de tributis fusius Lugo et Duardus: primus adstruit obligationem restituendi fraudata. Eam negat secundus; hujus tamen secundæ sententiæ patroni ultro concedunt ad vectores mercium quod spectat, eos officium periculis plenum exercere, ideoque pro viribus esse deterrendos: cum homines hujusmodi latronum potius, quam mercatorum more vivant, et lucri cupiditate incurrant periculum fortunarum ac familiæ. At pro praxi dicunt non esse damnandos ne vectores nec fraudatores: 1) si sint in bona fide; 2) si damnum segetibus non inferant excurrendo; 3) si præpositos pecunia non corrumpant, secus peccarent saltem peccato cooperationis; 4) si non sint parati resistere potestati vectigalia exigenti: si enim resisterent, peccarent et contra obedientiam, cum legitime potestati resistant, et etiam contra justitiam ratione violentiæ contra illos quibus vim inferunt, quibus proinde tenentur damna compensare, si quæ ideo illi passi sunt.

821. Casus: Gerbinus vendit Giberto prædium libellis 30 millibus, ut imminuant tributum gravissimum a gubernio impositum, conveniunt de pretio 20,000 tantum in actu publico inserendo. Notarius qui astutiam novit, illam potius suadet et laudat, ne dum impediat. Quid?

R. Alii dicunt cum Bouvier contrahentes peccare contra justitiam et de restitutione erga gubernium teneri; quia est semper fraus et mendacium celare verum pretium. Alii probabilius cum Gury, negant hanc adesse obligationem; quia lex non videtur aliud intendere nisi firmare contractum publicum; taxa vero est quid superadditum, non obligans in conscientia ante sententiam; quod firmatur in tanta tributorum redundantia. Notarius autem si id solum sciat, certo ad nihil tenetur, cum ipse non sit officialiter constitutus nisi ad actus publicos conficiendos; declaratio autem justi pretii ad actus valorem nihil confert. Imo in secunda sententia neque tenetur, etsi fraudem suadeat, quia licet homo publicus, non tamen est tributi præpositus; ergo non tenetur ex officio curare, ut fiat solutio exacte.

(D) Pag. 453.

822. Q. 1. *An mandans teneatur reparare damna, quæ mandatarius ipse mandato obtemperans passus est?*

R. Si mandatarius suscepit mandati executionem voluntarie (et maxime si ob mercedem promissam), mandans non tenetur reparare damna, quæ mandatarius mandato obtemperans passus est, quia tunc pericula omnia ipse in se suscepisse existimatur. Si vero illam coactus vi vel metu gravi suscepit, ut evenit in inferioribus et in subditis, non tenetur quidem mandans de damnis eventualibus (uti si servus qui mandatur, in via fulmine percussus vel equo delapsus intereat), cum hæc non potuerit esse in prævisione; tenetur tamen de aliis damnis communibus et ordinariis, quæ facile prævideri possunt. Casus esset si dominus famulo mandet, ut vites sui vicini recidat; at in facinore deprehensus servus ad mulctam et triremes damnetur; nam ille mandatarius ratione subditantiæ efficaciter cogi censetur a suo superiore ad exequendum mandatum. Notat item Roncaglia: in his casibus dominos non solum teneri reparare damna facta a mandatariis,

sed etiam quæ passi sunt ipsi mandatarii, et eorum familia. At cogitantne de his reparandis? Cogitent ergo confessarii sine absolutione dimittentes mandantem quousque satisfecerit.

823. Q. 2. *An mandans teneatur de damnis quæ mandatarius ex errore inculpabili alteri intulit: ut si quis mandatum a Titio acceperit occidendi Paulum, sed ex errore invincibili occidat Petrum?*

R. Sunt qui affirmant; quia mandans mandavit hominem occidere, et mandatarius revera hominem occidit. Verum alii negant probabilius cum Lyonnet, Vogler, etc.; nam respectu occisionis Petri non potest dici, quod Titius fuerit mandans, cum mors Petri accidat omnino per errorem mandatarii, non propter mandatum; mandatum enim hic occasio est, non autem causa. Neque tunc mandans irregularitatem incurrit, ut etiam declaravit S. Concilii Congregatio. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 628.

824. Q. 3. *Quid si quis jam sit certo determinatus ad damnum proximo inferendum, v. g., ad occisionem; et alter non ei suadeat, nisi vel medium, v. g., venenum, vel locum, v. g., solitudinem, vel tempus, v. g., hodie et non crastina die, quia est festiva?*

R. Duplex sententia. *Prima* cum Cajetano, Viva aliisque docet consulentem teneri ad restitutionem; quia suggerendo modum concurrit ad substantiam damni, præsertim si per suggestionem in causa sit, ut alter damnum citius inferat: illo enim temporis intervallo contingere fortasse poterat, ut voluntatem mutaret. *Secunda* sententia cum Laymano, Lessio, Lugo et Sporer negat, et hæc est nobis probabilior, quando modus est tantum accidentalis, ut sunt communiter circumstantiæ temporis, loci ac medii; et simul est omnino certum, quod alter non sit voluntatem mutaturus. Nam cum executor jam certo supponitur determinatus ad malum inferendum tali personæ ante consilium, consulens simpliciter modum, in rigore non potest dici causa efficax quoad substantiam damni; ideoque possessio stat potius pro determinatione pravæ voluntatis in executore. Huc referri potest quod Christus dixit Judæ proditori, *quod facis, fac citius* (Joann. XIII).

In *Codice* tamen *pœnali* isti uti complices puniuntur; nam in foro externo internus animus ex ipso externo opere recte præsumitur: secus via fraudibus facillime aperiretur *(art.* 102 et seqq.). — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 563.

825. Q. 4. *An consulens scienter malum alteri inferendum teneatur etiam de damnis, quæ passus est executor pravi consilii?*

R. Negative; quia consulens ipsi nullum intulit injuriam, cum scienti et volenti nulla fiat; et in hoc differt a mandante, quod mandans censeatur vim aliquam inferre executori, non vero consulens. Excipe si consulens adeo executorem circumvenerit fraudibus vel sophismatibus, ut hic ad consilii iniquitatem non ita adverterit. *Gury*

826. Monitum quoad ignaros consiliarios: « È da avvertire (ait Frassinetti, *nota* 63), che il confessore o avvocato poco esperto se non conosce la sua incapacità, come facilissimamente avviene, e perciò non avesse avvertenza al pericolo di dare un consiglio dannificativo, non sarebbe poi tenuto alla restituzione. Non bisogna dimenticare il principio stabilito, che se non v'ha peccato mortale non può esservi obbligo di restituzione. Generalmente i meno capaci credono di aver maggiore capacità; e d'altra parte bisogna compatire la loro debolezza di mente, non essendovi dubbio che sarà compatita anche da Dio. Sarebbe troppo rigoroso quel Teologo che volesse mandare all'inferno tutti i confessori, tutti gli avvocati, i medici, ecc. » Hactenus ille; at istorum bona fides cessat quando monentur, ut videntur

omnino monendi, si eorum consilia vergunt in damnum publicum, ratione officii quo funguntur.

(E) Pag. 458.

827. Ut quis teneatur in conscientia ad restitutionem ante sententiam de damno ab aliis illato, culpa theologica supponi debet: secus casus censendus est pure fortuitus. Unde Augustinus (Ep. XLVII): *Neque enim reus est christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jacendo, aliquem occidat; aut ideo non debent christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis?*

Casus: Titirus paterfamilias modo ex gravi negligentia seu videns et tacens, modo ex aliqua incuria, non impedivit damna vicinis a filiis, ab uxore, a famulis illata, quamvis ea impedire facile potuisset. Requirentibus autem damnorum reparationem frigide respondet: *se nemini nocuisse.* Quid?

R. Paterfamilias damna subditorum reparare debet ex justitia, si graviter culpabili silentio animum vel audaciam eis addiderit, quia tunc fit verus cooperator positivus. Non tenetur vero ante judicis sententiam, si a theologica culpa immunis, v. g., si ante factum ignoraverit hæc damna facienda esse. Imo probabilius etiam excusandus in foro interno, si nullimode in damnum influxit, v. g., si filii, si uxor, si famuli in damnificando putarunt eum esse inscium, licet silentio graviter peccaverint, illos a peccato non impediendo. Ratio, qualitas *patris*, *mariti*, *domini* per se non sufficit, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat. Idem dicendum de magistro erga discipulos, et de omni superiore non publice constituto ad damna inferiorum propulsanda. Unde patet responsio ad casum. *Gury.*

(F) Pag. 464.

828. Debita si ex delicto: an debita ex delicto, v. g. furto prius sint solvenda quam debita ex contractu, puta ex emptione, disputant. Affirmat auctor *Opusculi* LXXIII, c. 18, quod est inter opera d. Thomæ; quia est major injuria ea retinere, cum major fuerit injuria in Deum et proximum ea perpetrare. Sed alii communius et probabilius cum Alasia, Billuart, Lessio et Lugo docent ea nulla prælatione gaudere; quia obligatio quæ oritur ex commutativa justitia, eadem est et in contractu et in delicto; delictum autem pœnitentia deletur, non restitutione.

829. Si incerta solutio: si obligatio certa est, debitor tenetur adhuc solvere, in dubio solutionis; nam nequit satisfacere obligationi certæ per dubiam impletionem. At si debitor sit probus diligensque, in debitis solvendis, et agatur de re longi temporis, et aliæ sint circumstantiæ, adeo ut prudenter judicari possit ipsum solvisse, non esset inquietandus, etsi pro certo id affirmare nequeat; idque magis tenet de meticulosis qui jugiter dubitant. *Gury.*

830. Debita incerta: si debita hoc sensu incerta sint, quia dubitas utrum debeas, ad nihil teneris; nam in dubio melior est con-

ditio possidentis. Si vero certo debeas, sed dubites cui debeas, teneris restituere pauperibus juxta præsumptam domini voluntatem.

Verum quæstio est, utrum hæc debita sint postponenda illis, quorum domini cogniti sunt; vel an etiam ista sint solvenda pro æqua parte simul cum debitis certis, unam partem videlicet tribuendo pauperibus, aliam notis creditoribus. Est utique probabilis sententia Busembaum et Lessii: imo communis juxta Croix et Salmanticenses, quod prius restituenda sint debita omnia certa; quia omissa solutione debiti incerti, nemo determinate patitur injuriam, sicut quando omittitur restitutio debiti certi; neque enim pauperes jus strictum habent, ut ipsis pro dominis incertis debeat restitui; aut possunt in judicio vindicare tale jus, sicut valent creditores certi. Nihilominus est satis probabilis sententia contraria Molinæ, Bannes et Lugo (qui eam probabilissimam putant ac pluribus defendunt); neque enim hic agitur de foro externo, quod de incertis non curat, neque ad ea solvenda compellit; sed de foro conscientiæ. Utique restitutio in usus pios non est propter jus quod pauperes aut loca pia habent, sed propter jus ipsius veri creditoris quod habet in sua credita: at cum creditores incerti quicumque sint, æquales sint in jure suo cum creditoribus certis, et aliunde velint voluntate interpretativa hoc modo expendi quod ipsis debetur, non est cur debeant aliis creditoribus postponi. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 687; *Homo Apost.*, tract. x, n. 111.

831. Creditor, si pauper: an creditor pauper præferri possit creditori diviti, probabiliter affirmant Medina, Molina et Sa cum d. Thoma, creditorem pauperem esse præferendum diviti: quia obligatio restitutionis datur ad reparandum damnum proximi; plus autem patitur damnum pauper, si ei non fiat restitutio, quam non indigens. Attamen probabilius negant Lessius, Lugo, Vasquez aliique; quia nullo jure hæc prælatio pauperibus tribuitur; quando enim agitur de justitia commutativa, omnium jus æquale est, utpote in re fundatum. Excipiunt, si pauper versetur in gravi vel extrema necessitate: et sic revera tenendum est, casu quo creditor jam teneatur ex charitate cedere solutionem illam, utpote habens superflua statui, ut pauperi subveniatur.

(G) Pag. 472.

832. Causæ a restitutione excusantes: magni interest, ut confessarii illas perspectas habeant; sed recte monet s. Antoninus, non omnes esse palam prædicandas et indiscriminatim, ne paretur facilius via detentionibus, cum homines nimis sint inclinati ad inveniendos prætextus ne alienum restituant. Item magna discretione hac de re utatur confessarius in ipsa Confessione, ne liget solvendos, vel solvat ligandos.

833. Necessitas debitoris et creditoris:

1. Quoad necessitatem, seu impotentiam moralem *debitoris*, notamus, hanc necessitatem aliam esse *communem*, et est status personæ, quæ difficulter et nonnisi cum magno labore vivit, vivit tamen; aliam esse *gravem*, et est status personæ, quæ ita ægre vivit, ut incurrat periculum in gravem incidendi morbum aut jacturam, nisi auxilium eidem præbeatur; aliam esse *extremam*, et est status personæ, quæ adeo hic et nunc indiget, ut sine prompto subsidio periculum incurrat amittendæ vitæ.

Necessitas *communis* attendenda non est, alioquin de restitutione actum esset; cum ea sit ordinaria. Quod vero pertinet ad necessitatem *gravem* atque *extremam*, æquitas postulat quidem, ut earum habeatur ratio: sed cum hac generali advertentia, quod in pari causa melior esse debeat conditio proprietarii rei. Insuper notandum semper est a confessariis, quod non raro ista impotentia fingitur. « Voi dite ad un uomo plebeo che si accusa di aver rubato, che restituisca; risponde che non può. Non crediate subito: fate inquisizione su questa impotenza; chiedetegli quanto guadagna coll'arte sua ogni giorno, quanto spende pel necessario suo sostentamento e della sua famiglia; se giuoca, se va alla taverna, e osservate anche il contesto della sua Confessione che forse si darà a conoscere ch'egli consuma in peccati quel guadagno che sarebbe bastevole per pagare i debiti e soprabbonderebbe alla restituzione. Colla medesima proporzione si pigli ad esaminare il negoziante, il gentiluomo, il ministro pubblico, ecc. » Ita *Istruzione pe' novelli Confessori*, par. 1ª, n. 254.

2. « Oltre l'impotenza o la necessità in cui si trova il debitore, v'è un'altra causa che sospende l'obbligazione di restituire: essa deducesi da parte del *creditore;* ed è il timore ben fondato che il padrone della cosa non ne abusi a proprio o ad altrui detrimento; la certezza morale che non se ne servirà che per commettere qualche gran disordine o per nuocere notabilmente al prossimo: *Quando res restituenda*, dice s. Tomaso (2. 2, q. 62, a. 5), *apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est vel alteri, non ei debet tunc restitui, quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituetur: omnia enim quæ possidentur, sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille qui detinet rem alienam sibi appropriare, sed vel rem servare ut congruo tempore restituat, vel etiam aliis tradere tutius conservandum.* Per questo principio, non è permesso di restituire nel caso di cui si tratta, eccettochè non si possa differire la restituzione senza gravissimi inconvenienti. Perciò non si dee restituire una spada alla persona che vuol servirsene per trucidare il suo nemico. Ma si peccherebbe contro la giustizia, restituendola senz'esservi costretto? secondo la maggior parte de' Dottori si peccherebbe contro la giustizia; tale è pure il sentimento di s. Alfonso Liguori (l. III, n. 697): *ratio quia proximus habet jus ne tradas aliquid alteri in ejus perniciem.* Nulladimeno l'opinione contraria ci sembra sufficientemente probabile, sia perchè il detentore d'una spada che non gli appartiene, fa una cosa buona di sua natura, restituendola al padrone; sia perchè non è tenuto d'officio o per giustizia, d'impedire il delitto che questi vuol commettere, ecc. » *Gousset.*

Casus: *Hesperus habens Elisam filiam nubilem quam impotens est dotare, furtive surripuit ab Heraclito quinquaginta scuta, quibus potuit facile ipsam matrimonio copulare cum Genserico. Post aliquos annos a matrimonio, Gensericus cognoscit dotem sibi ab uxore delatam totam fuisse ablatam Heraclito per furta. Quid agendum?*

R. Vel sponsus adhuc servat dotem discernibilem ab aliis pecuniis, et tunc (si ea non sit bona fide præscripta) restituenda; nam quælibet res clamat ad dominum: et sponsus debet inter eos se recensere qui putando ducere divitem, duxerunt pauperem. Si vero est præscripta aut fuit ab eo in bona fide permixta cum suis bonis qualitate similibus et quantitate majoribus, ad nihil tenetur: quia ex jure communi dos censetur moraliter consumpta *(Glossa* in l. LXXVIII *ff. de solut.)*. Neque opponas: hunc teneri ad id in quo factus est ditior; cum enim dos ei data fuerit ad sustinenda onera matrimonii, nec

exinde pro se ullum lucrum perceperit, ex ea, in nihilo ditior factus est. *Sporer*, *Croix*. Sunt tamen qui volunt quod sistendo in æquitatis jure debeat a sponsis curari aliquid restituendum: certo de furto semper teneretur Hesperus pater, quandiu potens; ditavit enim filiam de alienis. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 612.

834. Q. 1. *An retentor bonæ fidei rei alienæ, si ea in extrema necessitate usus est, adhuc teneatur de illa?*

R. Tenetur: 1) si cessante necessitate, res aliena adhuc subsistat in sua specie; quia illa semper clamat ad dominum: hinc alienus equus, quo quis usus est ad declinandos fures, periculo superato, domino est restituendus; 2) si debitum sit personale, non reale; jus enim personale semper subsistit, persona subsistente. Hoc evenit quando dominium rei transfertur in accipientem, ut in mutuo: tunc qui illud consumit, consumit rem propriam; at nemo consumendo rem propriam potest liberari ab onere restituendæ rei alienæ; 3) si ille, qui in extrema necessitate rem alienam consumit, non sit absolute pauper, nempe sit pauper in re, sed dives in spe, qui alibi bona possidet quibus pepercit; tunc enim non potest revera dici constitutus in extremis, quo solum in casu omnia bona sunt communia.

In aliis vero casibus, an consumptor bonæ fidei rei alienæ teneatur in conscientia restituere quod consumpsit, si ad meliorem fortunam deveniat, alii affirmant: nam in extrema necessitate in tantum omnia bona sunt communia, in quantum sunt necessaria ad vitam servandam; atqui ad vitam servandam sufficiens est bonorum usus, quin transferatur illorum proprietas: et si non transfertur proprietas, bona semper reddenda sunt cum possunt reddi. Alii distinguunt: nempe non tenetur rem alienam reddere, si parvi sit momenti, quia præsumitur dominus illam absolute donasse uti eleemosynam: secus si res sit maximi momenti, quia hæc non censetur data nisi quoad usum. — Verum generatim Theologi cum d. Thoma, nulla facta distinctione, negant; qua enim ratione teneretur restituere? ad rem quærit Billuart. Non ratione *rei acceptæ*, cum amplius hæc non existat nec in se nec in æquivalenti; non ratione *injustæ damnificationis*, cum eam legitimo jure consumpserit: non ratione *contractus*, cum hic non obliget, nisi re culpabiliter pereunte. Et sane cum in extrema necessitate, ubi agitur de vita conservanda, omnia bona iterum fiant communia tum quod usum tum quoad proprietatem, uti erant ab initio nondum bonorum divisione facta; ideo qui in ea necessitate constitutus accipit de alieno, accipit quod suum est; sicque auferendo non committit furtum (Angelicus, 2, 2, *q.* 66, *a.* 7). Ex quo sequitur non peccare qui in extremis constitutus, præcluso scandalo, rem surripit clam, non petendo; cum ipse habeat eo casu absolutum jus ad rem illam accipiendam. Caveat tamen ne in foro externo habeatur ut fur et latro; jus enim civile non ita facile credit extremæ necessitati. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 520.

Quæres: *si pauper jus habet rem tunc surripiendi, quid de divite qui illi nedum subveniat, imo prohibet a consecutione rei suæ?*

R. Si dives pauperem impedit vi, ne bona sua accipiat, de restitutione tenetur; nam cum eo in casu habeat jus pauper rebus illis utendi, habet etiam jus, ne impediatur ab illis. Si vero tantum negligit dare, probabilius non tenetur de damnis; nam obligatio sua est tantum charitatis. Sicut enim quando omnia bona erant communia quisque quod vellet, poterat accipere, nemo tamen ex justitia tenebatur dare; ita et in casu nostro, ubi iterum bona communia evadunt. Ex quo deducitur, quod etsi pauper in veriori sententia etiam

rem magni momenti possit auferre, quin petat, si ea absolute indigeat; dives tamen eam non tenetur tradere, cum tantum ex charitate teneatur, quæ per se loquendo non obligat cum gravi incommodo.

835. Q. 2. *Quid si possessor malæ fidei, seu fur alienum consumpserit in extrema necessitate?*

R. Sententia communior, probabilior et gravissima docet furem semper teneri ad restitutionem; nam obligatio semel contracta ex injusta acceptione, per supervenientem necessitatem non extinguitur, sed tantum suspenditur. Hoc tamen non obstante, non audemus reprobare uti improbabilem Navarri, Sporer et aliorum opinionem, qui docent etiam furem, si absolute indigeret re illa, et sit etiam pauper spe, deobligari a restitutione; nam possessio mala non adimit jus universale, quod in extrema necessitate habet quilibet ad res omnes. Et sicuti poterat de novo surripere, ita surreptum retinere et consumere: quod quidem non est aliud, quam continuata surreptio.

836. Q. 3. *An necessitas extrema debitoris excuset a retentione, vel a subtractione rei alienæ, si ideo creditor in eadem extrema necessitate constituatur?*

R. Si agatur de re jam antea subtracta, et nunc debitor non possit sibi aut suis (nempe filiis, parentibus, uxori; alii addunt fratribus et sororibus) subvenire, nisi per illa bona quæ restituere deberet, non tenetur eam reddere et in extremam necessitatem se conjicere, etiamsi creditor ideo in eadem extrema necessitate constituatur: et hoc etiamsi extet res debita in specie. Ita communiter; ratio quia tunc omnia bona sunt communia, cessatque potestas dominii jure gentium inducta. Si vero agatur de re nunc auferenda, et ipse creditor præcise ob subtractionem illam hic et nunc in extremis conjiciendus sit, non licet rem auferre, et qui abstulit tenetur restituere, quia auferre alicui rem suam sibi ad vitam hic et nunc necessariam, est idem ac eum occidere: unde in eo casu melior debet esse conditio prius possidentis. Hinc si ego heri occupavi tuum equum, quo hodie indigeam ad effugiendos sicarios, non teneor illum tibi restituere, etiamsi hodie tu in eodem periculo constituaris. Quod si tu in extremo periculo jam constitutus equum tuum retineas, et ego in eodem periculo vellem a te illum auferre et retinere, non licet mihi.

837. Q. 4. *Quid si et creditoris et debitoris necessitas sit tantummodo gravis?*

R. Si creditor jam necessitatem gravem patitur, et debitor ea non laboret, sed laborabit restituendo, certe tenetur restituere; quia in æquali necessitate gravi præferendus est creditor: nam melior esse debet creditoris conditio, quam debitoris etiam ex contractu. Si vero debitor jam constitutus sit in necessitate gravi, dubium est, an teneatur restituere, quando et ipse creditor eadem necessitate laborat: alii affirmant cum Roncaglia, si debitum sit ex delicto, v. g., ex furto; ratio quia extra casum necessitatis extremæ semper reputanda est melior conditio creditoris innocentis. Alii negant cum Lessio, etiamsi agatur de debitore ex delicto: nec videtur id sua probabilitate carere; quia in eo casu si restitutio facienda esset, non tantum æquale damnum debitor sustinere deberet, sed multo majus quam creditor; cum enim ille gravi necessitate jam laboret, certe non posset restituere nisi cum gravissimo incommodo, ita ut in quasi extremam necessitatem se conjicere videretur. Sed excipe: 1) si debitor creditorem conjicerit in gravem necessitatem præcise ob subtractionem rei suæ; nam potior est conditio possessoris innocentis; 2) si res ablata extet in specie; nam, extra necessitatem extremam, in pari causa, res clamat ad dominum. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 701.

838. Cessio bonorum: casus; Michael N. post completum studiorum curriculum a suo recepit Ordinario primam tonsuram et quatuor minores Ordines; cumque spatio novem annorum in eo statu permanserit, cupieritque ad sacros Ordines ascendere, et id obtinere non potuerit propter defectum beneficii et patrimonii, ad nuptias carnales convolavit, et mercatorem agere cœpit; sed adversantem sibi passus fortunam post nonnulla contracta debita, ut se ab imminente carceratione liberaret, cessit bonis in Curia laicali Neapolitana anno 1721, et sic quæcunque sua bona creditoribus remisit.

Anno 1722 uxor Michaelis mortua est, superstitibus duobus liberis; cumque prædictus Michael prævio Episcopi permissione clericalem habitum reassumpserit, et a quodam pio benefactore sufficientis patrimonii constitutionem reportaverit, ut ad ejus titulum ad ss. Ordines ascendere posset, suas Episcopo exhibuit preces pro illorum collatione. Sed Episcopo excipiente, se dubitare, an ipse propter infamiam ex cessione bonorum resultantem irregularis effectus esset, quædam ab eodem Michaele modestæ querelæ adversus Episcopi dubitationem summo Pontifici expositæ fuerunt, qui proinde eorum examen ad S. Congregationem pro voto remisit. Et S. Concilii Congregatio die 23 junii 1725 respondit: *non esse promovendum.* V. *Thesaurus resolutionum. S. C. C.* t. III *(Analecta Juris pontificii*, ann. 1864, pag. 482).

839. Restitutio facta creditori creditoris: an liberetur a restitutione qui solvit ei, cui debeat suus creditor, v. g. tibi debeo 100, et Titio tu pariter debes 100; an satisfaciam tibi solvendo pro tuo debito centum Titio? Utique in rigore juris, tunc enim omnes actiones expeditæ sunt ac compensatæ. At in praxi non admittenda talis solutio ob varia incommoda, quibus maxime in foro externo obnoxia est; neque etiam te liberat, si creditores hypothecarios aut privilegiatos habeas. *Gury*, *Billuart*, *Vogler*, etc.

840. Donans immemor debiti: quæres: *an si debitor immemor debiti sui, tantundem creditori ipsi donaverit, ideo excusetur a restitutione?*

R. Communis sententia docet, debitorem, qui immemor debiti sui tantundem creditori suo dedit, sed titulo donationis, a restitutione excusari: 1) si obligatio restitutionis oriatur e præcepto ecclesiastico, ut si beneficiatus Horas culpabiliter omittat, et postea eleemosynas elargiatur immemor suæ obligationis; nam totum posuit, quod erat in præcepto, nempe *non faciendi fructus suos;* finis enim non attenditur in præcepti adimplemento; 2) si agatur de debitis incertis, cum tanta non sit eorum obligatio. Vel de casu, in quo creditor probabiliter præsumatur libenter debita remissurus, si rem prout est in se bene perciperet, tunc non esset positive invitus; 3) si obligatio esset aliunde, quam ex justitia; ut siquis immemor voti vel præcepti ecclesiastici, opus a voto aut a præcepto debitum ex devotione præstaret; quia in obligationibus, quæ non sunt ex justitia, ordinarie non attenditur qua ratione præstentur; sed tantum, an revera præstentur actus præscripti.

Hisce exceptis, utrum liberetur a restitutione debitor, qui debiti sui immemor creditori donat tantundem pretio æstimabile, quod jam ipsi creditori ex justitia deberet (quod debitum, si sciret, non donaret): communius ac valde probabiliter negant Bonacina, Layman, Diana, Sanchez, Sporer et Salmanticenses, quia non potest una solutione satisfieri duabus obligationibus, uni ex justitia, alteri ex titulo gratuito. Sed affirmant Mazzotta et La-Croix cum Rebellio ac aliis, quorum sententia satis est probabilis; semper ac certe præsumitur, quod de-

bitor, si debiti fuisset memor, nequaquam donasset. Ratio est, quia semper censetur quisque, cum dat bona sua, velle potius satisfacere obligationi justitiæ, quam voluntati donandi, sive obligationi factæ donationis: quæ cum facta fuerit per errorem, sive per debiti oblivionem (quæ dedit causam donationi), manet rescindibilis ab eodem donante, qui in conscientia non tenetur ad eam implendam; nam in quovis homine supponitur tacita mens, non velle se obligare, ubi deceptus invenitur. Imo hoc videtur sancitum a Jure romano, et probatum aliquatenus a moderno *Codice civili* art. 1238, quo declaratur solutionem factam sine expressa declaratione debitoris, applicari debito cujus extinctio pluris illius interest. — *C. G.* 1256; — *C. S.* 1208; — *C. A.* 1415; — *C. P.* 1232; — *C. M.* 1310; — *C. T.* 636.

Neque dicas debito certo non satisfieri per probabilem solutionem; nam in casu nostro solutio est certa quoad æqualitatem rei datæ cum debito. Clarius: quando debitum est certum et probabilitas versatur circa factum solutionis, utique ex probabili solutione debitor non liberatur, quia solutio probabilis non æquat debitum certum. Sed hic probabilitas non est circa veritatem solutionis, sed circa effectum illius, scilicet quod per solutionem illam debitum sit probabiliter satisfactum eo quod probabiliter adfuerit satisfaciendi volun tas; hæc enim est probabilitas juris sive proxima, qua debitor bene uti potest. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 33; l. III, n. 700.

Diximus: 1) *tantundem pretio æstimabile*, si enim v. g. centum debeas Titio ex justitia, non satisfacis obligationi si ei conferas Beneficium ecclesiasticum talis reditus; quia hoc gratis est conferendum: secus simonia est; 2) *ipsi creditori;* neque per donationem factam tertio, seu per eleemosynam liberaris a solvendo debito creditori noto, etsi illam non fuisses facturus, si debitum a principio sciveris; res enim clamat ad dominum, et eleemosyna fit de propria substantia. Excipe si creditores ignoti sunt; ideo suadent plures iis qui eleemosynas faciunt, ut intentionem generalem gerant reparandi omnia damna, quæ forsan intulerunt, maxime in juventute, ignotis dominis.

Communius autem ac probabilius dicunt Gury, Carrière, etc., contra Billuart, quod valet restitutio debiti, etsi fiat per simulatam donationem; quia non requiritur ad veram solutionem, ut debitor externe fateatur se solvere. Attamen docent contra Tamburini, quod si creditor tunc gratitudine motus et aliquid ipse donet, non est acceptandum; quia ista donatio non est spontanea; cum procedat ex opinione obligationis gratitudinis, quæ falso est innixa fundamento.

Quæres: *Quid si testator cui restitutionis obligatio incumbit, leget aliquid creditori sub onere Missarum? Essentne a legatario creditore implenda hæc onera, ubi legatum æquet summam rei restituendæ?*

R. Negative; compensatio tunc locum habet: præsertim quod testator censeri potest sub simulata donatione furti sui tegere restitutionem. Est contra Roncalia, qui in hoc casu non admittit compensationem; nam (ait) si Missæ sunt pro aliis sine eorum culpa fraudantur; si pro ipso dante, et tunc iste privaretur bono spirituali, unde compensatio non esset æqualis.

541. Restitutio in alio genere: qui potest in eodem bonorum genere fraudata restituere, non valide restituit in alio genere, quia tunc non servaretur æqualitas, ut præcipit justitia. *Quid vero de illo qui non potest restituere in uno genere bonorum, tenebiturne restituere in alio genere inferiori: v. g., tenetur dare pecuniam qui nequit famam resarcire, vel qui aliquem occidit vel vulneravit?*

R. Duæ sunt sententiæ. *Prima* probabiliter affirmat cum Antoine,

Alasia, Cajetano, Sylvio, Soto aliisque; nam licet fama et membra non cadant sub commutatione ac civili commercio, attamen in ordine ad usus humanos bene datur compensatio: ita defectus formæ compensatur divitiis. Pro hac opinione videtur esse s. Thomas (quamvis eum aliqui explicent de debito honestatis, atque simplicis convenientiæ); ait enim: *Cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei compensare vel in pecunia vel in aliquo honore* (2, 2, q. 62, a. 2). Multi etiam addunt, ad hanc restitutionem teneri hæredes occisoris vel mutilatoris, in hujus defectu; nam hæres tenetur ad omnia debita, quibus gravatur hæreditas: porro dicta obligatione hæreditas certe gravatur; neque enim potuit occisor vel mutilator se obligare, quin obligaret bona sua. Sed multi hoc negant; quia hoc præcise non est debitum reale, sed personale; ideoque non transit ad hæredes.

Secunda vero sententia communior ac probabilior cum Croix, Filliuccio, Laymano, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Sporer, Vasquez, Victoria ac ceteris negat; et ideo si alius infamiam tibi illatam non potest vel non vult reparare, non ideo potes retinere pecuniæ summam quam illi debes, vel secreto ab eo auferre. Probatur: 1) Scripturis, ubi legitur, quod, vulnerato convalescente, *innocens erit qui percusserit, ita tamen, ut operas ejus et impensas in medicos restituat:* sufficit ergo damnorum compensatio in bonis fortunæ (Exod. xxi); 2) Jure communi ubi dicitur, vulneratum teneri ad expensas curationis, et mercedes, quibus cariturus est vulneratus: *cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem* (Digest. xix, t. iii *De his);* 3) Ratione; nam justitia commutativa obligat ad restituendum juxta æqualitatem damni illati; atqui ubi restitutio est facienda in genere diverso, nulla adest æqualitas. Per quamcunque enim pecuniam damnum non reparatur neque in toto neque in parte; quia res utpote diversi ordinis se mutuo attingere non possunt. Quod autem aliquando a lege imponatur delinquenti aliqua satisfactio solvenda ad arbitrium judicis pœna est, non restitutio. Sane si res in se ipsa spectetur, videtur pugnare in verbis, quod habeatur justitia commutativa, ubi rei æqualitas non habetur *(Exod.* xxi). Liguori, *Op. Mor.*, l. iii, n. 626.

Docent tamen communiter congruum valde esse in praxi, ut pœnitenti imponatur aliqua erga læsum elargitio, maxime si pauper sit, idque hodie præsertim, quia *et decus et famam regina pecunia donat.*

842. Damna Gubernio illata: quoad restitutionem faciendam pro damnis regno seu reipublicæ certo illatis, si ab ipso gubernio modus constitutus sit, nulla difficultas: ita Belgium anno 1837 medium hujus restitutionis peragendæ instituit, et cautiones ut restitutiones ad ærarium publicum perveniant. Si nihil habeatur præstabilitum a lege, alii dicunt restituendum tributorum præpositis; alii quod debetur reipublicæ esse impendendum vel in pia opera, vel in pauperum levamen; ex præsumpta gubernii voluntate. Ceterum apud nos bene potest restitui rei ærariæ officio *(Finanze)*, vel publicanorum magistro *(Ministro delle finanze);* et sic aliquando factum legimus. V. *Carrière, Gury.*

(H) Pag. 482.

843. Quoad pœnam mortis hæc scite Diarium, L'*Armonia* (ann. 1853, n. 51): « Parlando generalmente, a noi è sospetta la filantropia di coloro che studiano e propongono riforme su questa materia. L'espe-

rienza ci insegna che quanti cercarono di attenuare simili castighi furono quelli che più largamente ne usarono e con maggior crudeltà. Pigliamone ad esempio la ghigliottina. Fu un pensiero di filantropia, quello che ne suggerì l'invenzione; e lo stesso pensiero la fe' sostituire agli altri metodi di uccisione. Eppure quanti innocenti perirono a quel modo! *Va bene*, dicea Fouquier, *le teste cadono come pietre; più lestezza la decade futura:* ce ne vogliono almeno 450. Billaud esclamava: *Il tribunale rivoluzionario crede un gran che, quando fa cadere settanta od ottanta teste: un numero sempre uguale non fa spavento: bisogna raddoppiare.* E Vadier: *Bisogna mettere un muro di teste tra il popolo e noi.* Le *fornate della ghigliottina* furono sì abbondanti, che dovette farsi una gora per dare scolo al sangue! Noi crediamo che qualche anno prima del *terrore* Vadier, Billaud, Fouquier avrebbero tutti perorato e votato per l'abolizione della pena di morte. Eppure, venuti al potere, ne usarono così largamente, che Cellot ebbe ad esternare il timore, che non si *demoralizzasse il supplizio.*

» Esaminiamo i tempi nostri. Tutti i governi usciti dalle barricate incominciano dall'abolire la pena di morte. Si direbbe che distruggono ciò che temono di vantaggio. Filippo De-Boni in un libricciatolo intitolato *Pio IX* ne menò gran vanto. *I repubblicani*, egli scrisse, *han perdonato sempre: non sentono sull' anima loro una stilla di sangue: il giorno della possanza e della vendetta abolirono la pena di morte.* Ebbene, dove andò a finire quest'abolizione? Non si uccise più uno col capestro, e se ne ammazzarono cento di stiletto. Non s'impiccò più dopo un processo, in seguito ad una condanna; ma si sgozzò per privata vendetta e per capriccio. Non fu più la giustizia che uccise, ma la mano del sicario e dell'assassino.

» Riguardo alla pena di morte in sè, noi crediamo una vera utopia sognarne l'abolizione. A parte pochissime e recenti eccezioni, tutti i giurisperiti, le leggi e i costumi di tutte le genti e di tutti i secoli l'hanno dimostrata una dolorosa necessità. Chi fe' nascere questo diritto dalla natura medesima delle società, come Puffendorf; chi lo dedusse con Locke e Filangieri dal diritto individuale trasmesso nel sommo imperante; chi col Romagnosi lo immedesimò col diritto di pubblica difesa. Ma, variando nella genesi, tutti convennero nell'ammettere il diritto e la necessità di usarlo a suo tempo. — V. *Civiltà Cattolica*, ser. 1ª, vol. x: *Mitezze dei tribunali* ecc.; serie 6ª, vol. II: *La frammassoneria e l' abolizione della pena di morte;* 1865. — *Serie di biografie contemporanee*, vol. II: V. *Mazzini*. Torino, 1853. — Taparelli, *Saggio teoretico* ecc. — Scolari. *La questione sulla teoria e sul diritto della pena capitale.* Venezia, 1867.

Auctor clariss. Operis: *I prigionieri nel loro rapporto coll' emendamento*, vel ipse pugnat per mortis pœna abolenda, non quod illicitam dicat, sed eo quod nostræ incredulæ societati non putat amplius convenire: « Egli si mette così (ad rem *Civ. Catt.*, serie 6ª, vol. III, pag. 217) in branco con tutti coloro che gridano contro questa pena; ma si fa distinguere da essi pel motivo che ne arreca, perchè non la dice ingiusta, ma solo inopportuna. Questo giudizio pratico vien contraddetto da uomini competentissimi per iscienza e per lunga esperienza; vien contraddetto da ragioni efficacissime; vien contraddetto dal fatto medesimo che quelli stessi che chiedono una tale abolizione ricorrono poi ad eccezioni funeste nei tempi di sedizione e di sconvolgimenti. Noi pure ci auguriamo che giunga età nella quale la pena di morte possa dirsi superflua; nè crediamo che i nostri tempi sieno ancor tali che possa dirsi nocevole come l'autore opina. Alla immor-

talità dell'anima si crede tuttavia dalla quasi totalità delle popolazioni, e coloro che si staccano dalla vita collo scherno beffardo sul viso, sono rarissime e mostruose eccezioni. »

844. Q. 1. *An omnibus licitum sit occidere bannitos, seu proscriptos?*

R. Proscriptos, qui ad mortem fuerunt damnati per contumaciam, non licet privato occidere, nisi respublica id concesserit; alioquin semper occideretur auctoritate privata. Respublica autem nonnisi gravissima de causa id cuilibet privato concedere debet, tum propter occasionem vindictæ et inimicitiarum, tum propter detrimentum salutis æternæ eorum qui sic occiduntur. (Molina, Billuard, Lugo, et Liguori, *Opus. Mor.*, l. III, n. 380; Carrière, *De Justitia*, n. 770.)

845. Q. 2. *An aliquando liceat occidere innocentem?*

R. Non licet innocentem *directe* occidere, nisi Deus qui solus habet jus vitæ et necis, concedat: *insontem et justum non occides*, legitur in Exodo. Diximus *directe;* ubi enim justa sit causa, fas est indirecte aliquid agere, ex quo præter agentis intentionem mors innocentis sequatur. Hæc tamen causa debet esse tanti momenti, ut vitæ ipsi æquivaleat; sic si tyrannus minetur urbis excidium, nisi innocens occidatur, non licebit quidem illum directe interficere, cum non sit nisi pars moralis reipublicæ, a qua non accipit esse et vivere, ut accipit membrum corporis a corpore. At in probabiliori sententia, poterit publica auctoritas illum cogere, ut se ad tyrannum conferat: et ubi nolit, etiam tradere; nam eo ipso quod renuit, evadit reipublicæ noxius, cum quisque ex charitate et justitia legali teneatur vitam exponere pro republica. Traditio autem est tantum indirecte occisiva; cum non ex traditione, sed ex mala tyranni voluntate directe eveniat occisio.

Aliud tamen dicunt, si tyrannus puellam ad stuprandam peteret, vel Libros sacros ad comburendos; quia in priori casu puellam proximo periculo peccati exponeret, in altero casu videntur in Dei contemptum sacri Libri postulari. Deinde Codices sacri sunt altioris ordinis; neque ordinantur ad salutem reipublicæ, sed ad salutem animarum, membra autem communitatis ordinantur ad salutem temporalem communitatis. Ita argumentatur *Dens.*

(I) Pag. 488.

846. Causa suicidii: « Multo sæpius hæc erga se ipsum sævities (nempe suicidium) ex animo depravato oritur, præsertim ubi ex vitiorum frequentatione, sensus Religionis extinctus jacet vel fides ipsa evanuit... Præ reliquis turpes amores, ambitio, avaritia et immoderati lusus homines in barathrum horrendum adeo præcipitare solent. Absint ut hanc sævitiem fortitudinem animi dicamus; nam fortitudo homine cordato digna ea tantum est, quæ inter omnes temporum acerbitates fortunæque vicissitudines invicta perstat... Qui ad eas declinandas semet enecant, nonnisi sensui acerbiori cedunt, et hoc ipso mentis suæ imbecilitatem testantur. Rectissime Poeta inquit: *Rebus in angustis facile est contemnere vitam. Fortiter ille facit qui miser esse potest*: Stapf.

Absit etiam, ut de facili suicidas excusemus, quasi intercepto usu rationis phrenetico furore agantur: « Nous estimons, que le trouble subit et momentané de la raison est la suite ou l'effet d'un panchant malheureux que l'on n'a point suffisamment combattu, ou de la négligence qu'on a mise à éviter les occasions propre à l'entretenir ou à le faire développer d'avantage. Ce son ces circostances ou ces causes génératrices de délir subit et partiel qui doivent déterminer le degré de cul-

pabilité du l'action du monomaniaque, parce que la volonté morale, est subordonnée à la liberté morale, comme celle-ci est subordonné à l'intégrité de la raison. » Ita Debreyne, in libro *Essai sur la Théologie Morale considérée dans ces rapports avec la physiologie et la médicine. Ouvrage spécialment destinée au Clergé.*

Idem auctor in Opere, *Pensieri di un Cattolico credente*, plura et egregia contra suicidium, ubi sceleris gravitatem aperit, causas quærit, remedia profert. Ad nos quod attinet satis erit hæc referre: « Egli è notabilmente osservabile, che il suicidio si fa più frequente in quei popoli, donde il Cattolicismo si dilegua, e che generalmente è sconosciuto in quei paesi dove la Religione cattolica è rigorosamente seguita e praticata. Il suicidio fu sconosciuto in Ispagna fino a che quei popoli si mantennero sinceramente attaccati alla Religione cattolica e soprattutto finchè esattamente la praticarono. Ecco che è divenuta l'Inghilterra, il paese classico del suicidio, dappoi che ne fu bandito il Cattolicismo! Negli Stati d'Italia, d'Austria ed altre contrade cattoliche dell'Allemagna, il suicidio è rarissimo; e se oggidì si è fatto più frequente, è stato in proporzione, che lo spirito d'empietà e di filosofismo dilatò l'ombra sua pestifera e fece fermentare il lievito della corruzione e della immoralità, attizzando in uno il fuoco delle rivoluzioni e delle continue guerre. — Chi sono coloro che si danno morte da sè stessi? È egli il miserabile che va di porta in porta accattando quel frusto di pane che dee bastare alla sua vita? No, gli è l'opulento che a lui rifiuta i bricioli della sua tavola. È egli un cristiano giacente sopra un lettuccio, vittima delle torture d'un fiero morbo? No, è un voluttuoso che esce da un'orgia. È egli un uomo spossato dagli stenti, che inaffia de' suoi sudori il povero cantuccio di terreno che nutrisce i suoi figli? No, gli è un ricco neghittoso ch'io vidi, non è già molto, uscire sbadigliante da numerosa e vivace assemblea, e che annojato estremamente del suo non far nulla, per distrarsi si appiccò. Non lasciatevi, mio caro, illudere, il ricco e il possente incredulo non hanno afferrata, credetelo, la verità; e quando anche a forza di ricerche perveniste ad indicarmi un tale che vi sembrasse averla in pugno, vi direi: *Aspettate.* Eccovi sopravvenire la morte, e con essa lei le contorsioni della rabbia e i terrori dell'avvenire e le grida della disperazione. La morte del cristiano è la sera di un bel giorno; la morte dell'empio è scoppio di folgore in notte tempestosa. » *Moniteur des Villes et des Campagnes;* ann. 1836.

Ad rem Miotti in *Adnot.* ad Dieulin, c. LI: « Donde oggigiorno tanti e sì frequenti suicidi, eziandio nei giovinetti e nel sesso timido, inetti a forti propositi? Nel gabinetto del giovine, della vergine, della sposa che attentarono a' propri giorni, più d'una volta si rinvenne pur il sicario: *il romanzo.* Ugo Foscolo intrattenevasi un dì con un certo suo amico celebre letterato a Milano; ed ecco ad un tratto entrare un fanciullone lungo lungo, il quale con occhi stralunati, con pallido viso, con diffusa capellatura, precipita nella stanza, e, *O Foscolo!* esclama, *lascia che pria d'uccidermi io baci la mano di quel sommo che ha vergate* Le lettere di Jacopo Ortis, *le quali indussero l'animo mio a finire con una pistola le orrende sue sventure; oh Foscolo! o santo petto!* » — « *Oh pazzo, oh bestia* (gridò il Foscolo sghignazzando); *oh bestia da catena!* E continuando con simili ragionamenti a beffarsi di lui, per tal modo gli levò al tutto il ruzzo dal capo di volersi ammazzare; e così finiva quella commedia. E così terminassero una volta tutte, e i cervelli de' forsennati finissero d'infuriare contro sè stessi. Ma ogni causa produce i suoi effetti. » — *V.* Bresciani, *Ammonimenti di Tionide Nemesiano,* n. XL.

Audiatur tandem vel ipse Rousseau apud cl. Gaume, *Catechismo di perseveranza*, p. II, lez. XXX: « Tu vuoi cessare di vivere; ma vorrei sapere se tu hai cominciato. E che! fosti tu collocato sulla terra per nulla operarvi? il Cielo non ti destina insieme colla vita un incarico da eseguire? Se tu hai compiuto la tua giornata avanti sera, ripósati nel resto del giorno: ciò ti è permesso; ma vediamo l'opera tua. Qual rispòsta hai tu pronta pel Giudice supremo che chiederà conto del tuo tempo? Sciagurato! trovami un giusto che si vanti di aver vissuto abbastanza; che io impari da lui come bisogni aver condotta la vita per aver diritto di abbandonarla. Tu annoveri i mali dell'umanità e dici: *la vita è un male.* Ma osserva, cerca nell'ordine delle cose, se tu vi trovi qualche bene che non sia mescolato ad un male. Può egli dirsi per ciò che non vi sia alcun bene nell'universo e vuoi tu confondere ciò che è male di sua natura con ciò che non soffre il male che per accidentalità? Nulla è la vita passiva dell'uomo e non riguarda che un corpo, da cui sarà egli liberato ben presto; ma la sua vita attiva e morale che deve influire sopra il suo essere, consiste nell'esercizio della sua volontà. La vita è un male pel malvagio che prospera, e un bene per l'uomo onesto sventurato; avvegnachè non è già una modificazione passaggiera, ma il suo rapporto col suo oggetto è ciò che la rende buona o cattiva.

» Tu sei annojato della vita, e dici: *la vita è un male.* Presto o tardi tu ti troverai in godimenti, e dirai allora: *la vita è un bene.* Tu dirai meglio (senza tuttavia ragionar meglio), avvegnacchè nulla avrà cangiato fuori che tu stesso. Cangia dunque fino da oggi, e poichè tutto il male deriva dalla cattiva disposizione dell'anima tua, correggi le tue disordinate affezioni, e non incendiare la tua casa per non darti la pena di sistemarla.... Il suicidio è una morte furtiva ed ignominiosa. È un furto fatto al genere umano. Prima di abbandonarlo rendigli ciò ch'egli ha fatto per te.

» *Ma io non ho veruna importanza; io sono inutile al mondo.* Filosofo d'un giorno, ignori che tu non sapresti fare un passo nel globo senza trovare qualche dovere da compiere, e che ogni uomo è utile all'umanità soltanto perchè esiste? Giovane insensato! se tu conservi in fondo al cuore il minimo sentimento di virtù, vieni, affinchè io t'insegni ad amare la vita. Ogni volta che tu sarai tentato di disfartene di' a te stesso: *voglio fare ancora una buona azione prima di morire;* va quindi a cercare qualche indigente da soccorrere, qualche sventurato da consolare, qualche oppresso da difendere. Se questa considerazione ti trattiene oggi, ti tratterà domani, posdomani, per tutta la vita » — It. vide *La Civiltà Cattolica*, ser. 3ª, vol. II, pag. 625.

847, Rigores contra se laudandi: tales sunt macerationes quas christianus suscipit ratione virtutis. Ceterum in casibus singularibus plurimum interest attendere cujus ætatis, physicæ complexionis, indolis, status et conditionis persona illa sit, cui sui ipsius maceratio concedatur: *Aliter est judicandum de fine, aliter autem de his quæ sunt ad finem: illud enim quod quæritur tanquam finis, absque mensura quærendum est; in his autem quæ sunt ad finem, est adhibenda mensura secundum proportionem ad finem. Est ergo considerandum, quod in spirituali vita dilectio Dei est sicuti finis; jejunia autem, vigiliæ et alia exercitia corporalia non quæruntur tanquam finis, sed adhibentur tanquam necessaria ad finem, et ideo hujusmodi adhibenda sunt cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia dometur, et natura non extinguatur* (s. Thomas, *Quodl.* 5).

Et hæc quidem de *via ordinaria* obtinent; « ast Deus Ecclesiam suam

omni tempore animabus singulariter dilectis exornavit, quas proinde per viam non omnibus usitatam, sed per vere stupendos pœnitentiæ rigores deduxit, tum ut easdem ad extraordinaria spiritus sui charismata disponeret, tum ut mundo mollescenti et vecordi exempla præberet, quibus salubriter confunderetur: quorum valetudo, quo minus sibi parcerent, eo robustior.... Procul a nobis sint criminationes et cavilli, quibus recentiores aliqui præsertim protestantes illos onerare non erubescunt.... Defleamus potius ignaviam ætatis nostræ, quæ tanta est, ut Ecclesiæ florescentis specimina pro deliramentis habeat. Quid impii ejusmodi irrisores facturi essent, si Deus talia quæ a Sanctis ultro perpetrata legimus, ab ipsis revera lege expeteret, ab ipsis, inquam, qui etiamsi pœnitentia præ ceteris indigeant, ipsam tamen ejusdem umbram perhorrescunt?

« In hac materia plures nos ipsos abnegandi occasiones dantur, quæ nobis invitis occurrunt, v. g. dum ob singulares labores consuetam refectionis horam differre cogimur, dum cibaria minus grata, insipida vel manu forte parciori apponuntur. Si in ejusmodi casibus naturæ indignantis motus compescere, nosque rerum circumstantiis prompte accomodare studeamus, hæc nostri abnegatio præ omni inedia divinum nobis beneplacitum conciliabit. Præclare s. Franciscus Salesius (maxime pro collegialiter viventibus): *Summopere reverenda duco verba illa Redemptoris ad discipulos:* manducate quæ apponuntur vobis. *Ni fallor, majoris virtutis est indiscriminatim comedere quæ et quo ordine apponantur sive sapiant dissipiantve palato, quam proprio motu semper deteriora sibi eligere: licet enim hæc posterior agendi ratio videatur austerior; prior tamen plus continet resignationis; per illam homo non gustui tantum, sed suo quoque arbitrio renuntiat. Accedit, quod hoc mortificationis genus omni nota vanitatis immune, prorsus innocuum, et vitæ sociali perquam conveniens est* (Philotæa, p. III, c. 23). » Ita *Stapf*, perbelle more suo §§ 547 et seqq. *Thel.*

Ad rem item Salesius *(Lett.* LIV), quoad infirmitates ac corporis morbos: « Non vi è pericolo alcuno in desiderare il rimedio, anzi bisogna diligentemente procurarlo; poichè Iddio che vi ha dato il male, è pur l'autore dei rimedi. Bisogna dunque applicarli; ma con tale rassegnazione, che se Sua Divina Maestà vuole che il male non si lasci vincere, vi acquietiate al suo volere; e se vuole che il rimedio vinca, ne benedirete il suo beneplacito. »

848. Rigores contra se culpandi: certe damnandi sunt qui sævitiem in se exercent, ut ab officiis solvantur vel ne adscribantur militiæ, vel ut mutilato corpore largiorem stipem accipiant, etc. An autem necessaria ad vitæ conservationem remedia negligere dicendi sint qui ostentationis gratia ultima ac periculosa cacumina montium superant per voragines ac glaciatos abyssus transilientes; qui nimis fidenter in locis difficillimis et arduis iter faciunt, venantur, natant, herbas colligunt, ligna vel frondes cædunt, arbores pertica concutiunt atque flagellant, tecta reficiunt, non ita facile est definire; usus enim, indoles, cautela ac cetera hujusmodi efficere possunt, ut pro ipsis nullum periculum sit, aut nonnisi remotum. Item dicendum de excursoribus, areonautis ac circulatoribus, qui miros saltus ac difficillima tentamina agunt. Item est tum de illis qui, validis ventis insufflantibus, aquis se committunt audacter: tum de illis, qui ingentia pondera sustentant, atque humeris ferunt; tum de illis qui caulam ferarum ingressi, fidenter cum illis jocantur; tum de illis qui desuper tenso fune, de pinnaculo ad infimum, de infimo ad summum ambulant, etc. Quid quid sit, acriter sane sunt exprobrandi temerarii illi ausus, ac illa

stolida periculorum aditio, quæ vel ex vana sui ostentatione, vel ex indigno quæstu, in juvenibus maxime, procedunt. Quibus fit, ut qui robustissimi erant, per illam improvidam agendi rationem nec sibi nec aliis amplius prodesse valeant. — *V.* Stapf, § 283. — Liguori, *Opus. Mor.*, l. III, nn. 30, 32, 372.

(J) Pag. 490.

849. Quoad *duellum* notamus cum Gury:

1. Non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato, aut certo numero ictuum completo, pugna cesset; tum quia etiam in hoc est maximum vulneris lethalis periculum; tum quia Clemens VIII prohibuit etiam duella non fatalia; tum quia istud duelli genus scandalum creat, et duellis fatalibus occasionem præbet.

2. Non licet duellum suscipere, etiam auctoritate publica, ad noscendam veritatem, ad probandam innocentiam, nec ad finiendam litem privatam, quia non est medium ad hos fines ordinatum. Nec cogi possunt rei ad duellandum, spe etiam vitæ victori futuro data.

3. Licet pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia via periculum mortis proximum evadendi. Sed non licet se conferre ad alium locum, aut indicere ad defensionem aliud tempus determinatum; quia tunc duellum proprie dictum esset, non actualis aggressio. V. Carrière, *De Justitia*, n. 814.

4. Qui alterum occidit in duello probabilius ad nihil tenetur quoad restitutionem sive occumbat provocans sive provocatus; licet enim peccaverit contra charitatem provocando, non tamen peccavit contra justitiam pugnando (nisi illum induxerit vi aut gravibus minis, sicque quasi coegerit). Nam statim ac constat provocatum libere acceptasse duellum, uterque ad invicem sibi facultatem facit: at volenti nulla fit injuria damnosa. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 401 et 638.

850. Non intrepidi, sed viles duellatores: *Medio ævo* (ait Stapf, § 391), *ejusmodi pugnæ, nempe duella, sæpe adhiberi, imo etiam auctoritate publica demandari consueverant, ut quis notam criminis sibi vel etiam aliis objecti tali modo amoliretur. Præfidenter nimirum et temere sperabant, Deum provisurum, ut pars innocens etiam victrix existeret. Ab hac Dei tentatione ætas subsequens equidem resipuit, ita tamen, ut in ejusdem locum vesania non minor successerit, opinio scilicet, ad partes et vix non ad officia honesti viri spectare, ut vel injurias sibi illatas ejusmodi certamine ulciscatur, vel ut hoc modo animum prorsus intrepidum ostendat.*

De duello ad rem Gaume, *Catechismo di perseveranza*, part. 2ª: « Il Concilio di Trento colpisce d'infamia i duellanti, dimodochè essi divengono irregolari, nè possono ricevere Ordini senza dispensa. Infatti essi sono infami perchè sono vili e cattivi cittadini. *Vili:* curvano la loro fronte orgogliosa sotto il giogo d'un pregiudizio barbaro che non osano affrontare. *Vili:* mancano di quel coraggio che nobilita realmente l'uomo, il coraggio di perdonare. *Vili:* si mostrano schiavi delle più vili passioni, l'ogoglio, il rancore, la crudeltà. — *Cattivi cittadini:* essi avventurano per soddisfare una vendetta personale, un bene che non appartiene ad essi: cioè la vita, la quale appartiene alla società, alla moglie, ai figli. *Cattivi cittadini:* calpestano imprudentemente la legge primaria di ogni società che vieta all'individuo di farsi

giustizia da sè. *Cattivi cittadini:* calpestano ogni morale per non riconoscere che il diritto brutale del più destro, ponendo per massima, che l'onore sta sulla punta di una spada o nella palla d'una pistola.

» Non dunque con piena giustizia dichiara la Chiesa infami coloro che si rendono rei di un simile delitto? E la ragione nel far plauso a questo decreto non dice forse, sì, infami? L'empietà stessa non ha forse elevata la voce per diffamare questo barbaro pregiudizio? *Guardatevi bene*, dice Rousseau, *dal confondere il sacro nome dell'onore con quel feroce pregiudizio, che ripone ogni virtù sulla punta d'una spada, e non giova che a produrre de'bravi scellerati.* Ma inoltre, in che consiste questo orribile pregiudizio? Nell'opinione la più stravagante e la più barbara che sia entrata nella mente umana, che cioè, tutti i doveri della società sono rappresentati dalla bravura; che un uomo cessa di essere ingannatore, birbante, calunniatore, e diviene civile, umano, delicato quando si sa ben battere; che la menzogna si cambia in verità; che il furto diviene legittimo, la perfidia onesta, l'infedeltà lodevole, tosto che si sostenga ciò con la spada alla mano; che un affronto è sempre ben sanato da un colpo di spada, e che non si ha mai torto con un uomo, perchè si uccide. — Vi ha, ne convengo, un'altra specie di duello, ove la gentilezza si accoppia alla crudeltà, e ove non si uccide che per caso, ed è il duello a primo sangue. A primo sangue! Gran Dio! e che vuoi tu farne di quel sangue, bestia feroce? vuoi tu forse dissetartene?

» Si dirà forse che un duello prova che si ha coraggio, e che ciò basta per cancellare l'onta e il rimprovero d'ogni altro vizio? Domanderò: quale onore può dettare una tal decisione, e quale ragione può giustificarla? con questo principio se fossimo accusati d'avere ucciso un uomo, andremmo ad ucciderne un altro per provare non esser ciò vero. Così, virtù, vizio, onore, infamia, verità, menzogna, tutto può prender vita dall'evento di un combattimento: una sala d'armi è la sede d'ogni giustizia: non vi ha diritto, tranne la forza; non ragione, tranne l'omicidio; tutto il risarcimento che si deve all'ingiuriato è di ucciderlo, ed ogni offesa è del pari bene lavata nel sangue dell'offensore o in quello dell'offeso. Se i lupi sapessero ragionare, avrebbero forse altre massime? Lasciate che si battano tutti questi individui (tutti i cattivi soggetti): nulla è meno onorevole di quell'onore, per cui menano sì gran rumore, non è desso che una moda insensata, una falsa imitazione di virtù che si abbella de'più enormi delitti. L'onore di un uomo che pensa nobilmente non è in potere di un altro; è in lui stesso, non nella opinione del popolo; l'onore non si difende nè con la spada nè con lo scudo, ma si è solo con una vita incorrotta ed irreprensibile. » — *V.* Scotti, *Teoremi* ecc., l. c. — *Pensieri di un Cattolico credente.* Milano, pag. 233. — Gerdil, *Opere*, tom. III, ubi fuse ac solide pro more. — Bergier, *Dizionario* ecc.; V. *Duello.* — Bossi, *Del duello conseguente del volgar sistema d'onore militare.* — Et Opus nostrum, *Ethices seu Philosophiæ moralis elementa.*

Nota. E perchè, qualunque cosa si dica in contrario, vi sono alcuni talmente stolti i quali vogliono battersi ad ogni costo, voglio suggerire un duello nel quale potranno scapricciarsi a talento. Tizio giovane sui vent'anni venne a contesa con Cajo uomo maritato e di circa quaranta, per l'elezione del proprio deputato. Parteggiava Tizio per un novello candidato della sinistra; e Cajo per un antico ministeriale: non contenti dei mezzi legali, e volendo vincerla tutti due, ricorsero agli illegali, cioè agli insulti; per il che Tizio più furioso sfidò Cajo al tiro della pistola. « Io accetto, rispose Cajo; ma come vedi io ho quat-

» tro figli e tre figliuole che hanno bisogno di me; oltre a ciò io sono » alto e pingue. e tu piccolo e secco; ebbene, se vuoi che ci battiamo, » io metto in mia vece un fusto d'albero alto e grosso come me, se » tu lo colpisci, io mi metto dalla tua; se no, tu dalla mia. » Conobbe Tizio la ragionevolezza della proposta; tirò ed il colpo andò fallito: allora si misero d'accordo e restarono amici come prima. *Comba.*

(K) Pag. 492.

851. In dubio de fœtus animatione, verius excommunicatio non incurritur, quia versamur in odiosis: multo minus irregularitas, ut nobis certum videtur; nam Jure canonico habemus eam non incurri, nisi in lege sit expressa (c. *is quis de sent. excomm.*, in 6): de hoc porro casu nihil habetur expressum. Hinc concludunt valde probabiliter non censendum irregularem, saltem in foro externo, qui intra 80 dies a fœtus conceptione abortum procuravit. Diximus *intra* 80 *dies;* quia etiam in dubio an fœtus sit masculinus vel fœmineus, potius præsumitur fœmineus: cum ex frequentiori eventu amplior forsan sit numerus fœminarum, quam masculorum; at in dubio res resolvenda est juxta quod crebrius contingit. —*V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 396.

An (quæres) *mulieres, quæ in semetipsis abortum procurant, excommunicationis pœnam incurrant?*

Certum est, mulieres non posse abortum sibi procurare etiam ante fœtus animationem, quamvis sibi videant ex uteri graviditate imminere periculum infamiæ, vel etiam mortis; cum id sit intrinsece malum. Et deducimus etiam ex ista, quam n. 34 Innocentius XI damnavit propositionem: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur vel infametur.* Item certum est peccare mortaliter et homicidium committere mulierem, quæ in se ipsa procurat abortum fœtus animati. — Verum utrum incurrat etiam excommunicationem a Sixto V irrogatam, sententia communissima cum Bonacina, Sporer atque Viva, qui dicit hanc esse usu receptam, affirmat; qui enim abortus magis reus est matre ipsa, quæ ideo pharmacum suscipit? Et in Bulla aperte legitur § 1: *Pœnas incurrere etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint;* et § 7 iterum Pontifex comprehendit *mulieres ipsas, quæ eadem pocula* (ad abortum) *sponte ac scienter sumpserint.*

Sed sententia negans est valde probabilis et attenta ejus intrinseca ratione, probabilior. Hanc defendunt Avila, Lexana, Naldus, Roncaglia, Salmanticenses et Lugo (qui tamen concludit standum pro contraria sententia, si communis usus regionis sic explicet et intelligat Bullam). Sane in utroque objecto paragrapho, qui matres comprehendit, Pontifex patenter loquitur (ut sedulo in Bulla observavimus) tantum de pœnis temporalibus contra homicidas statutis; nam cum dein gradum facere vellet ad pœnas spirituales, præsertim ad excommunicationem infligendam in § 7, subdit: *Insuper ut immanissimi hujus delicti gravitati non solum temporalibus, verum etiam spiritualibus pœnis prospiciamus et consulamus, omnes et singulos cujuscunque gradus, status... qui vel, quæ uti principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem vel alia medicamenta scienter dederint, etc.* Loquendo hic igitur de pœnis spiritualibus, non amplius nominat mulieres prægnantes, sed tantum eos, vel eas, *qui vel*

quæ dant opem, coosilium, etc.; atqui mulier, quæ sibi abortum procurat non potest recte dici sibi præbere opem, consilium, etc. Et fortasse Pontifex consulto ita se gessit ad novum animæ laqueum in his mulieribus declinandum, earum infirmitati compatiens. Saltem dubia res est, ait Roncaglia; at in dubio reo favendum est. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 383. Plura de abortu, Lib. IV. *Appen.* 42.

(L) Pag. 496.

852. Q. 1. *Quid si mulier oppressa, clamando possit se liberare?*

R. Non est damnanda sententia eorum, qui censent puellam, si non sit in periculo consentiendi, non teneri ad clamandum ob periculum nimiæ verecundiæ testes vocando; cum aliunde se modo passivo habere non sit consentire. Contraria tamen sententia in praxi est omnino suadenda, quia mulier difficulter poterit se eximere a periculo consensus; clamando vero, testes potius vocat suæ pudicitiæ. Eadem ratione docent, puellam debere potius mortem subire, quam pati violari, casu quo invasor mortem ei minetur, si non acquiescat. Unde Susannam imitetur, quæ malis tentatoribus respondit: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini: et clamavit voce magna* (Deut XIX). Hinc in Deuteronomio dicitur lapidibus obruenda puella virgo, quæ uni desponsata, vi oppressa concubuerit cum alio, si *non clamavit, cum esset in civitate:* quanquam id potius pertineat ad externum judicium, in quo præsumitur consensus liber in non clamante. (Deut. XXII. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 386).

« Francesco I re di Francia (anno 1524) entrava in Manosque; i borghesi di questa città di Provenza gli fecero presentar le chiavi dalla più bella donna che poterono trovare; era la figlia di Antonio di Voland loro concittadino. Questa giovane, altrettanto virtuosa che bella, fu spaventata dagli sguardi lascivi che il re gettò sopra di lei, e stimò di non aver altro mezzo per salvare il proprio onore, che quello di distruggere la bellezza che la mettea in pericolo. Ella si sfigurò il volto con acqua forte, e si rendette quasi schifosa per tutto il rimanente di sua vita. Nella gioventù nostra ci fu parlato molto della Lucrezia adultera di Roma pagana, e non ci venne mai detto parola di questa Lucrezia senza macchia della Francia cattolica. » Rohrbacher, *Storia universale della Chiesa*, l. LXXXIV.

853. Q. 2. *An liceat occidere ebrium, vel amentem aggressorem?*

R. Affirmant probabilius, nisi constet eum in statu peccati mortalis versari; quia quamvis ebrius vel phreneticus non sit aggressor tuus formaliter injustus, est tamen materialiter injustus, et tu jus tuum servas vim vi repellendo. Quod si certo scias eum in statu peccati lethalis versari (a quo post phrenesim vel ebrietatem possit resurgere), non videtur a te licite posse occidi, cum salutem ejus æternam vitæ tuæ temporalis conservationi præferre deberes. *Gury* et *Lugo.*

Q. 3. *An liceat occidere justitiæ ministros, vel falsum accusatorem, testem, aut judicem a quo imminet injusta sententia?*

R. Negative, nam injuria propulsari potest ordine judicii servato; adde, hoc semel admisso, via aperiretur cædibus: nam quisque potest facile sibi persuadere, se accusari injuste. Hinc ab Alexandro VII damnata est hæc sub n. 18 propositio: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam judicem, a quo certo imminet iniqua*

sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. Ratio est, tum quia defensio in hoc casu est omnino excessiva, cum directe non procedat damnum ex defensionis omissione, sed ex iniqua sententia; tum quia hoc semel concesso, turbarentur publica judicia cum gravi reipublicæ detrimento.

854. Q. 4. *An liceat prævenire aggressorem eumque occidere?*

R. Alii cum Sylvio negant; quia prævenire non est se defendere in actuali aggressione. Alii cum Lugo affirmant; nam qui hic et nunc paratus est lædere, jam est aggressor. Alii vero cum Roncaglia et Salmanticensibus sententias quodammodo conciliantes distinguunt: negant id posse qui tantum suspicionem, seu dubium timorem habeat de invasione; injustum enim est in dubio violentiæ proximum vita privare. Affirmant, si ex aliqua manifesta actione quis certo moraliter novit aggressorem esse determinatum ad invadendum, uti si videat jamjam ipsum catapultam parantem vel gladium evaginantem: et invasus nequeat aliter salvari, quam occidendo; si expectare teneretur aggressionem, jam mortem subiret, nec posset uti jure, quod omnia jura concedunt tuendi propriam vitam.

His tamen non obstantibus censeo hanc sententiam, illa etiam distinctione supposita, vix in praxi posse sequi, propter allucinationis periculum, quod in hujusmodi re adesse potest: et hoc maxime si aggressio non sit ita proxime insidians, uti si sciam Titium mandatum dedisse servo ut me circumveniat, ac de medio tollat. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 387. — Sporer, qui plura.

(M) Pag. 506.

855. Quoad stuprum: hæc præcipue notamus:

1. Cum Continuatore Tournely, valde utile fore ad hujusmodi flagitium vitandum, quod promissiones matrimonii ad obtinendam defiorationem, etiam forte juramento firmatæ, nullius roboris declarentur ab Episcopis; prout fert auctor præfatus id in praxi deductum esse in quadam Diœcesi gallicana cum magno profectu. — *V.* Liguori, *Opus. Mor.*, l. III, n. 641.

2. Quousque a legitima auctoritate nullius roboris habeantur matrimonii sive fictæ sive veræ promissiones a stupratore emissæ, vim obtinent in conscientia, et deflorator, si aliud speciale non obstet, tenetur ad nuptias promissas. Id probat et stupenda Theologorum et Canonistarum consensio, et S. Concilii Congregatio, ut notavimus in textu, et ipsa ratio; sane obligatio oritur ex injuria quam faceres alteri si illud negares, sub cujus conditione et exegisti et recepisti id, quod alter sub eo tantum pacto præstitit; quæ injuria reparari nullatenus potest, nisi alter illud recipiat, sub cujus conditione suum dedit. Neque hæc obligatio tua in se turpis est, aut ad rem turpem adigit. Hinc contraria quorundam sententia qui cum Frassinetti tunc tantum obligant stupratorem, quando proles concepta est, vel intervenit vera sponsalitia promissio, omni destituitur probabilitate, et eam *melius abnormem dixeris aberrationem*, ut scribit Ballerini, *In Adnotationibus ad Gury.*

3. « Se colui che fu condannato in criminale a sposare una donzella stuprata, od al carcere o a dotarla, abbia subita la pena del carcere, non può essere impedito, per parte della donna, di contrarre nuove nozze. Non monta che la pena del carcere sia stata diminuita

per grazia sovrana; nè monta che alla donna non sia stata pagata la dote, rimanendole per ciò l'azione civile, per astringerlo al pagamento. » *Decis. della S. C. del Concilio*, 12 sett. 1862.

856. Quæres: *quænam confessarius observare debet circa stuprum aut fornicationem?* Confessarius dum audit copulam perfectam seu completam extra matrimonium, inquirat:

1. An proles sit secuta an secutura: si dicatur neque secuta neque secutura, tunc prudenter et circumspecte petatur, undenam id sciat, si forte abortus procuratus sit. Si autem deprehendatur secuta aut secutura proles, circa secutam instruatur pœnitens de obligatione illam alendi; circa secuturam prudenter et fortiter monendus, ut curet ne quid mali fœtui contingat, sed ut salvus in lucem edatur et baptizetur; atque legitimetur, si fieri potest.

2. Inquirat confessarius, an vi, fraude, importunitatibus mulierem seduxerit, vel sub promissione matrimonii, ut obligationes inde enascentes doceat (at recordetur sæpe prolem non sequi, quia impeditur conceptio peccato Onan pessimo ac grande nimis). Item circa adolescentes libidinosos videat, an sit ex illis deperditis, qui cum filiam occulte seduxerunt, palam exinde de turpi facto gloriantur, et ita seductam fama spoliant nefaria detractione. Similiter circa mulieres impudicas observet, eas aliquando adolescentulis teneræ ætatis et sæpe ignorantibus abuti ad libidinem per vim aut fraudem; quæ ideo stupri et scandali sunt enormiter reæ.

3. Generatim in peccatis luxuriæ inquirendæ sunt circumstantiæ tum personæ confitentis, tum personæ quacum vel circa quam peccatum est: an sit libera, conjugata, voto obstricta, consanguinea, etc. Et quoad peccata externa luxuriæ inter duas personas, quærat confessarius, an personæ illæ simul cohabitent; quia ablato semel pudore, periculosissima sane est cohabitatio: ideo ordinarie separari debent. *Dens.*

857. Quoad adulteros: nonnullæ quæstiones.

Q. 1. *An adulter et adultera teneantur restituere quæ ab ipsorum consanguineis dantur aut legantur spurio, quia legitimum reputant?*

R. Alii affirmant cum Molina, quia donatio ex errore circa personam nulla est; hujus autem erroris causa sunt adulteri. Alii cum Lugo (quod probabilius est, et in praxi admittendum ex Bouvier) negant; nam nemo tenetur de damno, quod per accidens et præter intentionem ex actione sua evenit, ut contingit in præsenti casu. Attamen observat Billuart, quod spurius, si talem se cognoscat non potest illas donationes sibi retinere; quia revera nullæ sunt. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 657.

858. Q. 2. *Quid si mulier nec omnino invita, nec omnino consentiens fuerit; sed fuerit precibus, suasionibus, etc. seducta, ut plerumque evenit; tenetur ne adhuc ad medietatem damnorum?*

R. Non conveniunt Theologi; sed sat probabiliter ex Talento quidam asserunt, æquitati consonum esse inducentem teneri ad majorem partem, quia duplici titulo nocuit, ut scilicet movens ad damnum et ejusdem damni executor. Si autem adulter promiserit se suscepturum omnia onera ex adulterio secuta, ad id utique obligatur: qui si renuat stare promissis, adhuc tenetur adultera; neque enim ob privatum pactum fas est non compensare damna illata.

859. Q. 3. Anna cum adulterium commisisset, viro de hoc suspicanti et sciscitanti, respondit primo: *matrimonium non fregi;* secundo, cum jam a peccato fuerit absoluta: *innocens sum a tali crimine;* tertio, adhuc instante viro: *non commisi*, intelligendo non commisi adulterium tibi revelandum. *Quid?*

R. Anna a mendacio excusari potest; in primo casu dicere potuit se matrimonium non fregisse, etenim adhuc subsisit. In secundo casu dicere potuit se innocentem, nam post absolutionem a peccato non amplius gravabatur: et potuit asserere etiam cum juramento. Item potuit in tertio casu negare se adulterium commisisse, intelligendo ut illud marito revelare deberet: et causa est ita respondendi, ad jurgia, dissentiones aliaque mala vitanda. Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 162, cum aliis multis. *Gury.*

860. Q. 4. *An adultera teneatur se prodere ad vitanda damna mariti, et prolis legitimæ, si alio modo ea nequeat compensare?*

R. Si damnum famæ propriæ multum præponderat damno mariti, non tenetur adultera crimen prodere; nemo enim tenetur damnum alterius resarcire cum damno proprio longe majori. Si non præponderat, se manifestare debet, quando certo probare valeat illegitimitatem filii; et sane tunc melior est conditio mariti innocentis et prolis legitimæ. Hinc inferunt matrem teneri se prodere: 1) si sit perditæ famæ, vel conditionis tam vilis, ut non sit ea majoris facienda, quam damnum aliis obventurum; 2) si aliter immineat damnum publicum, v. g.. si filius spurius sit perditis moribus imbutus, et succedere debeat Regno; 3) si mater verosimiliter speret filium spurium sibi crediturum, ac bonis cessurum: secus frustra obligaretur.

Ceterum spurius non tenetur credere matri asserenti illum esse spurium; tum quia est in possessione legitimitatis, ut natus tempore legitimi matrimonii: hinc non tenetur credere, nisi convincatur; tum quia nemo tenetur credere uni testi licet probatissimo, secus via ampla aperiretur fraudibus et deceptionibus. « Tum præcipue (ad rem observat *Stapf*, § 454), quia mariti ipsius atque filiorum legitimorum plerunque longe magis interest, ut res maneat in occulto. Quid enim ex tali Confessione timendum non est? infelix maritus gravissimo mœrore affligitur; salus domestica et pax naufragatur. » Ex quibus omnibus concludunt Elbel et Tamburini, raro in praxi, imo forsan nunquam, matrem teneri ad se manifestandam: *Mulieri, quæ ignorante marito*, ait Innocentius III, *de adulterio prolem suscipit, quamvis id viro suo timeat confiteri; non est pœnitentia deneganda; sed competens satisfactio per discretum sacerdotem ei debet injungi.* (C. *Officiis*, de pœnit. et remiss.).

Quid judicandum de facto adulteræ, quæ impotens avertere damna a prolibus legitimis, morti vicina, vocatis omnibus filiis, declaravit unum ex illis esse illegitimum, ac petit vellentne illum nominari, aut innominatum cum ceteris hæredibus pariter dividere? Quo audito, omnes sibi mutuo condonarunt, quia quisque metuebat sibi. Mater in illo casu (quem Avenione suo tempore contigisse scribit Alciatus) inique egit; tum quia diffamavit filios legitimos reddens eos de illegitimitate suspectos; tum quia illa remissio mutua habetur invalida utpote facta ex metu gravi injuste incusso; quisque enim timebat de se.

861. Q. 4. *Qualis restitutio facienda est hospitali, si proles illi exponatur, in sententia eorum qui obligant exponentes ad restitutionem?*

R. *Si proles vixerit*, restituendi sunt hospitali omnes sumptus qui apud nutricem fieri debuerunt et dein in ipso xenodochio usque ad annum 12, quo sufficienter laborare supponitur puer ad lucranda absolute necessaria ad victum et vestitum: qui omnes sumptus æstimantur moraliter 1000 franchi. *Si proles mortua sit*, sumptus restituendi a die expositionis ad diem mortis erunt computandi franchi 84 circiter pro singulis annis: quæ restitutio fieri potest per confessarium vel alium fidum ac secretum. *Si deprehendi non possit an proles sit*

mortua, an vero adhuc vivat (prout ordinarie contingit), quid in hoc casu tribuendum sit, non potest, ait Gury, certa regula definiri: solutio enim pendet a variis rerum et locorum adjunctis, a vita producta plus vel minus, aut a morte præmatura pueri. Vix (ajunt) sexta pars illorum puerorum ad ætatem annorum duodecim pervenit: unde dicunt, satis esse si a parentibus pro rata dubii 200 vel 150 franchi nosocomio solvantur (ex Bouvier 300). — *V.* Carrière, *De Justitia et Jure*, n. 1374.

(N) Pag. 512.

862. Ad *frigidam commendationem* revocatur (ex *Stpaf*, § 400), qui vultu vel nutibus calumniatur. Ubi aliquis laudatur, malitiose subridenl, humeros attrahunt, sermonem brevi interjectione abrumpunt, e. g., *Titius est quidem vir probus, veruntamen...* Unde illud adagium:

Si *nisi* non esset, perfectus quilibet esset;
Sed pauci visi, qui caruere *nisi*.

Imo qui tali interruptione, vel ad alienas laudes subridendo proximum vituperant, plerumque ejus famæ multo magis nocent, quam si certum aliquod vitium ipsius aperte designassent; tunc enim dum tacent aut rident, vagis et quibuslibet suspicionibus porta aperitur. « Alii (ait s. Bernardus, Serm. XXIV *in Cantica)* quodam fuco simulatæ verecundiæ malitiam adumbrare conantur, mittunt alta suspiria; vultu mæsto et voce plangenti egreditur maledictio, etc. » Quæ ista sunt? pestes detractionum. Huc referri potest illud Psal. LIV: *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula.*

« Porro (iterum *Stapf*, § 403) circa hanc materiam, quæ est *de detractione* ingens plurimorum licentia reperitur. Prout in discernendis propriis vitiis plerunque cæci, ita ad detegendos carpendosque nœvos aliorum valde perspicaces sumus. Unde in quotidiana hominum conversatione vix alia sermocinatio auditur, quam de aliorum vita et moribus. Imo ut s. Hieronymus jam de suo tempore lamentabatur: *Tanta hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant...* Multo deterior conditio illorum est, qui etiam in reliquis conscientiam curant, tum vero aliena errata sagaciter venari, quidquid detegunt quasi lætabundi suis in conventibus exponere, imo et exaggerare consueverunt. » Cui malo nequit amplius occurri, et quod uni loco notum est, statim ubique vulgatur; hodie maxime cum *omnia jam nunc* (ut observat Lyonnet) *loca censeantur contigua ob nimias commercii relationes, multitudinem viatorum, nubem publicorum foliorum et forsan coævorum nativam loquacitatem.* Adde miram tum viarum ferrearum, tum telegraphi electrici inventionem. Et ideo magis quia sunt, ut cecinit Gagliuffi:

Sæpe homines canibus similes; nam turba, latrantem
Unum si audierit, cuncta repente latrat.

En generatio, *quæ pro dentibus gladium habet* (Eccl. XXXIV), et *dentes eorum arma et sagittæ* (Ps. LVI). Nostrum ergo esse debet et verbo et exemplo fideles removere a vitio tam communi, gravissima ejus

consectaria aperiendo. Legatur caput XXVIII Ecclesiastici, ubi mala linguæ describuntur, ac maledici pessimi exitus.

Ceterum hac ætate, in qua nullus detractioni finis, et ipsa probatissimorum fama libellis ac dictertis quotidie laceratur, id unum restat, ut in Domino confortemur qui beatos appellat qui persecutionem patiuntur, propter justitiam tamen. Ad rem Salesius cuidam mulieri in angustias scribebat: « La maggior parte dei nostri mali sono immaginari più che realì. Pensate voi, che il mondo creda queste pasquinate? Può essere, che alcuni vi si fermino, e che altri ne concepisca qualche sospetto; ma sappiate che se l'anima vostra è ben rassegnata nelle mani di nostro Signore, ogni sorta di somiglianti assalti svaniranno al vento come il fumo, e quanto più è gagliardo il vento, più presto spariranno. Il male della calunnia non si guarisce mai tanto bene, come per mezzo della dissimulazione, dispregiando il disprezzo, e mostrando colla nostra fermezza, che non possiamo essere presi; perchè la calunnia, la quale non ha nè padre nè madre che voglia accettarla, mostra di essere illegittima. Orsù, mia carissima sorella, io vi voglio riferire una sentenza che s. Gregorio Magno diceva ad un Vescovo afflitto: *Ah! se il vostro cuore fosse in cielo, i venti della terra non lo commoverebbero in modo alcuno; a chi ha rinunciato al mondo, nessuna cosa del mondo può nuocere.* Ponetevi appiè del Crocifisso, e osservate quante ingiurie ricevette; supplicatelo per la dolcezza colla quale egli le sostenne, che vi dia forza di sopportare questi piccoli rumori, i quali come a sua serva vi sono toccati in parte. Felici gli ingiuriati e calunniati, perchè saranno onorati da Dio! » *Lett.* XXXV.

Monitum: Etsi famam et honorem nostrum curare præstet (monet *Stapf)*, cavendum ne sub specie virtutis putidum egoismum sequamur. Item caute in educanda juventute nos versari oportet, ne dum stimulum honoris provocamus, animi juveniles dominanti ambitioni in prædam cedant. Etiam in animarum curam admodum delicati esse debemus, ne aut magistratuum potentiorumque gratiam mediis indignis captemus, qualia forent nimia celeritas in faciendo Sacro, laxitas in confessionali, turpis adulatio, conversatio justo familiarior, approbatio abusuum, qui alicubi invaluerunt, etc., etc. Quoties hominum favor nonnisi per media indigna acquiri potest, illius nos meminisse decet, quod ait Apostolus: *An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (Gal. I).

863. Casus: *Labanus exponit Longino suo confessario, se data opera audivisse Lycurgum detrahentem Menelao: quomodo interrogandus?*

R. In primis ipse est interrogandus, an ab eo audita detractio fuerit de re levi aut notoria, vel facta fuerit ex justo motivo; an vero fuerit de re gravi ac occulta et facta sine justa causa. Si de re levi, patet opus non esse tot interrogationibus; sed sufficit ab eo inquirere an forsan audierit detractionem animo aliunde mortaliter peccaminoso (puta cum desiderio, quod detrahens famam personæ detractæ notabiliter læderet; quod mortale esset). Idem fere dic si agatur aut de re notoria; aut de detractione ex justa causa, puta ad se præcavendum ab homine malo et doloso; nam primum per se non excederet veniale; secundum nullum peccatum est.

Si vero pœnitens dicat detractionem ab ipso auditam fuisse in materia gravi, de re occulta, et sine motivo factam, tunc inquirendum a Labano, an ipse illum excitaverit ad detrahendum, aut dicta approbando, aut plaudendo, etc., fuerit causa quod is continuaverit vel auxerit detractionem; sic enim peccasset contra charitatem et justitiam

uti detractor, et contra charitatem ob scandalum huic datum in tali cooperatione: et ideo et ipse tenetur ad famæ restitutionem. Item tunc videndum, an alia damna ex tali detractione secuta sint; an fama læsus sit persona conjunctissima, uti si pater, vel an sic cooperans sit superior qui aliunde teneretur impedire illam detractionem; tunc contra justitiam, pietatem et charitatem novum adderetur peccatum.

Quod si nihil horum intervenerit, nec ullo positivo modo Labanus alium excitaverit, ad detrahendum, investigandum quo animo detractionem audierit, an cum complacentia de damno proximi, quæ si manifestata, est adhuc detractio, cum sit detractionis laudatio; si non manifestata, odium est, grave in re gravi. Si vero sine complacentia, sciscitemur, an audierit ex mera curiositate sciendi alterius crimina, vel ex puro fine capiendi solatium ex dictis et artificio detrahentis: quod veniale communiter reputatur, etc.

(O) Pag. 516.

864. Q. 1. *An ex pluribus detractionibus levibus efformari possit peccatum grave?*

R. Affirmative, si quis eidem personæ detrahit in pluribus rebus levis momenti, etsi fiat successive, sed coram eisdem auditoribus; si hæc levia talia sint, ut ex omnibus simul junctis graviter imminuatur illius fama. Lugo, *De Justitia*, diss. XVI, n. 46. — Carrière, *De Justitia*, n. 910.

865. Q. 2. *Licitumne erit revelare alterius crimen occultum simul narrando pœnitentiam peractam?*

R. Negative: neque manifestatio compensatur per subsequentem pœnitentiam; semper enim quædam sinistra opinio in aliis ingeritur. Unde si quando id factum legimus, divina Providentia factum est ad horrorem vitii injiciendum, ad veritatem factorum conservanda, ad peccatores alliciendos, et divinam misericordiam patefaciendam.

866. Q. 3. *An sit mortale referre crimina uti audita ab aliis, v. g., si dicas:* fertur, narrant, audivi de Titio hoc vel illud?

R. Si referens crimina audita prævidet gravem infamiam proximo non esse obventuram, quia alii non sunt credituri, non peccat mortaliter; quia damnum grave non infert; secus peccat ob rationem contrariam. Quod si referens prævideat audientes credituros ex propria malitia, non peccat contra justitiam, quia non esset damni causa efficax et directa, sed per accidens. Peccaret tamen contra charitatem, quia tenetur quilibet grave proximi damnum impedire cum commode potest. Imo et contra justitiam: 1) si ita referat, ut audientes sint credituri, ut si asserat audivisse rem a persona fide digna. Et adest peccatum grave etiam contra justitiam; quia dat rationem sufficientem credendi malum; 2) si referat crimen alterius valde enorme, ut hæresim, rebellionem, etsi dubitanter; quia sola horum criminum suspicio solet valde infamare.

867. Q. 4. *Si delictum olim publicum, nunc oblivione, vel bonis moribus sit obliteratum, licet ne revelare?*

R. Non est peccaminosum iterum illud patefacere, si fuerit publicum notorietate juris; quia expedit ad terrorem malorum judicis sententiam non ignorari. Idem dicendum de publicis historiis, licet crimen sit notum sola facti notorietate: id enim conducit ad publicum bonum;

nam et instruuntur posteri et spe honoris ad præclara incenduntur, et timore infamiæ a turpibus deterrentur: et ita passim fit.

Hisce exceptis casibus, alii dicunt cum Alasia non esse contra justitiam de novo infamare, cum crimen jàm est obliteratum, modo simul referatur emendatio; nam quisque ex una parte jus habet criminum publicorum acquirendi notitiam, ex alia per bonam vitam præsentem olim infamatus habet jus, ut censeatur bonus in præsentiarum, non in præterito; *neque enim*, ait Jus civile, *aboletur turpitudo, quæ postea intermissa est* (Digest., l. XXIII, t. II, l. 48). Verum alii tenent cum Lugo, Lessio et Croix id sine gravi culpa saltem contra charitatem fieri non posse, etsi narretur emendatio; nam id sine summo mœrore infamati non potest evenire. Adde: per oblivionem rem in eo statu reductam esse, quo erat antequam esset publica; at quando delictum non est publicum, nequit publicari. — *V.* Liguori, *Ho. Ap.*, tr. XI, n. 13.

868. Q. 5. *Quid de eo, qui manifestat alterius crimen occultum et falsum, putans ex errore invincibili illud esse verum et publicum?*

R. Eo modo quo incendens sine culpa domum alterius, tenetur ex charitate et ex justitia ignem extinguere, cum advertit et potest sine magno incommodo; sic iste tenetur suum factum retractare. Idem est, si rem magni momenti propalasti, quam parvi esse judicabas: item si ex inadvertentia dicis Petrum auctorem talis homicidii, cum sit Paulus. Sane qui retinet rem alienam, invito domino, eam tenetur restituere statim ac cognoscit esse alienam: sed in casibus supra, quandiu tuum dictum non retractas, detines famam alterius, quia pravam opinionem ex tuo dicto causatam in aliorum mente relinquis: ergo teneris illam repellere aperiendo veritatem, quod non est proprie restituere, sed damnum incæptum interrumpere. Justitia enim non solum te obligat ad non inferendum damnum, sed etiam ne ex tua actione damnum pergat influere. Unde licet illa tua actio ab initio non fuerit injusta, injusta evadit quando id advertis et non provides, cum adhuc subsistit; ideo tunc de restitutione graviter teneris.

Diximus: *et potest sine magno incommodo*; ipsa enim æquitas satis innuit, esse minorem obligationem restituendi in eo, qui bona fide alium infamavit, quam in eo qui formaliter contra justitiam id fecit. Et ideo licet iste teneatur cum detrimento propriæ famæ et bonorum fortunæ, et aliquando etiam vitæ famam restituere; ille nunquam cum magno incommodo ad id obligatur sive in fama, sive in vita, sive in divitiis; cum eum culpa primitus non tenuerit. Ita communiter Layman, Lessius, Lugos cum Salmanticensibus.

869. *Quid si error se teneat ex parte audientium tantum? ut si tu nomines revera Paulum auctorem homicidii; sed auditores intelligant Petrum?*

R. Juxta omnis teneres ex charitate errorem corrigere; quisque enim cum commode potest, tenetur a proximo suo damnum præcavere. Utrum vero tenearis etiam ex justitia si commode potes, affirmat Molina; quia ex tua actione aliquo modo ortum habet damnum illud. Negant Busembaum, Lessius et Billuart; quia non tua actio, sed error audientium tota est causa damni. Ego tamen, ait Lugo, magis assentior Molinæ; nam ad debitam loquentis diligentiam spectat curare, ne auditores de uno accipiant, quod ipse profert de alio.

870. Q. 6. *Quid de illo, qui ad mortem vel aliud grave damnum vitandum, manifestat occultum proximi crimen, cujus notitiam per vim aut fraudem, v. g., literas aperiendo, adeptus sit?*

R. Sotus dicit, ipsum non posse uti tali notitia sic extorta, etiamsi alioquin mortem subire deberet. Molina censet tunc tantum eum posse

revelare, quando longe majus detrimentum sibi timet. Lessius, Navarrus, Concina dicunt id posse ad quodcunque damnum vitandum, quia licet peccaverit sic notitiam habendo, non peccat ea utendo. Inter tam varias sententias nobis magis arridet sententia De-Lugo; hic magnus theologus sic distinguit: si tu jus habes exquirendi alterius factum, ut te ab injusto damno eripias, tunc etsi peccaveris per dolum malum secretum expiscando, attamen ea notitia potes uti; quia defectus esset tantum in modo, non in re. Hinc si tuus hostis tibi innocenti mortis sententiam velit a judice expetere, illius occultum crimen (cujus notitiam tantummodo per peccatum habuisti) poteris licite revelare.

Aliter est, si non sit tibi permissum crimen alterius exquirere, tunc si per vim vel fraudem ejus notitiam habuisti, non potes in conscientia illud manifestare; nam actio injusta, qua secretum assecutus es, te obligat ad reparanda omnia damna proximo inde obventura. Et quemadmodum qui est in extrema necessitate, tenetur restituere quod a proximo abstulit, quando proximum ipsum ob talem præcise subtractionem conjecerit in æqualem necessitatem; ita et tu teneris ad compensandum damnum alteri illatum per revelationem secreti, quia per eam violentam secreti extorsionem conjecisti proximum innocentem in necessitatem patiendi tale damnum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 969.

871. Q. 7. *Quidnam advertere debent historici, ne gravi detractorum culpa teneantur?*

R. Stapf, (§ 405) *hæc ponit animadversiones quoad historicos:* « In ipsa conscribenda historia ita nos versari oportet, ut quamvis veritati nunquam refragari liceat, majorum tamen pudenda absque sufficienti ratione non detegamus. Plurimum quippe diversa sunt, vera inficiari, et omnia quæcunque gesta sunt, in lucem proferre. Hinc ut historia revera *magistra populorum* dici mereatur, ea tantum exhibeat quæ sunt ad *ædificationem*. Quapropter crimina et flagitia præteritorum temporum equidem narrare licet, in quantum vel pragmatica rerum gestarum series, vel gloriosior virtutis triumphus absque tali relatione intelligi non potest, vel quatenus per hanc ipsam expositionem posteri a similibus ausibus absterreantur. Contra, qui absque solida ratione, nefanda impietatis mysteria revelant, non tantum famæ ætatis præcedentis, sed etiam nobis nostrisque successoribus parum consulunt. Exinde enim imaginatio turpiter fœdari, horror flagitiorum multum imminui, et ipsa demum opinio corroborari solet, ac si in his terris nullus veræ virtutis locus concederetur. Imo quidquid legentibus sacrum sanctumque fuit, incautis hujusmodi relationibus vilescit. Qui, e. g., historiam perlegit, quæ nonnisi abusus et flagitia summorum imperantium exponit, mox quoque omnis legittimæ auctoritatis fastidio capitur; præsertim de sacra hierarchia et sacerdotio id obtinet. »

Maxime illi peccant, quibus ne ipsa quidem veritas cordi est, dum narratiunculas minus certas et aniles fabulas tanquam indubitata facta referunt; eum tantum in finem, ut partem cui infensi sunt, hisce calumniis exagitent. Huc spectant, e. g., calumniæ contra Instituta monastica, præsertim quæ in Societatem Jesu confictæ et in publicum sparsæ fuerunt. — *V.* Mascardi, *Dell'arte istorica*, trattati cinque. Firenze, 1860. — Solimani, *Importanza della storia, considerata nelle cose che le servono di materia.* Roma, 1861.

872. Detractio non semper detractio est; hinc nota:

1. Quod spectat ad praxim, confessarius advertere debet, quod plerumque detractiones sunt de rebus jam satis notis, et contra personas

qui sufficientia et notoria præbent motiva, ut malum de illis dicatur. De hisce porro parum curare debet, sed suos hortetur pœnitentes ut ab illis abstineant, ut a sermonibus inutilibus qui christianæ edificationi nimium opponuntur et observantiæ erga proximum; sed nullam ideo exigat reparationem.

2. Item in mentem revocanda Salesii sententia: *gridare al lupo è carità delle pecore.* Sunt quidam adeo pravi ac perniciosi, qui optimum est si dignoscantur, et ideo præstat omnia de illis aperiri ut quilibet cavere possit ab eorum insidiis ac seductionibus; quod magis fieri debet si tales sint, qui imponant simplicibus ac juvenibus. Ideo si quis de hisce detractionibus se accuset, confessarius ipsum doceat detractiones non esse, si non exaggeret. Frassinetti, *Compendio*, nota LXXXIV. Vide item dicenda n. 1026.

3. Lhomond in Opere, *Metodo per confessare i fanciulli* etc., hunc sibi proponit casum: *Quand' è che un confessore di collegio può comandare o consigliare a un penitente di scoprire al superiore un libertino che convive in esso?* Per obbligarvelo si richieggono quattro circostanze: 1) che il male sia ben provato; 2) che sia contagioso e nuoccia anche agli altri, che non lo commettono; 3) che il mezzo che si vuol adoperare per informare il superiore, non violi il segreto della santa Confessione, nè possa renderla odiosa; 4) che non vi sia grave pericolo pel delatore. Quindi se mancano prove manifeste, se il male non può inoltrarsi più in là, se temesi di alienar gli altri dalla Confessione, se non si ha sicurezza della prudenza del superiore, e potesse nascerne strepito, non si proceda a delazione. In generale, vuolsi somma riserbatezza nel comandarla o consigliarla, affinchè per rimediare a un male non se ne cagioni uno peggiore. Bisognerebbe che non si potesse arguire che il superiore fu informato in occasione di Confessione; laonde nel caso in cui codesto libertino fosse un domestico o un maestro, o uno scolaro maggiore, i quali abusassero, l'uno della sua autorità, l'altro della sua forza, mi determinerei a far succedere la dichiarazione dopo di avere inculcato al penitente: *Ecco ciò che direte e nulla più;* e dopo avergli severamente proibito di parlarne ad altri fuorchè al superiore.

» È duopo per quanto è possibile, che il penitente, e non il confessore faccia al superiore questa dichiarazione; così incontransi meno scogli. Tuttavia, siccome è difficile determinare un giovane a tale dichiarazione, ove, nel caso di un pericolo urgente, il confessore se ne incarichi, previo permesso del penitente, conviene egli abbia questo permesso in iscritto, affinchè, quando il giovane venisse a ritrattarsi, il confessore abbia la prova in mano. Terminerò esponendo un espediente che sorti esito felice: un confessore ha impegnato il penitente a scrivergli il fatto segnato di sua mano, promettendogli di non mostrare la lettera, ma di trascriverla egli stesso di proprio pugno senza segnatura, e recar la copia non segnata al superiore. Il segreto della Confessione era assicurato, nè il fanciullo correva pericolo. Ma in simili circostanze sia regola capitale domandare parere prima di comandare o consigliare alcuna cosa. » — Vide disputata, Lib. I, n. 681: *Il denunziatore e la spia.*

(P) Pag. 521.

873. Q. *An liceat compensare famam cum fama?*

R. Certum est: 1) quod si unus velit alteri famam restituere, iste pariter tenetur ad idem erga eundem, si eam eidem abstulerit: secus

non servaretur æqualitas: compensatio autem est remedium quod non obtinet, nisi in defectu; 2) quod nemo potest famam alteri auferre eo quod ab ipso fuerit infamatus: non enim esset compensatio, sed vindicta; cum fama unius non reparetur per infamiam alterius. Unde patet discrimen quoad famæ et pecuniæ restitutionem; auferendo enim pecuniam a fure, totum aufero, quod mihi debitum est, ac meum recupero: non item infamando infamantem famam meam integro; nam fama alterius mea fama non est. Hoc tamen non impedit, quominus alterius testimonium labefactare possim aperiendo delictum verum; 3) famæ compensatio non licet, si inæqualitas sit maxima quoad illatas injurias; nequit tunc justa compensatio intervenire.

Quæstio ergo tota est *de casu, quo duo ferme æqualiter sibi invicem famam læserint, et unus nolit eam restituere.*

Alii cum Alasia, Lugo, Navarro, et Sporer negant in hac re dari compensationem; nam tu non restituendo alteri famam, non recuperas famam tuam ab illo violatam. Attamen sententia probabilior et communissima cum Billuart, Bouvier, Continuatore Tournely, Laymano, Lessio, Holzman, Roncaglia, Salmanticensibus, Sanchez, Sylvio et Soto docet posse læsum compensationem facere et restitutionem diferre: nam est generale principium: *non cogeris jus suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum.* Neque obstat, quod sic non restituatur fama; nam præterquamquod alterius testimonium remanet infirmatum per diffamationem (cum tunc non amplius tanta fides adhibeatur ejus dictis), ac ideo ex parte propria fama potest dicit recuperata; tota ratio hujus opinionis est illa ratio generalis: *quando jura sunt paria, non est illi servandum jus, qui suum non servat.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 999 et 1001.

In praxi sedulo advertendum est multoties expedire ut confessarius omittat monere pœnitentem in bona fide existentem circa satisfactiones: imprimis, si prævideat monitionem non profuturam esse; vel si prudenter putet eum qui dehonoratus fuit, recusaturum esse reparationem, præsertim publicam, ne memoria injuriæ apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur, etc. *Gury* (De compensatione famæ cum pecunia vide supra n. 841).

(Q) Pag. 526.

874. Secreti revelatio: non facile permittendum, ut unus alteri secretum dicat, licet sub secreto: « Tanta enim est hominum loquacitas, ut vis secretum in uno sistere possit. Neque extra rem est quod scribebat celebris De-Maistre: *Non credo più al secreto; tutti vi tradiscono, l'odio, l'amicizia, l'accorgimento, la storditaggine, le circostanze, che so io? in somma il secreto non c'è più.* Sub secreto unus alteri, secundus tertio, et ita successive res communicari novum non est; sicque occultissima sub secreti larva omnibus (ut plurimum non sine gravi societatis damno) nota fiunt. Hinc Chrysostomus (Hom. III *ad pop. Antioch.*): *Si non vis effari, neque alteri ipse dicas; postquam autem alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis et inutilia admonens et obtestans pro dictorum custodia.* Dulcedo confabulationis, ut vir præclarus observat, mentem facile inescat: alius arcana sua tibi patefacit tuque sub sanctissimo amicitiæ sigillo tua cum illo communicas. Sed quamvis tu forsan audita retineas, ille tamen obvio cuique refert; tumque fiet ut tota communitas post breve tempus, quod pa-

lam ignorare videtur, clam dudum compertum habeat. Vide cui fidas. » *Stapf*, § 401. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 246.

Audiatur item ep. Parisis, *Quesiti di coscienza:* « Il segreto è proprietà individuale nel suo più stretto significato, e se esso volge sulla vita privata, è carissimo sopra ogni bene, giacchè l'infamia è più terribile della povertà. Ora chi strappa altrui il secreto e lo disvela, lui non consenziente, al pubblico, è in colpa di formale ingiustizia in faccia a Dio; ed ingiustizia tanto maggiore, quanto più rovinosa è l'infamia che ne risulta: dunque deve il giornalista rispettare gelosamente i secreti della vita privata, anche quando si tratti d'uom pubblico. Il che però deve intendersi di quegli atti privati, che non hanno immediato e necessario rapporto a funzioni sociali e sottomesse per diritto costituzionale a pubblica censura. Così, a mo' d'esempio, ti sarà talvolta lecito svelare al pubblico certe pecche della privata condotta, cui tenga un educatore di gioventù: laddove inutile ed inonesta cosa perciò sarebbe, se si trattasse d'un impiegato di finanze. Rammenta però che la misura se sia estrema, essa non può essere giustificata che dall'interesse comune e dal difetto d'ogni altro mezzo per conseguirlo; e che in ogni caso l'applicazione del crudele rimedio debbe farsi con ogni guisa di delicati riguardi. »

875. Secretum confidentiæ: quoad hoc secretum notat speciatim Gousset: « Sono dispensati dal testificare... i Vescovi, i Parrochi, i Vicari per quello che concerne le confidenze e le rivelazioni che sono state fatte ad essi nell'esercizio della giurisdizione ecclesiastica, del ministero pastorale anche fuori del tribunale della Penitenza. Altrimenti un Vescovo, un Pastore non potrebbe più esercitare efficacemente l'autorità tutta paterna che ha sopra i suoi inferiori nell'ordine morale e spirituale. » — V. *Supplica Apologetica a S. A. l'Arciduca Vicerè del Regno Lombardo-Veneto a favore del sacerdote I. G. nella causa di secreto ministeriale, introdotta innanzi i tribunali.* Svizzera, 1832. — L'*Armonia*, Giornale ecc. Torino, anno 1856, n. 102.

876. Secretum amicitiæ: illi sunt redarguendi, qui amicitiæ sanctitatem parvipendentes, semel ac amicitia cum aliquo soluta est, literas proferunt, quas sibi mittebat amicus. Qui talia agit, est ex ipso Tullio (Philipp. II, cap. 4), *homo et humanitatis expers et vitæ communis ignarus; quis enim unquam qui paulum modo bonorum consuetudinem nosset, literas ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium protulit palamque recitavit? Quid est aliud quam tollere a vita vitæ societatem, amicorum colloquia absentium? Quam multa joca solent esse in epistolis, quæ prolata si sint, inepta videantur? quam multa seria, neque tamen ullo modo divulganda? sit hoc inhumanitatis tuæ: stultitiam incredibilem videte.* V. Stapf, § 471.

877. Secretum massonicum: huc spectat impium illud pactum quod infanda massonum societas juramento firmat, nihil propalandi eorum quæ geruntur in illorum tenebrosis conventiculis. Quod quidem secretum et juramentum Romani Pontifices semper damnarunt, nullius roboris illud declarantes, cum vergat in societatis ecclesiasticæ et civilis maximam perniciem. V. *Civiltà Catt.*, ser. 6ª, t. V: *Del secreto massonico.*

878. Literæ subditorum: licite eas aperit superior: « Eccettochè (addit *Gousset)* non si tratti di affari di coscienza, o di un secreto di famiglia: e basta, per prevenire qualunque abuso, che un superiore sappia che l'inferiore scriva realmente al suo direttore, o a' suoi parenti. Per la stessa ragione crediamo che un padre di famiglia possa aprire le lettere di un figlio che ancora è soggetto alla patria pode-

stà; lo stesso dicasi d'un tutore riguardo al suo pupillo (idem dicunt de marito quoad literas uxoris vel ad uxorem): » semper tamen excepto, si res sit conscientiæ (Liguori, *Opus Mor.*, l. v, n. 70). Hac de re en singularis casus: « N. N. uscito di collegio chiese al Rettore la restituzione di sue lettere; esso ne offerse una parte, rifiutò l'altra come contraria ai buoni costumi. L'alunno fece citare il superiore; il giudice prima, il tribunale di Mondovì poi lo assolvettero. Ricorse in Cassazione a Torino, dicendo violati gli articoli 3, 39, 441 del *Codice civile* (Caroli-Alberti), e 29 dello *Statuto*, e gli art. 205, nn. 4 e 270 del *Cod. di proced. civile*. La Cassazione il 15 genn. 1857 confermò la sentenza: *Il direttore di un collegio è non solo autorizzato, ma obbligato a trattener le lettere dirette ai convittori, che contenessero cose contrarie ai buoni costumi: l'alunno non può pretendere la restituzione neppure uscito di collegio. Non vi è proprietà legittima dalla legge tutelata relativamente ad oggetti provenienti da un operato contrario alle leggi ed alla morale. Se la prova risulta solo dall'ammissione dell'altra parte, la confessione è inscindibile.* » — V. *Giurisprudenza degli Stati Sardi*, vol. IX, parte 1ª.

879. Literæ orbæ: quæres: *quid de illis, qui ad superiores literas anonymas mittunt* (vulgo *cæcas*), *quibus occulta alicujus subjecti delicta manifestantur?*

R. Communiter docent, ipsos peccare mortaliter, quia est revelare notabilia occulta fratris: et saltem notabilem suspicionem in superiore excitant: et hoc maxime, cum id ordinarie procedat ex odio ac vindicta. At non esset peccatum, si id fieret ex charitate, solam emendationem quærendo, ac solum celetur nomen scribentis, justa de causa, si nempe aliunde pro se malum aliquod timeatur. Nequeunt tamen per se loquendo superiores ex hujusmodi tantummodo literis procedere ad specialem personæ nominatæ inquisitionem quoad delicta, quæ continent literæ, etiamsi in illis notificentur testes, qui delictum valeant probare; quia hujusmodi literæ nullam inducunt infamiam ex Jure canonico (l. v, t. 1 *De accusat.*). Ita Rodriguez, Reginaldus, Lezena, Lessius et alii communiter.

Diximus: *per se loquendo;* nam quando non agitur de pœna infligenda, sed de certioranda positiva bonitate personæ quæ, v. g., ad aliquid communitatis officium assumi debet, utique aliqua ratio harum literarum haberi potest, prudenter scilicet inquirendo, an assumendus ad illud debitis dotibus sit instructus. Nulla tunc ei irrogatur injuria; nam directa in eum inquisitio est de bonitate, non de crimine: ideo prohiberi nequit, cum pertineat ad publicum bonum, ut tantum digni ad publica ministeria deputentur. — Quod maxime currit de ordinandis, siquidem Ecclesia jam de istis specialiter inquirit, dum omnes efflagitat, ut si quid habeant contra ipsos, id in Domino deponant. Sed caute procedendum, ne detur ansa malevolis: et merito a malevolis id fieri creditur, si literæ mittantur, cum non amplius suppetit inquisitioni tempus. — *V.* Ferraris; *V. Literæ*

(R) Pag. 534.

880. Si sylvæ essent privatorum, dicimus, eos qui ligna cædunt teneri ad restitutionem; quia domini absolutum dominium habent super suis sylvis. Et idem recte dicunt de sylvis communitatis, si privati emerunt vel conduxerunt omnia ligna illius; quia tunc

Communitas totum suum jus transtulit in illis. Quod de sylvis, valet quoque de pascuis. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 529; *Ho. Ap.*, tr. X, nn. 23 et 25.

Audiatur hic Pavone, *Spicilegio* ecc., § 44: « Ma che diremo dei poveri? questo caso, come si esprime il Collet, *gravis est momenti, et quotidie contingit, magnamque parit difficultatem Pastoribus*, ed anche a' confessori. Dunque vediamo prima che dicono i Teologi, e poi risolveremo qual regolamento debba tenersi nella pratica.

» Il lodato Collet è di sentimento, che allora soltanto sia lecito ai poveri di raccogliere dalle selve de' particolari legne secche o verdi, ma che sieno atte solamente per il fuoco, quando di ciò vi sia una legittima consuetudine: *non licere nisi contraria eaque vigeat consuetudo.* Soggiunge, che allora questa consuetudine è legittima, quando si fonda sul consenso espresso o tacito dei padroni; e che si suppone questo consenso, *primo* allorchè veggono raccogliersi le legna e tacciono; *secondo* qualora non potrebbero impedirlo senza mostrare una grande durezza di cuore, *sine immani quadam duritie.* Conchiude, che da questi principii il Sambovio e il Pontas deducono, *homini in ea necessitate constituto, ut alioquin hyeme sine igne, et calidis alimentis transigere debeat, licitum esse minuta quæ humi jacent, ligna, vipreta genistrasque colligere, in usum scilicet foci proprii, ut loquitur Sylvius. Ratio est quia vel domini tunc inviti non sunt, vel irrationabiliter sunt inviti.* Ecco le parole del citato Silvio: *An vero pauperes in sylva dominorum possint capere ligna in usum foci proprii necessaria, ambigitur. De aridis satis certum est, quod sic; de viridis autem non facile consenserim, nisi vera necessitas urgeat, cui vix possit aliter subveniri.* Il Pontas parla secondo ha riferito il Collet. Azorio assegna per regola generale, che *si quis inopia, vel necessitate pressus, ligna cædat suæ vitæ vel inopiæ necessaria, non peccat;* ed aggiunge, che neppure peccano i custodi di dette selve col non rivelare al padrone, che i poveri raccolgono le suddette legna.

» Ognun vede che concordano i Teologi nel giudicare cosa lecita ai poveri di provvedersi di legna, e concordano altresì nell' assegnare per ragione, non già l'estrema o quasi estrema loro necessità, ma il solo bisogno di dette legna, che essi non sono in istato di poter comprare. Nella necessità estrema o quasi estrema è lecito di prendere qualunque sorta di legna; ma gli autori citati vogliono, che sia soltanto lecito il prendere legna secche, o verdi di poco momento. È vero, che l' Azorio dice *necessaria vitæ*, parole che indicano la necessità estrema; ma poi aggiunge *vel inopiæ necessaria*, il che indica una minore necessità. Il medesimo senso hanno le parole del Silvio. Ma come fuori dell' estrema, o quasi estrema necessità si dice esser lecito il prendere la roba altrui? la ragione il solo Collet l'esprime, cioè la legittima consuetudine, onde questa fa duopo di ben intendere, e subito i confessori sapranno il giusto come regolarsi praticamente.

» Si rifletta dunque, che da una parte sarebbe una grande crudeltà il negar le legna a chi non può in verun modo provvedersene, e dall'altra parte le legna secche che o stanno sulla terra o sugli alberi, e le verdi di poco momento, non sono cose di gran valore, e sarebbe tenuto il padrone a darle per limosina a chi ne ha il detto bisogno. Or da ciò è nata la consuetudine, che i poveri da sè e senza domandarle prendano tali legna, di cui han bisogno per uso del loro fuoco: consuetudine legittima, e che scusa dal peccato, perchè tanto antica, quanto sono antichi i poveri; perchè tanto ragionevole, quanto è irrimediabile in altra maniera il detto loro bisogno; perchè finalmente

vi hanno i padroni che o tacitamente acconsentono, o irragionevolmente ripugnano. Possono dunque i confessori, e debbono permettere a' poveri suddetti il raccogliere le menzionate legna, manifestando loro, che è cosa lecita, acciò non pecchino per coscienza erronea. Nel tempo istesso debbono avvertirli a non tagliare alberi fruttiferi, nè piante destinate per farne travi, o tavole, ecc.; a non prendere i pali situati per sostegno delle viti, a non rompere le siepi intorno a territori, e a non cagionare altro somigliante danno. »

(S) Pag. 537.

881. Q. 1. *An teneatur uxor de suo restituere quæ maritus furatur?*
R. Nega; nam obligatio restituendi et personalis et realis est; uti *personalis* obligat ipsum damnificatorem vel cooperatores; uti *realis* rem ferit furto sublatam. Porro, ut supponitur, uxor neque ratione detentionis neque ratione cooperationis damnari potest. Hoc vicissim currit de furtis uxoris quoad maritum.

882. Q. 2. *Quid, si famuli equis armentisque quæ curanda susceperunt, clam et invito domino, melius largiusque pabulum præbeant, ut eadem vegeta et pinguia conservent?*
R. Equidem probi famuli est, ut quantum ad res sibi concreditas nonnisi voluntatem domini exequatur. Si tamen portio, quam dominus determinat ex judicio peritorum aperte insufficiens videatur ad fines quos dominus ipse intenderit assequendos, famulus generatim excusari potest, si ea tantum surripiat quæ videntur necessaria. Ast sæpe stulto quodam amore erga animalia ducti contra certam domini voluntatem plura illis præbent quam oportet, sicque veri nominis furtum committunt. Hactenus *Stapf*, § 446.

883. Casus: *Titius sustulit a Cajo ditissimo duas libellas, putans ad illum pertinere; sed postea, libellis in ludo consumptis, cognoscit eas non esse Caji, sed ejus domestici, qui eas domino suo deposito dedit.*
R. Quando sustulit, non peccavit, nisi venialiter, quia non habebat nisi conscientiam furti levis; et tunc nonnisi sub levi tenebatur libellas restituere. Sed statim ac cognoscit, eas libellas esse domestici Caji, ideoque respectu illius materiam esse gravem, sub gravi tenetur eas restituere; nam licet ab initio ejus mala actio non fuerit ut gravis apprehensa, talis ei nunc evadit, cum veritatem dignoscit, et adhuc possit et debeat providere: non restitutio enim est quasi continuata surreptio. Libellis autem consumptis, debitum subsistit, et debitoris persona obligata remanet. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 993.

(T) Pag. 548.

884. « Amorem sensibilem profani honestum (seu *platonicum)* dicunt; sed absit ut affectioni illi mere animali vel nomen amoris donemus! exinde enim corda mollescere; phantasia vero et pruritus animales vehementer accendi solent, adeo ut serius aut citius nonnisi turpissimi lapsus timendi sint... Quapropter quis non summopere doleat, imo et indignetur; quod poesis, publica spectacula, sublimioresque artes animalem affectum unius sexus ad alterum ubique ceu dignissimum amorem et tanquam summam vitæ beatitudinem exhibeant?

Quid mirum, si juventus ad hoc vitium jam alias proclivis tanto impetu ad voluptates anhelet, quæ auribus, conspectui et phantasiæ tam fallaciter, et tanquam omnis felicitatis culmen obtruduntur?

« Animarum Pastor incautam juventutem omni quo potest modo, ab hujusmodi familiari consortio dehortari et abstrahere conabitur; præsertim ubi nulla vel ambigua et remota honesti matrimonii spes effulget... Periculum istud ipsi quoque sacerdoti præsertim juniori sollicite cavendum est, ne scilicet intuitu singularis innocentiæ, pietatis, etc., erga personas alterius sexus molliculum affectum admittat. Sensus iste, inquit Oberrauch, ultra omnem opinionem astutus est, et periculosus admodum, utpote qui nedum ex re turpi, sed etiam ex ratione honesta non raro acrior evadit. » *Stapf*, §§ 302 et 310.

De amicitia falsa ad rem ait Orsini, *I Fiori del Cielo*, cap. XI: « Perchè Roboamo, quel giovine insensato, che perdette fino lo scudo di suo padre, vide il proprio regno scemato di dieci numerose tribù? Perchè imprudenti amici gli dettarono una altiera risposta che sollevò tutto Israele. Ma perchè cercare prove nella storia antica, quando ne trabocca la nostra cronaca moderna? Chi carpisce ad un uomo debole una firma imprudente, che gli toglie in un giorno un patrimonio fatto in dieci anni? Chi trascina al giuoco un figlio di famiglia, ed alla bettola un povero artigiano? Chi s'introduce come un serpente in una famiglia di confidenza per recare in essa il disonore? Chi è costui, ve lo domando? un amico.... Un vero amico è una cosa tanto rara, che è già molto, dice il pensatore Montaigne, se la fortuna ne forma uno in tre secoli. Questo è vero; ma in mancanza di oro puro vi è un povero metallo colorato, a cui si assegna un valore di convenzione, e che forma la moneta corrente delle nostre relazioni sociali. Quest'amicizia di contrabbando supplisce alla qualità colla quantità; essa si moltiplica di barbatella come i polipi; la si prende come una malattia; vi è al fianco per ogni dove, e vi fa spesse volte camminare nella sua cattiva strada a furia d'importunità. »

V. Silvio Pellico, *Dei Doveri degli uomini*, cap. XIII. — Beyerlink, *Magnum Theatrum vitæ humanæ;* V. *Amicitia.* — Blanchard, *La scuola dei costumi.* — Calino, *Considerazioni;* Lezioni, ecc. — *Thesaurus Patrum;* V. *Amicitia.* — De Gartiis, *De effectibus amicitiæ.* — Lacordaire, *La Maddalena del Vangelo*, c. I.

(U) Pag. 549.

885. Persuasum omnibus, præsertim adolescentibus esse debet, animum habere suavibus moribus limatum et expolitum, non tam utile, quam necessarium, non iis dumtaxat qui vitam agunt in aula et in nobilium virorum frequentia, sed iis etiam, qui nolint in desertissima solitudine ætatem consumere; nam urbanitatis frequens est usus, imo familiaris et quotidianus. Ipsa linguæ castigatio urbanitatem fovet; vernaculorum vero verborum licentia petulans morum licentiam inducit: hoc maxime videant juvenes collegialiter viventes. — *V.* Mutti, *Sull'importanza di ben conoscere la lingua, in cui si favella o si scrive* (Memorie di morale, di letter., ecc. Modena; Contin., vol. XVII). — *Dell'arte della parola.* Milano, 1827. — *Civ. Cattolica*, ser. 5ª, t. VII: *La civiltà antica e moderna.*

Colere autem urbanitatem ad illos specialiter pertinet, qui ad christiani sacerdotis ministerium proludunt et rerum sacrarum habent pro-

curationem. Isti scilicet vias omnes inire debent, quibus amabilem cuicunque reddant Religionem atque virtutem, simulque populorum existimationem et benevolentiam sibi concilient, ut eos facilius ad pie vivendum alliciant. Quid ergo dicendum de illis ecclesiasticis, qui civilem cultum parvipendunt quasi res sit profana et homini religioso indigna ! et ideo rusticanos, agrestes, inurbanos se exhibent; cum tamen vel in ipsa Scriptura officiositas commendetur et plura habeantur, exempla, ut videre est apud Jahn, *Archeologia Biblica* (c. XII, *De moribus conversationis).* Imo genuina comitas a christiana Religione ortum habet: *La civiltà* (ad rem modernus politicus) *non è una virtù profana; anzi è cosa eminentemente religiosa, poichè la sola Religione cristiana ha potuto darla al mondo. Prima del Cristianesimo non vi ebbero popoli veramente civili sulla terra; no, nè anche un solo; perocchè il popolo greco, il romano non furono civili, ma solo colti; la qual cosa è ben diversa: la coltura è la vernice, e niente più che la vernice della civiltà. Civili i Greci, i Romani, che stabilivano la strage e la schiavitù dei vinti, la legale tirannia de' figli, gli spettacoli sanguinosi dè' gladiatori, l'insolente disprezzo di tutti gli altri popoli? Solamente il Cristianesimo, o signori, ha civilizzato il mondo: lo ha civilizzato col fare dell'autorità una cosa inviolabile, col fare dell'obbedienza una cosa santa, col fare dell'annegazione e del sacrificio, o per dir meglio, della carità una cosa divina.*

V. Della-Casa, *Galateo.* — Soave, *Doveri dell'uomo.* — Gatti, *Doveri di civiltà.* — *Il giovine malcreato*, Torino, Marietti. — *Correspondance d'un ancien Directeur de Séminaire avec un jeune Prêtre sur la politesse, et la manière de se conduire dans le monde*, etc. Lion, 1843. — *Avvisi di buona creanza;* it. *Regole di civiltà e buona creanza per uso de' convitti.* Marietti. — Præ ceteris Beretta, *Il maestro della civiltà ai giovani; Dialoghi scritti a peculiare utilità dei collegi e seminari.* — Pizzoli, *Degli offici di gentilezza convenienti agli Ecclesiastici ne' loro vari rapporti.* Trento, 1845. — Baricco, *Ammonimenti ai giovani chierici*, ovvero *Trattato di educazione per gli alunni del Santuario, specialmente in fatto di urbanità.* Torino, 1847. — Ceretti, *Il Galateo del seminarista.* Novara, 1850. — Paulus Giua, *Liber Ecclesiastici latinis versibus interpretatus.* Calari, 1859: qui in adnotationibus præcipua urbanitatis officia scite refert.

LIBER SECUNDUS

TRACTATUS OCTAVUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

Etsi Virtutes theologicæ Deum immediate respiciant; attamen inter principia actuum humanorum allicientia rite revocantur (prout Virtutes morales), cum hominum actiones ad legis normam ipsæ quoque alliciant, eorumque voluntatem provocent ad bonum.

PRÆAMBULA.

886. Q. 1. *Quid est virtus Theologica, et an necessaria?*

R. Ad 1: Virtus theologica est virtus infusa, quæ pro objecto suo immediato primario habet Deum uti auctorem gratiæ et gloriæ. Dicitur *infusa*, quia illam *Deus in nobis operatur*, cum gratiam sanctificantem nobis tribuit [1]; et hoc pacto distinguitur a virtute naturali, quæ potest naturaliter acquiri. Differt etiam tum a Religione, quia hæc directe non habet pro suo objecto Deum, sed ejus cultum; tum a ceteris Virtutibus moralibus, quarum item objectum immediatum diversum est, cum hæ mores respiciant, etsi ultimo cum moralibus concordent, eo quod hominis actiones ad normam legis æqualiter alliciant.

R. Ad 2: Cum Angelico; virtus theologica est profecto necessaria. Nam cum homo tendat per virtutem in beatitudinem suam, cumque duplex sit hominis beatitudo, altera *naturalis*, ad quam pervenire ipse potest per virtutem naturæ suæ; altera vero *supernaturalis*, ad quam quidem consequendam sua naturali virtute non sufficit, ideo necesse est, ut homini divinitus superaddantur virtutes supernaturales, quales sunt Theologicæ, quibus in finem ipsum ad beatitudinem supernaturalem, ad quam est a Deo sublimatus, tendere et pervenire valeat [2].

[1] Tridentinum, sess. VI, c. 7 *de R.*

[2] 1, 2, q. 62, a. 2.

887. Q. 2. *Quot sunt virtutes Theologicæ?*

R. Virtutes theologicæ sunt: *fides, spes* et *charitas.* Ut recte moveamur in finem oportet: 1) nos illum cognoscere ac credere, quia voluntas non fertur in incognitum; 2) finem illum sic cognitum a nobis exoptari, quia item voluntas ferri non potest in id, quod pertimescit; 3) et finem illum a nobis amari; non enim desideratur, nisi quod haberi speratur et simul diligitur. Hoc autem modo explicatur origo Virtutum theologicarum: *fidei*, qua Deum cognoscimus; *spei*, qua nos ipsum obtenturos esse aliquando speramus; *charitatis*, qua eundem amamus. Singulas sic recensuit Apostolus: *Nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc* [1]: quasi diceret *neque plures neque pauciores sunt.*

Dixit *nunc;* in cœlesti enim patria fidei correspondet *visio*, spei *comprehensio*, charitati autem *fruitio* seu *delectatio:* quæ quidem sunt tres animæ beatæ dotes [2]. Ceterum in cœlis etsi visio destruat fidem, comprehensio spem, non tamen charitatem destruit fruitio; *charitas nunquam excidit*, ex eodem Apostolo [3]. Et sane ratio formalis charitatis seu amoris eadem est tum in via tum in patria, nempe summa seu absoluta et supernaturalis Dei bonitas; præsentia autem vel absentia objecti amabilis nihil refert ad amorem, cum ab iis abstrahatur amor, ac tendat in objectum secundum se. Attamen, habita ratione status, charitas patriæ erit certo præstantior charitate in via; cum in patria nullo amplius retardetur impedimento, et sit in suo statu connaturali [4].

888. Q. 3. *Quænam inter Virtutes theologicas eminet?*

R. Ratione originis primum locum tenet *fides*, cum sit initium omnis justificationis. Ratione præstantiæ *charitas*, dicente Apostolo: *major horum est charitas;* est enim complementum et perfectio ceterarum. Hinc recte Augustinus: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur* [5].

[1] 1, Cor. XIII. [2] S. Thomas, *Suppl.*, q. 95, a. 5. [3] 1, Cor. XIII.

[4] *V.* D. Thomas, 1, 2, q. 67, a. 9; et Suarez, *De Virtut. theol.*, d. 5[a]. *De charitate.* Et s. Alphonsus noster: *La carità dell'anima viatrice, in quanto alla sostanza, è la stessa di quella che avrà nella patria celeste; ma con due differenze: la prima, che nella via l'amore è libero, ma nella patria è necessario; inoltre nel cielo l'amore in quanto alla sostanza sarà lo stesso, ma sarà più perfetto in quanto all'essere depurato dai difetti; nell'essere più intenso* (Lettere e Dissert.).

[5] Serm. XXVII *de Verb. Apost.* — *V.* Maoyl, *De fide, spe et charitate.* — Perrone, *Prælectiones theologicæ de Virtutibus fidei, spei et charitatis.*

DISPUTATIO PRIMA

CAPUT PRIMUM

DE FIDEI NOMINE, NATURA AC DIVISIONE.

889. Q. 1. *Quid est fides?*

R. Fidei nomen multipliciter sumitur:

1) Pro fidelitate in promissis adimplendis juxta illud: *numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit* [1]? — 2) pro ipsis promissis: sic Apostolus dicit de quibusdam viduis, quod *primam fidem irritam fecerunt* [2]; — 3) pro conscientia ac intima persuasione juxta illud: *omne quod non est ex fide, peccatum est* [3]; — 4) pro fiducia, qua quis pro certo habet, se obtenturum gratiam quam postulat juxta illud: *postulet in fide, nihil hæsitans* [4]; — 5) pro argumento ad suadendum, quo sensu Paulus: *Deus.... statuit diem, in quo judicaturus est orbem... fidem præbens omnibus* [5]; — 6) pro ipsa doctrina et objecto fidei, ut in Symbolo Athanasii: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

Verum fides sumitur communius *pro assensu intellectus nostri ob alterius auctoritatem:* si est ob auctoritatem hominis, fides est humana; si ob auctoritatem Dei, est fides divina, de qua in præsenti. Apostolus autem sic fidem divinam describit, ut sit: *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* [6]. Dicitur *substantia*, idest basis et inchoatio; quidquid enim aliis supponitur et substernitur, nomen substantiæ, quod a *substando* dictum est, sortitur. *Sperandarum rerum*, et sic distinguitur virtus fidei theologicæ a fide generatim sumpta [7]; neque sane omnia quæ credimus, speramus. *Argumentum non apparentium*, id est juxta textum græcum *convictio* seu demonstratio firma rerum, quæ non videntur; quæ ideo verissima esse creduntur ac si manifestis demonstrationibus nobis essent nota.

Hæc definitio convenit etiam Patriarcharum fidei: eam igitur præsenti statui magis accomodando fidem sic definimus, ut sit *virtus Theologica divinitus infusa, qua libero ac pio voluntatis affectu firmiter assentimur iis omnibus, quæ Deus revelavit, et quæ Ecclesia credenda proposuit ob Dei ipsius veracitatem.* Dicitur:

1 Rom. III. 2 1, Tim. V. 3 Rom. XIV.
4 Jac. I. 5 Actor. XVII.
6 Hebr. XI. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 2. — Ferraris; V. *Fides.*
7 S. Thomas, 2, 2, q, 4, a. 1.

1. *Virtus Theologica*, quæ Deum directe respicit: ad discrimen Virtutum moralium, quæ ad Deum nonnisi indirecte referuntur.

2. *Divinitus infusa:* quia fides nostra cum sit donum supernaturale divinum naturales animi vires excedit; ideo ad illam requiritur gratiæ divinæ auxilium. Hinc Apostolus: *vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis*, etc. [1].

3. *Qua libero ac pio voluntatis affectu:* sic fides nostra distinguitur a dæmonum fide, qui etsi credant et contremiscant, non tamen libere ac pie veritatibus assentiuntur. Unde eorum fides neque divina est, neque est infusa; sed coacta.

4. *Firmiter assentimur;* quia assensus fidei debet esse sine ulla errandi formidine: alioquin hæsitatio esset, non fides.

5. *Iis omnibus quæ Deus revelavit*, quæ quidem constituunt objectum fidei materiale. Dicimus *omnibus*, ut refellatur arbitraria, falsa et absurda hæreticorum doctrina, qui distinguentes inter articulos fundamentales, et non fundamentales fidei, dicunt primos necessario esse credendos, non secundos. Singula sane fidei objecta, quæcunque sint, habent eandem veracitatem, ut credantur, nempe auctoritatem divinam falli ac fallere nesciam [2].

6. *Et quæ Ecclesia credenda proposuit*, quia divina revelatio nobis non manifestatur, nisi per Ecclesiæ propositionem, dicente divo Augustino: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas* [3].

7. *Ob Dei ipsius auctoritatem;* quia auctoritas infallibilis, quæ est ipse Deus, constituit objectum fidei formale, id est rationem formalem ob quam credimus. Hinc Apostolus: *fides ex auditu, auditus autem* (seu assensus) *per verbum Christi* [4].

Ex hactenus disputatis patet fidem nostram quæ justificat toto cœlo discrepare a protestantium fide; fides enim catholica ea est qua divina gratia adjuti credimus veritates a Deo revelatas, et præcipue, quod Deus est et remunerator sit [5]. E contra fides protestantium quæ juxta illos justificat, ea est qua credimus peccata nostra nobis esse remissa per justitiam Christi: quod quidem in Scriptura certo nullum fundamentum habet.

890. Q. 2. *Quomodo fides dividitur?*

R. Quadruplici modo fides dividitur:

1. In *habitualem;* et est *habitus supernaturaliter infusus, animum*

[1] Phil. I. — *V.* Billuart, Perrone.
[2] *V.* Ciercià, *De Eccles. Christi.* — Arciv. Charvaz, *Guida del catecumeno valdese*, ossia *Difesa del Cattolicismo*, vol. I, part. 3ª, ragion. 3.
[3] L. *contra Epist. fund.*, c. V. — *V.* Bolgeni, *L'Economia della fede cristiana.*
[4] Rom. X. — *V.* Perrone, *De virtute fidei.*
[5] An autem etiam Trinitatis et Incarnationis mysteria adulti explicite credere debeant necessitate medii, disputant; vide infra.

permanenter habilitans ad actus fidei eliciendos. Et in *actualem*, quæ est *actualis, firma ac supernaturalis adhæsio rebus revelatis:* hæc si exterius prodeat, exterior; si in animo lateat, interior appellatur.

2. In *explicitam* et in *implicitam. Explicita* fides illa est, qua aliquis fidei articulus creditur in se, sub propriis ac particularibus terminis, sub quibus nobis proponitur: v. g., qui expresse credit Deum trinum, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, habet fidem explicitam Trinitatis. Sic etiam credit explicite mysterium Incarnationis, qui credit Filium Dei assumpsisse naturam humanam, et Christum esse Deum et hominem. *Implicita* autem fides est, qua aliquid creditur non in se et in propriis terminis particularibus, sed in alio, in quo illud continetur: sic qui credit in Christum Deum et hominem, eo ipso implicite credit in duplicem ejus voluntatem, etsi eam ignoret.

Fides ipsa implicita iterum duplex ab accuratioribus solet distingui: vel enim credimus aliquid in alio, tanquam in principio universali, cui adhæremus, ut cum quis in communi credit quidquid credit Ecclesia, quin tamen aliquid particulare (neque etiam in confuso vel in umbra) sciat aut credat. Vel credimus aliquid in alio jam ut in umbra et figura, per quam nempe ipsa veritas credenda confuse significatur: ut cum quis credit, Deum esse missurum Salvationem, sed nesciat media, quibus id sit acturus. Prima dicitur fides implicita latiori sensu: altera fides implicita dicitur sensu stricto ac proprio; est tamen utraque semper fides implicita.

3. In *catholicam*, et mere *theologicam*. Fides *catholica* complectitur universas veritates, quarum revelatione testificatur Ecclesia, et quæ in omnibus fidelibus una eademque sit oportet. Mere *theologica* vero versatur circa eas veritates, non expresse ab Ecclesia propositas, sed quarum revelatio quibusdam privatis alio medio innotescit.

4. In *formatam*, quæ dicitur etiam *fides viva;* et in *informem*, quæ dicitur etiam *fides mortua*. Fides *viva* est quæ gratiam habitualem, sive charitatem sibi conjunctam habet: talis est fides hominis justi. *Mortua* est quæ caret justitia et charitate: talis est fides hominis in statu mortalis culpæ constituti: qui adhuc fidem habet, sed quin ea prosit ad vitam æternam *(A)*.

CAPUT SECUNDUM

DE FIDEI OBJECTO, REGULA, ANALYSI AC SUBJECTO.

891. Q. 1. *Quodnam est objectum fidei?*

R. 1: *Materiale* fidei objectum (seu materies, circa quam fides nostra occupatur, sive quod credere tenemur) est Deus ipse, et illud omne quod ab eo revelatum fuit. Deus quidem ipse est objectum minus proprium et secundarium. *Si vero*, ait d. Thomas, *consideremus materialiter ea, quibus fides assentitur, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia; quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum* [1], sive tanquam principium a quo procedunt, sive tanquam finem ad quem tendunt.

R. 2: Objectum vero *formale* fidei seu formalis et ultima ratio, quæ nos movet ad credendum, est testimonium divinum infallibile; omnis namque fides innititur testimonio verum dicentis: ideo enim alicui credimus, quia verax est et vera semper loquitur. Ergo summa auctoritas Dei loquentis est ratio fundamentalis nostræ fidei, seu motivum determinans assensum nostrum [2]. Hoc sane sensu inquiebat Apostolus: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicuti est vere) verbum Dei* [3]. Et in actu fidei expresse dicimus: *Credo, Domine, quidquid revelasti, quia summe veræ es, qui nec falli nec fallere potes.* Hinc perbelle ajebat Cassianus: *Deus hoc dixit? verbum illius summa ratio est: removeo disputationes; sola mihi sufficit ad credulitatem persona dicentis* [4].

892. Q. 2. *Quænam est regula fidei?*

R. Regula fidei dicitur illud omne, quod verum fidei objectum vel continet vel declarat: tres vulgo assignantur fidei regulæ: *Scriptura, divina Traditio* et *Ecclesia*. Quoniam vero neque sacra Scriptura neque Traditio veritates in se contentas viva voce explicant, iccirco appellari solent regulæ fidei mortuæ seu innanimatæ; Ecclesia autem, quæ Scripturam et Traditionem clara ac infallibili au-

[1] 2, 2, q. 1. — *V.* Kilber, *De objecto fidei.* — Reinerding, *Theol. fundamentalis*, p. I, s. 3. Monasterii; typogr. Aschendorffians, 1865.

[2] Quænam sint illa attributa quæ constituunt auctoritatem Dei loquentis, disputatur inter Theologos: alii statuerunt *Deitatem* in abstracto; alii solam *veracitatem* propter quam Deus nunquam mentitur nec mentiri potest; alii addunt etiam *sapientiam* ex qua intelligitur Deum non solum non velle fallere, sed nec falli posse; alii animadvertunt ad credendas firmissime promissiones a Deo factas sufficere attributa *fidelitatis* et *omnipotentiæ* divinæ; nam ratione omnipotentiæ Deus omnia potest, ratione fidelitatis certissime faciet id quod promittit. Confer Scholasticos.

[3] I, Tess. II.

[4] *De Incarn.*, l. IV, c. 7. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 4.

ctoritate explicat, dicitur regula viva seu animata [1]. Vel etiam dici potest, quod Scriptura et Traditio sint fontes, quæ fidem continent; Ecclesia vero est via seu medium, quo a Deo revelatæ veritates, et in Scriptura vel Traditione contentæ certo nobis innotescunt. Unde patet duo requiri, ut aliquod catholicæ fidei dogma dicatur, Deum revelantem et Ecclesiam proponentem.

Hæretici unam tantum admittunt fidei regulam, nempe sacram Scripturam; medium autem ad Scripturam intelligendam reponunt adhuc in ipsa Scripturæ lectione, in sensu privato, in Spiritus Sancti privata motione et in examinis via: sed falluntur toto cœlo.

Ac 1: præter Scripturam etiam divinas Traditiones admittendas uti divinæ fidei regulas, Tridentinum definivit [2]. Sane decretorium est illud Apostoli: *Fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram* [3]. In quæ verba scripsit Chrysostomus: *Hinc patet quod non omnia per epistolam, sed multa etiam sine literis; eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista.* Adde: primæ Ecclesiæ conditæ sunt et plures diu extiterunt sine Scripturis, saltem novi Testamenti; sola igitur Traditione illæ fidelium collectiones veritates a Deo revelatas tunc cognoscebant. Adde: si Traditiones *dogmatico-divinæ* a Scripturis distinctæ non admitterentur, neque de numero divinorum librorum ac eorum divina inspiratione, neque de non paucis fidei articulis quos nobiscum protestantes profitentur, constare posset: ut est dogma de valore Baptismi ab hæreticis vel infidelibus collati, de valore Pædobaptismi (Baptismi infantium), de cessatione a sanguine et suffocato, de die dominico sabbatis suffecto, etc. Falluntur ergo novatores qui tantum traditiones admittunt, quas vocant *inhæsivas* et *declarativas*, quæ nempe firmant traditiones jam in Scripturis contentas.

2. Medium ad certo cognoscendas veritates a Deo revelatas debet esse: *a) certum, securum*, atque *aptum* ad omnes dubietates solvendas: secus non posset obtinere assensum firmum et immutabilem; *b) universale;* si omnes vocati sunt ad fidem, omnibus obvia esse debet regula, qua fidem ipsam firmiter assequantur ac teneant; *c) perpetuum:* quantum fides, tantum ejus regula perdurare debet; sed fides est usque ad consummationem sæculorum duratura.

[1] Propositio Ecclesiæ dicitur etiam regula *immediata*, seu *proxima* fidei; Verbum autem Dei sive scriptum sive traditum, in quo divina revelatio continetur, regula *remota*, seu *mediata*. *V.* Propositio 6ª damnata a Pio IX in *Syllabo*.

[2] Sess. IV. — *V* Perrone, *Il Protestantismo e la Regola di fede*.

[3] II ad Tessal. II. — *V.* Milner, *Il fine di una religione controversa;* — Wiseman, *Conferenze intorno alle principali dottrine della Chiesa cattolica;* — Malou, *Della lettura della Bibbia in lingua volgare;* — Moehler, *Dell'unità della Chiesa*, c. 2; — Charvaz, *Guida del catecumeno valdese*, par. 4ª; — Liguori, *Opera dogmatica*, sess. IV; — Martinet, *Soluzione di gran problemi*, l. II, ecc.

Si ita est, ut patet, medium istud non potest constituere neque *sacra Scriptura* cum multa difficilia et obscura contineat, et ipsa in omnibus fidelium manibus non versetur. Neque *motio divini Spiritus*, quam nimis facile quisque fingere potest. Neque *sensus privatus*, alioquin tot haberemus sententias quot capita. Neque *examinis via*, tunc enim paucissimi fidei veritates assequerentur: cum alii ingenii tarditate, alii rerum temporalium cura et cupiditatum amore ad eas assequendas impedirentur. Et vel ipsi paucissimi nonnisi cum plurium errorum admixtione, et uni aliis in pluribus dissentientes, veritates fidei sibi compararent. Hoc patet ex protestantibus: quot lites inter illos quoad ipsa primaria fidei capita [1]! unde unitas fidei apud illos penitus evanuit. Dicendum ergo cum catholicis medium tutum, facile, omnibus obvium ad cognoscendas veritates revelatas in auctoritate viva ac infallibili reponendum esse; et sane major hominum pars sola regitur auctoritate [2]. Hæc autem auctoritas viva et infallibilis in nullo alio reperiri potest nisi in visibili et perpetuo Ecclesiæ magisterio; Ecclesia enim dicitur: *columna et firmamentum veritatis*, quam quidem *qui non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [3].

893. Q. 3. *Quid est fidei analysis?*

R. Analysis seu resolutio fidei est inquisitio principiorum, quæ assensum fidei determinant. Qua quidem in re animadverte: quando credimus, v. g., tres in Deo esse Personas, ideo nos credere dicimus divina agente gratia, quia id Deus revelavit in Scripturis; ideo vero nos credere hoc revelatum in Scripturis, quia illud testatur Ecclesia: ideo demum nos testimonio Ecclesiæ tuto fidem habere, quia Ecclesia ipsa pro se habet omnia credibilitatis atque infallibilitatis motiva [4]. Actus ergo fidei quinque importat: veritatem revelatam, auctoritatem Dei revelantis, Ecclesiam proponentem, motiva credibilitatis de veracitate Ecclesiæ nos tutos reddentia, tan-

[1] V. Bossuet, *Storia delle variazioni delle Chiese de' protestanti;* — Moehler, *La Simbolica*, ossia *Esposizione delle antitesi dommatiche tra i cattolici ed i protestanti;* — Nardi, *Elementi di diritto ecclesiastico*, §§ 266 et seqq.: *Origine storica e costituzione delle sette eterodosse;* — *Annali Religiosi*, vol. I, ser. 1ª, art.: *Il principio protestante di appellarsi alla sacra Scrittura sovversivo della dottrina protestante, e confermativo della fede cattolica*, ecc. — Perrone, *Præl. Theol.*, de locis theol. — La *Civiltà Cattolica*, ser. 3ª, vol. IX: *L'Assemblea cattolica e le Assemblee eterodosse*, ecc., ecc. — Veronius, *De regula fidei catholicæ.* — Christmann, *Regula fidei catholicæ.*

[2] Quæ auctoritas libertatem non destruit: *Quelli sono intellettualmente più liberi, i quali hanno i mezzi più facili per trovare la verità; non coloro che hanno la maggior libertà nella ricerca della verità coi loro propri mezzi.* Ad rem auctor libri, *Quattro anni di esperienza della Religione cattolica*, c. IV: *La schiavitù del protestantismo.*

[3] I, Tim. III; et Matth. XVIII. — *V.* Martinet, *Filosofia del catechismo cattolico*, l. I, quarto fatto. — Opus, *Cosa è il Giansenismo*, pagg. 88 et seqq.

[4] Hac methodo omnes fideles ad eliciendum actum fidei rationabilem facile deducuntur. Vide exemplum apud Gaume, *Catechismo di perseveranza*, p. 2ª, lez. XVII. — Holdenus, *De fidei christianæ resolutione.*

dem gratiam Dei assensum nostrum dirigentem atque ad statum supernaturalem elevantem. Fides enim est donum supernaturale, et nemo venit ad Christum, nisi Pater cœlestis traxerit eum: idque Tridentinum definivit [1].

Primus tamen annulus, a quo fides incipit, est divinum testimonium; Ecclesia autem est judex infallibilis seu viva et infallibilis auctoritas, quæ nos certos reddit hoc vel illud esse revelatum, ut nulli dissensioni sit locus. *Quæ quidem viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia* (ut verbis utamur Pii papæ IX) *quæ a Christo Domino supra Petrum totius Ecclesiæ Caput Principem et Pastorem, cujus fidem nunquam defecturam promisit, ædificata, suos legitimos semper habet Pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in ejus cathedra collocatos, et ejusdem etiam doctrinæ, dignitatis, honoris ac potestatis hæredes et vindices* (Encicl. *Qui pluribus*, anno 1846).

Motiva vero credibilitatis sunt fidei extrinseca et quoddam quasi ad ipsam præludium, quæ ostendunt testimonium Dei existere: quo posito, elicitur actus fidei in ipso Dei testimonio innixus; nullatenus autem in motivis credibilitatis. Quare motiva credibilitatis hoc tantum præstant, ut assensus quem veritatibus revelatis præbemus sit prudens et firmus; sed non constituunt motivum formale actus fidei [2] *(B)*.

894. Q. 4. *An fidei objecta lapsu temporis creverint?*

R. Veterum præsertim Scholasticorum communis erat sententia cum d. Thoma [3], fidem catholicam quoad substantiam credendorum semper eandem fuisse vel ab ipso mundi exordio, et tantum novas explicationes successive obtinuisse. Omnia enim dogmata jam satis implicite continebantur in fide Dei et divinæ Providentiæ. Hinc Augustinus: *tempora variata sunt, non fides* [4]. At plures recentiores cum Antoine docent:

1. Objecta fidei ab Adamo ad Apostolos inclusive crevisse non tantum secundum quid, quatenus quædam fuerunt pedetentim explicata; sed etiam simpliciter, quatenus aliquid novi fuit revelatum. Sane complura in lege naturæ revelata sunt Abrahamo aliisque Patriarchis: complura item innotuere per Moysen aliosque Prophetas in lege scripta, quæ nequeunt haberi ut nudæ explicationes primæ revelationis. Et merito ex ipso Augustino: *nam gradatim et per incrementa fragilitas humana nutriri debuit* [5].

2. Ab Apostolis usque ad nos objectum fidei *simpliciter* non crevisse; tum quia Spiritus Sanctus docuit Apostolos *omnem veritatem* [6]; tum quia Ecclesia nunquam sibi attribuit potestatem dogma novum revelandi. Crevit tamen et crescit *secundum quid*, quatenus

1 Joann. VI; et Trident. sess. VI, c. 6 — *V.* Vecchiotti, *Instit.* etc., l. 1, c. 2, § 14.
2 *V.* Perrone, *De locis theol.*, p. 3ª, sect. 1, c. 2. — D. Tomas, 2, 2, q. 1, a. 4.
3 2, 2, q. 1, a. 7.
4 Tract. XLV *in Jo.*
5 *Q. ex novo Test.*, c. 86.
6 Joann. V et XVI.

revelatio jam facta per auctoritatem Ecclesiæ infallibilem vel explicatur vel ad singularia objecta applicatur, vel controversa certificatur, quod tamen non est condere nova dogmata [1]. Ex quo item constat absurditas hæreticorum, quod nempe Ecclesia per succedentes ætates fit minus docta et intelligens in mysteriis fidei ac nova dogmata ad libitum suum creet. Ecclesia dogmata non creat, sed uti a Deo revelata infallibiliter nobis proponit, aperit ac tuetur; Ecclesia enim est fundamentum et columna veritatis, cui Deus assistentiam suam promisit ad consummationem sæculi. Et contraria doctrina damnata est a Clemente XI Bulla *Unigenitus* in Quesnello sub n. 95; et a Pio VI Bulla *Auctorem fidei* in Synodo Pistoriensi sub n. 1; et Pius IX in Syllabo hanc sub n. 5 damnavit propositionem: *Divina revelatio est imperfecta, et iccirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanæ rationis progressioni respondeat* [2].

895. Q. 5. *Quid de revelationibus privatis tenendum est, quas Sanctis plerisque factas scimus etiam post Apostolorum ætatam?*

R. Privatæ revelationes ad fidem catholicam non pertinent; fides enim nostra, ait Angelicus, non innititur revelationibus quibuscunque; sed iis dumtaxat, quæ Patriarchis, Prophetis et Apostolis factæ sunt, et iccirco fideles dicuntur in Scripturis *superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu* [3]. Neque facessit, quod Ecclesia nonnullas approbaverit, ut sanctarum Birgittæ ac Catharinæ Senensis; cum enim Ecclesia id agit, nunquam easdem revelationes nobis credendas proponit uti dogma catholicum; sed solum intendit declarare nihil in ipsis contineri contra fidem aut bonos mores: nempe uti pias et absque superstitione recipi posse; licet adhuc, salva fide, ab iis possit recedi, sed (ex Benedicto XIV) *cum debita moderatione, non sine ratione et citra contemptum* [4].

Ex quo recte concluditur, generatim loquendo, neminem teneri reapse credere tali revelationi: nec si credat, talem assensum posse esse fidei catholicæ aut divinæ, cum non innitatur divino testimonio, sed testimonio humano, id est personæ, cui revelatio facta est. Diximus: *generatim loquendo;* etenim non tantum persona cui

[1] Ad rem doctiss. Klee in Opere, *La storia dei dogmi*, vol. I, sub initio: « La sostanza dei dommi fu e rimane sempre la medesima, ma la loro formazione dommatica progredisce col tempo di conserva colla ragione verace e sincera, che li medita, e contro i fallaci e subjettivi sforzi di chi li attacca. » — V. *Amico Cattolico*, vol. XII: *Le variazioni in dottrina. — Sul criterio dei dommi*, reminiscenze di Seminario e di studi di un sacerdote milanese. Milano, 1860.

[2] *V.* Dezinger, *Enchiridion symbolorum et definitionum, quæ de rebus fidei et morum a Conciliis et summis Pontificibus emanarunt*. Lipsiæ et Neapoli, 1861.

[3] Eph. II. — *V.* d. Thomas, 1 p. q. 1, a. 8.

[4] L. III, c. ult. *De Servorum Dei beatificatione.*

fit revelatio, sed etiam persona ad quam dirigitur revelatio (uti si Deus alicui revelet quod talis Prælatus non recte se gerit), si proponatur cum sufficientibus argomentis rite probatis, eam credere debet fide theologica (non tamen catholica); Deus enim illi loquitur per alium, atque proinde ab eo exigit fidem *(C)*.

896. Q. 6. *Quodnam est fidei subjectum?*

R. Subjectum fidei aliud est proximum, aliud remotum. *Proximum* est ipsa facultas seu potentia personæ, in qua fides residet: hæc nihil aliud est, quam intellectus. *Credere,* ait d. Augustinus, *est cum assensu cogitare:* atqui cogitatio residet in intellectu; ergo et credere, ac proinde etiam fides. Adde ex Apostolo: fidei succedit visio patriæ: *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem;* atqui visio est in intellectu, ergo et fides [1].

Subjectum fidei *remotum* est persona fidei capax: tales porro fuerunt non solum homines, sed etiam Angeli in eorum prima conditione, qui donati quidem fuerunt gratia, sed cum hæc in ipsis non esset consummata, ita ut Deum per essentiam videre possent; oportuit in iisdem quandam fuisse inchoationem speratæ beatitudinis. Quæ quidem inchoatio locum habet in voluntate per spem et charitatem, in intellectu per fidem.

897. Q. 7. *Quid de beatis, damnatis, animabus purgantibus, de infidelibus qui nihil credunt, et hæreticis qui quosdam articulos credunt et quosdam rejiciunt? habentne veram fidem?*

R. 1. Quoad beatos dicimus: cum fides ex Apostolo sit *argumentum non apparentium,* id est *certa apprehensio eorum, quæ non videntur,* ut exponit Angelicus, beati autem jam *facie ad faciem* contemplentur quæ nos non videmus, nisi per *speculum in ænigmate;* consequenter aperta res est, fidem in beatis non reperiri [2].

2. Ad damnatos quod attinet, cum ex eodem Apostolo fides sit *sperandarum substantia rerum,* et donum valde insigne gratiæ divinæ, cumque damnati nulla amplius spe recreari possint in eorum suppliciis sine fide duraturis, iis divina fides non competit. — Idem valet de dæmonibus: etsi enim, dicente Jacobo, *dæmones credunt et contremiscunt;* hæc eorum fides non est supernaturalis, sed naturalis, coacta et orta ex evidentia rerum.

3. Quoad animas purgantes, cum ipsæ nondum videant Deum *facie ad faciem et sicuti est,* patet in iis adhuc fidem manere.

1 1, Cor. XIII. — *V.* Perrone, Billuart, etc.

2 2, 2, q. 4, a. 1. *Sed quomodo sciunt quæ nondum sunt, ut futura resurrectio, aliæque veritates futuræ?* R. Communius docent Theologi, beatos hæc non scire per fidem divinam sicuti nos; sed illa in Deo videre intuitive.

4. Infideles, ut ipsum per se nomen sonat, fidem non habent. Quod vero spectat ad hæreticos distinguendum: vel agitur de *hæretico materiali*, qui nempe paratus est credere quidquid Ecclesia catholica credit, et ex ignorantia tantum in quibusdam fidei dogmatibus errat; quia nondum Ecclesiæ sensum est assecutus. Vel agitur de *hæretico formali*, qui nempe post assecutum Ecclesiæ sensum adhuc in quibusdam assentiri recusat.

Si 1, hæreticus ille totam et integram fidem habet *in habitu;* nam non errat pertinaciter: sic nemo negaverit veram fidem habuisse s. Cyprianum etiam actu, quo Baptisma ab hæreticis collatum rejiciebat uti invalidum. Si 2, Durandus aliique pauci existimant veram fidem in hæreticis formalibus aliqualiter adhuc manere relate ad eos articulos, quos credunt. Communis tamen et verior sententia cum d. Thoma negat; etenim sicut peccatum mortale contrariatur charitati, ita discredere unum articulum contrariatur fidei; atqui charitas non remanet in homine post unum peccatum mortale; ergo nec fides in eo, qui discredit unun articulum fidei. Adde: qui nonnulla credit et nonnulla rejicit, agit ex proprio judicio, ideoque non ex fide, ut argumentatur d. Augustinus [1]. Adde: fides habet unum medium credendi, *scilicet propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiæ intelligentis sane; et ideo qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret:* ita Angelicus [2]. Hinc Apostolus de quibusdam, qui tantum negabant corporum resurrectionem, generatim ait, quod *circa fidem naufragaverunt* [3].

CAPUT TERTIUM

DE FIDEI PROPRIETATIBUS.

898. Plures sunt fidei divinæ proprietates, seu plures requiruntur conditiones, ut fides genuina habeatur. Oportet ut sit:

1. *Libera;* legitur enim: *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur* [4]. Quæ verba evidenter supponunt possibilitatem credendi et non credendi.

2. *Honesta;* sane si laudabilis est fides humana, multo magis divina fides juxta illud: *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* [5].

[1] L. XVII, c. III *contra Faustum.* [2] 2, 2, q. 5, a. 3. [3] 1, Tim. I.
[4] Marc. XVI. [5] 1, Jo. V.

3. *Supernaturalis*, fides enim nostra tendit ad Deum supernaturaliter cognitum: ergo ejus actus supernaturalis est.

4. *Una*, juxta illud Apostoli: *unus Dominus, una fides, unum baptisma* [1]. Una tum ratione rerum quæ creduntur, quatenus omnes unum et idem credere debemus; tum ratione motivi quod nos movet ad credendum, scilicet una Dei auctoritas.

5. *Meritoria:* hinc Tridentinum docet fidem præparare hominem ad justificationem [2]: et Apostolus de Judicibus et Prophetis aperte dicit: *per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones* [3].

6. *Obscura*, ex parte rei revelatæ: secus non haberetur fides, sed scientia. Revelatio quidem fidei existentiam infallibiliter aperit, sed naturam ejus non manifestat. Ceterum hoc non impedit, quominus fides omnimodam habeat certitudinem, credibilitatem atque necessitatem.

Nota. Etsi fides sit fundamentum omnis justificationis, ac sine illa salus non obtineatur; non ideo tamen prima gratia dici debet; prior enim est gratia illa quæ ut prævenit voluntatem, sic prævenit et fidem. Ita fideles et hæretici sæpe gratias sufficientes recipiunt, quibus alliciuntur ad fidem ipsam amplectendam. Contraria autem doctrina damnata est Bulla tum *Unigenitus*, tum *Auctorem fidei.*

Articulus I. — *De fidei certitudine ac credibilitate.*

899. Q. 1. *Quanta est fidei certitudo?*

R. Tanta est fidei certitudo quanta est ipsa Dei revelantis auctoritas: huic enim soli tanquam objecto suo formali innititur. Atqui Dei auctoritas in revelando certissima est; ergo et fides nostra.

Major non impugnatur: *minor* rejicitur a Priscillianistis, Manichæis et quibusdam aliis, qui contendebant Deum mendacii esse capacem. Sed est atrox blasphemia; auctoritas enim Dei in revelando est quædam quasi complexio tum ex infinita sapientia, qua res uti sunt ita novit, ut falli non possit; tum ex infinita bonitate, qua res uti sunt, ita nobis vult revelare, ut non possit fallere. Hinc in Scriptura legitur: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; est autem Deus verax; omnis autem homo mendax.* Unde tuti exclamare debemus cum Apostolo: *scio... cui credidi, et certus sum* [4]; Abrahæ fidem imitando, qui *in spem contra spem credidit*, id est eventurum infallibiliter credidit quod ex communi naturæ ordine impossibile videbatur,

[1] Eph. IV. [2] Sess. VI, c. 6. [3] Hebr. XI.
[4] Num. XXIII; Rom. III; et Tim I.

nempe quod futurus esset pater omnium, etsi nondum esset ipsi filius, essetque senex; et uxor Sara sterilis provectæque ætatis [1].

Accedit ratio: 1) Deus est summa veritas; atqui si in revelando mentiri aliquando posset, jam non esset summa veritas; 2) Deus est ens perfectissimum, ideo ejusdem naturæ omnino repugnat agere malum, quod est contrarietas boni; 3) fides supernaturalis et utilis ad salutem requirit assensum certum ac firmum; sed hic assensus haberi nequit sine certa ac firma revelatione. Hinc Innocentius XI hanc sub n. 21 damnavit propositionem: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidat, ne locutus sit Deus.*

900. Q. 2. *Quid est fidei credibilitas et quotuplex?*

R. Fidei credibilitas est evidentia illa, propter quam nos rebus revelatis assensum nostrum exhibemus. Duplex evidentiæ genus: aliud, quod rem aliquam ostendit evidenter veram, et dici potest *evidentia veritatis;* aliud, quod evidenter ostendit rem esse credibilem, et potest appellari *evidentia credibilitatis.*

Illud autem est evidenter verum, quod ab intrinsecis rei principiis evidenter cognoscitur: hoc modo certum est duo et duo efficere quatuor. Illud vero est evidenter credibile, quod probatur argumentis extrinsecis, nempe testibus, monumentis, signis et similibus tam fide dignis, ut illud evidenter appareat firmo assensu dignum, neque in dubium amplius revocabile absque imprudentiæ censura: hoc modo certi sumus existere Romam, licet ibi nos non fuerimus.

901. Q. 3. *Quænam evidentia fidei nostræ convenit?*

R. Fidei nostræ non convenit evidentia veritatis; si fides haberet hanc evidentiam, jam frustra diceretur ab Apostolo *argumentum rerum non apparentium.* Convenit tamen evidentia credibilitatis, qua fit rationabile obsequium nostrum: *Non enim crederet* (homo), ait Angelicus, *nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid hujusmodi* [2]. Sic evidentia credibilitatis cognoscimus mysterium Ss. Trinitatis fuisse nobis a Deo revelatum et ab Ecclesia propositum, quin mysterii naturam perspiciamus: quod nobis reservatur, cum Deum non amplius videbimus *in speculo, in ænigmate; sed facie ad faciem, et sicuti est* [3].

Fidei nostræ evidentiam credibilitatis revera convenire, septem præcipue argumentis solent ostendere Apologistæ: quæ sunt totidem quasi sigilla, ut ait Scaramelli, quibus catholica fides obsignatur;

[1] Rom. IV. [2] 2, 2, q. 1, a. 4. [3] 1, Corinth. XIII.

adeo liqueat ut cum Psalte exclamare : *testimonia tua credibilia facta sunt nimis* [1]. Quæ omnia Gagliuffi paucis extemplo contraxit versibus :

Credite. Sunt vobis præsto septena sigilla,
Ut sit tuta Fides. Sanctorum Oracula *Vatum ;*
Portenta *æterna semper rutilantia luce ;*
Lex *Sancta ; immensi famæ laudumque* Triumphi ;
Firmantes verum devoto sanguine Testes ;
Gloria, *qua mundus late patet, inclyta ; et usque*
Firmumque *et* certum *tot post discrimina* Regnum.

1m Est *Prophetiarum*, quæ Religionem nostram respiciunt, adimplementum : quæ nedum a christianis postmodum confictæ sint, ab adversariis nostris Judæis religiosissime pluribus ante eventum annis asservabantur. At futura contingentia prædicere est solius Dei [2].

2m Est numerus prope infinitus *miraculorum*, quæ in Religionis nostræ confirmationem patrata sunt, quorum præcipuum est gloriosissima Christi resurrectio. Miracula enim esse nequeunt, nisi a vero Deo, et quidem in testimonium veritatis, ne Deum ipsum testem falsitatis faciamus. Hinc pulcre Richardus a Sancto-Victore : *Domine, si error est quem credimus, a Te decepti sumus ; iis enim signis doctrina hæc confirmata est, quæ nisi a Te fieri non potuerunt* [3].

3m Est *sanctitas* et *excellentia doctrinæ* catholicæ Religionis ; puritas enim decurrentis aquæ puritatem scaturiginis testatur.

4m Est omnium doctissimorum atque ipsorum adversariorum *testimonium*, qui fidem scrutantes defecerunt in investigationibus suis : at non ipsa defecit fides in sua firmitate. Ex quo illud contigit, ut quos fides habebat adversarios, habeat laudatores [4].

5m Est *Martyrum* constantia et multitudo, qui Religionem catholicam proprio sanguine obsignarunt ; neque enim nisi per virtutem divinitus infusam evenire potuit, ut hilariter tot omnium ætatum, sexus et conditionis vitam prodigerent [5] ; et quo plures necabantur, eo plures christiani fiebant. Unde Tertullianus dicere non dubitaverit : *Cruciate, torquete, damnate ; atterite nos... ; plures efficimur quoties metimur a vobis ; semen est sanguis christianorum* [6].

6m Est catholicæ Religionis in orbem universum *propagatio*, quippe quæ facta fuerit summa cum celeritate, maximis obstaculis contra nitentibus, et instrumentis ex se omnino ineptis ad tantum finem obti-

1 Ps. XCII. — *V.* Scaramelli, *Direttorio ascetico*, tract. IV. — *V.* Liguori : 1) *Verità della fede ;* 2) *Verità della fede fatta evidente per i contrassegni della sua credibilità.* — Frayssinous, *Difesa del Cristianesimo.* — Balmes, *Lettere ad uno scettico in materia di Religione.* — Nardi, *Verità della Religione cristiana cattolica dimostrata sistematicamente.* Roma, 1868. — Vitrioli, *Un cartello di logica sfida intimata agli increduli moderni e singolarmente ad Ernesto Rénan.* Napoli, 1858.

2 *V.* Puy, *L'incredulità convinta colle Profezie.* — Muzzarelli, *L'Emilio disingannato*, t. I, dial. 14 et 15. — Lacordaire, Confer. XLI : *Della preesistenza di G. C.*

3 L. I *de Trinit.*, c. 2. — *V.* propositio 7 damnata a Pio IX in *Syllabo.*

4 *V.* Houteville, *La verità della Religione cristiana provata coi fatti.* — Jamin, *Pensieri* ecc. — Gaume, *Catechismo di perseveranza*, p. 3a, lez. XX. — Il *Cattolico*, vol. XXII : *Testimonianze de' pagani in favore del Cristianesimo.* — Ricordi, *La Religione cattolica apostolica dimostrata dalla rivoluzione del* 1789. Torino. — Lucchesini, *L'incredulità convinta dagli stessi suoi seguaci.* Lugano.

5 *V.* Muzzarelli, *Il buon uso della logica*, opusc. VIII et XXII. — Ruinart, *Acta ss. Martyrum.* — Liguori, *Vittorie de' Martiri.* — Torricelli, *Dissertazioni* ecc., vol. X.

6 In *Apologet.* — *V.* Ansaldi, *Multitudo maxima eorum qui prioribus Ecclesiæ sæculis christianam Religionem professi sunt*, etc. Taurini.

nendum. Quare nihil humani hic esse potest; ut exclamandum sit cum eodem Tertulliano : *incredibile? ergo divinum* [1].

7m Est ipsa antiquitas, et nunquam interrupta *perseverantia*, qua catholica Religio tot inter pocellas et persecutiones semper invicta conservata est, ut merito prossimus exclamare : *digitus Dei est hic;* ne dum enim submergat, imo *fluminis impetus lætificat civitatem Dei:* porro error non habet, quod sit permanens. Huc facit illud Paschalis II ad archiep. Spalatinum: *Possunt Apostolicam Sedem contemnere, possunt adversus nos calcaneum elevare; datum a Deo privilegium avertere et auferre non possunt, quo Petro dictum est:* « *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* » Item perbelle Hilarius [2]: *Hoc Ecclesiæ proprium est, ut tunc vincat, cum læditur; tunc intelligat, cum arguitur; tunc obtineat, cum deseritur; dum persequitur, floret; dum opprimitur, crescit; dum contemnitur proficit; tunc stat, cum superari videtur (D).*

Art. II. — *De fidei necessitate.*

902. Duplex hoc loco distinguitur necessitas (quæ distinctio in re theologica est maxime attendenda): *medii* ac *præcepti.*

Necessarium *necessitate medii* illud est, sine quo etiam inculpabiliter omisso, finis obtineri nequit; et dicitur etiam *necessitas finis.* Necessarium *necessitate præcepti*, est illud, quo inculpabiliter omisso, finis adhuc obtineri potest, et dicitur etiam *necessitas moralis.* Unde quidquid est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti, si in nostra sit potestate; nam eo præcepto, quo tenemur nostram nobis salutem procurare, tenemur etiam nobis ipsis illa comparare media, quæ ad salutem sunt necessaria.

Hic non loquimur de fidei habitu; fidem habitualem ad salutem omnibus esse necessariam necessitate medii clarum est: nemo enim potest salvari sine gratia sanctificante; at gratia sanctificans est a fide habituali inseparabilis. Quæstio hic est de *fidei actu* respectu adultorum; nam infantes illius sunt incapaces, qui salvantur per fidem habitualem per Baptismum illis collatam.

[1] *Ad Marcionem. V.* Bullet, *Stabilimento del Cristianesimo.* — Rohrbacher, *Storia* ecc., l. XXIV. — Perrone, *L'Apostolato cattolico ed il proselitismo protestante.*

[2] Lib. IV *de Trinitate;* vide Segneri, *L'incredulo senza scusa.* — Valsecchi, *I fondamenti della Religione.* Contra modernos, qui Ecclesiam privilegiis expoliantes debellare putant, ad rem *Saggio intorno al socialismo:* « Uomini di un giorno di vita si credono di vincere la Chiesa ed il clero (che quando è a lei unito, e parlante e operante a nome suo, è lei stessa, cioè la parte pensante e reggente di lei), uomini di un giorno si credono di vincerla, quando le hanno rapito un qualche diritto, compressa una qualche libertà, rapita qualche sostanza in uno di quei piccoli angoli del mondo che si chiamano Stati, in uno di quei momenti che si chiamano età e generazioni di una nazione. Oh i miseri! Essi son vermi effimeri di angusta terra, e la Chiesa è universale di tempo, di luogo, di infinitezza, ecc. »

§ 1. — *De fidei necessitate ratione actus interioris.*

903. Q. 1. *An de necessitate medii aliquid ab adultis credendum sit ad justificationem?*

R. Certum est omnibus adultis ratione utentibus aliquem actum supernaturalem esse necessarium, adeo ut sine eo, etiam inculpabiliter omisso, justificationem obtinere non possint. Est contra Wega et eos, qui putant hominem invincibili mysteriorum fidei ignorantia laborantem salvari posse sola naturali cognitione Dei.

Probatur: ex Scripturis; Apostolus expresse docet: *sine fide... impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* [1]; Apostolum autem loqui de fide supernaturali constat, quia loquitur de ea fide, quæ est *sperandarum rerum substantia* et *argumentum non apparentium*. Quæ porro fides certe supernaturalis est, cum res sperandæ humani ingenii captum superent, et res non apparentes humana ratione investigari nequeant.

2. Ex Patribus: *Fides* (ait d. Ambrosius) *est salutis nostræ pretium, sine quo non emitur Regnum cœlorum* [2]. — *Fides est* (inquit s. Fulgentius) *bonorum omnium fundamentum, humanæ salutis initium: sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pervenire; quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis gratiam, nec in futuro vitam consequitur æternam* [3].

3. Ex Ecclesiæ decretis. Tridentinum aperte asserit *sine fide nulli* unquam contigisse justificationem; et addit: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire* [4]. Confirmatur ex propositione sub n. 23 ab Innocentio XI proscripta: *Fides lata dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit* [5].

904. Dices: *si ita est, ergo adultus, licet in infantia jam baptizatus, si de rebus fidei nec audivit unquam, nec audire quidquam potuit,*

[1] Hebr. XI.
[2] *In Ps.* XXXVII. [3] *In proleg. de fide.*
[4] Sess. VI, c. 7 et 8. — *V.* Bourdaloue, *Domenicales, sermon sur la Foi.* Est autem rejicienda singularis opinio Andreæ Vegæ aliorumque paucorum, qui docent recensita testimonia posse intelligi de fide etiam in voto, et non tantummodo in re; ideo adultum invincibiliter ignorantem mysteria fidei posse justificari. Nam fides est dispositio interna, omnis justificationis radix: nihil proinde supponit, in quo votum ejus includatur. Suarez censet absque errore in fide id negari non posse.
[5] *Lata dicta*, id est innixa testimonio creaturæ vel alio simili motivo quæ ideo potius est scientia, quam fides.

æternis inferorum suppliciis addiceretur ob omissionem actus, qui fuit ipsi impossibilis; atqui hoc repugnat divinæ bonitati.

R. Non desunt Scholastici, quibus persuasum est saltem eos adultos, qui per Baptismum in infantia susceptum justificati sunt, posse sine fidei actu salvari. Verum hoc probari non potest; ideo respondemus cum d. Thoma: cum nemini Deus in necessariis desit neque deserat, nisi prius deseratur, curabit ergo gratuita sui bonitate suppeditare (etiam non baptizatis qui faciunt quod in ipsis est), ut legem naturalem rite observant, media opportuna ad eliciendam fidem ad salutem necessariam (sicuti fecit cum Cornelio, mittendo Angelum), ita ut nemo eorum pereat ob defectum fidei sibimet impossibilis [1]. *Cum Deus*, ut ait Pius IX Encyclica, *Quanto afficiamur mœrore*, 10 aug. 1863, *qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia, minime patiatur quempiam æternis puniri suppliciis, qui voluntariæ culpæ reatum non habeat*, etc.

Fides (addes) *necessaria ad justificationem, non est firmus assensus ad omnia revelata a Deo; sed tantum fiducia in divinis promissis, qua quis sperat obtinere a Deo, qui illam dare promisit, suam gratiam. Hinc Christus ad paralyticum:* confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. *Ad hæmorrhoissam:* confide, filia, fides tua te salvam fecit [2].

R. Negando; fides enim, quam Christus ad remissionem peccatorum postulat, illa est quæ profluit ex firmo assensu iis omnibus quæ Deus revelavit. Patet ex scopo quem ipse habuit divinam suam comprobandi missionem; ad hunc enim finem sua ordinavit miracula, ut nempe crederetur Filius Dei. Unde ab omnibus qui suam exigebant opem, fidem, imo et fiduciam in ipsis exigebat, ut patet ex objectis locis et aliis pluribus. Hinc apud Marcum: *Prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Apud Joannem: *Hæc scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in Nomine ejus* [3]. Merito ergo Tridentinum contra novatores: *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit* [4].

905. Q. 2. *Quænam credenda sunt de necessitate medii* [5] *?*

R. Adulti de necessitate medii alia credere debent fide supernaturali *implicita;* alia fide supernaturali *explicita.*

Fide supernaturali implicita (saltem latiori sensu) credere debent omnia a Deo revelata: nempe necessarium est, ut generatim credant vera esse omnia, quæ a Deo revelata sunt et per Ecclesiam proposita; ita enim exigit Dei revelantis auctoritas. Verum sola hæc implicita fides non sufficit: sive enim agatur de tempore ante sufficientem Evangelii promulgationem, sive de tempore post promul-

[1] Act. x. — *V.* d. Thomas, *Quæst.* XIV *de ver.*, a. 1. — *Bibbia* di Vence, vol. VI; dissert.: *Sulla eterna salute dei gentili.* — *Tesori di confidenza in Dio.* — De-Lugo, Disput. *De fide.*

[2] Matth. IX, 2 et 22. [3] Marci XV; et Joann. XX.

[4] Sess. VI, can. 12. — *V.* Bellarminus, *De Justificatione*, l. I, c. 9. — Perrone, *Prælect. Theolog.*, ubi *De gratia*, pars 2ª.

[5] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 2. — Klee, *Storia de' dogmi* ecc.

gationem illam, aliqua fides explicita semper fuit necessaria de necessitate medii ad æternam salutem.

Ac *primo:* hæc duo fuerunt omni tempore ab omnibus, et ideo etiam ante Evangelii promulgationem, de necessitate medii, determinate et explicite credenda fide supernaturali, nempe Deum existere, atque justos in vita futura esse remuneraturum. Patet ex Apostolo [1]: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Hinc propositio: *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris,* ab Innocentio XI damnata est sub n. 22. Et sane, ut quis vitam æternam mereatur, modo supernaturali vivere debet; quod non potest, nisi Deum remuneratorem cognoscat. Communissime autem docent, fidem explicitam Dei bonos remunerantis, importare etiam fidem explicitam Dei malos punientis. — Non autem necessaria fuit ante Evangelium fides explicita in Trinitatem; sed satis erat fides implicita et quidem latiori sensu. Si secus esset, Deus Trinitatis revelationem Judæorum vulgo non denegasset: quod tamen merito fecit, ne ipsi in cultum idolorum jam proni Deorum pluralitatem suspicarentur ex tali notitia.

Utrum vero post Adæ peccatum ante promulgatum Evangelium fuerit necessaria necessitate medii etiam aliqua fides Incarnationis seu in Christum, affirma: homo enim lapsus reparari non potest, nisi aliquo modo uniatur Redemptori et per Redemptorem Deo quod fieri nequit nisi per aliquam fidem. Hinc in Scriptura: *Non est in alio aliquo salus, nec aliud Nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri; non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi* [2]. Fides autem hæc ante sufficientem Evangelii promulgationem sufficiebat implicita, in sensu tamen stricto. Hinc Apostolus loquens de mysterio Incarnationis ajebat [3]: *quod absconditum fuit a sæculis et generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis ejus.* Ita generatim cum s. Thoma [4].

Secundo: hodie, facta Evangelii promulgatione, non sufficit fide explicita credere Deum existere et in altera vita remuneratorem esse; sed insuper requiritur de necessitate medii, ut explicite ac determinate credantur mysteria tum Ss. Trinitatis, tum Incarnationis, sub qua comprehenditur Redemptio: etenim post Evangelium sta-

1 Hebr. XI. 2 Act. IV; et Gal. XI. 3 Coloss. I.

4 2, 2, q. 2, a. 7. Ad rem d. Augustinus (Serm. III *in Ps.* XXXI): *Omnes qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent; illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus; et in ejus fide et ipsi sanati sunt, in cujus et nos; ut esset et Ipse totius caput civitatis Jerusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem.*

tus gratiæ factus est perfectior, unde perfectior requiritur notitia Christi ac Trinitatis. Et primo de Incarnatione legitur: *Hæc est autem vita æterna* (nempe medium ad vitam æternam), *ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* [1] : atqui *solus verus Deus* est credendus explicite: ergo et missio Jesu Christi. Unde Augustinus: *A damnatione se non liberabunt qui dicere poterunt, se non audivisse Evangelium Christi.* Neque sufficit cognitio Incarnationis Jesu Christi solitarie accepta; sed insuper conjungi debet cum ejus morte: nam ipse Christus instituit comparationem inter seipsum exaltatum in cruce et serpentem exaltatum in deserto, ut sicuti nullus salvus erat a morsibus serpentum, nisi qui aspexisset serpentem in deserto elevatum, ita in nova lege nemo consequitur salutem, nisi qui Christum in cruce exaltatum aspicit.

Hoc autem esse non potest sine explicita Trinitatis notitia; nam ut ait s. Thomas, *in mysterio Incarnationis hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit; et iterum quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit* [2]. Hinc in Symbolo Athanasii: *Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in Unitate veneremur... Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque D. N. J. C. fideliter credat.... Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Id docent Theologi communius, et videtur probabilius.

Alii tamen, satis etiam probabiliter, cum Gotti Sylvio, Soto, etc., tenent omnes necessitate præcepti teneri quidem hæc mysteria tum Trinitatis, tum Incarnationis explicite credere; necessitate tamen medii sufficere si ea credant implicite, etiam posita Evangelii promulgatione. Repugnat enim divinæ bonitati ac providentiæ, quod damnet adultos ea invincibiliter ignorantes, qui juxta lumen naturæ honeste vivunt; nam *in omni gente, quæ timet Eum et operatur justitiam, acceptus est Illi* [3]. Quidquid sit, certum est absolutionis esse incapacem, qui illa ignorat. Hinc damnata est ab Innocentio IX hæc n. 64 propositio: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Ss. Trinitatis et Incarnationis* [4] *(E).*

906. Quod *si a pœnitente in bona fide cum tali ignorantia jam peracta sit Confessio*, tunc alii dicunt illam Confessionem non esse repetendam; nam satis probabile est eam fuisse validam. Unde qui sic recepit Sacramentum, post factum non tenetur repetere, quia quod bona

[1] Joann. XVII. [2] 2, 2, q. 2, a. 7.
[3] Act. X. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 3.
[4] *V.* Benedictus XIV, Brevi *Etsi minime*, anno 1742; — Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 2.

fide actum est, post factum supponitur recte factum, quoadusque contrarium non sit certum. Propositio autem damnata loquitur non de collato, sed de Sacramento conferendo, et de eo qui laborat ignorantia etiam culpabili. Alii volunt Confessionem esse repetendam; nam obligatio certa Confessionis non adimpletur, nisi per certam satisfactionem, ideo per Confessionem certo validam.

Verum nos dicimus: generatim quidem verum est non esse repetendum opus, cui bona fide, et ex sufficienti ratione satisfactum est; quia revera supponitur recte factum, nec præsumitur velle legislator iterum obligare cum tanto incommodo. Hic tamen non apparet sufficienter satisfactum esse ab ignorante ea mysteria, saltem si ignorabantur quoad substantiale illorum [1]; cum dubius sit valor Sacramenti, eo quod in controversia sit utrum fides de illis mysteriis necessaria sit necessitate medii ad justificationem obtinendam; quare bona fides nequit valori Sacramenti suffragare et obligationem certam extinguere. Sed potior ratio est, quia absurdum videtur, quod pœnitens Pœnitentiam recipiendo, ubi Salvatoris merita communicantur, non debeat illis expliciter credere et suam fidem exercere.

907. Q. 3. *Quænam ad fidem pertinentia ab adultis scienda sunt de necessitate præcepti?*

R. Quilibet fidelis, ut vitam instituat christianam, cum ad usum rationis pervenerit, præter ea quæ scire debet necessitate medii, tenetur necessitate præcepti et sub mortali credere explicite ac scire crasso saltem modo, summatim et quoad substantiam, nisi invincibilis ignorantia excuset: 1) *Symbolum Apostolorum:* quod exigit vel ipsa professio christiana, quia in eo compendiose continetur quidquid de Deo, de Christo et de Ecclesia est præcipue credendum: confirmat praxis fidelium et *Catechismus Romanus;* 2) *Orationem Dominicam;* hæc enim a Christo præcepta est, continetque omnia a Deo petenda. Addunt *Salutationem Angelicam* ex usu fidelium, sed sub levi ex communi sententia; 3) *Præcepta Decalogi* et *Ecclesiæ:* ut enim singula observentur, singula cognoscenda sunt; 4) *Sacramenta* maxime necessaria, ut sunt Baptisma, Eucharistia et Pœnitentia; reliqua cum quis suspicere velit, ut ea rite suscipiat.

Diximus: 1. *Crasso saltem modo, summatim, et quoad substantiam* ex d. Carolo [2]; non enim omnes tenentur sub mortali prædicta scire memoriter, aut eo ordine et verbis, quibus proponuntur in Catechismo. Sed quoad Symbolum, præcepta Decalogi et Ecclesiæ ac Sacramenta sufficit, si quis rogatus de singulis sufficienter respondeat. Quoad Orationem Dominicam sufficit, si sciat omnia bona

[1] *Substantiale* mysterii esset juxta aliquos, si quis, v. g., ignorat Deum factum fuisse hominem; *accidentale,* vero mysterii, si illud sciret quidem, sed nesciret, quod qui homo factus fuit, secunda Trinitatis persona est. — *V.* Liguori, *Homo Apost.,* tract. IV, n. 3.

Hæc distinctio solari potest confessarios nimis anxios hac de re.

[2] *Instr. ad Confessarios.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.,* l. II, n. 3.

petenda esse a Deo; ajunt enim ex consuetudine, non esse nisi veniale ea memoriter non habere, modo interrogatus sciat in genere respondere.

2. *Nisi invincibilis ignorantia excuset aut impotentia:* sic excusantur quibus aut defuit doctor, aut nunquam venit in mentem obligatio similia addiscendi, aut qui nimis sint rudes, ut nullimode possint eadem comprehendere vel memoria retinere; nam impossibilium in re præcepta nulla obligatio.

3. *Cum ad usum rationis pervenerit;* tunc incipit obligatio ea addiscendi, quia incipit obligatio ea ad finem ultimum dirigendi [1].

908. Q. 4. *An confessarius in conscientia teneatur pœnitentem interrogare de scientia fidei?*

R. Ne se gravi peccato commaculet confessarius Sacramentum exponendo periculo nullitatis, tenetur sub gravi pœnitentem interrogare de scientia fidei, si habeat rationabile motivum dubitandi, quod sit ignarus: quod colliget ex modo confitendi ipsius pœnitentis, ex conditione, ex statu, ut si sit rudis. Quanquam hodie non raro inveniuntur homines in humanis literis sat expoliti, qui circa Religionem crassa laborant ignorantia; cavendum porro, ne propter damnabilem reverentiam in ea reliquantur [2]. Qua in re videat confessarius, an pœnitentis ignorantia respiciat ea, quæ sunt scienda vel necessitate medii, vel præcepti.

Si 1, pœnitens instrui debet ante absolutionem, uti patet ex damnata illa propositione: *Absolutionis capax est homo, quamvis laboret ignorantia mysteriorum fidei,* etc. Si 2, debet confessarius interrogare de negligentia in iis addiscendis, quia per eam plurimi peccare solent. Si doleant cum proposito discendi, neque alias moniti neglexerint, poterit illico eos absolvere; tunc enim recte præsumitur ipsos velle *operam impense dare qua divinæ gratiæ præsidio ea discant,* ut ait Benedictus XIV Constitutione *Etsi minime* [3]. Si secus, prius discant; et postea absolvantur.

[1] Notamus cum d. Thoma (2. 2, q. 2 et 6): ecclesiastici tenentur ad magis explicitam notitiam rerum quæ ad fidem pertinent, quam laici. Sicut enim superiores Angeli, quia inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus divinis; ita superiores homines, qui alios debent erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis. Hoc tamen non de necessitate fidei, sed officii ac status.

[2] *V.* Gousset, *Giustificazione della Teologia Morale di sant'Alfonso,* c. ult.

[3] Confessarius advertens pœnitentem ignorare quæ sunt necessaria necessitate medii (quod in pueris et rusticis frequens est), tenetur eo modo, quo hic et nunc est capax, non quidem doctrinaliter, ut ea capere, intelligere, memoriter recitare possit, sed sufficit pro tempore, ut ei obligationem discendi insinuet, ejusque ignorantiam suppleat proponendo ei articulos credendos ut ad singulos actum fidei exerceat: v. g. credis, quod Deus unus sit essentia et tres personæ etc., sicut Ecclesia credit? *credo.* Credis quidquid credit sancta Romana Ecclesia et vis mori in ipsa? *credo.* Doles ita ignarum esse et negligentem fuisse etc.? *doleo.* Proponis firmiter nactus occasionem opportunam quod curabis te instrui, et velis diligenter discere quæ sunt ad salutem

Quid (dices) *si pœnitens sit in mortis articulo?* Tunc si ignorantia in rebus fidei respicit quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, debet confessarium talem pœnitentem docere primo quæ respiciunt vitam futuram; deinc mysterium Ss. Trinitatis et Incarnationis et Passionis D. N. J. C.; ac sic curare, ut Dei opitulante gratia, in eo excitetur dolor peccatorum cum proposito non peccandi de cetero; cum aliter non sit capax absolutionis.

Si ignorantia ista respicit quæ scitu necessaria sunt necessitate præcepti, non debet impendere tempus in eo instruendo; sed potius ad dolorem excitet, et adjuvet in eliciendis actibus fidei, spei et charitatis. Nam adhuc valet absolutio, si ipsum præteritæ negligentiæ pœniteat, et promittat discere, si convaluerit [1].

909. Q. 5. *Quandonam obligat internum fidei præceptum?*

R. Internum fidei præceptum quatenus negativum obligat ad nunquam dissentiendum vel dubitandum de revelatis a Deo; secus injuria ipsi irrogaretur gravissima, quasi falli aut fallere possit. Quatenus positivum obligat aliquando per se, aliquando per accidens. Obligat *per se*:

1. Pueros inter fideles educatos, quando rationis usum perfecte consecuti mysteria fidei audiunt, et mente apprehendunt sibi ad salutem necessarium esse illa credere; nam adulti ubi primum possunt, tenentur debitum mentis obsequium præstare Deo: ad quod fides prærequiritur. Unde peccant mortaliter id omittendo, nisi excusentur ob inadvertentiam, aut invincibilem ignorantiam, uti de eorum compluribus solet evenire [2].

2. Adultos infideles, quando ratio dictare incipit res fidei nostræ sufficientes iisdem esse propositas, et sectam suam esse falsam. Hinc ab Innocentio XI jure meritoque damnata est hæc sub n. 4 propositio: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

3. Omnes obligat non semel in vita, *quia justus ex fide vivit* [3]. Et maxime in morte; nam tunc maxime urget obligatio in finem ultimum nos dirigendi per fidem: *hæc est enim victoria quæ vincit mundum, fides nostra* [4]. Hinc curent animarum Pastores illam in moribundis excitare simul cum spe et charitate.

necessaria? *utique*. Si has actus exerceat sufficit ad instructionem a confessario hic et nunc præstandam, et ad dispositionem sufficientem ad Sacramentum. Hactenus Sporer, *De Pœnit*, n. 796.

[1] Celebris ille et doctus Missionarius p. Leonardus industrium edocet modum, quo agendum est cum pœnitentibus civilis conditionis, qui res fidei ignorant, sed contumeliæ haberent, se de iis interrogari directe; ait enim decere confessarium, ut invitet et una simul cum pœnitente christianos actus eliciat. — *V.* Liguori, *Praxis Conf.*, n. 22; et dicenda *De Pœnitentia*, n. 396.

[2] *V.* Bossuet *Réflexions sur un écrit de M. Claude.*

[3] Gal. III. [4] I, Joann. V.

Obligat *per accidens:* 1) quando urget tentatio contra fidem, quæ aliter superari non possit (attamen scrupulosi facilius superant tentationem convertendo mentem ad alia objecta); 2) quando tentatio urget etiam contra alias virtutes et superari nequeat nisi per actum fidei; nam quilibet tenetur assumere medium necessarium ad vitandum peccatum; 3) quando facienda est professio fidei exterior, vel ex præcepto eliciendus est actus alterius virtutis, quæ fidem supponat. Sic si accedas ad Communionem, requiritur actus fidei saltem implicitus erga præsentiam Christi in Eucharistiam.

Quæres: *quoties tenemur in vita elicere actum fidei?* Præmittimus propositiones ab Alexandro VII et Innocentio XI proscriptas: 1ª *homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium;* 2ª *fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se;* 3ª *satis est actum fidei semel in vita elicere;* 4ª *sufficit ista mysteria* (Trinitatis et Incarnationis) *semel credidisse* [1]. Hoc posito:

R. Non satis convenit inter Theologos quoties in vita teneamur ex vi præcepti actum fidei elicere. Aliqui docent, ad id nos teneri singulis diebus festis. Alii quoties mysteria in Ecclesia celebrantur. Alii quoties id sufficit ad profitenda mysteria nostræ Religionis. Sat probabiliter Concina, Franzoja, Salmanticenses et Sanchez cum communi tradunt, nos teneri saltem semel in anno.

Quidquid sit, ad tollendas anxietates advertimus huic præcepto plerumque fieri satis occasione exercendi aliarum virtutum actus, v. g., audiendi Missam, adorandi Crucifixum, orandi, etc.; nam cum isti actus oriantur ex fide, aut etiam ex spe et charitate, credibile est, nos reapse in iisdem adjunctis actum Virtutum theologicarum exercere. Quare qui semel amplexus est fidem et christiane vixerit, Paschali saltem præcepto satisfaciendo, non debet dubitare, quin satisfecerit præcepto fidei et etiam spei, ex sapientissimo Lugo. Attamen Parochi et sacerdotes, qui in Ecclesiis ruralibus in festis Missam celebrant, meminerint eorum, quæ Benedictus XIV Constitutione *Etsi minime* 1742, sancivit: vult nempe ut *post Missam die festo celebratam statim ante aram provoluti, clara et intelligibili voce, dictos virtutum actus* (fidei, spei et charitatis) *eliciant, et præire satagant populo verba ab ipsis prolata devote reddituro. Hoc enim pacto fideles, sensim illos memoriæ mandabunt, et assuescent nedum festis, sed aliis etiam diebus in pia exercitatione versari (F).*

[1] Alexander VII, sub n. 1; Innocentius XI, sub nn. 16, 17 et 65.

§ II. — *De fidei necessitate ratione actus exterioris, de symbolis fidei et catechismis.*

910. Q. 1. *An extet præceptum fidem exterius profitendi?*

R. Affirmative: *duplex officium*, inquit Augustinus, *a nobis exigit fidei, cordis et linguæ* [1]. Hoc est fidem, quam intus in corde tenemus, exterius etiam profiteri lingua debemus juxta illud Apostoli: *corde.... creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem* [2]; etenim honor Deo debitus exigit, ut ei adhæreamus spiritu et veritate. Hoc præceptum, quatenus *affirmativum*, præcipit confessionem externam pro tempore determinato; quatenus *negativum* prohibet omni tempore negationem fidei, etiam mere externam.

Obligatio fidem exterius profitendi aliquando viget Jure naturali divino; aliquando Jure ecclesiastico, et quidem vel generali pro toto orbe catholico, vel particulari pro qualibet Diœcesi.

1. *Jure naturali divino* viget obligatio fidem exterius profitendi, ut omnes docent cum d. Thoma, *quando per omissionem hujus confessionis substraheretur honor Deo debitus, et etiam utilitas proximis impendenda* [3]. Ratio quia actus virtutis Jure naturali divino tunc præcipitur, quando necessarius est ad præceptum ipsum servandum: atqui ita currit in duplici casu proposito. De primo dicitur: *qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet;* de secundo legitur: *Debemus pro fratribus animas ponere* [4]. Dixit autem Angelicus *utilitas proximis* (non proximo) *impendenda*, ut intelligamus nos non teneri pro uno aut altero in fide confirmando vitam nostram periculo exponere; nam charitas nos non urget ad impediendum alterius peccatum, vitam nostram profundere. Sed tenemur tantum quando periculum est, ne ipsa multitudo a fide deficiat, et nos certo valeamus impedire.

2. *Jure ecclesiastico* generali præter baptizandos (qui scilicet tenentur vel per se, si adulti; vel per patrinos, si infantes), fidem exterius profiteri unacum juramento obedientiæ erga Ecclesiam Romanam tenentur, per se ipsos, non per procuratorem [5]: — 1) provisi de Beneficio curato, intra duos menses a die possessionis co-

[1] *De fide et sym.*, c. 1.
[2] Rom. x. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 5.
[3] 2, 2, q. 3, a. 2. — *V.* Alasia, *De fide.* — Ferraris; V. *Fidei professio.*
[4] Luc. IX; et Joann. III. Hinc catholicus videns Eucharistiam, vel sacras imagines contemni obsistere debet, si valeat hoc impedire: est de honore Dei. Qui vero aliquid agit, unde alii conjiciant ipsum negasse fidem, tenetur a facto desistere: est de charitate proximi.
[5] *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LX. Constat ex declaratione S. C. Concilii.

ram Episcopo, vel ejus Vicario generali aut Officiali. — 2) Provisi de Canonicatu vel Dignitate in Cathedrali, item coram Episcopo vel ejus Vicario; quam quidem professionem emittere debent etiam in Capitulo: addita semper pœna, quod alioquin non faciant fructus suos, nec illis possessio suffragetur [1]. — 3) Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi et Episcopi ante literas propriæ provisionis expeditas. Quæ insuper ab ipsis emittenda est in prima Provinciali Synodo unacum juramento Tridentinum observandi [2]; — 4) Pius IV Constit. *Injunctum* et *In sacrosancta* hanc obligationem extendit ad superiores Religionum etiam militarium. Itemque ad omnes promovendos in Doctores, Magistros, Regentes, Professores cujusvis scientiæ liberalis, addita excommunicatione latæ sententiæ et privatione omnium dignitatum, beneficiorum et officiorum in eos, qui promovent ad tales gradus sine dicta fidei professione, et in Episcopos interdictu ab ingressu Ecclesiæ [3]; — 5) Omnes, qui in Synodum Diœcesanam convenire debent [4]. — 6) Hæretici ad Ecclesiam redeuntes, qui tenentur et hæresim abjurare et expressam fidei professionem emittere, ut passim fit, ratio suadet et jus firmat.

3. *Jure ecclesiastico particulari* seu diœcesano, generatim tenentur: — 1) provisi de Beneficio simplici, vel Canonicatu, vel Dignitate etiam in Collegiata; — 2) novi confessarii et concionatores [5].

911. Q. 2. *Quid prohibet præceptum fidei, quatenus negativum?*

R. Tria maxime prohibet præceptum fidei negativum: fidem negare, falsam Religionem profiteri et falsam Religionem simulare.

1. *Fidem negare.* Est contra Basilidianos, Priscillianistas et Dulcinum, qui dixerunt sæculo II, IV et XIV fidem sine culpa negari posse coram hominibus. Quod adversatur Christi verbis: *Omnis... qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo ego eum coram Patre meo.* Quare Apostolus: *Si negaverimus, et ille negabit nos* [6]. Et Augustinus: *Quanta est vita confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.* Accedit ratio: vel enim exterior fidei negatio correspondet internæ; vel non. Si correspondet, est infidelitas, quæ suapte natura mala est: si non correspondet, est mendacium in re gravissima et sacra, prout est Religionis negotium.

[1] Tridentinum, sess. XXIV, c. XII *de R.*
[2] Sess. XXV, c. 2 *de R.*
[3] Verum hoc aliquibus in locis, notant, non observatur.
[4] Tridentinum. — In Synodo Diœcesana quamvis nulla sit obligatio ut juramentum præstet Episcopus; id tamen in usu est in Diœcesi Novariensi, pag. 20.
[5] Ita Synodus Novariensis, pag. 21.
[6] Matth. X; et II, Tim. II. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 12.

2. *Falsam Religionem profiteri.* Hoc enim est manifeste veræ fidei valedicere; cum nulla possit esse conventio inter lucem ac tenebras. Hinc graviter peccat contra fidem qui, a quovis interrogatus de sua Religione responderet, se esse turcam vel judæum, aut gentilem; quia hoc ipso negaret se esse christianum. Neque excusat timor mortis; cum illud nunquam liceat, quod intrinsece malum est.

3. *Falsam Religionem simulare:* cum minime intersit, utrum quis verbo potius an facto mentiatur, iccirco eodem præcepto quo prohibemur fidem exterius negare, prohibemur etiam falsam Religionem quamcunque simulare verbis, factis, signis aut alia qualibet ratione, dicente Christo: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* [1]. Ideo omnis simulatio in rebus Religionis sive ad fidem sive ad mores spectent, semper est detestanda; qui enim ea utitur, facto ostendit se esse falsæ Religionis sectatorem. Ut enim habet Angelicus: *Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora qualis est; signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta: sicut ergo veritate opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significat, quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum vel rerum significet contrarium ejus quod in eo est, quod proprie simulatio dicitur* [2].

Hinc merito damnati fuerunt *libellatici*, qui nempe obtinebant libellos securitatis, ex quibus eos idolis sacrificasse constabat, quod tamen verum non erat [3]. Hinc Benedictus XIV, Constitutione *Ex quo singulari* anno 1742, declaravit, non licere Sinensibus christianis externa adorationis signa exhibere idolo, quamvis intentio dirigeretur ad crucem sub veste latentem.

Diximus: *omnis simulatio;* est enim commune, fas esse aliquando tacere veritatem verbis, aliisve signis ambiguis ac indifferentibus ob justam causam, si nulla adsit necessitas confitendi; cum tunc nulla interveniat deceptio, sed sola adsit deceptionis permissio.

912. Q. 3. *An liceat fidem occultare, ipso vel tempore persecutionis fugere?*

R. Ad 1. Non licet fidem occultare quoties urget præceptum illam exterius confitendi; tunc occultare fidem idem esset ac negare. Si vero hoc præceptum non urgeat, fidem occultare aliquando erit non tantum permissum, sed conveniens ac necessarium, nè scilicet vel fidem vel nos ipsos gravi periculo exponamus. Sic sacerdos ex ra-

1 Luc. IX. — Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 10. 2 2. 2, q. 111, a. 1.
3 V. *Storia della Chiesa dalla sua fondazione fino al pontificato di Gregorio XIV.* Torino, Marietti, pag. 81. — Salzano, *Storia ecclesiastica*, l. V. — Rohrbacher, *Storia.*

tionabili causa iter agens inter hæreticos vel infideles ad occultandum suum statum et fidem uti potest vestibus sæcularibus. Ceterum curandum ne occultando fidem videamur ipsam aperte negare, ut esset si iis utamur signis quæ ex usu, hominum institutione, aut ex sui natura fidei negationem indicent.

R. Ad 2: Licet tempore persecutionis fugam arripere, nisi aliud honor Dei populique necessitas ob peculiares circumstantias expotulet; est contra Tertullianum et Montanistas id absolute negantes. Clare id tradidit Christus inquiens: *cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* [1]. Sane qui fugit, ideo fugit, ne fidei negandæ periculo se exponat; hinc d. Bernardus [2]: *Fugere persecutionem non est culpa fugientis, sed persequentis.* Confirmatur exemplo Athanasii, Cypriani, etc.; et ipsiusmet Christi qui abscondit se a Judæis eum lapidare volentibus [3]. Imo fugiendi obligatio est, si id bono publico expediat: quod Augustinus probat exemplo Pauli, qui ob Ecclesiæ utilitatem *se fuga eripuit a præposito Damasci* [4].

Verum hoc ordinarie non convenit Episcopis et Rectoribus: imo grave esset piaculum, cum magnis Ecclesia tempestatibus agitatur, eos se timidos exhibere et pusillanimes. Quid de navis gubernatore, qui illam deserit fluctibus jactam? en casus illius Pastoris, qui persecutionis tempore suam Ecclesiam deserit, ut ajebat Nicolaus V a quodam Episcopo consultus. — Hac in re en regula generalis, quæ eruitur ex d. Thoma [5]: in qualibet obligatione præcipue attendi debet ejus finis; obligant autem se Episcopi ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutem, et ideo ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque propter aliquod personale periculum imminens; cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri, tunc licet Pastori vel propter commodum Ecclesiæ, vel quia persecutio contra ipsam pastoris personam tantum dirigitur corporaliter, gregem deserere [6] *(G).*

913. Q. 5. *Quid est Symbolum?*

R. Symbolum vox græca est, quæ latine significat vel rerum plu-

[1] Matth. x. [2] Ep. 1. [3] Jo. VIII.
[4] Tract. XLVI *in Joann.* — It. ejus *Epist. ad Honor.* CLXXX, ubi fuse.
[5] Lect. III *in* 10 *Joann.* — *V.* Muzzarelli, *Dell'obbligo dei Pastori in tempo di persecuzione;* Torino, 1862; it. *Il buon uso della logica*, opusc. XXXVII. — *De obligationibus*, lib. 1, n. 445.
[6] S. Augustinus, *Ep.* CCXXXVIII ad Honoratum episcopum hac de re præclaras regulas præbet; et Salmeron egregium tractatum *de fuga in persecutionibus* scripsit, expendens ea Christi verba: *tradet autem frater fratrem in mortem.* — Benedictus XIV, *De Canonizatione Sanctorum*, l. III, c. 16.

rium collationem in commune, vel signum aut tesseram militarem, qua veri milites ab aliis secernuntur. Apud christianos hoc nomen sumitur pro regula fidei, sive pro *brevi confessione fidei catholicæ, præcipuos hujus articulos continenti.* Hoc inductum est: 1) ut uniformis ubique sit fidelium institutio; 2) ut facilius memoriæ commendentur; 3) ut facilius veri fideles discriminentur ab infidelibus.

Symbola illustriora sunt: Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, Athanasianum: *quæ*, ait Angelicus, *in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quæ in alio continentur implicite, secundum quod exigebat hæreticorum instantia* [1].

a) *Symbolum Apostolicum* recitatur a fidelibus in precibus quotidianis et in Officio divino: in duodecim veluti capita dividitur, quæ dicuntur *articuli.* Fatentur ipsi hæretici jure dici *Apostolicum*, quia continet doctrinam traditam ab Apostolis; negant tamen multi ex protestantibus (imo quidam ex ipsis catholicis) illud esse genuinum Apostolorum opus. Sed falso; ejus enim auctores fuisse Apostolos, nonnullis articulis exceptis, probat: 1) usus ejusdem in Ecclesia vetustissimus, quem nullus ante Erasmum et Calvinum negavit. At teste d. Augustino, *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur;* 2) id docuerunt expresse traditionis ecclesiasticæ testes locupletissimi, Ruffinus [2], s. Ambrosius [3], s. Hieronymus [4], Leo Magnus [5], Cassianus [6] et alii ferme innumeri: imo s. Leo aliique censent, singulos Apostolos articulum edidisse suum. — Diximus: *nonnullis articulis exceptis;* quia non est negandum Symbolo additas fuisse aliquas voces ad exortas hæreses melius profligandas: ut *creatorem cœli et terræ: passus, mortuus, descendit ad inferos: omnipotentem: catholicam: Sanctorum communionem: vitam æternam* [7].

b) *Symbolum Nicænum* conditum est in primo generali Concilio Nicææ in Bytinia (circa annum 325) celebrato contra perfidum hæresiarcham Arium, qui blasphemabat Dei Verbum non esse Deum, sed meram creaturam ex nihilo, licet ante ceteras creatam. Unde declaratum fuit, Christum esse Patri *consubstantialem* [8].

c) *Constantinopolitanum* conditum est in Concilio Constantinopolitano I, quod est generale II celebratum (anno 381) tum contra hæreticos Eunomianos contendentes Spiritum Sanctum non procedere a Patre, contra quos definita est processio Spiritus Sancti a Patre; tum contra Macedonianos negantes Spiritus ejusdem divinitatem, contra quos posita sunt hæc alia vocabula: *qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.* Non differt a Nicæno, nisi a distinctiori aliquot articulorum explicatione. Huic autem Symbolo nonnulla addidit explicando Concilium Chalcedonense generale IV anno 451. Tandem apposito verbo *Filioque* (a pluribus primum particularibus Conciliis, quod confirmarunt Concilia œcumenica Leonense II anno 1274, et Florentinum anno 1439), illud est, quod hodie in Missa Ecclesia latina recitat [9].

1 2, 2, q. 1, a. 1 — 2 *In Expos. symb.*
3 Sermo ult. *de jejun.* — 4 Epist. *ad Pammach.*
5 Epist. *ad Pulcher.* — 6 L. VI *de Incarnat.*
7 *V.* Usserius, *In diatriba de Romanæ Ecclesiæ Symbolo apostolico vetere* — Natalis Alexander, *De Sym. fidei.* — P. Lazerus, *Exercitatio de antiquis formulis fidei.*
8 *V.* Chr. Lupus, in *Synodo Nicæna.* — Knoll, *Instit. Theolog.*, vol. I, *Introduct.*
9 Etsi Græci teneantur credere etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, non tamen hoc tenentur in Symbolo pronuntiare. At pronuntiandum ubi id viget; imo si commorentur in Italia, insulisque adjacentibus, si ab Ordinariis locorum vel ob scan-

d) *Symbolum Athanasianum* sic dicitur, quia summam fidei continet, cujus Athanasius sæculo Ecclesiæ IV præcipue fuit assertor et vindex invictissimus. Non est tamen certum penes eruditos, ab ipso fuisse confectum: ita censet Baronius. Sed communiter negatur, tum quia in eo confutatur Nestoriana, atque Euthichiana hæresis nondum suo tempore exorta; tum quia in eo non legitur verbum *consubstantialem*, cum tamen esset eo tempore unica fidei nostræ tessera. Alii illud tribuunt s. Ambrosio; alii s. Hilario; alii s. Eusebio Vercellensi; alii Vigilio Tappensi; censent alii opus esse Vincentii Lyrinensis. Ceterum non est dubium quod certa fidei nostræ sit regula; cum illud jubeat recitari Ecclesia sancta.

Quare (inquires) *gravissima fidei puncta, v. g. Eucharistia, Sacrificium, etc., in Symbolis non fuerunt expressa?*

Merito id factum credimus respectu infidelium et catechumenorum, tum ob eorum infirmitatem; tum propter abusum qui merito tunc timebatur; tum etiam ex Augustino, *ut tanto ardentius concupiscantur, quanto honorabilius occultantur.* Hac etiam ratione in illo Religionis initio plura tacebantur mysteria, ac nonnisi sensim sine sensu tradebantur. Quæ quidem prudentissima *silentii* disciplina nostris hisce temporibus videtur, ab ecclesiasticis præsertim in familiaribus cum vulgo colloquiis adhibenda, ne sacra profanorum impietati exponantur contemnenda. Neque dicant nos lucem timere; veritas lucem non timet; sed timemus ne adultorum cibo gravetur ad mortem parvulus. Hanc œconomiam nos docuit Christus cum Discipulis dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* [1].

Q. 6. *Ad quem pertinet Symbolum fidei edere?*

R. Ad Papam solum; ut enim habet Angelicus: *Editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis* [2]

914. Q. 7. *Quid de Catechismis dicendum occurrit* [3]*?*

R. Catechismi nomine solent indicari accurata christianæ doctrinæ compendia: principem tenet locum *Catechismus Romanus* jussu Pii V editus ad mentem Concilii Tridentini, pro Parochis præsertim, ut sapientem haberent normam in populo edocendo. Unaquæque etiam Diœcesis suos habet catechismos, et iis uti debent qui doctrinam docent: hoc merito omnes pro sua Diœcesi præcipiunt Episcopi; expositionis enim diversitas perturbaret fideles ac confusionem pareret [4].

Quanti autem faciendum sit catechistæ munus, patet; nam per illud populi vera enutriuntur Religione: hinc Paulus V (6 oct. 1607) et Clemens XII (26 junii 1735) plures Indulgentias hoc nobile ac santissimum Opus exercenti concessere. Antiquitus hoc munus exercebant summi viri, Clemens Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Origenes; ac dein Gerson, Bellarminus, Gerdil, etc.

dalum, vel ob aliam justam causam requisiti fuerint, particulam *Filioque* in Symbolo tenentur pronuntiare. Ita Benedictus XIV, Bulla *Etsi* 26 maji, 1742. — *V.* Ferraris, V. *Apostolus, Symbolum.*

[1] Jo. I. V. *Storia della Chiesa dalla sua fondazione al Pontificato di Gregorio XIV*, pagg. 49, 127 et 150. — Salzano, *Corso di storia ecclesiastica*, l. IV, § 9: *Disciplina dell'arcano.* — Ferraris; V. *Arcani disciplina.*

[2] 2, 2, q. 10. [3] *V.* Martinet, *La filosofia del Catechismo cattolico.*

[4] V. *Synodus Novariensis*, De doctr. christ.

CAPUT QUARTUM

DE PRÆCIPUIS VITIIS ET PECCATIS FIDEI OPPOSITIS.

Unaquæquæ virtus vitia habet sibi opposita, ideo et fides. Porro vitia eatenus virtuti fidei adversantur, quatenus vel prohibent ne acquiratur, et est *infidelitas;* vel acquisitam extinguunt, sive in parte, et est *hæresis*, sive in toto, et est *apostasia*, quæ etiam *perfidia* dicitur.

ART. I. — *De infidelitate et fidelium communicatione cum infidelibus.*

915. Q. 1. *Quid de infidelitate?*

R. Infidelitas est *carentia fidei:* triplex distinguitur. Aliquando accipitur secundum puram negationem, ita ut quis dicatur infidelis ex hoc solo, quod non habet fidem, et dicitur *infidelitas pure negativa:* talis est in illo, cui fides vel nullo unquam modo, vel non satis fuit annuntiata. Aliquando accipitur secundum negligentiam, ignorantiam vel errorem culpabilem circa res fidei, et dicitur *infidelitas privativa.* Aliquando accipitur secundum contrarietatem ad fidem, quia aliquis repugnat auditui fidei aut ipsam contemnit, et dicitur *infidelitas positiva*, vel *infidelitas contraria.*

a) Infidelitas pure negativa non est peccatum, sed tantum pœna peccati; nam Christus Dominus ait: *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent* [1]. Atqui Christus infidelibus negativis non est locutus neque per se, neque per suos ministros; ergo peccatum non habent. Merito hinc damnata fuit illa Baji propositio: *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Non ergo hac de causa infideles damnabuntur ad inferos, nisi etiam sint idololatri, vel alio actuali et gravi peccato maculati moriantur. Isti, apud quos Evangelium necdum penetravit, in eo statu versantur in quo versabantur gentes ante Christi adventum, quibus Deus non deerit, si juxta rectæ rationis dictamen vitam ducant. Etenim Christus Dominus est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; et non est qui se abscondat a calore ejus* [2]. Ideo etiam infidelibus pure negativis gratia tribuitur ex meritis Christi, gratia *medicinalis* videlicet quæ

[1] Jo. xv. [2] Joann. I; Psal. XVIII. Vide Encyclica Pii IX *Quanto* 1863.

ordinatur ad sanandam nativam illorum infirmitatem, quæque vires suppetit necessarias ad legem naturalem servandam. Cujus ductum qui sequitur *in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum* (ex Angelico), *quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium* [1].

b) Infidelitas autem privativa peccatum est juxta illud: *Qui vero non crediderit, condemnabitur* [2]. Est enim neglectus gratiæ et omissio rei necessariæ ac possibilis, sine qua non datur salus.

c) Infidelitas tandem positiva est item peccatum, et gravius infidelitate privativa; quia continet gravem injuriam, atque contemptum divinæ Auctoritatis.

916. Q. 2. *Quot sunt species infidelitatis?*

R. Ad infidelitatem, uti species ad genus suum, revocantur generatim paganismus et judaismus.

a) Paganismus est infidelitas illius, qui neque in re neque in figura fidem suscepit. Huc reducuntur: 1) *politheismus*, qui plures Deos admittit: porro ad politheismum revocari potest *pantheismus*, qui rerum universitatem Deum nuncupat; aquam Deum, terram Deum, planctas Deum, animalia, nos et omnia semper Deum; [3]; 2) *atheismus* (alio nomine *materialismus)* qui nullum Deum; 3) *deismus*, qui unum Deum tenet, sed omnem revelationem rejicit [4] (dicitur etiam *naturalismus*, cum Deo cultum tribuere prætexat, quem sola natura suggerit); 4) *mahumetismus*, sic dictus ab arabo Mahumede illius auctore, qui unum Deum creatorem fatetur, at plura rectæ rationi contraria et honesto homine indigna simul tradit in putido Alcorano.

b) Judaismus autem est infidelitas illius, qui veram fidem suscepit in figura, sed non in re.

1 Quæst. 14 *de Verit.*, a. 11 ad 1. — *V.* Perrone, *De gratiæ distributione;* et *De Baptismo.* — Collius, *De animabus paganorum.* Mediolani, 1738. — Franco, *Risposte popolari alle obiezioni,* ecc.

2 Marci, c. ult. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 17.

3 Monstruosus *pantheismus* est a græco *pan* omne, et *theos* Deus; juxta illum totus mundus est nonnisi Deus; et quæ contingunt in eo mutationes, sunt modificationes illius divinæ substantiæ. Nihil absurdius, nihil magis oppositum evidentissimis notionibus, quas quisque habet de spiritu ac materia; attamen putidum Spinosæ systema ab inferis hodie revocarunt in Germania primum Fichte, Schelling, Salvador, Hegel; in Gallia, Cousin, Leroux et Sansimoniani. Pius IX pantheismum, naturalismum et rationalismum damnavit in *Syllabo*, nn. 1 et seqq.

V. Perrone, *Præl. Theol., De Deo*, parte 2ª. — Bergier, *Dizionario* ecc., ad appendicem; V. *Panteismo.* — Roselly, *Della morte anteriore all'uomo.* Discorso preliminare. — Maret, *Saggio sul Panteismo.* — Lacordaire, *Conferenze;* Confer. XIX. — Liberatore, *Elementi di filosofia:* tit. *Ontologia.* — Ferraris; V. *Politheismus,* — Gautier, *De hæresibus.* — Salzano, *Elementi di storia antica,* l. 1: *Considerazione sul panteismo.*

4 *V.* Liguori, *Breve dissertazione contro gli errori dei moderni increduli, oggidì nominati materialisti e deisti.* — Magalotti, *Lettere familiari.* — Jamin, *Pensieri relativi agli errori de' nostri tempi.* — Balan, *I precursori del razionalismo,* 1868.

Hic certe non datur parvitas materiæ, cum hæc omnia semper includant verum atque formalem Dei contemptum.

917. Q. 3. *An infideles compelli possint ad fidem suscipiendam?*

R. Ecclesia habet jus prædicandi Evangelium ubique per ea verba: *euntes docete omnes gentes; prædicate Evangelium omni creaturæ:* et infideles tenentur et prædicationem audire et fidem suscipere; nam qui *non audierit exterminabitur*, et *qui non crediderit condemnabitur* [1]. Attamen Ecclesia vi compellere non potest infideles ad fidem suscipiendam; tum quia nullam habet directam potestatem in non baptizatos [2]; tum quia fidei susceptio debet esse voluntaria, ut vera sit. Confirmatur ex Jure canonico, ex Tridentino [3], et praxi ipsius Ecclesiæ, quæ nunquam coactione usa est, sed suasione tantum: quo sensu explicant illud: *compelle intrare* [4].

Diximus *ad fidem suscipiendam;* docent enim Ecclesiam posse compellere infideles sibi in temporalibus subjectos ad audiendam fidem, cum adhuc electio libera ipsis relinquatur [5]; item eis vetare idololatriam, cum hæc legi naturali repugnet. Sic, Ecclesia plaudente, Constantinus et Theodosius illam proscripserunt. Hoc tamen intelligitur de subditis in temporalibus, quia in eos jurisdictionem Ecclesia habet, atque ideo potest illis jubere quæ sunt recti ordinis, si adhuc libertas ad fidem relinquatur. — At in eo qui nec temporaliter sibi sunt subjecti, nullum jus dicere potest, ut vi compellat ad audiendam fidem, etsi possit eos compellere vi, ne fidei prædicationem vel ipsam fidem impediant. Audiatur Angelicus: *Dicendum quod infidelium quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut gentiles et judæi; et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant, quia credere voluntatis est. Sunt tamen compellendi a fidelibus si adsit facultas, ut fidem non impediant, vel blasphemiis vel malis persuasionibus vel etiam apertis persecutionibus: et propter hoc fideles Christi frequenter contra infedeles bellum movent, non quidem ut eos ad credendum cogant, quia si etiam eos vicissent et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent; sed propter hoc ut eos compellant, ne Christi fidem impediant. Alii vero sunt infideles qui quandoque fidem susceperunt et eam profitentur, sicut hæretici et quicumque apostatæ; et tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, et teneant quod semel susceperunt* [6]. Nihil sane clarius.

[1] 1, Cor. v. [2] Actor. II; Marci, ult.
[3] Cap. Majores 1 *de Bapt.* et *de judæis*, diss. XLV. — Tridentinum, sess. XIV, c. 2.
[4] Luc. XVI. — *V.* Pignatelli, *Consultationes* etc., lib. IX, cons. 68.
[5] *V.* Bulla Nicolai III, *Vineam;* et Bulla Gregorii XIII, *Sancta mater Ecclesia.*
[6] 2, 2, q. 10, a. 8. — V. *Civiltà Cattolica*, ser. 2ª, vol. VI: *La guerra d'Oriente;* serie 4ª, t. VI: *Le armi spirituali a difesa del temporale;* item: *Le armi temporali a difesa dello spirituale.* Item plurima, quæ disputamus L. I, n. 177.

Habes hic plura contra serpentes errores: — 1) Ecclesiam Christi jus habere fidem prædicandi ubique; — 2) hoc suum jus etiam vi tueri posse contra eos qui illud impedire nituntur, quicunque tandem sint, pagani vel non; — 3) etsi non possit compellere infideles ad fidem suspiciendam; posse tamen etiam externa coactione compellere qui semel fidem susceperunt, ut eam teneant. Quod si aliquando Prælatus hac potestate, nimio vel intempestivo zelo, abusus est, id vitium hominis fuit, non vero rei. Item neque mirum si nonnulli Patres externam coactionem Ecclesiæ sanctæ negare videantur; id non absolute intendebant, sed volebant corrigere excessus, vel eos redarguere, qui non baptizatos et invitos ad fidem minis et pœnis compellebant. Consulatur historia, et hæc veritas aperta erit.

918. Q. 4. *An liceat fidelibus communicare cum infidelibus?*

R. Duplex communicatio: *civilis* et *religiosa*. Prima consistit in rebus ad commercium civile et politicam societatem pertinentibus: altera in rebus spectantibus ad Religionem.

Communicatio civilis per se non est vetita; inquit enim Apostolus: *Si quis vocat vos infidelium et vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate* [1]. Ceterum per accidens erit prohibita, si sit nimis familiaris, ideo et periculosa. At communicatio religiosa prohibetur Jure tum naturali, tum divino; est enim quædam exterior professio et approbatio falsæ Religionis. Unde idem Apostolus: *Quæ pars fideli cum infideli* [2]?

Speciatim vero *de fidelium communicatione cum judæis*, tum ad tuendam christianæ Religionis dignitatem, tum ad vitanda perversionis pericula, statutum est ab Ecclesia [3]: 1) ne christiani cum judæis habitent; neque eorum conviviis intersint, aut communi balneo utantur; 2) in iisdem famulentur, aut eosdem medicos adhibeant; 3) ne eorum azymis vescantur; 4) ne mulieres christianæ lactent judæorum infantes tam eorum domi, quam domi propriæ [4].

Ajunt, quod excluso quocunque scandalo et perversionis periculo ac peculiari prohibitione, probabiliter non est lethale, si quis vel eorum adeat Synagogas, vel nuptiis intersit, vel ludat cum ipsis. Imo nulla est culpa, si id fiat ob rationabilem aliquam causam, vel consuetudine interveniente: quæ hodie ferme ubique obtinet, postquam gubernia æqualitatem jurium civilium cum christianis contulerunt, supremos etiam magistratus ac præfecturas tribuentes [5]. Verum (monet Perrone) ideo magis ab illis cavendum est; nam ex una parte his freti fulcris

[1] I, Cor. x. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 18 [2] II, Cor. VI.

[3] C. *nullus*; c. *omnis*, c. *judæi*. — *V.* Benedictus XIV, Encyclica *A quo primum*, anno 1751. — Rupert, *L'Église et la Synagogue*. Paris, 1859.

[4] Pius IV, Const. *Cum enim*. S. C. C. 15 martii, 1612. — Cap. 5 et 8, tit. *De Judæis et Saracen.* — Ferraris; V. *Hebræus*.

[5] Gubernia olim judæos sine misericordia persequebantur, hodie illis omnia concedunt, ac blanditiis deliniunt, falso humanitatis prætextu. Aliter Romana Sedes, quæ in Lateranensi IV edidit canones ad illorum refundendam improbitatem et usuras; at nunquam eorum personas ac jura vexavit; imo jugiter RR. Pontifices eos tuebantur (etiam contra populorum regumque molestias), ita tamen ut consulerent christianorum securitati. Ita Gregorius Magnus, Honorius III, Martinus V, Paulus III, Joannes XXII, Clemens V, VII, XIV, Pius VI, Gregorius XVI, Pius IX. Vide inter ceteras, Const. *Christiana pietas infelicem hæbreorum statum commiserans* Sixti V, 1586.

nihil non agunt in christianorum perniciem quoad possunt sive ephimeridibus quarum vix monopolium ad se non traxerunt, sive usuris, sive commercii retibus et fraudibus omnigenis. Ex altera parte non minori ipsi nunc (suis factis exceptionibus) odio prosequuntur christianos, quam anteactis sæculis.

Art. II. — *De hæresi et apostasia.*

919. Q. 1. *Quid est hæresis, et quotuplex dividitur?*

R. Ad 1 : Hæresis græca vox est ab *eligendo* dicta; et definitur: *error intellectus et pertinax contra aliquod fidei dogma in eo, qui fidem suscepit* [1]. Unde ad hæresim proprie dictam hæc requiruntur :

1. Ex parte intellectus *error;* quia sicut fides est actus intellectus veritati revelatæ adhærentis, ita hæresis debet esse actus intellectus veritatem revelatam rejicientis. Quare non erit hæreticus qui exterius tantum fidem negat, aut colit idolum sine judicio interno fidei contrario ; quia non errat errore intellectus, etsi graviter peccet contra fidem, et externe præsumatur hæreticus.

2. Ex parte voluntatis *pertinacia.* Pertinaciter autem errare non est acriter errorem suum tueri, sed est eum retinere etiam postquam contrarium est sufficienter propositum, sive quando jam scitur contrarium teneri a Christi Ecclesia ; tunc enim errans existimat judicium Ecclesiæ non esse sufficiens credendi argumentum, in quo sita est vera animi pertinacia. Hinc nemo hæreticus, quamdiu paratus sit saltem habitualiter judicium suum Ecclesiæ submittere, aut nesciat contrarium teneri ab ipsa, tametsi sententiam suam mordicus teneat ex ignorantia crassa et culpabili. Hinc illud Augustini: *errare potero, hæreticus non ero,* defectu scilicet pertinaciæ.

3. Ex parte objecti *veritas clare ab Ecclesiæ proposita, uti revelata:* unde qui negaret veritatem aliquam non clare uti revelatam ab Ecclesiæ magisterio propositam , non esset stricte hæreticus. Diximus *veritatem aliquam;* nam si quis universam fidem rejiceret, non esset proprie hæreticus, sed apostata.

4. Ex parte subjecti requiritur, ut quis per Baptismum in Ecclesiam sit ingressus ; quia per Baptismum homo fit proprie christianus et Ecclesiæ membrum. Quid *catechumenus?* iste non est nisi in via et in Ecclesiæ corpus nondum cooptatus est ; licet spectare possit ad Ecclesiæ animam et ideo salvari. Exinde sequitur, quod

1 *V.* Liguori, *Opus Mor.;* l. II, n. 19. — De hæreseos nominibus, causis et progressu, vide Klee, *Storia de' dogmi.* — Ferraris; V. *Hæresis, Hæreticus.* — La *Civiltà Catt.*, ser. 1ª, t. v : *Teodosio il Grande.*

si catechumeni veritatem catholicam negarent, essent infideles : non hæretici, nisi lato sensu, nempe in foro Dei, non Ecclesiæ.

In dubio vero utrum aliquis fuerit necne baptizatus, aut saltem rite ac valide tinctus, præsumptio est pro Baptismi valore, adeoque subjacet sanctionibus ab Ecclesia contra hæreticos constitutis. Item subjacet qui dubitat positive de aliquo fidei articulo, quem scit a Deo revelatum ; nam suspendens voluntarie assensum, judicat adhuc incertum quod Deus jubet credere uti certum. Hinc in Jure canonico legitur : *dubius in fide infidelis est*, id est *hæreticus* [1].

R. Ad 2 : Hæresis dividitur : 1) in materialem et formalem. *Formalis* est error voluntarius et pertinax circa aliquam veritatem catholicam. *Materialis* est, qua quis aliquid credit fidei contrarium, sed tale esse omnino ignorat ; 2) in *mere internam*, quæ ita latet in mente ut nullo externo signo manifestetur ; in *mere externam*, qua quis nonnisi exterius vel ore vel facto fidem negat, cum tamen eam adhuc in corde retineat ; tandem in *internam* et *externam simul*, quæ et in mente habetur, et exterius manifestatur. Hæresis externa vel est *occulta*, quæ nemini aut paucis innotescit ; vel *manifesta*, quæ patet compluribus. Verum hæresis sive materialis sive tantum externa non est hæresis proprie dicta ; nam prima caret pertinacia, secunda errore intellectus [2].

920. Q. 2. *Quale peccatum hæresis, et qui legitimus ejus judex ?*

R. Ad 1 : Hæresis unum est ex gravissimis peccatis ; cum expellat fidem, quæ est fundamentum justitiæ, sine qua impossibile est placere Deo. Imo est maximum peccatum in specie infidelitatis, quia est positivus, et maxime voluntarius contemptus Auctoritatis divinæ : et sic est immediate ac directe contra Deum. Hinc Paulus : *Hæreticum hominem... devita, sciens, quia subversus est, quia ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus* [3]. Et Joannes : *Nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis* [4]. Qui tamen lapsus est in hæresim, verius non tenetur explicare qualis ea sit, neque quot fidei articulos denegaverit ; nam objectum fidei formale unicum est, nempe veracitas Dei revelantis. Ideo qui plures fidei articulos negat, est infidelis ac si unum negaret.

[1] C, 1 *de hæret.* Aliter esset si quis negative omnino se haberet super aliquo articulo, ut si alicui in mentem veniat dubium, sed illico ad alia se convertat, nihil curans de illo dubio. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 302.

Ceterum in dubiis circa fidem videndum, num hæsitatio sit in voluntate, an in imaginatione tantum ; an fundata, vel vaga. Si 1, solvenda est difficultas ; si 2, spernendum est dubium. Hoc maxime agendum cum scrupulosis : qui si vincere velint, non debent disserere cum tentatione, sed mentem alio divertere, aliosque elicere actus, contritionis, spei, charitatis, etc. — *V.* Liguori, *Praxis Confessarii*, n. 233.

[2] V. *Civ. Catt.*, ser. 12, t. V : *Degli eretici materiali.*

[3] Ad tit. III. [4] Ep. II. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. V, n. 50.

R. Ad 2: Cum hæresis sit crimen contra Religionem, judex legitimus in eo non est, nisi Ecclesia: jure definitum est [1]. Sunt nempe: — 1) Pontifex pro toto orbe, et Congregatio Cardinalium generalium Inquisitorum ideo instituta; — 2) Episcopus pro sua Diœcesi, cui demandatum est gregem suum a venenatis pascuis avertere: imo ei facta est delegatio a Pontifice etiam contra Regulares exemptos, si opus sit. Ut tamen de hæresi cognoscat Episcopi Vicarius, commissionem ab eo accipere debet [2]; — 3) Vicarius capitularis, Sede vacante: huic tamen probabilius negant auctoritatem procedendi contra exemptos, sine speciali Pontificis delegatione; quia ipse non succedit Episcopo, nisi in iis, quæ sunt de jure ordinario: non autem in jurisdictionem delegatam, uti est quæ a Tridentino tribuitur Episcopis, *tanquam Sedis Apostolicæ delegatis.*

921. Q. 3. *An hæretici denuntiandi sint?*

R. Quælibet persona cujuslibet dignitatis et gradus, si sciat aliquem esse hæreticum vel de hæresi suspectum, generatim loquendo sub gravi tenetur illum denuntiare Episcopo vel Inquisitori ex Constitutione *Noveritis* Nicolai III (anno 1580). Quod quidem, ait Devoti, consentaneum est Apostoli præcepto, et legibus cum quibus omnis bene constituta respublica administratur [3]: nam Apostoli præceptum est, ut observemus *eos, qui dissensiones et offendicula.... faciunt; et.... seducunt corda innocentium* [4]. Leges autem cujusque reipublicæ bene constitutæ sunt, ut omnis civis magistratui significet, si quis studeat rebus noxiis, si turbas excitet, si ruinam intentet. At quod licet civili reipublicæ contra suos proditores, non licebit reipublicæ ecclesiasticæ contra hæreticos omnes, qui illam in extremum pene discrimen adducunt?

Ex citata autem Constitutione denuntiatio fieri deberet sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ: verum ex Decretis S. Romanæ Inquisitionis tum 3 jan. 1623, tum 10 martii 1677 in non denuntiantes excommunicatio est latæ sententiæ ac reservata. A qua tamen post factam denuntiationem quilibet confessarius absolvere potest eos, qui ipsam neglexerint, ut posterioribus edictis definitum est [5]. Hæc autem denuntiato fieri debet sub gravi intra dies triginta ab habita hæretici cognitione, ex decreto Sacræ Inquisitionis, anno 1677:

[1] Cap. XVIII *de hær.*, in 6. [2] C. XII *de hær.*, in 6.
[3] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 122; et l. IV, n. 249.
[4] Rom. XVI. — *V.* Giraldi, *Expositio Juris pontif.* — Ferraris; V. *Denuntiatio, Inquisitores.* — *Istruzione pei novelli Confessori*, p. 2ª, c. XIV. — La *Civ. Catt.*, ser. 1ª, v. IX: *Il denunciatore e la spia.*
[5] Hæc decreta contendunt Lupus et Bonacina valere tantum pro Hispania; sed hodie pro aliis regionibus citant passim auctores. *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 254.

1) Ante ipsam correctionem fraternam, cum agatur de bono publico: et quamvis hæresis probari non possit, quia damnata est ab Alexandro VII propositio: *quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis:* ideo etsi delictum occultum sit. Nam quamvis judex tunc procedere non possit statim ad inquisitionem particularem, potest tamen ratione boni communis indagare, scrutari, et sic tandem in rei cognitionem venire, ut notat Suarez. — 2) Etsi hæresis crimen sciatur sub secreto naturali, vel sub juramento ejusdem non manifestandi. Etenim conservatio secreti naturalis est in bonum privatum; hæresis vero manifestatio est in bonum publicum. Nec obstat juramentum, si enim obligaret, esset contra bonos mores; cum hæresis sit pestis, quæ serpit ut cancer, et semper vergat in damnum commune spirituale; — 3) Etsi hæreticus sit mortuus vel emendatus; quia forte alios hæresi sua corrupit, vel ab aliis ipse corruptus fuit; — 4) Etsi hæreticus jam sit ab aliis denuntiatus, quia ex pluribus testibus facilius convincitur reus. Imo denuntiandus quamvis sit tantum fautor, aut receptator hæreticorum [1].

Diximus 1: Vel *de hæresi suspectum:* ubi notamus quod plurima olim crimina hæreseos ingerebant suspicionem, ut constat ex Constitutionibus Urbani VIII, Clementis VIII, Gregorii XIII et XIV, et Benedicti XIV et ex Decreto S. Inquisitionis [2]. Attamen vel ob contrariam consuetudinem, vel quia censetur hodiernis moribus ferme impossibile, ut semper denuntiatio utiliter fiat; ideo nunc commune evasit sequentes tantum, uti de hæresi suspectos, denuntiandos: — 1) confessarios ad turpia sollicitantes; vel sigillum frangentes, si tamen (ex communiori ac probabili sententia) per errorem doctrinaliter teneant illud non obligare, vel non ita rigorose. Salmanticenses extendunt etiam ad sacerdotes pluries in die, vel non jejunos celebrantes; — 2) voto solemni obstrictos, si matrimonium contrahant; — 3) reos polygamiæ simultaneæ [3]; — 4) sæculares Missam celebrantes vel Confessiones audientes; — 5) superstitiosos, si superstitio sit cum conscientia peccati, ac veram de hæresi suspicionem fundet, ut evenit si in ea misceantur res sacræ, v. g. Oleum sanctum, Hostia consecrata; vel ex superstitione effectus eveniat; aut si quis alios ex professo de superstitione instrueret. Item si intercedat pactum expressum cum dæmone, vel si dæmon adoretur: quando vero sola intervenit expressa dæmonis invocatio, disputant de obligatione denuntiandi; — 6) blasphemos hæreticales;

[1] C. VIII *de hær.*, in 6. [2] *V.* Ferraris; V. *Hæresis.*
[3] Qui etiam puniuntur in civili. V. *Cod. pœn.*, art. 488.

— 7) hæreticorum denuntiationem dissuadentes, nisi fiat ex amicitia: item hæreticos denuntiare negligentes, si teneantur ex officio denuntiare; — 8) sectis clandestinis nomen dantes [1].

Diximus 2: *Generatim loquendo*, nam nisi agatur de hæresiarchis et hæreticis dogmatizantibus qui semper denuntiandi, ut provideant Episcopi quoad possunt, cum hæresis sit pestis tam noxia quæ difficile habet remedium si semel radices egerit. Quoad ceteros sive hæreticos sive de hæresi suspectos (etiam *massonos)* non semper urget obligatio, eos denuntiandi. Hinc commune est, denuntiationem sine peccato omitti:

1. Si agatur de denuntiando se ipso; quia nemo *tenetur propriam prodere turpitudinem.* Ideo et quando agitur de denuntiando complice, si id fieri nequit, quin denuntians se manifestet; — 2) quando denuntiatio fieri nequit sine gravi incommodo, uti definivit S. Congregatio 22 jan. 1727. Hinc ajunt neque fratrem sororem, neque patrem filium teneri denuntiare; quia id natura refugit, et esset in proprium dedecus. Hoc tamen intelligendum, si abest periculum damni communis, quod semper prævalet nostro bono; — 3) quando nulla est spes punitionis; nam ad opus inutile nemo tenetur: uti esset in iis locis, ubi hæretici catholicis permixti sunt, vel ubi (ait cl. Alasia) tanta est male sentientium de Religione multitudo, ut eos superior nullimode punire queat, prout hodie in omni fere regione evenit. Hoc autem non currit de ecclesiasticis si qui hæretici vel de hæresi suspecti habeantur; illis enim facilius valent providere Episcopi, et damno occurrere spirituali populorum; ideo in omni casu putamus eos denuntiandos esse.

922. Q. 4. *Quænam sunt pœnæ in hæreticos constitutæ?*

R. Pœna latæ ab Ecclesiastica auctoritate sequentes enumerantur ex variis Juris canonici capitibus: — 1) excommunicatio latæ sententiæ [2]: et est Pontifici reservata per Bullam *Cœnæ;* — 2) irregularitas, quam etiam incurrunt hæreticorum filii [3]; — 3) privatio jurisdictionis spiritualis quoad illos, qui nominatim sunt denuntiati [4]; — 4) inhabilitas ad Beneficia obtinenda: et hæc statim incurritur. Item privatio Beneficiorum, si quæ jam fuerint collata: et quidem quantum ad titulum privatio contingit ipso facto, unde statim fructus cessant [5]; quantum vero ad possessionem, requiritur sententia

[1] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III n. 27; l. IV, nn. 249 et seqq.
[2] C. *Noverint*, de sent. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 300 et seqq. — Salzano, *Corso di Storia ecclesiastica*, l. XV, § 9: *Digressione su di una dottrina del Guizot.* It. § 15: *Sconfitta degli Albigesi; Inquisizione.*
[3] C. *Statutum* II, de hær., in 6.
[4] Ex *Decreto*, p. II, causa 24, q. 1, can. 4 et 36.
[5] Ex *Sexto*, l. V, tit. 2, cap. 12.

declaratoria saltem criminis ex S. Concilii Congregatione; — 5) privatio sepulturæ ecclesiasticæ: et qui temere hæreticum in loco sacro sepeliret, ipso facto esset excommunicatus [1].

Qui volunt leniter semper cum hæreticis agendum, et Ecclesiam de rigore accusant, audiant d. Bernardum: hic vult quidem primum argumentis, non armis hæreticorum errores repelli. Sed addit, eos si in suæ pertinaciæ tenebris remanent, *foris relegandos atque mittendos:* imo aliquando *melius gladio coerceri*, quam ut in suum pestilentissimum *errorem multos trajicere permittantur* [2].

Observandum est nomine *hæreticorum* intelligi etiam: — 1) eorum *receptatores*, qui nempe ipsos hospitio receperint, etsi semel, ne a judicibus legitime quæsiti capiantur. Attamen excipitur valde probabiliter qui recipit ratione amicitiæ, vel consanguinitatis; etenim iste non faveret hæretico ut hæretico. Alii tamen id negant; nam virtualiter defendendo personam, hæresis defenditur. Quod si non obstante receptatione, hæreticus incidat in manus judicis, tunc alii negant pœnas incurri; quia amplius non fovetur hæresis. Nobis tamen arridet contrarium; nam jam verificatus est effectus favoris in receptatione ipsa; — 2) *defensores*, qui nempe personas hæreticorum, vel eorum errores tuentur. Item *fautores*, qui favorem præstant, ut facilius hæresim doceant atque diffundant; — 3) *credentes*, qui scilicet verbis, factis aliisque modis externis hæreticorum sectam profitentur [3].

923. Q 5. *An quilibet confessarius vel saltem Episcopus possit ab hæresi absolvere?*

R. 1: Inter pœnas contra hæreticos latas, maxime attendi debet excommunicatio; non enim aliter hæresis quoad peccatum reservatur summo Pontifici, nisi ob adnexam excommunicationem ipsi reservatam: hæc porro si non incurratur, jam hæresis poterit a quolibet confessario absolvi, nisi adhuc sit casus reservatus in ejus Diœcesi [4]. Ut ergo excommunicatio incurratur, et ideo sit reservata ex parte excommunicati, requiritur, ut illius notitiam habuerit, et illam adesse sciat: hoc enim censuræ proprium est. Ex parte vero hæresis requiritur: 1) ut ea sit formalis, nempe ut errori adhæreatur cum pertinacia voluntatis, neque sit conjuncta cum ignorantia, licet culpabili ac supina [5]; 2) ut exterius manifestetur (non tamen ad consilium capiendum, vel puræ argumentationis causa);

[1] Ex *Sexto Decret.* l. v, tit. 2, cap. 2. *V.* t. i, n. 916.

[2] Serm. LXIV, LXV et LXVI *in Cant.*; et Epist. CCCLXV. — Attamen, quam nobis sævitiem objiciunt protestantes, ea ipsi rei sunt. — *V.* Martinet, *Soluzione de' gran problemi*, vol. ult., ubi id historia probat ineluctabiliter. — Torricelli, *Dissertazioni* ecc., vol. VIII. — C. Cantù, *Gli eretici d' Italia.* Torino, 1866.

[3] C. XII, § 5 *de hær.*, n. 6. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 306 et seqq.

[4] Quoad Diœcesim Novariensem vide dicta de pœnis *in blasphemos*, n. 137.

[5] Hinc qui propositiones enuntiant fidei injuriosas, sed interne ei non assentiuntur et sunt parati acquiescere judicio Ecclesiæ, excommunicationem non incurrunt defectu contumaciæ, quamvis fiant rei blasphemiæ hæreticalis, et in ipso foro externo pro veris hæreticis plerunque reputentur.

nam in foro externo cogitationis pœnam nemo patitur. At sufficit si error sit aliquo modo externatus sive voce, sive scripto, sive nutibus, etsi externatio ista sit facta secreto, nemine præsente aut sciente; quia semper verificatur hæresis externa.

R 2: Quod spectat ad Episcopum, certum est ex jure quod Episcopus et Inquisitor possunt absolvere in utroque foro ab hæresi, licet ea sit formalis et externa, si ad eorum forum judiciale jam sit quomodocunque deducta: ut si, v. g., ibi sit probata saltem per unum testem, ut ajunt; aut si eo hæreticus sponte conveniat, qui enim res cognoscere potest, poterit eas quoque terminare [1]: *Quin imo uterque potest pœnitentem hæreticum, postquam suos ejuravit errores, ad simplicem confessarium remittere ut ab eo absolvatur; eamque absolutionem, licet a confessario datam in foro sacramentali, prodesse etiam pro foro externo, a cujus jurisdictione promanat, recte observat Del-Bene:* verba sunt ipsius Benedicti XIV [2].

Si vero hæresis formalis et externa non sit deducta ad eorum forum, verior et tenenda sententia ex Benedicto XIV docet, Episcopos non posse ab illa absolvere; sic enim in Bulla *Cœnæ* statutum est. Neque obstat Tridentini concessio ex capite *Liceat* [3]: nam per dictam Bullam hæc facultas Episcopis derogata fuit, ita ut hodie amplius non liceat Episcopis *prætextu facultatum quarumcunque*, ut habetur in ipsa Bulla, absolvere in foro interno ab hæresi occulta, nisi agatur de impeditis Romam adire [4]. Attamen adhuc poterunt absolvere ab irregularitate ideo incursa; sunt enim diversæ facultates, ad diversos actus, et una tantum ipsis sublata est.

Nota: Quando a superiore datur inferiori facultas ab hæresi absolvendi, addi solet in rescripto: *servatis de jure servandis*, quæ indicant pœnitentem non tantum esse obligandum ad abjurandam hæresim, sed etiam ad complices denuntiandos (si opus sit), libros hæreticos, cui de jure, tradendos, scandala reparanda, damna resarcienda, occasiones fugiendas, etc. Valet autem, servata proportione, si detur facultas quoad alios casus.

924. Q. 6. *Quid est apostasia?*

R. Apostasia a fide *est totalis defectio seu recessus a fide christiana per Baptismum suscepta;* vox a græco est, et indicat *post stare* [5].

[1] *C.* ult., off. *de hær.*, in 6. — *V.* Bouix, *De Episcopo*, p. 3ª.
[2] *De Syn. Diœc.*, l. IX, c. 4. [3] Sess. XXIV, c. 6 *de R.*
[4] Intellige iis in locis ubi hæc Bulla viget, uti apud nos. Porro quamvis hæc sit antiquior Tridentino, ipsi tamen prævalet; quia, etiam Tridentino celebrato, Bulla non desiit publicari. Ceterum notandum: de Jure communi possunt aliquando, Bulla non obstante, Episcopi absolvere ab omni hæresi ex dictis Lib. I, n. 83⅓ *De censuris. V.* Pavone, *La luce fra le tenebre*, §§ 278 et seqq. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 563; l. VII, n. 89.
[5] *Ci sembra che gli empi, i quali professano l'ateismo o il deismo, debbano essere annoverati fra gli apostati.* Gousset.

Cum autem apostasia a fide sit vera hæresis, iisdem pœnis subjicitur. Qui hoc se atroci crimine polluunt, duplicis peccati rei constituuntur, tum desertionis christianæ veritatis, tum professionis falsæ sectæ. Pauci sunt qui ex professo aperta ac publica apostasia se commaculant; ast frequentissime inveniuntur luctuosis hisce temporibus qui æquivalenter hoc delicto se inquinant per naufragium a fide christiana, ut sunt rationalistæ, increduli, pantheisti, sceptici, carbonarii, illuminati, socialistæ, communistæ, sansimoniani et alii hujus furfuris, etsi aliqui istorum larvam revelationis fingant agnoscere, ut se christiano sub nomine tegant. — Apostasia a fide verius non differt essentialiter ab hæresi; quod enim apostata renitatur toti fidei, hæreticus autem non ex toto, non diversificat speciem, sed facit tantummodo differentiam secundum magis et minus in eadem specie [1].

Diximus *apostasia a fide;* nam datur etiam: 1) *apostasia ab obedientia,* quæ est in quolibet homine, qui justis superiorum præceptis obedire recusat; 2) *ab Ordine,* et est in eo, qui sacris Ordinibus initiatus deserit habitum clericalem, ut more laicorum procedat et vivat. Qui punitur excomunicatione ferendæ et etiam latæ si nuptias attentet; infamis habetur et ab Episcopo carcerari potest [2]; 3) *a Religione,* et est in eo, qui, emissa jam professione, sine licentia tamen recedit a statu religioso. Qui ab Episcopo loci ubi ille moram trahit, in carcerem est conjiciendus; ut tradatur suis superioribus puniendus [3].

Apostatæ a fide ad pœnitentiam redeuntes non tenentur ad abjurandum publice coram infidelibus; sed sufficit ut apostasiam abjurent coram fidelibus abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium si protestativum falsæ religionis; at si sit æquivocus, potest illum deferre. *S. Officii Congregatio.* V. Benedictus XIV Constit. *Inter omnigenas; Omnium sollicitudinum; Quod provinciale:* 1744, 1754 *(H).*

§ Unicus. — *De Catholicorum communicatione et disputatione cum hæreticis in rebus fidei; ac de hæreticis dignoscendis.*

925. Q. 1. *Quid de catholicorum communicatione cum hæreticis?*

R. Vel sermo est de catholicis, qui in propriis regionibus communicant pro vita civili cum hæreticis toleratis. Vel de catholicis,

[1] Oportet tamen, ut id pœnitens exprimat, et de qua secta, ut ipsi provideri possint, ideo magis quia sectæ generatim aliis virtutibus opponuntur. — *V.* Perrone, *De Virtutibus fidei, spei et charitatis,* n. 525; it. *L'Apostolato cattolico ed il proselitismo protestante.* — Ferraris; V. *Apostata.* — D'Avino, *Enciclopedia;* V. *Apostata.*

[2] C. *A nobis de apostat.* [3] *V.* Benedictus XIV, *De Syn.,* l. XIII, c. 11.

qui se conferunt ad Provincias hæreticorum; vel de catholicis. qui cum hæreticis (aut schismaticis) communicant in Divinis.

Si *primum*, ad omne subversionis periculum avertendum, hæc a catholicis veniunt observanda: 1) ne familiari hæreticorum consuetudine utantur. *Nella celebre Enciclica di Gregorio VI, quel gran Pontefice riprovò con biasimi gravissimi l'inclinazione mostrata da certi cattolici ad entrare cogli ortodossi in associazioni di beneficenza, di negozio, di letteratura, ecc., pel contagio che facilmente se ne contrae nella continua convivenza* [1]. Quid porro si etiam in spiritualibus eos audiant? — 2) ne laici præsertim, ullam cum ipsis disputationem suscipiant de rebus ad Religionem pertinentibus; hæc enim sine insigni doctrina utiliter sustineri non potest; — 3) ne Rectores Ecclesiarum permittant hæreticos sacris Officiis inservire; et multo minus illis pacem in Missa tribuent osculandam, quod esset signum solemne religiosæ unionis ac concordiæ [2]:

Si *secundum*, pro Italis præcepit Clemens VIII Constitutione *Cum sicut*: 1) ut nemo Italus habitet in locis hæreticorum, ubi non extet aliqua Ecclesia cum sacerdote catholico, cui liberum sit ritus nostros publice exercere; 2) ne matrimonium cum hæreticorum fœminis ineant sine R. Pontificis licentia; 3) ne eorum sepulturis intersint; nec filios eorum, nisi baptizentur a sacerdote catholico, levare præsumant de sacro Fonte: neque vicissim filios proprios levari sinant ab illis [3]; 4) ne utantur medicis hæreticis, si adsit copia medici catholici satis idonei; 5) ut discessuri ad loca prædicta, ab Ordinariis propriis (per Parochos) serio admoneantur de fide catholica ibi perpetuo retinenda, de Ecclesiæ præceptis observandis, de Sacramentis percipiendis; et (quoad potest) de earum rerum attestatione referenda [4].

Si *tertium*, est sub gravi et minori excomunicatione prohibitum communicare cum hæreticis in Divinis; hoc enim esse nequit quin vel occasio adsit periculi subversionis aut scandali, vel communi-

[1] La *Civiltà Catt.*, ser. 5ª, t. III: *Un protestante che si crede cattolico.*

[2] Si tamen interveniant honoris et obsequii causa, atque ad protectionem sunt lubenter suscipiendi; quod quidem hodie non semel factum legitimus ab hæreticis, a turcis aliisque infidelibus. Probrosum sane! gentiles tuentur sacra nostra ac venerantur, quæ catholici sua præsentia et auctoritate condecorare recusant!

[3] *V.* dicenda *de matrimonio*, ubi de cognatione spirituali.

[4] Hinc corrigere est parentes, qui indiscriminatim pro temporali lucro filios tenellos in partes hæreticorum mittunt, quin ipsis provideant quoad Religionem, peccare graviter: — 1) contra *charitatem*, quæ vetat, ne proximo occasio peccandi tribuatur; — 2) contra *pietatem*, quæ ipsos impellit ad spirituali filiorum bono vacandum; — 3) contra *fidem*, cujus amittendæ periculo filios exponunt: porro virtus quælibet præcipit, ut nemo sit illius lædendæ causa vel occasio.

Cum autem hodie discessus non amplius significetur Ordinariis, Parochorum ergo erit providere, et debita monita tribuere ac forti animo loqui, cum ipsi sciant hac in re suorum parochianorum mores ac consuetudines.

catio in falso ritu, vel quædam exterior approbatio falsæ sectæ aut honoris retributio. Hinc non licet permittere, ut hæretici in nostris Ecclesiis celebrent, neque nobis licet in eorum celebrare Ecclesiis [1]. Non licet Sacramenta extra necessitatem extremam ab eis recipere, ut declaravit Congregatio S. Officii. Censuit tamen tolerari posse, ut schismatici comitentur funera nostra, causa honoris civilis, modo ritibus nostris se non immisceant.

926. Q. 2. *An liceat catholicis sine peccato audire religiosas hæreticorum conciones, funus illorum deducere, Sacris eorum interesse, aut nuptiali eorum convivio?*

R. Si ex regionis consuetudine et communi judicio hæc agere non habeatur ut signum professionis fidei, uti contingit in Germania, præcluso omni animæ periculo, per se loquendo licet; nam in communi æstimatione tunc catholici interessentes non habentur uti communicantes in Divinis. Hinc de se non peccant contra fidem qui intersunt convivio nuptiali aut sepulturæ hæreticorum; quia hæc proprie ad fidem non spectant, sed adunationes mere civiles sunt habendæ.

Item est *per se loquendo* de iis qui templa hæreticorum ingrediuntur, eorum conciones audiunt, et sacris eorum intersunt sine pravo fine; habentur uti simplices spectatores, quod quidem usus permittit. Esset si quis interesset vel ex curiositate, ut sciat quid agant; vel ad ea spectanda uti comœdiam; vel ad politicum famulatum domino suo præstandum, ut in more habebat Naaman Syrus, qui incurvabat se, ut Rex illi inniteretur dum coram idolo genuflecteret. Hoc enim civile obsequium tenebatur præstare Regi, qui solebat sive in foro sive in templo inniti humero alterius, et adstantibus id notum erat [2].

Diximus *per se loquendo;* nam aliter omnino dicendum, si adsit scandalum, quod quidem vel in ipsa frequentia adesset; item periculum perversionis et communicatio impietatis, vel specialis prohibitio. Sane hodie in tanta hæreticorum procacitate, et catholicorum morum dissolutione, cum vehemens sit subversionis periculum, ideo merito plures hoc prohibent Episcopi sub gravi pœna, etsi agatur ex curiositate; id enim hodie evenire non potest sine hæreticorum ansa, sine catholicorum scandalo et animæ propriæ ruina [3].

927. Q 3. *Quotuplex disputatio de rebus fidei, et an liceat?*

R. Disputare de rebus fidei est ad examen revocare Religionis dogmata, ea coram adversariis veris vel fictis polemice defendendo. Hinc duplex disputatio: alia *formalis*, quæ instituitur ad defendendum aliquod dogma adversus eos, qui illud revera inficiantur: alia

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 188. In aliquibus tamen Helvetiæ locis in eadem Ecclesia ritus suos exercent tum catholici, tum hæretici, alii post alios : id ob locorum paupertatem et inductam consuetudinem hodie tolleratur.

[2] IV, Reg. V. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 16.

[3] Archiepiscopus Taurinensis 12 maji 1863, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ac reservatæ, omnibus diœcesanis indiscriminatim prohibet etiam ob curiositatem protestantium templum adire sive ad spectandos ritus, sive audiendos sermones. Quam prohibitionem dedit etiam Episcopus Nicæensis *in Syn. Diœc.*, c. 6, append. n. 3. In Diœcesi Novariensi hic casus est Episcopo reservatus : lit. 2 apr. 1757. Item Neapoli. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 16.

De communicatione religiosa cum *hæreticis*, *jansenistis* et *schismaticis* plures damus resolutiones S. Sedis Lib. IV, *Append.* 73.

materialis, quæ meræ exercitationis gratia fit inter ipsos qui credunt. Disputatio formalis est publica vel privata, prout fit publice et coram populo; vel private et inter privatas personas, nemine aut paucis audientibus.

Porro si agatur de *materiali* disputatione, ut est quæ fit in Theologicis nostris scholis ad utile exercitium, utique licet, si *rite fiat;* nam id plurimum inservit ad doctrinam veram firmius acquirendam, stabiliendam, propagandam; hic illud Augustini: *circulus et calamus fecerunt me*, id est disputatio ac scriptura. Diximum: *si rite fiat;* id est tum ratione *materiæ*, ita ut caveatur ne aliquis error vel erronea doctrina ex animo defendenda suscipiatur; tum ratione *dispositionis*, cavendo ne quasi de re dubia agatur, cum aliqua fidei veritas in controversiam vocatur, quod infidelitatem saperet; tum ratione *modi*, ita ut disputatio nostra modeste ac moderate peragatur, utilis exercitii causa, atque ut veritas magis elucescat; non vero ad ostentationem ingenii, neque animo rixandi. Cicero quantumvis ethnicus modum istum contra Deum disputandi velut impium absolute reprobavit sive data opera sive simulate fiat [1].

Si vero agatur de disputatione *formali*, tunc distinguendum est inter publicam et privatam. — Publica ac formalis disputatio fieri nequit absque expressa R. Pontificis licentia; *quia* (ait S. Congregatio de Propaganda, 8 martii 1625) *plerumque vel ob loquacitatem, audaciam aut circumstantias populi acclamantis, veritas, falsitate prævalente, opprimitur:* quod patet ex historia. Unde in tanta difficultate, nonnisi supremi Pontificis esse debet judicium ferre, ac disputandi licentiam tribuere.

Disputatio autem formalis, sed privata, per se cuique docto ac firmo in fide licita est, imo expedit: nam quisque tenetur saluti proximi ac Dei honori consulere. Hinc illud: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe; sed cum modestia* [2]. Attamen Jure positivo, ob plura incommoda quæ contingere solent, sub pœna excommunicationis ferendæ *laicis* id prohibetur [3]: quod tamen communius cum Suarez explicant, si fiat absque Episcopi venia, aut extra casum magnæ utilitatis et inductæ consuetudinis. Et posito semper quod laicus scientia et doctrina polleat et omne damni periculum absit [4]. At ecclesiastico permittitur:

1. Si ipse sit provocatus, non provocans; quanquam aliquando

[1] *De natura Deorum*, l. III. — V. *Oratio* XXXII s. Gregorii Nazianzeni, qui præclaras regulas præscribit. — It. Mabillon, *De studiis monasticis*, sæc. II, c. 10, § 2.
[2] Ep. I, Petr. c. 3.
[3] C. 2, § 2 *de hæreticis*, in 6.
[4] D. Thomas, 2, 2, q. 2, a. 10; et Suarez, *De fide*, disp. XX utilia monita habent.

præstat etiam provocare, si necessarium sit ad retundendam prædicantium petulantiam.

2. Si prudenter judicet hæreticum provocare ad disputationem desiderio cognoscendæ veritatis. Secus dicente s. Cypriano (epist. ad Demetrium): *Melius existimamus errantis imperitiam silentio spernere, quam loquendo dementis insaniam provocare.* Hujus autem furfuris sunt hodierni apostatæ; facilius enim est ac levius turbulenti maris concitos fluctus retundere, quam istorum rabiem disputationibus coercere.

3. Si cum fundamento speretur fructus aliquis vel in provocante vel in audientibus, v. g., si futurum sit, ut alii hæretici ab errore excutiantur, vel catholici in fide magis ac magis confirmentur.

4. Si sit maxima doctrina instructus: secus bonæ causæ noceret. Hinc pro praxi potius a disputatione abstinendum, cum non facile omnes conditiones simul concurrere valeant: et ideo etiam est, quod Ecclesia generatim parum amat tales disputationes [1] *(I).*

928. Q. 4. *Quænam sunt regulæ pro dignoscendis hæreticis?*

R. Si semper valde utilis fuit ars aliqua pro hæreticis dignoscendis iisque discriminandis a veris catholicis, utilissima certe est ætate nostra et penes nos præsertim, cum omnibus compertum sit quorundam impiorum consilium *de Italis populis traducendis ad protestantium placita* [2]. Sed quantum utilis, tantum difficilis; cum eorum character sit

Discolor et longa solitus caligine pasci.

Sunt videlicet aliqui, quorum conatus in eo totus est, ut bonorum sibi æstimationem valeant comparare ad eos facilius decipiendos: summam morum gravitatem extrinsece præseferunt: severiores doctrinas morales prædicant: mirabilia de se publicari amant quoad ingenium, eruditionem et omne genus scientiæ: sancti apparere volunt ad miraculorum usque ostentationem. In hæreticis Jansenii discipulis hic character fuit semper communis, ut constat maxime ex historia diaconi Paris [3]. Huc facit illud Christi: *veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* [4]. Alii ex adverso bonorum æstimationem floccifaciunt et hominibus pessimis se aperte consociant, ut hos sibi facilius reddant suorum errorum discipulos ac ministros.

[1] Hac de re habemus Decretum Congregationis *de Propaganda Fide,* 26 febr., anno 1630: *Disputatio de rebus fidei laicis est prohibita; sacerdotes nisi sint valde periti, ex consilio debent se abstinere, excusando se bonis verbis et prætextibus.*

Hæc præcipue valent de disputatione quæ voce, non vero quæ scripto instituitur, quod postremum multo certo longius abest a periculo. *Aliud est,* inquit egregie Sylvius in 2, 2, d. Thomæ, q. 10, a. 7, *scribere confutationem hæreticorum, aliud voce disputare. V.* Benedictus XIV, *Epist. ad Flaminium Cornelium.*

[2] Ita Pius IX Encycl. *Noscitis,* 8 dec. 1849.

[3] « Questi pretesi miracoli (del diacono Paris) erano sostenuti da tutto il partito Giansenistico numerosissimo e potentissimo in Francia.... Nondimeno malgrado tanti vantaggi, con quale facilità questi pretesi miracoli non furono soppressi? Non fu mestieri a riuscirvi, che murare semplicemente il luogo, dove quella tomba era collocata.... Se Dio avesse realmente operato quei miracoli, avrebbe sofferto che una miserabile muraglia attraversasse i suoi disegni? » (Littleton Geor.) — *V.* Feller, *Dizionario* ecc., art. *Paris.* — *Dizionario Ricciano ed Antiricciano.* h. tit.

[4] Matth. VII.

Nihilominus regulæ quædam non desunt, quarum primam, generalem et certam nobis tradidit Christus: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos: numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere* [1]. Regulæ autem peculiares ac conjecturales sunt præcipuæ:

a) Prima, fortasse omnium maxima, est amor novitatis circa doctrinas religiosas; velle nempe nova prædicare, typis edere, juvenibus tradere et in plebem christianam diffundere. Hæc hæreticis fere omnibus in more fuisse nos docet historia: sic, ut ceteros omittamus, de Joanne Huss, a quo Hussitæ, legitur *quod peregrinas semper et novas opiniones amabat.* Qui novitatis amor, ut plurimum, in ipsis etiam, quibus annuntiatur vocabulis antea nunquam in Schola usitatis, facile perspicietur: quare Apostolus Timotheum monebat: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* [2]. Patres item africani ad Theodorum papam scribebant: *Notum est, quod tales sermonum novitates de malo amore gloriæ nascuntur: dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces et sapientes videri, quærunt quid novi proferant.* Et Alphonsus a Castro: *Qui talibus novitatibus delectatur, easque inquirit anxius, ut inde inanem captet gloriam, hac sola ratione conjicio eum esse hæreticum, aut saltem in hæresim pronum et qui facile in eam labetur* [3].

b) Altera regula est nimia quædam libertas in pronuntiando circa res fidei et doctrinæ christianæ quidquid in os venerit: et quod semel improvida in definiendo temeritas prodit, superbia tuetur, pertinacia auget, et sic demum errori pertinacia adjuncta hæreticum facit. Huc pertinet quod in Bulla *Auctorem Fidei* legimus: *Procax affirmandi et negandi ac secum pro lubito pugnandi licentia.... fraudulenta semper fuit Novatorum* astutia *ad circumventionem erroris.* Huc pertinet quod tradit Borgo: *Conviene por mente ad una malizia usitatissima degli eretici e singolarmente di que' vili e vigliacchi, che non hanno la lealtà di dire interamente ciò che pensano, quali sono (e più di tutti) i Giansenisti. Costoro quando insinuar vogliono un errore più ributtante, lo spezzano in brani, e li gettan qua e là divisamente nei loro scritti: ne fanno bere il veleno a sorsi; ne è perciò agli incauti meno dannoso. Ma chi a fondo conosce il loro malvagio disegno, sa ben le sparse membra del mostro raccogliere e avvicinare: allora è, che i semplici leggitori sentono tutto il salutare ribrezzo, e l'orrore dovuto alla ereticale dottrina* [4].

c) Tertia regula est, quod ferme omnibus hæreticis est proprium, ut si quis eos benevole de errore monuerit, ipsi cito iræ fluctibus exæstuent, pro benefacto maledictum regerant, conviciis et contumeliis contra monitorem insaniant, neque doceri ullo modo patiantur. Hujus rei exemplum habemus in Luthero Novatorum facile principe: suorum nempe errorum initio a viris doctis amice admonitus, nedum se emendaret, imo in pejores furiose prolapsus est: a Leone papa X humanissime correctus, contra ipsum aperte cœpit debacchari, sicque, abysso abyssum invocante, in profundum tandem devenit [5].

[1] Matth. VII. [2] I, Timoth. VI.
[3] I *Adversus hæreses*, c. XIV.
[4] *Lettera* II sul Sinodo di Pistoja.
[5] *V.* Gaume, *Catechismo* ecc., p. 3ª, lez. XLV. — Et maxime Bossuet, *Storia delle Variazioni...* ubi ad vivum pinguntur Lutheri rabies atque furores.

929. Q. 5. *An discrepent hæresiarca, hæreticus, dogmatizans?*

R. Affirmative, quamvis promiscue aliquando usurpentur: nempe *hæresiarchæ* dicuntur tam qui hæreses invenerunt vel suscitarunt, quam qui hæreticorum capita aut duces sunt, ut Calvinus, Zwinglius, Lutherus et his similes (ex Regula 2ª *Indicis librorum prohibitorum).*

Simplices hæretici sunt qui pertinaciter tenent errorem contra fidem, quin tamen aliis eundem persuadere studeant.

Hæretici *dogmatizantes* sunt qui ex professo hæresim suam publice vel private alios etiam docent, voce vel scriptis: hæretici ludimagistri vix esse potest, quod non sint dogmatizantes [1]. Hinc videant quomodo tuti esse possint in conscientia, qui ut filios suos commercium aut literaturam edoceant, talibus eos committunt hæreticis instruendos: modum acquirunt ditescendi, at simul artem animam perdendi.

Art. III. — *De lectione librorum prohibitorum.*

930. Si quæ alias necessitas fuit scribendi legendique licentiam cohibendi, hodie est maxima, præsertim ex quo ubique fere invaluit funestissimum principium de libertate typographica, quod in omnibus guberniis *repræsentativis*, ut dicunt, obtinet. Atque ideo a Pio IX sua prima Encyclyca *Qui pluribus* (1846), inter hodiernas machinationes inimicorum, quæ tot damnorum tum christianæ, tum civili reipublicæ sunt causa, adnumeratur *teterrima tot undique volantium et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui apte compositi, ac fallaciæ et artificii pleni, immanibusque sumptibus per omnia loca in christianæ plebis interitum dissipati, pestiferas doctrinas ubique disseminant, incautorum potissimum mentes animosque depravant, et maxima Religioni inferunt nocumenta.*

931. Q. 1. *An Ecclesia habeat potestatem libros noxios prohibendi, atque ideo gravi peccato teneantur, qui hanc legem violant?*

R. Inter tot errores, quibus ætate nostra portæ inferi dimicare conatæ sunt contra veram Christi Ecclesiam, iste etiam fuit, quo contendebant nonnulli hanc ei non convenire potestatem, prohibendi nempe libros noxios; ideoque ipsius lege non obstante (modo evidens subversionis periculum non appareat) libros quoscunque ab omnibus tuta conscientia perlegi posse. — Hæc doctrina potius hæreticorum est; sed non defuere etiam ex nostris, qui eam impudenter ausi sunt evulgare cum incredibili animarum pernicie. Talis fuit imprimis petulans ille hæreticorum fautor Paulus Sarpius, quem copiosissime refutavit cardinalis Pallavicini; tales fuere alii Sedis Apostolicæ detractores infensissimi, uti Van-Espen, Fleury, Tamburini, Dupinius et Launojus. Verum communiter docent dogma esse catholicum, quod Ecclesia, et pro ipsa Romanus Pontifex, utpote Chri-

[1] Hæc distinctio præ oculis habenda est, non tantum quoad consectaria eorum; sed etiam quia quando Romæ petitur facultas generatim hosce absolvendi, excipiuntur dogmatizantes et hæreticorum duces.

sti Vicarius jurisdictionem habeat prohibendi fidelibus lectionem ac retentionem librorum contra Religionem, aut bonos mores, aut Ecclesiæ disciplinam, adeo ut eos nihilominus legentes, graviter peccent coram Domino et Ecclesia.

Prob. 1. *Scriptura:* nemo negare audebit per ea Scripturæ verba: *Pasce agnos meos, pasce oves meas: pascite qui in vobis est, gregem Dei; attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* [1], omnibus Ecclesiæ Prælatis, et præsertim eorum capiti Romano Pontifici, datam fuisse potestatem decernendi de fidei et morum causis, et bona pascua ovibus Christi designandi, easdem arcendo a contrariis et noxiis.

2. *Traditione:* testes inter innumeros appellamus ss. Augustinum et Cyprianum. Primus morem præcavendi a libris malis, et eos concremandi ab Apostolis dimanasse demonstrat [2]. Alter vero ait: *Si quando talia* (id est contra bonos mores) *quorundam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur* .

3. *Consuetudine:* hanc perpetuam in Ecclesia fuisse consuetudinem demonstrant iudubitata historiæ monumenta; ab ipsa enim Apostolorum ætate *multi... ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus* [4]. In Concilio Nicæno anno 325 Patres damnarunt et comburendos esse decreverunt libros Arii. In Ephesino anno 431 damnata sunt scripta Nestorii. In Chalcedonensi anno 451 scripta Eutychetis. S. Leo M. Romæ combussit libros Manichæorum. Idem fecerunt Symmacus, Hormisdas, Nicolaus I, Nicolaus II, Leo X et alii innumeri. Postquam vero inventa est ars typografica [5], cum noxiorum librorum colluvies in immensum excresceret, Concilium Lateranense sub Leone X anno 1515 decrevit, ne deinceps ullus posset liber typis in lucem edi, nisi probantibus Episcopis aut fidei quæsitoribus [6]. In transgressores vero (præter excommunicationem) suspensionem ab exercitio artis, amissionem omnium

1 Jo. XXI; 1, Petr. V; Act. XX.
2 L. IV *De Bapt.*, c. 24.
3 Ep. XLII *ad Cornel.*
4 Act. XIX. Quorum librorum valor ex eruditis superabat valorem 15,000 scutorum.
5 Versus annum 1455 hanc artem Guttemberg invenit, Fust protexit, Schoeffer perfecit, omnes Mogontini. Primi ab ipsis editi libri fuere *Psalmorum Codex* et *Rationale* Durandi, anno 1457: *Clementinæ* 1460: *Bibbia Sacra* 1462. Quam quidem artem e Germania in Italiam attulerunt anno 1462 Corradus Sweynheim et Arnoldus Pannaratz. Primi libri, quos Subiaco prope Romam ediderunt, sunt *Opera* Lactantii, anno 1465; et s. Augustinus, *De Civitate Dei*, anno 1467.
6 « Non v'ha dubbio che fino dai primi secoli della Chiesa, corresse obbligo ad ogni cristiano di sottoporre i suoi scritti all'approvazione del sommo Pontefice: s. Agostino, s. Onorato, s. Giuliano, s. Cesario, grandi luminari del Cattolicismo, si sottomisero a questa legge. Nicolò la consacrò in questi termini nel quinto dei canoni romani: *ogni scritto deve essere approvato o disapprovato per decreto dei Romani Pontefici.* Tale si fu la legislazione della Chiesa fino all'invenzione della stampa; allora soltanto si tentò di sottrarvisi. Leon X volle farla rivivere. » Audin, *Storia di Leone X*, vol. II: *La stampa.*

librorum, aliasque pœnas Ordinarii arbitrio infligendas constituit. Deinde Paulus III, anno 1542, statuit Romæ Congregationem generalis Inquisitionis, cui pravos libros prohibendi curam imposuit. Postea sub Paulo IV, confectus est *Index* librorum prohibitorum, quem Pius IV, annuente Tridentino, ampliavit magisque perfecit. Sed cum libri perniciosæ lectionis magno in numero undique ederentur, nec laudata Congregatio Inquisitionis ad eos examinandos sufficeret, s. Pius V novam Congregationem instituit, appellans eam *Indicis*, ideo quia libros noxios indicat.

Ex hac itaque constanti omnium ætatum sollicitudine... patet luculentissime (ut verbis utar Gregorii XVI Encyclica *Mirari vos* anno 1831) *quantopere falsa, temeraria atque Apostolicæ Sedi injuriosa, ac fœcunda malorum in christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum veluti gravem nimis et onerosam rejiciunt; sed eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam prædicent a recti juris principiis abhorrere, jusque illius decernendæ habendæque audeant Ecclesiæ denegare (N).*

4. *Ipsa ratione naturali:* naturæ vox est, libros qui Religioni et moribus officiunt, extirpandos esse. Quia neminem latet quot inde mala! *corrumpunt bonos mores colloquia prava*, inquit Apostolus [1]; at colloquiis pravis pravi libri noxiores sunt, quippe *qui* (ait Clemens XIII Constitutione *Christianæ Reipublicæ*, anno 1766) *manent perpetuo, et semper nobiscum adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent, et eorum penetrant cubicula, ad quæ improbo et occulto auctori aditus non pateret.* Adde: si hæc facultas penes Ecclesiam non esset, et fideles in hoc parere eidem non tenerentur, nec fides illæsa servari posset, nec Christus satis Ecclesiæ suæ providisset: *Frustra Ecclesia laboraret in hæresibus extirpandis bonisque moribus fovendis, nisi unde scatet errorum ac vitiorum colluvies, fons penitus obstrueretur*, ut bene ait Baronius ad annum 447.

Ipsi gentiles putida ejusmodi scripta execrabantur: Plato ajebat libros impudicos omnino a civitatibus eliminandos. Virgilius opus suum propter confictam Didonis impudicitiam, morti proximus, præcepit ut igni traderetur. Tullius in poetas ira exardescit qui mollibus versibus *nervos virtutis elidunt* [2]. Et multoties apud Romanos, ut Livius refert, negotium hoc magistratibus datum est, ut libros vaticinos, et malos conquirerent ac comburerent [3].

[1] I, Corinth. XV.

[2] *Quæst. Tuscul.*, l. II et III.

[3] *Hist.*, l. XXXIX, c. 16; l. XL, c. 19. « Egli è pur noto il detto di Platone che *parola scritta non si pubblichi ad insaputa del magistrato.* — Quintiliano non voleva che si spiegassero ai giovanetti i libri dei poeti latini che trattano di cose oscene *(Instit.*, l. XII, c. 1). — Lutero similmente giudicava necessario che cotai libri fossero

932. Q. 2. *An detur discrimen inter librum a sancta Sede damnatum, et librum ab eadem prohibitum?*

R. Inter librum a sancta Sede *damnatum* et librum ab eadem *prohibitum* nullum discrimen; ita ut liber *damnatus* et liber *prohibitus* sint unum et idem. Et contraria doctrina novitas est in Theologia et in Jure canonico valde damnosa: quippe quæ adversatur communi loquendi modo tam Theologorum quam Canonistarum, Constitutionibus Pontificiis, formulæ Decretorum, quam tenet Sacra Indicis Congregatio in libris proscribendis, et rationi ipsi Theologicæ; digna iccirco, ut a turpissima illa, versuta, et nobis semper invisa Jansenistarum schola nuper egressa fuerit, ad incautos decipiendos.

1. Theologi et Canonistæ *condemnationis* et *prohibitionis* vocabulo ita promiscue uti solent, ut penes ipsos habeantur tanquam pure synonima. Theologorum omnium instar brevitatis causa unus sit sanctus Alphonsus noster, qui in sua erudita Dissertatione hac de re sibi hanc proponit quæstionem: *Quæro, quid ageret auctor si coram* (Sacra Congregatione) *audiatur? vel diceret se catholico sensu fuisse locutum; vel opus non esse suum: si primum, nihil ei proderit ab damnationem operis vitandam, ubi aliqua propositio censeatur posse aliis offendiculo esse, quamvis ipse innocens judicetur. Si secundum, neque id prohibitionem impedire valebit, cum non auctor damnationi subjiciendus sit, sed tantum fideles ab operis lectione removeri debent.* Loco Canonistarum sufficient hæc sapientissima verba Doctoris Gallicani Andrè: *Quando si dice che un libro è stato posto all'*Indice, *ciò vuol dire che quel libro è stato condannato dalla Congregazione dell'*Indice, *e posto nel novero dei libri proibiti*, etc. [1].

2. Congruunt pontificiæ in hanc rem Constitutiones, in quibus pariter librorum *prohibitio* vocabulo *damnationis* indiscriminatim appellatur: videatur præsertim Constitutio *Sollicita* Benedicti XIV.

3. Congruit ipsa formula Decretotum, qua semper utitur Sacra Indicis Congregatio, quæ ista est: *Sacra Congregatio etc., habita in Palatio Apostolico Vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem Librorum prohibitorum referri mandavit et mandat opera quæ sequuntur etc. etc., quibus SS. Domino Nostro N. N. per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit et promulgari præcepit; in quorum fidem*, etc. Ita etiam loquitur Regula 2ª Indicis.

4. Congruit ratio theologica: cur enim libri referuntur in *Indicem prohibitorum?* profecto quia sunt ab Ecclesia *condemnati*, et utpote tales a fidelium lectione removeri debent [2].

Q. 3. *An Episcopus possit, imo et debeat in propria Diœcesi libros malos proscribere?*

R. Affirmative: sive agatur de Episcopis extra sive intra Italiam; hoc quippe essentialiter pertinet ad munus quod habent Jure divino populum sibi commissum sana doctrina pascendi. Id docet cl Alasia, nulla addita limitatione; et Alphonsus noster ait: *Prohibere libros per*

banditi dalle scuole e da ogni luogo, dicendo che non si possono leggere senza grave danno della gioventù (Luth. tit. *de doctis).* — L'incredulo Bayle, parlando di un romanzo osceno, dimostra come non è possibile guardarsi dalla seduzione; e conchiude esortando che siffatti libri sieno sterminati dappertutto (Bayle, *Diction.*, art. *Guarini).* • Teppa, *Sulla lettura dei libri proibiti.* — *V.* Gentilini, *La pazzia di chi difende il giuramento civico*, c. 12.

[1] In Opere, *Corso di Diritto canonico;* V. *Index.*

[2] *V.* episc. Zinelli, *In doctrinam catholicam de Librorum prohibitione, ut errores nonnulli recens vulgati refellantur* (Civ. Cattol., ser. 6ª, vol. 1, pag. 446).

totum orbem spectat ad Pontificem, et pro ipso ad S. Congregationem; Episcopi autem et Inquisitores possunt libros prohibere in territorio proprio. Idque ideo etiam, quia non tam facile ac statim notitia omnium noxiorum librorum potest Romam pervenire; præstat ergo ut Pastores ipsi illico oves suas ab illis avertant. Hinc Leo Magnus: *Si quis Episcoporum..., apocrypha habere per domos non prohibuerit..., hæreticum se noverit judicandum; quoniam qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat* [1]. Id etiam eruitur a Regula *Indicis: Liberum sit Episcopis..., eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, proscribere, si hoc in suis... Diœcesibus expedire judicaverint.* Id firmat Leo XII, decreto S. Congregationis 26 martii 1825.

Tandem S. Indicis Congregatio, jubente Pio IX, Epistola circulari 24 aug. 1864 ad omnes Episcopos hæc omnia renovat ac firmat, eorum zelum urget et observantiam, ipsis item concedendo (ad omne effugium malorum auferendum), ut in hac re etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati procedant. Attamen (concludit) *ad Apostolicum judicium ea deferantur opera vel scripta, quæ profundius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum supernæ auctoritatis sententia requiritur.*

Quod dicitur de libris, idem valet de foliis quotidianis (vulgo *gazzette*), quæ sub gravi prohiberi censentur. Hic enim quæstio non est de forma, sed de substantia: et ubicunque invenitur error, profligandus est. Hinc Pius IX Encyclica *Nostis* (8 dec. 1849) Episcopos hortatur, ut omni sollicitudine adlaborent ad fideles avertendos ab omni pestifera lectione, et signanter nominat *impios libellos et ephemerides ac pagellas mendacii, calumniarum et seductionis plenas.*

933. Q. 4. *An qui moraliter certus est, nullum sibi imminere perversionis periculum, legere possit absque licentia libros prohibitos?*

R. Sententia communissima et sequenda omnino negat; finis enim prohibitionis non solum est, ut damnum evitetur conscientiarum, sed etiam ut servetur obedientia Ecclesiæ debita in re tam periculosa; ac ne detur hæreticis aut aliis improbis scriptoribus ansa perniciosissima malos libros evulgandi; unde nunquam cessat omnino finis adæquatus prohibitionis. Et sane in Bullis prohibitivis dicitur prohiberi lectionem factam *ex quavis causa vel colore.*

Adde neminem quantumvis pium ac doctum tuto posse confidere, quod nullum detrimentum capiat ex tali lectione, maxime si elaborato stylo ac captioso (ut solet) liber sit conscriptus, et zelum ac charitatem ostentet. Quidquid enim legitur, ita mentem occupat, animum demulcet, atque ad cor pertransit, ut sensim sine sensu res lecta fieri soleat propria lectoris: unde bene s. Basilius libros *cibum animarum* appellat. Luctuosa experientia testis est; sic Eutyches

[1] Ep. XV, alias XCIII *ad Turribium*, c. 15. — *V.* Croix, *Th. Mor.*, l. VII, n. 394, q. 46. — It. Bulla 25 nov., 1766, Clementis Pp. XIII, cujus totum argumentum est *cunctos per catholicum Orbem Archiepiscopos, Episcopos, celerosque Diœceseon Rectores enixe hortari, ut creditum sibi ipsis Dominicum gregem a noxiorum librorum lectione avertant.* Item Encycl. 15 aug., 1832, Gregorii Pp. XVI. Item Breve *Ad Apostolicæ Sedis*, 22 aug. 1851, regnantis Pii Pp. IX. — Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 290.

invictus antea fidei confessor ad unam lectionem libri cujusdam Manichæi mutatus est in infandum hæreticorum caput. Sic Bulincerus doctor catholicus olim piissimus, librum legit Melancthonis, et cecidit. Sic Avitus presbyter legendo scripta Origenis, quamvis simul legeret eorum confutationem, imo et per Hieronymum, ut sibi caveret monitus esset, virus tamen lethaliter absorbuit.

Adde: semel cognita lege, subditi non est ejus rationem sciscitari, sed observantiæ studere. Secus via nimis lata transgressionibus aperiretur, nec leges essent firmæ; cum nimium trahat decipiendo sua quemque voluptas.

934. Q. 5. *A quo licentia legendi libros prohibitos est impetranda?*

R. A solo R. Pontifice, vel a Congregationibus S. Officii aut Indicis licentia impetranda est legendi libros per ipsum Pontificem vel Congregationes prohibitos; generatim enim illius est permittere cujus est vetare. Hoc jus omnibus Episcopis dabat instructio Clementis VIII (1598); sed illud postea ipsis sublatum est per Gregorium XV Constitutione *Apostolatum Officium* (1612), innovata ab Urbano VIII (1631); adeo ut hodie Episcopi (sine speciali facultate) nequeant hanc licentiam concedere, nisi quoad libros ab ipsis prohibitos. Attamen ex Urbani VIII Constitutione istud jus fuit concessum *Magistro Sacri Palatii* pro Roma ac suo districtu [1].

Hic tamen notandum: non ideo tutus potest legere qui licentiam obtinuit, si nesciat discernere inter lepram et lepram, neque satis firmus sit in bono proposito; quia lex naturæ est, ut nemo se peccandi discrimini committat. Si tuti esse velimus, non curiositas nos debet impellere ad impetrandam librorum prohibitorum licentiam eosque legendos; sed necessitas, vel sane gravis utilitas, habita videlicet ratione muneris nostri et status [2]. Item sub custodia libros prohibitos caute retineamus, providentes insuper ne post nostram mortem in omnium hæredibus manibus veniant; cum id esse nequeat sine maxima animarum pernicie, experientia teste.

935. Q. 6. *Quotuplicis generis sunt libri prohibiti, et quid de illis?*

R. 1: Triplici in differentia seu classe collocantur libri prohibiti.

Prima classis continet libros omnes editos aut edendos hæresiarcarum et hæreticorum, qui vel hæresim continent vel de Religione ex professo petractant. Qui porro libri etsi nominatim in Indicem relati non sint, hoc ipso quod ab hæreticis prodierint, interdicti

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 199; et l. VII, nn. 291 et 299. Imo vel ipsi Episcopi sine Papæ licentia libros ab ipso prohibitos legere prohibentur ex Bullis Julii III *Cum meditatio*, Pauli IV *Quia in futurorum*, et Pii IV *Cum pro munere*.

[2] Episcopi est apud supremam Sedem testari de probitate ac qualitate licentiam postulantis; unde ea de re ad Curiam episcopalem fiat recursus.

sunt. Attamen excipiunt nonnulla opera quæ communiter admittuntur et universali usu probantur, utpote innoxia, imo quandoque republicæ christianæ et catholicæ utilia, etsi tractent de Religione et ab heterodoxis conscripta sint, ut *Tractatus de Religione* Grotii, *Systema Theologicum* Leibnitii, *Historia Innocentii III* ab Hurter adhuc acatholico exarata, *Vita s. Gregorii VII* Voigt, *Epistolæ circa reformationem anglicanam* Cobbet, etc.

Secunda classis vero continet libros cujusvis auctoris, qui vel ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem prohibiti sunt. Huc revocantur omnes libri conscripti ab hæresiarchis et hæreticis, etsi neque de Religione tractant, neque hæresim vel hæresis suspicionem contineant. — Ab *hæresiarchis*, id est ab iis qui sectæ hæreticæ caput sunt: quorum quidem libri fuerunt merito prohibiti, ut sic facilius avertantur fideles ab eorum sequela; ne scilicet ob lenocinium unius libri, inescat et lenocinetur aliorum librorum prava doctrina: et en prohibitio quæ dicitur *in odium auctoris*. — Ab *hæreticis*, qui scilicet hæresim profitentur, sed hæreticæ sectæ caput non sunt. Hi tamen hæreticorum libri ab Episcopis examinati et probati permittuntur: imo hodie communiter probati censentur eo ipso, quod ad catholicorum loca libere sunt delati sub ipsorum superiorum oculis [1].

Tertia classis tandem continet libros alia de causa prohibitos, puta si sint contra bonos mores, aut charitatem vel aliorum famam, aut si contineant propositiones laxas [2].

R. 2: Libri *primæ classis* prohibentur in Bulla *Cœnæ* sub pœna excommunicationis ipso facto, et Pontifici reservatæ. Eamque incurrunt *scienter retinentes* (sunt verba Bullæ), *legentes*, *imprimentes et defendentes libros hæreticorum de Religione tractantes vel hæresim continentes*, *ex quavis causa publice*, *vel occulte*, *quovis ingenio vel colore* [3]. Quæ excommunicatio extenditur ex Pio IV et Clemente VIII ad legentes *Thalmud* et alios similes Hebræorum libros, in quibus christiana Religio calumniatur. Ex Sixto vero V extenditur etiam ad libros qui tractant expresse de astrologia judiciaria, eam docentes.

[1] Id tamen hodie non large accipiendum; in tanta enim vesana scribendi libertate impossibile fere est, ut de libris omnibus Episcopi judicium proferant: unde non omnes hæreticorum libri ideo putari debent permissi; quia sub oculis Prælatorum libere eduntur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 288; et *Ho. Apost.*, tract. XIX, n. 61.

[2] Hic esset quoque recensenda eorum classis librorum, qui prodeunt sine nomine auctoris; sed hodie, ex inducta consuetudine, illi non habentur prohibiti, si tamen pravam non contineant doctrinam.

[3] Versiones scriptorum catholicorum editæ a damnatis auctoribus permittuntur. Versiones novi Testamenti factæ ab auctoribus in prima classe notatis, etsi genuinæ, omnibus prohibentur sub gravi. Versiones vero veteris Testamenti doctis et piis, judicio Episcopi conceduntur, modo tantum ad dilucidationem adhibeantur. Reg. 3ª *Indicis*. — Quoad versiones autem in lingua vulgari, vel hæreticaliter factas vide infra.

Huc tandem pertinent libri speciali Pontificum Constitutione vel Brevi prohibiti, quippe qui semper adnexam habent excommunicationem ipso facto Papæ reservatam.

Libri *secundæ classis* prohibentur ex Regula 10ª *Indicis*, et Constitutione *Dominicis gregis* Pii IV sub pœna item excommunicationis ipso facto, non tamen reservatæ. Sub eadem quoque pœna prohibentur libri de superstitione tractantes, si tamen hæresis suspicionem tribuant. Non autem prohibentur libri catholicorum, in quibus referuntur verba alicujus hæretici ad eum confutandum: neque ubi adsunt notæ alicujus hæretici, dummodo non sint ita copiosæ, ut potius liber ex illis notis constaret.

Libri *tertiæ classis* nulla prohibentur pœna; sed legentes, aut retinentes, præter mortalis culpæ reatum ex Constitutione Pii IV *Dominici gregis*, dicuntur Episcoporum judicio severe puniendi. Libri tamen antiqui, qui res lascivas continent ab ethnicis conscripti, ob elegantiam indiscriminatim permittuntur, pueris tamen exceptis

936. Q. 7. *Quid requiritur, ut incurratur excommunicatio ab iis qui legunt libros hæreticorum?*

R. Hæc requiruntur ex communi Doctorum:

1. Ut auctor libri sit vere *hæreticus*, seu ut liber sit editus ab eo qui actu hæreticus est, ut sunt calvinistæ, lutherani, anglicani, waldenses et alii qui notorie hæreticæ sectæ nomen jam prius dederint: quare non sufficit si postea hæreticus fiat, si talis non erat, dum librum scripsit. Sic etiam qui legeret scripta ob hæresis suspicionem vel etiam ob ipsam hæresim prohibita, et ideo liber sit damnatus ut hæreticus, incurreret quidem excommunicationem *Indicis*, quæ non est reservata; non tamen excommunicationem reservatam Bullæ *Cœnæ*, ut docent probabiliter cum Pignatelli; quia ad eam incurrendam requiritur, ut etiam ipse auctor damnatus sit ut hæreticus, vel natus ex secta hæretica. Item neque illam incurrit qui legeret librum pagani, turcæ vel alterius infidelis, licet errores contra fidem contineret, nisi adesset specialis prohibitio; quia infideles non sunt hæretici, cum fidem nunquam susceperint [1].

2. Ut lectio libri auctoris hæretici fiat *scienter*. Unde qui ex ignorantia etiam vincibili nescit librum esse hæretici, vel hæresim continere, aut de Religione tractare, non incurrit excommunicationem.

[1] Dicit Holzman et Gury numerari inter libros in Bulla *Cœnæ* vetitos librum, qui ex professo tractet de hæresi, quamvis lateat auctor, quia tunc auctor recte præsumendus est hæreticus. Ceterum probabiliter docent quod ex epikea bene excusantur legentes librum hæreticorum, si necessario indigeant ad convincendum hæreticum ex suo vel alterius hæretici libro, puta inveniendo contradictiones, si periculum sit in mora, nec pateat recursus Romam, vel ad Episcopum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 283.

Excusat a censura non solum ignorantia invincibilis, sed etiam crassa. Imo juxta plures affectata, quia adhuc deesset dolus formalis, qui censuræ contemptum inducat; at communius negant, quibus magis adhæremus; nam ignorantia *affectata* æquivalet scientiæ [1].

3. Ut liber hæretici, vel hæresim contineat (et satis est si unum contineat errorem contra fidem), vel tractet ex professo de Religione, etiamsi tunc nullum contineat errorem, nam Bulla loquitur disjunctive. Dicitur liber *de Religione tractare*, si contineat sacram doctrinam, sive exponendo Scripturam, sive scholasticam, sive conciones sive casus conscientiæ, sive alia quæ ad cultum Dei aut Sanctorum vel ad salutem animarum spectant, aut de clericis et monacis disserunt et similia: ita Suarez et Sanchez [2]. Dicitur *tractare ex professo*, si in fronte vel titulo præferat materiam Religionis; aut in decursu ita fuse rationibus eam stabiliat, ut eam legentibus persuadere velle videatur: ita Voit. Ratio communis est, quia hæretici solent talia scribere vel in odium fidei nostræ aliquid veneni inserendo vel ad conciliandam suæ sectæ existimationem.

4. Ut lectio sit in materia notabili; communiter enim admittunt hac in re parvitatem. Sed quænam sit habenda uti materia parva vel notabilis, inter diversas sententias sic melius distinguunt Croix, Elbel, Holzman, Sporer, etc., attendendo ad finem prohibitionis. Si aperiendo librum offendis in doctrinam, quæ directe fidei adversatur, excommunicationem non effugies, etsi paucas lineas legas; quia periculo perversionis jam te exponis, vel certe directe agis contra finem prohibitionis, qui est non tantum, ut tollatur periculum in particulari; sed etiam in communi, nempe auferendi ansam scribendi edendique libros pravos. Secus esset, si liber hæretici ageret de indifferenti, et in loco quem legis, nullam advertas propositionem erroris suspectam: forte a mortali tunc excusaris et a censura, etsi legas ad integram paginam libri ordinarii seu mediocris magnitudinis. Attamen bene poterit incurri et gravis culpa et censura etiam legendo solum proœmium aut indicem libri, si sit in notabili quantitate, ut docet Layman [3].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 48 et 296. Qui vero legit librum quem scit ex fama publica vel a fide digno esse prohibitum, non excusatur: est commune.

Qui legit librum, sed nullimode intelligat libri idioma, non incurrit censuram ut lector, quia non legit nisi materialiter, quod non intendit Ecclesia: at eam incurrere poterit ut retentor, si librum apud se retineat. Ceterum idem est legere voce ac librum oculis tantum percurrere; hoc enim in communi sensu legere dicitur. *Alasia.*

[2] « Imo si libri alieni etiam a Religionis argumento, de philosophia, v. g., vel jure civili, tales sint, ut hæreses plures sæpius inculcent, vel unam eandemque crebro inserant ac persuadere conentur; sicuti passim usuvenire solet novatoribus, id habentur pro libris de Religione tractantibus, inquit doctissimus *p. Gretserus.* »

[3] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. I, *Append.* III, cap. 5. Et in aliis libris sine censura prohibitis item datur parvitas materiæ; scandalo tamen secluso et contemptu, ac periculo perversionis.

937. Q. 8. *Quid de eo qui non legit, sed audit lectionem libri hæretici?*

R, Probabilius Alasia, Azorius, Croix cum Sporer et aliis negant hunc censuram incurrere, si socium ad legendum non induxerit; quia tunc proprie non potest dici quod ipse legat. Si vero consilio, petitione, vel mandato ad legendum induxerit, tunc alii cum Alasia et Laymano illum affirmant et peccatum et censuram incurrere; qui enim facit per alium idem est ac si faceret per seipsum. Verum alii merito probabiliter cum Navarro, Filliucio, Sporer et Viva ipsum a censura excusant (licet non a peccato ratione periculi perversionis), etiamsi ad legendum induxerit. Imo sunt qui eum etiam a peccato excusant, si nullum timeat periculum perversionis (posito tamen in utroque casu, quod ille qui legit, licentiam habeat; secus inducens peccaret contra charitatem, utpote alium provocans ad actum prohibitum). Ratio quia ex una parte nullus est prævaricationis timor: ex altera lex prohibitionis loquitur solum de *legentibus, retinentibus, imprimentibus, vel quomodolibet defendentibus;* non vero loquitur *de audientibus;* pœnæ autem non sunt extendendæ de casu ad casum [2].

938. Q. 9. *Quid de libris, quos romanenses dicunt (vulgo* romanzi)?

R. Narrat Nicephorus primum librorum romanensium inventorem fuisse quemdam Heliodorum episcopum Tricensem in Thessalia, qui tempore suæ juventutis talem librum conscripsit, cujus lectio facile poterat juvenes impellere ad amores exitiosos. Synodus Provincialis, periculo cognito, legem imposuit Heliodoro, ut opus traderet flammis, vel Episcopatui renuntiaret. Quid ille? maluit dignitati cedere, quam opus destruere superbissimus homo! Quia tamen non omnes libri, qui nomen istud præseferunt, gravis damni periculum continent, hinc duo præ oculis habenda sunt:

1ª Qui componunt libros graviter obscœnos, mortaliter peccant; multis enim præbent occasionem ruinæ spiritualis. Item mortaliter peccant librarii, qui eos in officina sua detinent, exponunt et occurrentibus vendunt. Libros autem hujus generis etiam ex levitate, curiositate vel recreationis causa legere, est regulariter mortale; quia ex se nati sunt sensus commovere et flammas impuras accendere. Eos vocabat Origenes *calices Babylonis venena propinantes:* d. Augustinus *ranas ascendentes de ore bestiæ.* Et Stapf ait: *Per talem lectionem tota imaginatio conspurcari, stimuli animales succendi, atque corda effœminata perversissimis affectibus imbui solent; simul vero omnis Religionis sensus extinguitur, et ipse intellectus a veritate misere detorquetur.* Diximus *regulariter*, quia nolumus definire mortaliter

[1] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 292.

peccare, qui ex sola curiositate tales libros legunt, si (ob ætatem provectam, complexionem frigidam, aut consuetudinem de rebus venereis tractandi) grave periculum certo non incurrant.

2ª Alii sunt libri amores licitos vel illicitos describentes, qui ad libidinem graviter non excitant, nec sensus commovent, nec periculo notabili exponunt, ut sunt multæ tragœdiæ, comœdiæ aliaque poemata. Qui secluso gravi periculo et aliorum scandalo, ejusmodi libros ex sola curiositate legunt, mortaliter non peccant. Si vero ob causam legitimam, ad discendam, ad acquirendam aut perficiendam eloquentiam id faciant, nullimode peccant. Attamen si agatur de ecclesiasticis raro istiusmodi lectioni vacare possunt sine peccato: qui, experientia teste, huic semel indulgent, et officia propria negligunt, et aliis scandalo sunt; nam inde tœdium pietatis, studiorum neglectus, extinctio spiritus ecclesiastici, etc.

Qui autem prædictos libros non graviter obscœnos componunt, sæpe mortaliter peccant; quia multis præbent occasionem ruinæ, sine ratione sufficienti. Non ita semper graviter peccare videntur qui eos vendunt; cum enim, multi eos absque peccato saltem mortali legere possint, eo ipso ementes supponi possunt habere justam causam tales libros emendi. Ergo librarius, qui eos petentibus vendit cum discretione, inquietari non debet. *Bouvier.*

939. Q. 10. *An liceat dominis hospitiorum (vulgo* caffè, bazar, trattorie) *quævis folia publica hospitibus legenda exhibere?*

R. Cum Gury: possunt utique exhibere quæ de rebus politicis tractant, nec videntur teneri ad rejiciendum folium aliquod ex eo quod interdum aliquid minus rectum quoad Religionem vel mores contineat. — At admittere non possunt ea, quæ evidenter, directe, et ordinarie sunt Religioni et moribus adversa, ac ideo ex professo et intrinsece mala, insidiosa et subversiva; etiamsi propterea hospites ad ipsos confluere desinant. Agitur de damno gravissimo, spirituali ac publico: unde publicæ eorum diffusioni cooperari non licet, quacunque de causa; hoc enim non tantum est ponere occasionem mali (rem nempe de se non stricte peccaminosam, qua tamen alter abusurus prævidetur); sed etiam ad malum in se directe allicere. Porro si illud primum ex d. Thoma potest aliquando esse licitum ad evitandum proprium damnum; nunquam tamen secundum agere permissum est.

940. Q. 11. *Ad quid tenetur qui habet libros prohibitos?*

R. Juxta Bullam Julii III *Cum meditatio*, et Constitutionem Pii IV *Dominici gregis*, tenetur qui habet libros prohibitos cujuslibet speciei, eos sub obedientiæ præcepto, ideo sub gravi, tradere quam-

primum Inquisitoribus vel Episcopis (sufficit etiam tradere habenti licentiam, prout in usu est). Et Alexander VII hanc n. 45 damnavit propositionem: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri.*

Diximus: 1. *Tradere*, nam licet communiter a censura excusetur qui librum vetitum comburit, quia sic cessat illum habere; præceptum est tamen, ut tradatur: quod quidem semper, etiam nostris hisce diebus, præcipitur, quoties prohibentur libri. Et merito; nam maxime interest, quod superiores sciant quæ fidelibus propinentur venena, ut antidotum præparent.

2. *Quamprimum:* ceterum liberant a mortali ideoque a censura, qui scienter et culpabiliter uno vel altero die librum retinet: et hoc satis probabiliter; quia sicuti materiæ, ita temporis parvitas excusat. Imo Layman, Pignatelli, Sanchez et alii plures apud Croix excusant omnino qui librum retinet etiam longiori tempore, nempe expectans opportunam occasionem ad illum tradendum superiori, vel alii habenti licentiam. Non tamen excusatur neque qui librum retinet etiam alieno nomine, v. g. in deposito, mutuo aut pignore, quia de facto retinet; neque qui librum dat alteri retinendum, cum possit arbitrio suo illum repetere. Excipe si deponeret apud eum, qui habet licentiam cum pacto expresso non repetendi, nisi vel post libri expurgationem vel post licentiam impetratam: hunc non damnarem, ait s. Alphonsus; tunc enim revera se expoliat possessione et libri proprietate quoadusque debita licentia fuerit donatus [1] *(K).*

An (quæres) *libri prohibiti sint domino reddendi, si eos retinendi facultatem non habeat, casu quo illos petat?*

R. Negative, ne detur occasio trasgrediendi legem: excipe si nequeant denegari sine gravi incommodo, ut si inde rixæ, blasphemiæ, lites, etc.; tunc ipse dominus videat. Attamen levis contristatio vel timor dissolvendæ amicitiæ non censetur ratio de se sufficiens, saltem plerumque, pravos libros amico reddendi. *Gury.*

Scholium. — *De Fidei impedimentis generatim, ac de peculiari in Italia; de iis eliminandis* [2]*; ac studio fidei dilatandæ.*

941. Q. 1. *Quænam sunt fidei impedimenta generatim?*

R. Fidei impedimenta diversa semper fuere pro diversitate temporum, ut patet ex historia ecclesiastica: licet enim fidei hostis unus sit semper et idem, Princeps tenebrarum: non una tamen nec eadem semper sunt arma, quibus utitur. Quænam autem præcipua sint, ætate

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 295, 297, etc.

2 *V.* Franco, *Risposte brevi e familiari alle objezioni più sparse contro la Religione*; — Martinet, *Sveglia del popolo; Soluzione di grandi problemi*; — Briganti, *Mali nella Chiesa, loro origine, effetti e rimedi; riflessioni morali.* Torino, 1868.

nostra, vix in sublimi Principis Apostolorum cathedra collocatus Pontifex Maximus Pius IX, quasi e culmine Turris Davidicæ subjectum sibi orbem catholicum attente circumspiciens, sapientia plane singulari (Encyclica *Qui pluribus* 9 nov. 1846) indicavit omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, ut in ea eliminanda studia simul omnes enixe intenderent [1]. Et sunt:

a) *Rationalismus absolutus:* rationalismum hic dicimus eorum conatum (ut verbis utamur magni Pii papæ IX) *qui præpostero sane et fallacissimo argumentandi genere, nunquam desinunt humanæ rationis vim et excellentiam appellare et extollere contra sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant eum humanæ refragari rationi. Quo nihil certe dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi vel excogitari potest.* Sane, etiamsi fides sit *supra* rationem, non est tamen *contra* ipsam, neque ulla vera dissensio inter utramque; cum utraque sit ab uno eodemque principio immutabili, Deo nempe, qui utrique scopum suum præfixit, ut sibi mutuam ferrent opem. Ac primo (ad rem cl. Perrone) *ratio per fidem perficitur; problemata quæ sibi permissa aut ægre solummodo et imperfecte, aut nulla fortasse ratione solvere poterat circa Deum, mundum ac hominem, facile attingit; ejus dominium amplificatur atque protenditur, impulsionem sentit ad difficiliorum investigationem pertentandam. Vices deinde fidei reddit, dum adnititur ejus ingredi penetralia, scientifice veritates quas accepit, expendere, nexus illarum ostendere, eas suasibiles reddere, systema ex illis universum efficere, aliaque ejusmodi moliri, quibus quoad ejus fieri potest, intelligentiam fidei nanciscatur* [2].

b) *Semirationalismus* seu *rationalismus moderatus:* sicut olim a pelagianismo originem habuit *semipelagianismus*, ita a rationalismo recenter effluxit *semirationalismus;* quo indicamus doctrinas quorundam pseudocatholicorum, qui licet videantur rationalismum, ut in se est, palam rejicere, tales tamen sententias promulgant, quæ si logice evolvantur, ad easdem consequentias trahunt. Isti videlicet, tametsi fateantur fidem catholicam non adversari naturali hominis rationi; ita tamen quibusdam novis et resonantibus verbis hanc secundam describunt, ut primatum ei super fidem concedere non erubescant. Ecclesiam catholicam non negant, sed Lutheri et Calvini dicteriis jam a sæculo XVI exoletis concinentes, eam nobis exhibent cruentis vulneribus onustam, deformatam, talem uno verbo, cui *frontem ruga senilis aret:* et ideo volunt ad præsentes populorum consuetudines esse suis in doctrinis tam moralibus quam dogmaticis accomodandam *(cattolicismo ammodernato).* Quasi nempe sapientissimus ejusdem Auctor et Pater Christus Jesus non sit idem *heri et hodie, ipse et in sæcula*, et frustra de sua Ecclesia pronuntiaverit: *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Admittunt supremum veritatis tribunal; sed illud in opinione hominum, quam dicunt *universalem*, collocandum esse docent. Vitam æternam uti ultimum finem nostrum non diffitentur; sed volunt ejus

[1] Quæ impedimenta fidei nostræ Pius IX in aliis quoque Literis et Encycl. insectatus est, et maxime Encycl. 8 dec. 1864, quæ complectitur præcipuos nostræ ætatis errores. Lib. autem IV Theologiæ hujus nostræ plurima disputabimus de hisce fidei impedimentis *Append.* XXV et seqq.

[2] *V.* Perrone, *Prælect. in compend.*, vol. I, *Hist. Theol. synopsis*, n. 2. Et fusius *De locis Theolog.*, p. 3ª. — Bergier, *Dizionario;* V. *Razionalismo.* — Stapf, § 168. — *Civ. Catt.*, ser. 6ª, I IX: *Il razionalismo moderno, e le verità fondamentali della Religione.* — Balan, *I precursori del razionalismo moderno fino a Lutero.* Parma, 1867. — Tagliaferri, *Il razionalismo e la filosofia cattolica.* Napoli, 1867.

quasi viam et initiationem habendam esse felicitatem civilem, materialem et terrenam; licet compertum omnino sit felicitatem, ad quam conditi sumus, talem esse, *quam mundus dare non potest.* Et alia similia, quæ in recentioribus quibusdam scriptoribus (præcipue italis), quos *liberales* appellant, sed melius dixerit *libertinos*, legere est [1].

c) *Progressismus:* progressismi nomine, ut est fidei impedimentum, eorum intelligimus insaniam, qui divinæ Revelationi bello indicto humanum progressum laudibus efferunt, et hunc in Religionem ipsam catholicam ausu sacrilego inducere nituntur perinde ac si fides nostra non Dei, sed hominum opus esset, aut philosophicum inventum, quod humanis modis perfici possit: *Abominabiles facti in studiis suis* (ad rem Pius IX) *humani progressus obtentu fidem destruere, eamque rationi subjicere, ac Dei eloquia invertere contendunt, summopere Deo ipsi injuriam inferre non reformidant qui cœlesti sua Religione hominum bono, atque saluti clementissime consulere est dignatus:* quæ verba retulisse, progressismum radicaliter confutasse est.

Utique vel in ipsa catholica Ecclesia admittendus est aliquis progressus et quidem maximus: sed qualis? talis qualem describit Vincentius Lyrinensis in suo *Commentario*, ut nempe *vere profectus sit ille fidei, non permutatio; siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquæque res amplificetur: ad permutationem vero ut aliquid ex alio in aliud permutetur.* Erit itaque verus atque eximius in Ecclesia catholica progressus, si hæc *annis consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, ita tamen ut incorrupta et illibata permaneat, et nihil in natura sua permutationis admittat, neque ulla patiatur proprietatis suæ dispendia* (V. *Syllabus*, n. 80).

d) *Massonismus:* complectimur hoc vocabulo omnes sectas illas clandestinas (quomodocunque tandem nuncupentur, cum in more habeant nomen sibi in dies diversum imponere, ut facilius latescant ac decipiant), quarum scopus est divinam Ecclesiæ auctoritatem et leges acerrime oppugnare, legitimam Principum etiam sæcularium potestatem frangere, omnia uno verbo tum sacra tum civilia conculcare: imo si fieri posset christianam Religionem funditur evertere. Hinc manuale Massonum habet inter cetera: *Perchè in tutta la massoneria non si riscontra un solo simbolo cristiano? perchè il compasso, la squadra, il livello? perchè il nome di Cristo non è proferito una sol volta nei giuramenti? perchè non si vede figurar la croce? Il perchè è qui: una massoneria cristiana sarebbe una flagrante contraddizione, un circolo quadrato*, ecc. *A meta ultima de'suoi lavori si prefigge di raccogliere tutti gli uomini liberi in una gran famiglia, la quale possa e debba poco a poco succedere a tutte le Chiese fondate sulla fede cieca e l'autorità teocratica, a tutti i culti superstiziosi, intolleranti e nemici fra loro, per costituire la vera e sola Chiesa dell'Umanità.*

Eas porro sectas infandas damnarunt Pontifices fere omnes a Clemente XII ad Pium IX, inflicta *pœna excommunicationis ipso facto, et reservatæ tam in eum, qui ab iisdem societatibus, earum cœtibus, conventiculis et aggregationibus non se abstinet, vel easdem quoquomodo*

[1] Qui cupit valde accuratam *semirationalismi* descriptionem, adeat egregium opus: *La Civiltà Cattolica*, ser. 1ª, vol. VIII, anno 3, pag. 385; et Allocutio Pii IX *Singulari*, 9 dec., 1854 (apud *Civ. Catt.*, ser. 2ª, t. IX; et in *Syllabo*, nn. 8 et seqq. — Curci, *Una divinazione sulle tre ultime Opere di Vincenzo Gioberti: I Prolegomeni, Il Gesuita moderno* e l'*Apologia*.

[2] V. *Storia, dottrina, scopo della Framassoneria* scritta da un Framassone che non è più, art. VIII: *Massonismi Statuti.* — *V.* Ravvitti, *Delle recenti avventure d'Italia: Le cause*. Venezia, 1865. — *L'Unità Cattolica*, 21, 22 luglio, 1864.

juvat ac fovet, quam in eum, qui illos non denuntiat, quos noverit his societatibus nomen dedisse vel consilium, auxilium aut favorem præstasse. Iterum sub excommunicatione ipso facto incurrenda ac reservata *prohibentur omnes libri, statuta, manuscripta, codices harum societatum, sicut etiam illos vel legere, vel retinere: quod item valet de omnibus libris ad illarum defensionem exaratis* [1]. Quæ omnia legitimo superiori sub gravi tradi debent.

An (quæres) *absolvi possint qui prædictæ sectæ nomen dederunt, quos licet emissi juramenti pœniteat, externe tamen cum iisdem sociis adhuc communicant?* Negative; satis non est, quod quis erroribus suis interne renuntiet, si externe eos profitere videatur. Ita Congregatio *S. Officii*, 5 julii 1837.

e) *Biblismus:* nemo ignorat per totum orbem inductas fuisse (Lugduni primum anno circiter 1804), et audacissime vagari quasdam hominum societates, quas *Biblicas*, vel etiam *Biblismum* appellant. Hæ veterum hæreticorum artem renovantes contra Ecclesiæ regulas libros sacræ Scripturæ vulgaribus quibusque linguis translatos et sæpe etiam perversis explicationibus præditos, non cessant ubicumque diffundere sine numero, vel gratis elargiendo vel minimi vendendo. Quorsum hæc? Non alio profecto fine, quam ut omnes fideles assuescant sacras Paginas privato judicio interpretari, sicque se a Divina traditione, a Patrum doctrina, et ab Ecclesiæ catholicæ sensu pedetentim subducere, et more lutheranorum ac calvinistarum emancipare in iis, quæ ad fidem et æternam salutem pertinent. Hinc valde pertimescendum, ne vel corruptione vel interpretatione perversa *Evangelium Christi Domini, hominis fiat Evangelium, aut quod pejus est, Evangelium diaboli*, ut verbis utamur Doctoris Maximi. Deus nempe ipse, ne fideles sui circumferantur *omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris*, vivam et infallibilem constituit auctoritatem, quæ legitimum sensum suæ revelationis doceret: quæ quidem non in privato spiritu residet, sed in sola Romana Ecclesia, cujus solius est judicare de vero spiritu et interpretatione Sacræ Scripturæ [2].

In Biblicas societates eliminandas toti fuerunt recentiores Pontifices, Pius VII, Leo XII, Gregorius XVI et Pius IX [3]: qui omnes declarant gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore qui alicui earundem societatum dare nomen, aut operam suam commodare seu quomodocunque favere præsumpserint. Quo quidem gravi peccato etiam se commaculant omnes talia Biblia legentes.

An (quæres) *saltem legi possit versio Bibliorum in lingua vulgari, si facta sit a catholicis viris?*

R. Si tales versiones editæ sunt cum adnotationibus desumptis a sanctis Ecclesiæ Patribus, doctisve ac catholicis viris conceduntur;

[1] Clemens XII, Constitut. *In eminenti* 1738. — Benedictus XIV, *Providas* 1751. — Pius VII, *Ecclesiam* 1821. — Leo XII, *Quo graviora* 1825. — Gregorius XVI, *Inter.* Tandem Pius IX Encycl. 6 dec. 1864 et 25 sept. 1865 renovat ac firmat omnes anteactas Constitutiones Pontificias, et pœnas contra tales congregationes, sive exigatur juramentum de secreto servando sive non, et quamvis tolerentur a civili gubernio. Hinc etiam patet quod *insignia massonica* in rebus cultus sine gravissimo piaculo usurpari nequeunt; absit ergo ut Ecclesiæ ministri tantum nefas permittant; et quod pejus est, ut sua præsentia immane scandalum ac sacrilegium approbare videantur. — V. *Civ. Catt.*, ser. 6ª, t. III: *La massoneria allo sguardo cattolico*; t. IV: *La lettera dei framassoni di Lione a Pio IX;* et *Epistola* Pii IX ad Archiep. Parisiense, 26 oct. 1865.

[2] V. Il *Cattolico*. Lugano. t. XXV, p. 223. — L'*Amico Cattolico*, vol. XII, p. 13. — *Annali Religiosi*, serie 2ª, vol. IV. — Martinet, *Solutions de grands problèmes.*

[3] Pius VII, 1 junii et 4 sept. 1816. — Leo XII, 3 maji 1824. — Gregorius XVI, 24 maji 1844. — Pius IX, *Qui pluribus* 1846. *V.* Bulla *Auctorem Fidei*, propos. 67 et 68.

nullum siquidem tunc est falsæ interpretationis periculum. Si [1] vero agitur de versionibus licet genuinis, sed sine debitis adnotationibus, etsi olim receptum fuerit, ut res tota solius Episcopi, imo vel confessarii judicio definienda relinqueretur; hodie tamen propter abusus qui merito timentur fallacis interpretationis, ex decreto S. C. Indicis 15 junii 1757, et 7 jan. 1836 tales versiones non amplius permittuntur, nisi prius *fuerint ab Apostolica Sede approbatæ*. Imo ob tot in dies succrescentes abusus, simplex versio non solet hodie concedi; hinc ad quæsitum: *utrum permittenda impressio versionis antiqui et novi Testamenti exaratæ per Rev^m Antonium Martini sine textu latino, et sine notis*, Sacra Indicis Congregatio respondit: *negative* [2].

Hæc autem intercedit differentia inter illum qui Scripturam legit vel tenet lingua vulgari sine notis versam: quod si versio sit facta a viris catholicis et catholica sit, incurrit tantum peccatum mortale; quia facit contra grave Ecclesiæ præceptum. Si vero versio sit hæreticaliter facta, et ab hæretico, incurrit etiam excommunicationem reservatam; cum ob hæresim damnata sit versio illa, et ab hæretico auctore prodierit. Prout est versio Diodati; nam est 1) *ab hæretico*, cum ipse sit de calviniana secta; 2) *hæreticaliter facta;* nam aliqui sunt libri penitus omissi, et alii in pluribus hæretice adulterati.

f) *Indifferentismus*, alio nomine *tolerantismus:* porro alius est *civilis* et *politicus*, quo scilicet Princeps diversas religiones in sua ditione tolerat; alius *religiosus* seu *theologicus*, qui omnes religiones æque bonas tenet ad salutem consequendam. Primus potest permitti ad majora cavenda mala: *quamvis infideles*, ait d. Thomas, *in suis ritibus peccent, tollerari possunt* [3]. Secundus tamen qui in Religionis negotio facit unicuique libertatem, ut quæ sibi verior sententia visa fuerit, eam teneat, absurdissimus est: cum enim veritas una sit et indivisibilis, quicunque cum ipsa non est, falsitatem sectatur. Hinc Apostolus monet, *unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma;* et habemus ex ipsius Servatoris testimonio, eos *esse contra Christum, qui cum Christo non sunt* [4]; et infeliciter dispergere qui cum ipso non colligunt. Hinc Hieronymus, cum in tres partes schismate scissa esset Ecclesia, narrat se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitebatur, constanter exclamasse: *si quis cathedræ Petri jungitur, meus est* [5].

Falso autem sibi quis blandiretur, quod et ipse in aqua sit regeneratus; opportune enim responderet Augustinus: *Ipsam formam habet etiam sarmentum, quod præcisum est de vite; sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice* [6]? Hoc ergo systema non est aliud, quam turpissima species infidelitatis privativæ, error pestiferus ætatis nostræ, contra quem oportet Ecclesiæ ministros viriliter dimicare. Leo XII, Enciclica *Ubi primum*, ostendit quam facile indifferentismus religiosus convertatur in deismum, imo in atheismum ac materialismum. Pontifex autem Pius IX Encyclica *Qui pluribus* vocat indifferentismum *systema orrendum, ac vel ipsi naturalis rationis lumini maxime repugnans;* eumque iterum damnat, ut videre est in *Syllabo*, nn. 15 et seqq.; it. nn. 77 et seqq.

1 *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. VI. Et *Appendix* XXV, lib. IV, omnino legenda.
2 V. L'*Amico cattolico*, ser. 1ª, vol. VII, pag. 279: quod pari ratione affirmant, etsi una cum versione adsit latinus textus, sed sine notis. Hoc tamen non currit de illis Bibliorum partibus, quæ in libris spiritualibus leguntur; idque ex recepta consuetudine et tacita superiorum approbatione, si tamen versio catholica sit: quod hodie maxime notandum est.
3 Eph. IV; et Luc. XI.
4 2, 2, q. 10, a. 1.
5 Ep. LVIII.
6 *In Ps. contra part. Donat.*

Si quis ergo nos de intollerantia audacter accuset, et quærat cur pacem nolumus in rebus fidei cum sectis adversariis, facilem ei dabimus responsionem illis Tullii verbis (si ipsis hac in re uti liceat): *Cur pacem nolumus? quia turpis est; quia periculosa est; quia esse non potest* [1]. *Quia turpis est;* quid enim magis turpe, quid magis fœdum in homine sincere catholico, quam veritatem cum errore advertenter pati, vel etiam solummodo sese indifferentem erga illum habere? *Quia periculosa est:* qui enim veritatem agnoscens non abhorret ab errore contrario in rebus quæ æternam salutem respiciunt, evidentissimum incurrit periculum a fide paulatim discedendi et errorem ipsum amplexandi; cum teste experientia, facile sit errantium corruptione cor hominis corrumpi, et eorum tenebris mentem obvolvi. *Quia esse non potest;* clamat Apostolus: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli* [2]?

942. Q. 2. *Quid de recenti fidei impedimento in Italia?*

R. Summus Pontifex Pius IX, Encyclica *Nostis* ad Archiepiscopos et Episcopos Italiæ (8 decembris 1849, Neapoli data in Suburbano Portici) solertissime indicat recens quoddam et peculiare fidei impedimentum in Italia inique serpens. Est autem audacissimus pravorum conatus, qui diabolicum iniere consilium de *Italis populis traducendis ad Protestantium placita et conventicula.* Quod ut obtineant, pluribus utuntur mediis, ut scite notat Perrone: inter cetera sunt *societates biblicæ, studium occupandi cathedras in catholicis scholis, domicilium in regionibus catholicis cum emptione bonorum, et publicum ibidem exercitium sui cultus, editiones librorum, in quibus eorum doctrina traditur passionibus amica, incitamenta, exhortationes et etiam pecuniarum aliquando elargitiones, theoretica prædicatio in privatis etiam domibus, matrimonia mixta inter protestantes et catholicas promota, vulgatæ ephemerides, demum calumniæ et dicteria, quibus putide Religionem catholicam insectantur* [3]. Merito ergo Præsulum curas excitando Christi Vicarius remedia præbet ad tantam pestem eliminandam, et sunt:

1. Populum de paratis sibi insidiis edocere, et diligentissime in doctrina christiana instruere, ut vitam ad illius normam componat.

2. Ecclesiasticorum omnium (præsertim qui in animarum cura) zelum accendere, ut *majori usque alacritate, prout temporum ratio postulat,* in dictam *christianæ plebis instructionem incumbant, illud speciatim dogma singulis inculcantes, sine fide catholica impossibile esse placere Deo, et æternam consequi salutem.*

3. In orationibus publicis fideles laicos unacum Clero peculiares identidem Deo gratias agere pro accepto catholicæ Religionis beneficio, et suppliciter una simul efflagitare, ut ejusdem *professionem in regionibus nostris tueri et inviolatam conservare dignetur.*

4. Confirmationem tempestive suscipere ad fortiter pugnandum, et sæpius Pœnitentia expiari atque Ss. Eucharistia muniri.

5. Parochorum aliorumque sacerdotum studiis in ordinario prædicationionis ministerio adjungere interdum extraordinaria spiritualium

[1] Philippica VII. — *La verità può tanto tollerare l'errore, quanto un geometra può soffrire, che qualche triangolo abbia quattro lati:* Taparelli, *Saggio teoretico.*

V. Franco, *Risposte popolari.* — Ségur, *Risposte brevi e familiari.* — Balmes, *La Religione dimostrata all' intelligenza dei fanciulli.* — Gousset, *Il piccolo libro di tutti.*

[2] II, Corinth. VI.

[3] Hæc media recenset cl. Perrone; qui alia addit quibus utuntur protestantes ubique: nempe jubilæum reformationis, anniversarium reformationis festum, missiones apud infideles, et studium conversionis judæorum. *Prælect. de vera Relig.*, par. 2ª, n. 251. — *V.* Rendu, *Degli sforzi del protestantesimo in Europa.* Parma, 1861.

Exercitiorum et sacrarum Missionum subsidia. In quibus satagant blasphemiarum in Dei nomen et in Sanctos horrorem cunctis inspirare, et alia graviora scelera cum magno scandalo conjuncta eliminare, uti sunt concubinatus notorii, violatio dierum festorum et præcepti ecclesiastici circa jejunia, ciborum delectum et similia.

6. Viros insignes et sana doctrina præstantes impense ad hoc inflammare, ut contra libellos impios, ephemerides et pagellas illas *mendacii, calumniarum et seductionis plenas, quas novæ artis librariæ pravo usu vaferrimi Ecclesiæ inimici in vulgus edere et multiplicare quotidie non intermittunt*, alia ipsi parvæ item molis scripta de Episcoporum voto et approbatione in lucem edant, et prout locorum et personarum ratio suggesserit, inter fideles diffundant.

7. Tandem pietatem, venerationem atque observantiam in christiano populo insinuare, fovere, tueri et alte defigere erga supremam Petri Cathedram, ubi sedet verus Christi Vicarius, totius Ecclesiæ Caput, et omnium christianorum Pater et Doctor.

943. Q. 3. *An pro fidei nostræ dilatatione solliciti esse debeamus?*

R. Affirmative: præstat, ut non tantum fideles amoveamus a periculo infidelitatis, sed ut pro nostro posse, vel ipsos infideles adducamus ad fidem. *Quisque enim* (ad rem Stapf, § 166) *præsentem hominis conditionem, atque absolutam Religionis christianæ necessitatem perspectam tenet, profecto nihil magis in votis habere potest, quam ut Regnum Dei quaquaversus dilaletur. Quod ut eveniat, non tantum quotidie orare, sed etiam pro viribus conferre jubemur; si enim Deum vere diligimus, quid nobis prius esse potest, quam ut ipse et quem misit, Jesus Christus, ab omnibus cognoscatur adoreturque, et ut benignissima ejus consilia in provehenda hominum salute per neminem frustrentur? Idem officium ex charitate fraterna resultat, cujus indoles est, ut alios destinationis nostræ consortes reddamus. Cum igitur ad destinationem nostram feliciter consequendam Religio necessaria sit, quis non videt, hujus dilatationem inter omnia charitatis obsequia locum facile primum obtinere,* etc. [1].

944. Q. 4. *Quid Parochus ad fidei impedimenta eliminanda?*

R. Parochus hæc peragat diligentissime:

1. Oves sibi commissas opere, sermone et exemplo in fide confirmet, Religionis apologiam identidem adstruendo, motivis credibilitatis. Et ab iis vitiis studiose avertat, quæ fidem pedetentim extinguunt, uti sunt superbia, impudicitia, blasphemia, etc.

2. *Cum* (dicente s. Leone) *magna sit pietas prodere latebras impiorum, et ipsum in eis, cui inserviunt, diabolum debellare*, Parochus populo detegat multiformes inimicorum errores et machinationes, ut sibi caveat.

3. Caute invigilet, ne in Parœcia sua libri perversi circumferantur: et si quos invenerit damnatos, curet ut quam citius e manibus popoli auferantur malis bonos substituendo. « O crederai forse (ad

[1] Hoc valent omnes orationibus et eleemosyna. Sed præcipue studium Religionis dilatandæ nobis ecclesiasticis incumbit. Quis sane dixerit illum clericum spiritum ecclesiasticum possidere, qui indifferens est sive propagetur Religio, cujus minister est, sive non? Male cogimur ominari de illo, quem zelus Domus Dei non comedit.

De *fidei propagatione* plura Lib. IV, *Append.* 38 et 39.

rem *Tarino)* di portar rimedio ai mali col lacrimare sulle miserie dei tempi, col declamare contro le letture cattive... ed attendere dalla Provvidenza il rimedio colle mani alla cintola? Lo zelo e la prudenza ti rispondono di no, e t'impongono invece di fare quanto dipende da te per opporre un argine a questi mali, e trar partito da questa manía di leggere, sostituendo dei libri buoni che paralizzino l'effetto dei cattivi, e porgono un pascolo utile e dilettoso agli amanti delle letture. I libri buoni vi sono ed anche in gran copia...; con una leggera spesa all'anno potrai farti una provvista dei principali.... Se non puoi sopportare la spesa per te stesso, ti raccomanda a qualche pia e religiosa persona; la esorta a coadjuvarti in quest'affare, a somministrarti qualche somma... dicendole che anche questo è un atto di beneficenza, un'elemosina spesso più proficua e meritoria del pane materiale; la consiglia a provvedersi essa stessa, ed anche ad associarsi a qualche foglio religioso per farlo passare per le mani di molte persone del paese [1]. »

4. Nitatur superstitiones eliminare, uti sunt sortilegia, veneficia, divinationes et aliæ vanæ observationes, quibus innixi quidam jactitant se scire et prædicere futura, morbos curare, thesauros detegere: quæ quidem fidem non parum labefactant. Ideo etiam curet ut a Parœcia arceatur (implorato, si fieri poterit, auctoritatis sæcularis auxilio) tam improbum illud hominum genus, quos *zingaros* vocant; quam garruli *circulatores*, qui indulgentias apocryphas, falsa miracula, ineptas orationum formulas promulgant [2].

5. Si quos habeat parochianos qui mercaturæ exercendæ, vel addiscendæ artis causa ad loca hæreticorum conferre se soleant, studeat avertere plusquam poterit, vel saltem eos accurate doceat quæ a Clemente VIII tradita sunt circa communionem fidelium cum hæreticis. Valde autem commendanda est consuetudo, ut ad Pœnitentiam et Eucharistiam accedant, tam cum discedunt, quam cum ad patriam isti revertuntur.

915. Q. 5. *Quid agere debet Parochus, Confessarius vel Sacerdos, si hæreticum inveniat, qui velit ad Catholicismum venire?*

R. Hæc præcipuæ. 1. Maxima imprimis charitate eum excipiat ac interroget, quomodo hæc ei vocationis gratia contigerit? cur sectam suam velit relinquere et nostram fidem amplecti? Hæc cautela necessaria est, quia extant fraudulenti, qui sub pietatis velamine unice quærunt sibi sustentationem et bona temporalia. Quo explorato, si videat

[1] Tarino, *Il libro del buon Pastore*, n. 92. — *V.* Mullois, *Manuale di carità*, c. XII.

[2] Si qui eleemosynam emendicando circumeant asserentes, se ad fidem catholicam conversos, ne facile credat Parochus. Imo si fieri possit consistere hosce in Parœcia non sinat, sine literis *commendatitiis* ab Episcopo probatis; et ubi secum habeant mulieres, requirat testimonium conjugii, si conjuges se dixerint: vel fidem Baptismi, si dicant se parentes.

hæreticum proposito suo firmiter inhærere, eundem excitet, ut quærat Regnum Dei et gratiam cum fiducia. Nec tamen facilis sit in auxilio temporali promittendo.

2. Bene prospiciat, utrum iste sit hæreticus formalis, an materialis tantum. Si sit *materialis* tantum, eum doceat res scitu necessarias necessitate tam medii quam præcepti, Cathechismum Diœcesis adhibendo; et sic eum præparet ad Confessionem peccatorum suorum et fidei nostræ professionem. Deinde proprium Episcopum vel ejus Vicarius generalem consulat circa abjurationem private aut publice emittendam, et circa Baptismi renovationem, quæ ætate nostra videtur ferme semper necessaria saltem sub conditione. Si vero sit hæreticus *formalis*, Dei auxilio innixus (quod in omni casu semper implorare debet) disputationes assumat, ordine retento, quem Tractatu *De Locis Theologicis* ferme omnes sequuntur. Agat de unitate et necessitate fidei, de notis Ecclesiæ, de necessitate judicis visibilis in controversiis fidei, de sensus privati absurditate, de dogmate Primatus Pontificii tum honoris tum jurisdictionis, ceterisque in quibus videlicet hæretici a nobis discordant.

3. Caveat semper, ne per inanes controversias traducatur, ne libros aut alia objecta magni pretii commodet, ne sese nimis eidem familiarem exhibeat. Uno verbo ne faciat quod factum nollet, si hæreticus iste conversionem suam non perficiat. Quod si convertatur, semel in Ecclesia receptum non deserat, sed eum summo studio in salutis via firmandum curet [1].

946. Q. 6. *Quid si infidelis converti velit?*

R. Si res sit cum *infidelibus* qui paganismum profitentur, ad manus theologo esse debent motiva credibilitatis, quibus eis existentiam divinæ Revelationis ostendat; nec non existentiam Ecclesiæ [2].

Quod si *judæi* sint cum quibus congredi theologus debeat, depromet ex veteris Testamenti libris et vaticiniis in iis contentis quæ Messiæ promissionem, expectationem, epochas, munia prædicant, eaque conferrendo cum novi Testamenti libris ac historia adimpleta in Christo Jesu fuisse patefaciat [3].

---

[1] De-La-Foret, *Metodo d'istruzione per ricondurre i preti riformati alla Chiesa Romana.* Torino, 1851. — Charvaz, *Guida del catecumeno valdese.*

[2] *V.* Perrone, *De locis Theol.*, par. 3ª *De Theologi munere.* — Methodus pro hæretici reconciliatione vide in Synodo Diœcesana Nicæensi anno 1839, a nobis relata Lib. III, *App.* 28; et in *Pontificali Romano.*

[3] *V.* Pinamonti, *La Sinagoga disingannata.* — De-Rossi, *Della vana aspettazione degli ebrei del loro Messia Re.* Parma, 1775. — Drach, *Lettere agli Israeliti.* — Lombroso. *Confronto tra il Sacerdozio dell'antica legge ed il Clero cattolico;* it. *Dei perfezionamenti che l'Evangelio ha apportati alla legge mosaica;* it. *Degli ostacoli che le consuetudini oppongono alla evangelica rigenerazione degli ebrei.* Milano.

Mutatio Religionis a civili lege quibusdam in regionibus ad certam ætatem restringitur, quæ est ætas 14 annorum completa in Borussia, Wurterbergensi et Austria· 18 in Ducatu Badensi, etc.; 21 in regno Bavariæ et Saxoniæ. *Aichner.*

DISPUTATIO SECUNDA

DE SPE.

CAPUT UNICUM

DE SPEI NATURA, DIVISIONE, OBJECTO, SUBJECTO, PROPRIETATE, VTIIS OPPOSITIS AC REMEDIIS.

947. Q. 1. *Quid est spes et quotuplex?*

R. Ad 1: Spes definitur communiter: *virtus theologica divinitus infusa, per quam certa cum fiducia a Deo tum beatitudinem æternam, tum media illius consequendæ expectamus propter divinarum promissionum veracitatem.* Dicitur:

1) *Virtus;* et merito sane, quia *bonum est* ex R. Psalte, *sperare in Domino* [1]. — 2) *Theologica divinitus infusa;* quia est supernaturale Dei donum juxta illud: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti* [2]. — 3) *Per quam certa cum fiducia*, quia spes ex parte Dei, id est prout innititur Dei auxilio, est certa: *in Dei auxilio*, inquit Tridentinum, *firmissimam spem collocare et reponere omnes debent* [3]. Cum vero salus æterna pendeat a nostro etiam arbitrio, quod potest deficere, ideo spes ex parte nostra non est certa. — 4) *Beatitudinem æternam, et ejus media expectamus*, quæ verba declarant duplex spei objectum. — 5) *Propter divinarum promissionum veracitatem;* quibus præcipue continetur christianæ spei fundamentum.

R. Ad 2: Spes alia est habitualis, alia actualis; utraque autem vel viva est vel mortua: id est formatà vel informis.

Habitualis est habitus per se infusus actuum spei ex auxilio gratiæ, qui perdurat quamdiu per vitium desperationis, vel præsumptionis non expellatur. De hac habet Apostolus: *nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc* [4]. — Spes *actualis* est quæ actus elicit, quibus æternam beatitudinem expectamus. De hac ait Realis Psaltes: *in Domino spera* [5].

[1] Psal. xv. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, nn. 20 et seqq.; et *Ho. Apost.*, tract. VI, n. 6. Spes generatim sumpta est motus appetitivæ partis in bonum futurum, a rduum sed adeptu possibile. *In bonum*, secus esset timor; *futurum*, nam circa præsens est, gaudium; *arduum*, nam quod statim est in nostra potestate, concupiscimus, non speramus; *possibile*, secus haberetur desperatio, non spes. D. Thomas, 1, 2, q. 40, c. 91.

[2] Rom. xv.

[3] Sess. VI, c. 13 *de Justif.*

[4] I, Cor. XIII.

[5] Ps. XXX.

Viva est quæ cum gratia sanctificante conjungitur, quæ quidem invenitur in solis justis. *Mortua* quæ caret gratia sanctificante, et ideo esse potest etiam in ipsis peccatoribus.

948. Q. 2. *Quodnam est spei objectum?*

R. 1: Objectum spei *materiale-primarium*, quod primo sperare debemus, est æterna beatitudo, quæ est Deus ipse fruendus juxta illud Domini: *ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis* [1]. Unde Augustinus: *præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit* [2]. — Objectum vero *materiale-secundarium* sunt auxilium divinæ gratiæ et opera nostra divino isto auxilio peragenda; hæc enim ad Deum possidendum perducunt juxta illud Apostoli: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ* [3]. Hinc etiam merita nostra spei nostræ fundamentum dici possunt, quatenus sunt conditio *sine qua non.*

R. 2: Objectum *formale* sive motivum, propter quod sperare tenemur, alii dicunt esse Dei misericordiam, alii omnipotentiam, alii promissionem et fidelitatem. Nos censemus hæc simul accepta constituere objectum spei formale: *misericordia* nempe nos movet, et allicit ad Dei desiderium; *omnipotentia* adjuvat erigitque animum ad prosequendum bonum arduum: *promissio* denique et *fidelitas* efficiunt, ut ipsis motivis utpote certa cum fiducia salutem æternam ejusque media expectemus [4].

Patet autem quomodo spes sit a charitate diversa. Spes æque ac charitas Deum contemplantur ut infinite bonum; sed charitasut infinite bonum in se ipso, spes vero ut infinite bonum nobis. Charitas ut summum bonum absque ullo ordine ad creaturas; spes uti bonum proprium creaturæ, ac creaturæ non solum communicabile, sed etiam communicandum. Charitas denique in Deo quiescit ut eo fruatur; spes autem ad Deum tendit ut eum aliquando possideat. Atque hinc est, quod amor charitatis dicatur amor *amicitiæ*, amor vero spei nuncupetur amor *concupiscentiæ.*

949. Q. 3. *An spes Theologica sit in beatis, in damnatis et hæreticis?*

R. 1. Spes non est in beatis; ait enim Apostolus [5]: *Spes quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* Sane beati jam perfruuntur felicitate illa æterna, quæ est materiale spei objectum. Neque dicas beatos sperare continuationem beatitudinis, et corporis resurrectionem; hæc enim in illis non habent rationem veræ spei. Quod enim pertinet ad beatitudinis continuitatem, hoc ipso quo aliquis est beatus, jam participat totam æternitatem. Quoad

1 Gen. xv.
2 *De Civ. Dei*, l. xxii, c. 30.
3 II, Tim. iv.
4 *V.* Thomas, *Quæst. disp.*, q. unic.
5 Rom. viii. — *V.* Liguori, *Dissertazioni teologico-morali*, diss. ii, nn. 9 et seqq.

corporis vero gloriam, non est quid arduum et futurum beatis qui illam cum tranquillitate expectant; nam habens gloriam animæ, habet jam tutam ac certam causam gloriæ corporis.

2. Spes non est in damnatis; nam *mortuo homine impio, nulla erit ultra spes* [1]. Damnati semel ac pœnis inferni se addictos conspiciunt, ab illo puncto certe agnoscunt nunquam fore liberandos.

3. Spes non est in hæreticis, cum fide careant, quæ est fundamentum spei. Proinde spes quæ in ipsis esse videtur, non est vera et supernaturalis, sed naturalis, acquisita, inanis et falsa orta ex persuasione seu fide humana.

An vero spes sit in animabus purgantibus, in justis viatoribus et in peccatoribus, affirma: ac 1) in animabus purgantibus; quia etsi de beatitudine obtinenda certæ sint, ea tamen et absens est et ardua obtentu; 2) in justis viatoribus: quia isti habent habitum trium virtutum Theologicarum; 3) in peccatoribus, nam ex Tridentino peccatores *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore* [2]. Excipe nisi in istis adsit peccatum quod directe opponatur spei, uti est desperatio, et sæpe etiam præsumptio.

950. Q. 4. *Quonam sensu spes Theologica certa est?*

R. Hoc sensu spes Theologica certa est, quod ex parte Dei innitatur infallibili ejus promissioni, infinitæ omnipotentiæ, misericordiæ ac fidelitati uti objecto suo formali; ideo nullimode potest deficere. Quare canebat David: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternam.* Et Paulus: *spes non confundit* [3]. Non est autem certa in sensu hæreticorum, quod nempe ex parte hominis excludatur timor ille salutaris et moderatus, qui nascitur ex opinione propriæ infirmitatis, et quo Deus voluit nostram nos salutem operari, clamante Apostolo: *cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Quare Tridentinum merito damnavit Protestantium errorem: *Si quis dixerit hominem a peccatis absolvi ac justificari, ex eo quod se absolvi et justificari certo sciat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat esse justificatum; et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici, anathema sit* [4].

[1] Prov. XI. [2] Sess. VI, c. 6.

[3] Ps. XXX; et Rom. VIII. Ad rem piissimus Contenson in *Reflexione* de præcepto fidei: « *In verbis tuis supersperavi:* Ps. CXVIII. Non solum speras, sed supersperas, Propheta sancte: supra quid speras? Supra id omne, inquit, quod dici potest: supra id, quod ab homine cogitari potest; supra id, quod dixerunt Scripturæ; supra id, quod prædixerunt Prophetæ; supra id, quod Sancti unquam annuntiaverunt. Supersperavi in misericordia, quæ cum infinita sit, spem omnem longe excedit. Supersperavi in verbis tuis supra cœlum et terram duraturis, uti promiserunt. Supersperavi in promissis tuis merita excedentibus et vota; quia licet magna sint quæ promisit, majus tamen est quod futurum est. »

[4] Sess. VI, c. 14 *de Just.*

Quo sensu inquiebat Salesius: *Timorem sine spe esse desperationem, spem vero sine timore esse præsumptionem.* Verum nedum hic timor spem destruat vel ejus certitudinem lædat, imo eandem maxime fovet, ut explicat s. Bernardus: *Est autem is ipse timor firmissima quædam et efficax materia spei, si quis prudenter advertat; siquidem maximum quoddam Dei donum timor iste, et ex perceptione præsentium firma est expectatio futurorum* [1].

951. Q. 5. *An spes Theologica sit necessaria?*

R. Spes Theologica necessaria est in adultis, et necessitate tum medii quam præcepti.

1. Necessitate *medii;* nam si agitur de justis, spe indigent, ut recte possint gratias ad perseverandum necessarias postulare, ut eis supernaturaliter retribuatur; *qui enim hæsitat,* ait Jacobus, *non æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino* [2]. Si agatur de peccatoribus, ea indigent, ut se ad justificationem disponant; nam Tridentinum ad justificationem inter cetera requiret, ut *spe erigantur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.*

2. Necessitate *præcepti;* nam legitur: *Sperate in (Deo) omnis congregatio populi* [3]: *sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam* [4]. Hinc Alexander VII hanc n. 1° damnavit propositionem: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actus fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Et d. Augustinus: *de fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe* [5]! Præceptum autem eliciendæ spei obligat per se, et per accidens.

Obligat *per se:* 1) *initio usus rationis,* quando nempe æterna beatitudo sufficienter proposita sit tanquam finis, ad quem unusquisque tendere debet, ita ut notabili tempore non differat; 2) *in periculo mortis,* ut homo contra tentationes validior fiat, et in Deum ultimum finem mox consequendum feratur; 3) *sæpe in vita;* quia sine actu spei nec in justitia divina persistere, nec meritorie operari possumus. Verum hoc locum scrupulis dare non debet; sufficit enim spes virtualis, et hæc passim exercetur [6].

Obligat *per accidens:* 1) quando *ex præcepto* eliciendus est actus aliarum virtutum, v. g. orationis, quæ sine prævio actu spei exerceri nequit; 2) quando *urget tentatio,* et adsit periculum consentiendi, nisi spes animum erigat; 3) quando christianus in *mortale lapsus* est, et ad justificationem tenetur contendere; nam *nemo potest,* dicente s. Ambrosio, *bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit in-*

[1] Serm. XV *in Ps.* XV.
[2] Ep. Jac., c. 1. [3] Ps. LXI. [4] 1, Petr. I.
[4] Tract. LXXXIII *in Joann.*
[5] *V.* Liguori, *Op. Mor.,* l. II, n. 20. — Ballerini, apud Gury, *De spe.* — Suarez, *De spe,* disp. II. — Becanus, Layman, etc.

dulgentiam [1]; 4) quando versatur *in periculo desperationis.* Ad hæc enim mala avertenda medium est spes.

952. Q. 6. *An confessarius in suo pœnitente spem excitare debeat?* R. Affirmative: imo si omnibus anteactis sæculis id valde fuit opportunum, præsenti ætate est plane necessarium; nam ex quo inter nos audita fuit hæretica illa et horrifica Jansenii propositio, cui adeo plauserunt Quesnelliani, Bajanistæ et ceteri damnatæ sectæ sequaces: *aliqua Dei præcepta sunt impossibilia, deest quoque gratia, qua possibilia fiant,* vulnus quoddam vere incredibile inflictum est spei Theologicæ, et quædam quasi diffidentia in catholicum orbem diffusa Hæc autem generat illam indifferentiam religiosam, contra quam adeo vehementer clamant Pontifices et Pastores omnes tanquam contra perexitiosam sæculi pestem [2].

953. Q. 7. *Quænam spei opponuntur?*

R. Spei opponuntur *desperatio* et *præsumptio:* quæ duo sunt ex genere suo mortalia; tum quia opponuntur charitati in Deum, quem vel socordem vel tyrannum faciunt; tum quia opponuntur charitati propriæ; nam ex Apostolo: *spe salvi facti sumus* [3]. Quare Augustinus ait: *ista duo animas occidere* [4].

954. Q. 8. *Quid est desperatio, quæ causæ et quomodo curanda?*

R. Ad 1: Desperatio est culpabilis animi dejectio, seu diffidentia obtinendæ veniæ peccatorum aut auxilii ad emendationem necessarii, ut si peccator dicat cum Caino: *major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* [5]. Vel diffidentia obtinendæ beatitudinis, juxta illud: *desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis* [6]. Desperatio est peccatum gravius peccato quod opponitur virtutibus moralibus, cum spes sit virtus dignior. Est tamen peccatum specie sua minus quam odium Dei vel infidelitas; quia hæc sunt contra Deum secundum quod est in se; desperatio autem est contra Deum, secundum quod ejus bonum a nobis participatur. Ceterum peccatum est valde periculosum, quia sublata spe, homines precipites ruunt; et item peccatum ex genere suo mortale ac divinæ misericordiæ graviter injuriosum, si sit cum plena deliberatione et consensu. In dubio an quis consenserit, videndum an ideo solita pietatis officia omiserit; si non omisit, censetur non consen-

[1] Lib. I *de pœn.*

[2] Ex quo patet quantum confessarius attente curare debeat, ut in pœnitentibus actus spei frequenter excitet. Quam in rem contra Jansenistas utatur illis Christi verbis (Matth XI): *jugum meum suave est, et onus meum leve: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Utatur illis Joannis (Ep. I, c. 5): *mandata ejus gravia non sunt.* Utatur denique Tridentino, quod jam expresse definierat contra Lutheranos et Calvinistas: *Deum impossibilia non jubere.* — *V.* Pinamonti, *Il Direttore* ecc., c. 28. — *Nuovo combattimento spirituale* ecc.

[3] Rom. VIII.

[4] Sermo LXXXVII *de verb. Evang.*

[5] Gen. IV.

[6] Eph. IV.

sisse, quia desperatio revocat facillime ab exercitio virtutum; secus, si officia illa omiserit.

R. Ad 2: Sunt precipuæ desperationis causæ: 1) *luxuria;* homo enim luxuriosus fastidit bona spiritualia, ideoque nullam potest fovere spem obtinendi beatitudinem illam, de qua ne cogitare quidem solet; 2) *acedia;* acediosus enim judicat, se ferme non posse mandata Dei observare, et sic abjicit omnem spem beatitudinis sempiternæ; 3) *melancholia;* ipsa etenim inclinat ad tristitiam et avertit a fiducia, quæ gaudium animi generare solet; 4) *scrupuli;* quibus anima dejicitur nimium et opprimitur; 5) *diabolica tentatio;* quæ de venia peccatorum desperare facit.

R. Ad 3: Prudenter videat confessarius si velit curare desperationem sui pœnitentis, ex quo illa eveniat; et auferat malam causam, si velit tollere malos affectus. Ideo *acediosos* accendat, *luxuriosis* opportuna remedia præbeat; *melancholicos* ad Domino serviendum in lætitia conducat; *scrupulosos* cum omni patientia curet. Quia tamen plerumque pœnitentem ex diaboli tentatione in desperationem inclinat ob nimium timorem, nempe propter peccatorum gravitatem, eundem in spem bonam erigat.

Dicat 1) suos lapsus eidem, si velit, esse posse initium magnæ sanctitatis; et non raro Deum pro sua infinita bonitate vertere lapsum pœnitentis in suam gloriam. Ad rem Gregorius Papa: *Perpendo Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum, intueor Mariam; et nihil in his aliud video, nisi ante nostros oculos posita spei et pœnitentiæ exempla. Fortasse enim in fide lapsus est aliquis? aspiciat Petrum qui amare flevit quod timide negaverat. Alius contra proximum suum in malitia crudeliter exarsit? aspiciat latronem qui et in ipso mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo pervenit. Alius avaritiæ æstibus anhelans aliena diripuit? aspiciat Zachæum, quidquid abstulit quadruplum reddidit. Alius libidinis igne succensus carnis munditiam perdidit? aspiciat Mariam quæ ipsa amorem carnis igne divini amoris excoxit. Ecce omnipotens Deus ubique oculis nostris quos imitari debemus objicit, ubique exempla suæ misericordiæ opponit.* — 2) Dei misericordiam non metiendam secundum angustias cordis nostri, cum sit sine mensura. Quæ dubitatio esse potest de bonitate Dei, postquam Deus sanguinem, vitam pro nostra salute profudit tot opprobria pro nobis sustinens; et centies et millies nos ab inferno liberavit? — 3) Pastorem bonum Jesum sollicite quærere oviculam perditam, et de ea inventa maxime sibi gratulari. — 4) In fastis Sanctorum vix reperiri aliquem specialem favorem a Deo concessum innocentibus, quem pariter vere pœnitentibus non ipse concesserit. Ideo sæpe illud usurpet: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit* [1]? et cum d. Bernardo proponat considerandas *charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis* [2]. — 5) Curet, ut specialissime se Virgini Matri commendet, quæ est miserorum regina, peccatorum advocata, desperantium salus; a sæculo enim non est auditum quenquam ejus implorantem auxilia ab Ipsa derelictum.

1 Rom. II. — *V.* Liguori, *Consigli di confidenza e di sollievo per un'anima desolata.*
2 Hom. *de fragment. panum.* — *V.* Dujardin, *De officio sacerdotis,* par. 2ª, sect. 21, § 2.

Ceterum confessarius non illico pœnitentes de desperatione reos faciat: sunt enim animæ devotæ, quæ hisce tentationibus exagitantur quos non credendum graviter peccasse, etsi putent se illis consensum præbere. Timor nimius de periculo salutis ne confundatur cum desperatione proprie dicta; ideo consolandæ sunt et hortandæ, ut pergant in amore, et bonis operibus, quæ Deo vim faciunt. *Elbel, Gury*, etc.

955. Q. 9. *Quid præsumptio, quæ causæ, quomodo curanda?*

R. Ad 1: Præsumptio *est temeraria expectatio beatitudinis, vel mediorum ad illam:* uti si quis præsumeret in fine salvari et Deum sibi propitium fore, quia aliquod orationis pensum persolvit, aut aliquem Sanctum orat; dum tamen suis indulget cupiditatibus. Præsumptio est peccatum ex natura sua lethale non secus ac desperatio, ob eandem causam: imo cum ipsa hæresi conjungeretur, si ortum haberet ex judicio speculative falso contra fidem, v. g., si quis præsumeret salvari per sola opera naturalia; vel sola fide sine operibus: ideo in praxi interrogandi pœnitentes, an cum præsumptione adsit nova peccati species? quod etiam valet de desperatione At cum frequentius peccetur per præsumptionem contra illam frequentius insurgant Pastores et concionatores.

Ex dictis patet tripliciter præsumptione peccari posse: 1) si salus obtinenda expectetur propriis viribus, ut volunt Pelagiani; 2) si illa expectetur a Deo sine ulla cooperatione nostra, ut tenent Novatores; 3) si quis confidat Deum sibi fore propitium, etsi interim nolit emendari. Hæc ultima species non videtur tollere habitum spei, quia fundamentum ejus non destruit, etsi gravem inordinationem importet: et in hoc peccant non raro catholici.

R. Ad 2: Causæ præsumptionis sunt: *inanis gloria, superbia* et *ignorantia*. Præsumptio enim si innititur propriis viribus, oritur ex *inani gloria*, cujus proprium est tendere in id, quod proprias vires superat. Si vero nimis innititur misericordiæ divinæ (per quam quis sperat se obtenturum peccatorum veniam sine pœnitentia) oritur ex *superbia*, qua tanti se æstimat, ut credat Deum non velle eum punire, vel a gloria excludere. Tandem præsumptio qua quis putat, Deum sibi ob sua bene facta salutem reddere debere, oritur ex *ignorantia:* quod evenit in idiotis *(L)*.

R. Ad 3: Confessarius debet præsumptuosum a spe ad timorem deflectere, ostendendo: — 1) spem sine timore non esse spem Theologicam, sed vitium oppositum, nempe præsumptionem, de qua illud: *illorum spes abominatio, et ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius;* — 2) sanctum hunc timorem valde commendari juxta illud: *timete Dominum omnes Sancti ejus; timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* [1]; — 3) caren-

[1] Job. XI; Eccli. VI; Ps. XVIII et XXXIII — *V.* Liguori, *Via della salute; Apparec-*

tiam hujus timoris esse valde periculosam; quia de peccato ad peccatum trahit: hinc suadeat meditationem frequentem super novissimis et lectiones spirituales. Nec quiescat, quandiu pœnitentem viderit hoc salutari timore correptum.

DISPUTATIO TERTIA

DE CHARITATE.

956. Bonum appetitui nostro propositum ut ipsi conveniens et coaptatum, quasi pondus ipsum appetitum movet, attrahit et inclinat ad se: porro ista inclinatio, seu propensio dicitur, amor seu complacentia. Amor autem multiplex: si enim sit simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, dicitur *benevolentia*, quasi *bene velle;* si sit cum electione unius boni præ alio, dicitur *dilectio*, quasi delectio; si sit alicujus boni, quod ratione sui magni æstimatur, dicitur *charitas*, quasi nimis carum; si sit cum redamatione, dicitur *amicitia*. Hæc omnia plerunque promiscue usurpantur; maxime charitas, amicitia et amor benevolentiæ, quæ unum et idem in Theologia significant [1].

Amor Dei alius est *naturalis*, quo Deus ut auctor naturæ amatur; alius *supernaturalis*, (de quo nunc), quo Deus amatur ut auctor gratiæ et gloriæ. Insuper alius dicitur *amor benevolentiæ*, quo Deus amatur uti bonum in se (qui idem est ac *charitas);* alius *amor concupiscentiæ*, quo Deus amatur uti bonum nobis.

CAPUT PRIMUM

DE CHARITATIS NATURA, DIVISIONE, OBJECTO ET PROPRIETATE.

957. Q. 1. *Quid est charitas, et quotuplex distinguitur?*

R. Ad 1: Charitas definitur: *virtus Theologica a Deo infusa, qua diligimus Deum propter se et super omnia; cetera autem diligimus propter ipsum Deum.*

Dicitur: 1. *virtus*, quia reddit hominem bonum et Deo amicum. Imo ex Apostolo est virtus omnium præstantissima; cum Deum attingat, in eoque consistat: *nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc; major autem horum est charitas* [2].

2. *Theologica*, imo nulla virtus hac prærogativa ita gaudet, ut charitas; cum illa tota, et immediate circa Deum occupetur. Additur *a Deo infusa* juxta illud: *Charitas Dei infusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* [3].

chio alla morte; Opere spirituali; ecc. *Op. Mor.*, l. II, n. 21. — Boudrand, *Pensateci bene* ecc. — A. Manzoni, *La morale cattolica*, c. X.

[1] S. Thomas, 1, 2, q. 26, a. 1, 2 et 3; et 2, 2, q. 23, a. 1.

[2] I, Corinth. XIII. [3] Rom. V.

3. *Propter se et super omnia.* Dicitur *propter se;* porro diligere Deum gratis et propter se, importat, ne Deo serviamus neve ipsum diligamus aut quæramus propter aliud, idest propter mercedem quam ab eo expectamus, sed propter semetipsum seu propter suam divinam bonitatem, per se amabilem, sive quatenus præsefert rationem absolutæ perfectionis in omni genere excellentiæ [1]. Additur: *super omnia,* id est super res omnes creatas.

4. *Cetera propter ipsum Deum;* res enim amici sunt in ejus commodum convertendæ. Atqui omnia sunt Dei; ergo per charitatem omnia diligenda sunt propter Deum et in ejus bonum, hoc est in ejus gloriam et honorem convertenda. Unde Augustinus: *Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum; nos autem et proximum propter Deum* [2]. Et Gregorius M.: *Duo isti amores.... duo annuli, sed catena una; duæ actiones, sed una virtus; duo opera, sed una charitas* [3]. Sane affectus, quo amatur persona, unus et idem est cum affectu, quo ejus imago amatur. Unde patet eadem specie esse charitatem, qua Deum et proximum propter Deum diligimus.

R. Ad 2: Multiplex est charitas: alia habitualis, et *est habitus divinitus infusus actuum charitatis permanenter habilitans ad actus ipsos eliciendos.* Alia actualis, et est *ipse motus animi* (ita Augustinus) *ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum.* Alia appretiativa, et est *qua Deus omnibus creaturis præfertur.* Alia intensiva, et est *quæ non solum diligit Deum super omnia; sed insuper quadam voluntatis vehementia, et cordis conatu quosdam elicit fervoris gradus erga ipsum.* Item alia affectiva, quæ in corde tantum sistit; alia effectiva, quæ etiam in opera erumpit.

Addi potest alia vulgaris divisio: quod nempe prout respicit Deum, dicitur *charitas erga Deum;* prout respicit proximum, dicitur *charitas erga proximum.* Utraque tamen una est specie virtus ex s. Thoma; cum unum semper sit motivum, nempe propter Deum [4].

958. Q. 2. *Quodnam est charitatis objectum?*

R. Objectum *materiale-primarium* charitatis, quod primo amare tenemur, est Deus, juxta illud: *diliges Dominum Deum tuum; hoc est*

[1] Celerum dum Deus diligitur propter se, non ideo excluditur quod Deus hoc ipso sit etiam summum bonum nobis; imo neque ab hoc positive præscinditur; sed solum debito ordine directe Deus diligitur ut bonum infinitum, ac propterea ut principium et finis omnium; ideoque hoc ipso cognoscitur et diligitur ut bonum nostrum. Et sic evanescit quam nobis adversi objiciunt absurditatem, quod nempe amando amore benevolentiæ seu charitatis præscindere debeamus ab ultimo fine nostro. Vide *Perrone.*

[2] Lib. VIII *De Trinit.*, c. 8.

[3] *Moral.*, l. VII, c. 10. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. II, n. 22.

[4] 2, 2, q. 25, a. 1. Item solet distingui charitas *perfecta* et *imperfecta;* verum imperfecta cum concipiatur ex motivo proprii commodi seu in gratiam diligentis, non est præsentis instituti. De ea plura in tract. *De Pœnitentia.*

maximum, *et primum mandatum* [1]. Objectum vero *materiale-secundarium* sumus nos ipsi et proximus noster; nam est de ratione perfectæ amicitiæ non tantum amare eum, quocum amicitia habetur; sed etiam illos, qui cum amico relationem habent. Porro creaturæ intellectuales beatitudinis capaces sunt aliquid ad Deum maxime pertinens. Hinc illud: *diliges proximum tuum sicut te ipsum* [2].

Objectum vero *formale* charitatis, sive motivum seu ratio diligendi Deum, est ipse item Deus, quatenus est bonitas infinita, id est radix vel aggregatio omnium perfectionum; nam charitas importat amare aliquem propter se ipsum. *Charitate diligitur Deus propter se ipsum*, ait Angelicus, *unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter a charitate, scilicet divina bonitas, quæ est ejus substantia secundum illud Psalmi* cv: « *Confitemini Domino, quoniam bonus* [3]. » Hinc est verus, et genuinus charitatis actus dicere: *Deus meus! amo Te super omnia, quia es bonitas infinita;* amo Te, quia es summum infinitum et perfectissimum bonum [4].

959. Q. 3. *An liceat amare Deum amore concupiscentiæ?*

R. Michael Molinos hispanus sæculo XVII inter ceteros errores docuit, quod qui Deum diligit, non debeat unquam secum ipse cogitare *nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate;* sed totum se soli divinæ voluntati conformare, et ipsi curam de omni re sua relinquere, ita ut nec habeat rationem tentationum diaboli, nec studium iisdem resistendi: sicque sinat, ut in se sine se Deus faciat voluntatem suam. Hoc systema *Quietismus* vel *Pseudomysticismus* nuncupatur.

Scripturis repugnat hæc doctrina: *quærite primum Regnum Dei*, inquit Christus [5]; sed quærere Regnum Dei non est aliud, quam Deum amare et cupere uti bonum nobis. Idem nos docuit Patrem suum orare: *Adveniat Regnum tuum.* Ad Apostolos autem expresse dixit: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa et in cœlis* [6]; sed si optare mercedem in cœlis, malum esset, non eam sic nobis Christus optandam proposuisset. Et in Psalmis: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem* [7]. Unde Augustinus: *O tu homo! si titubas in re, esto firmus in spe* [8]. Et apposite Tridentinum: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu mercedis bene operatur, anathema sit* [9]. Merito Innocentius XI 1686, Const. *Cœlestis*, damnavit propositiones, quibus Molinos systema suum erexerat. Et Alexander VIII anno 1690 hanc propositionem: *Intentio qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat glo-*

1 Matth. XXII. 2 Luc. X. 3 2, 2, q. 23, a. 5 ad 2.
4 Vincentius Bolgeni in sua Dissertatione *(Della carità o amor di Dio)* contendit verum objectum formale seu motivum charitatis theologicæ, qua ante actualem Sacramentorum susceptionem justificamur, esse Deum prout est bonum nostrum, non autem prout est bonum in se. Sed adversus hanc sententiam uti in perniciosam novitatem merito insurrexerunt strenui adversarii, Muzzarelli, Cortes, Regno, etc. — *V.* Perrone, *De fide, spe et charitate*, par. 3ª, n. 32. — Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 24.
5 Matth. VI. 6 Matth. V. 7 Ps. CXVIII. 8 Serm. CCCXLV.
9 Sess. VI *de Justif.*, c. 31. — *V.* Segneri, *Accordo dell'azione e del riposo nell'orazione.* — Lequeux, *Manuale Theologiæ Moralis.* — Muzzarelli, *Lettera a Sofia* ecc

riam, non est recta nec Deo placens. Neque hic aliquid inordinati est, quasi sit referre Deum ad creaturam; non enim hoc amore Deus refertur ad nos, sed potius nos referimus in Deum; cum ideo illum nobis concupiscamus, quia finis ultimus noster est, quo obtento, nil amplius desiderat anima nostra.

960. Q. 4. *An amor concupiscentiæ adversetur charitatis perfectioni?*

R. Franciscus De-Fénelon archiepiscopus Cameracensis licet amorem concupiscentiæ non diceret malum et damnatum cum Molinos tradidit tamen charitatem theologicam, ut sit pura et perfecta, venir: debere ad eum gradum, ut nullum amplius involvat propriæ salutie desiderium. Quæ doctrina cum ad *Quietismum* accederet, dicta est ics circo *Semiquietismus*, et contra eam vehementissime acriterque disputavit alter in Gallia episcopus Meldensis Bossuetus.

Refutatur Semiquietismus iisdem ferme argumentis, quibus Quietismus: etenim si ex Christi præcepto oportet nos *primum quærere Regnum Dei*, et dicere *adveniat Regnum tuum;* ergo amor concupiscentiæ non adversatur charitatis perfectioni. Accedit: charitas definitur communi consensu: *virtus a Deo infusa, qua diligimus Deum propter se et super omnia, cetera autem propter ipsum Deum;* ergo charitas non excludit amorem ceterorum, et maxime beatitudinis nostræ, dummodo hæc refundatur in ipsum Deum. Hinc Apostolus, quem perfectissima utique *charitas Christi urgebat*, Evangelium prædicabat, ut *ejus particeps efficeretur, atque contendebat in agone, ut coronam incorruptam acciperet* [1].

961. Q. 5. *Quot sunt charitatis theologicæ proprietates?*

R. Duæ sunt præcipuæ, excellentia et necessitas.

a) Excellentia ex effectibus elucescit:

1. Charitas hominem efficit justum, quo nihil præstantius: *charitas operit multitudinem peccatorum* [2].

2. Veram amicitiam constituit inter hominem justum et Deum, juxta illud Christi: *qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* Iterum: *vos amici mei estis... jam non dicam vos servos... vos autem dixi amicos* [3]. Verum est quod amicitia est inter æquales; et nulla potest per se dari æqualitas inter Deum et creaturas quæ infinite ab eo distant; attamen, prout hæ sunt elevatæ per gratiam et consortes effectæ divinæ naturæ, quandam acquirunt proportionem, quæ sufficit ut illa habeatur amicitia quæ *excellentiæ* vocatur, et intercedit inter personas diversæ conditionis et dignitatis.

3. Facit, ut nos in Deo maneamus, et Deus in nobis, juxta illud: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo* [4]. Nempe Deus charitas est in se formaliter et efficienter quoad

[1] I, Cor. XV. — *V.* Gerdil, *Saggio d'istruzione teologica.* — Propter has aliasque rationes Innocentius XII, Brevi *Cum alias* 21 martii 1696, propositiones, systema et librum Fenelonii *(Vita interior Sanctorum)* proscripsit; qui cito S. Sedis judicio sesse submittendo, doctrinam suam penitus coram omnibus retractavit, reprobavit, damnavit et modo illo tam pio, tamque admirando, quem refert historia. — *V.* Cesari, *Fiori di Storia ecclesiastica*; Ragionamento IX: *Sopra s. Pietro.* — *Analecta Juris pontificii*, anno 1855: *Quietisme;* et anno 1867: *La condamnation de Fénelon.*

[2] I, Petr. IV. [3] Joann. XIV et XV. [4] I, Joann. IV.

nos; ipse enim manet in nobis per charitatem quam in cordibus nostris infundit, et nos manemus in eo de ejus charitate participando, prout dicitur manere in sole qui in lumine ipsius est.

4. Charitas perficit omnes virtutes juxta illud Apostoli: *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam*, charitatem *autem non habuero, nihil mihi prodest.* Iterum: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* [1] *(M).*

b) *Necessitas* vero charitatis tanta est, ut sine ipsa salus æterna obtinere non possit; sane nemo salvatur sine gratia sanctificante, et hæc a charitate non potest separari. Hinc illud: *qui non diligit, manet in morte* [5]. Quatuor autem sunt diligenda, ut monet Augustinus [6]: unum quod est supra nos, scilicet *Deus;* alterum, quod *nos* sumus: tertium, quod juxta nos est, scilicet *proximus;* quartum, quod infra nos est, nimirum *corpus proprium.* Primum diligitur ut causa beatitudinis; secundum ut subjectum felicitatis; tertium ut commercium beatæ societatis; quartum ut participium et extensio beatitatis.

Art. I. — *De charitatis necessitate relate ad Deum.*

962. Q. 1. *An sit speciale præceptum charitatis erga Deum?*

R. Extat profecto grave, atque speciale præceptum charitatis erga Deum: imo hoc est maximum et primum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: hoc est maximum et primum mandatum* [0]. Et s. Augustinus inquiebat ad Dominum suum: *Quid tibi sum ipse, ut amari Te jubeas a me: et nisi faciam irascasis mihi, et mineris ingentes miserias? parvane ipsa res est, si non amem Te* [2]?

Idem deducitur ex prima propositione damnata ab Alexandro VII: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium;* tum etiam ex alia propositione proscripta ab Alexandro VIII: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ*

[1] I, Cor. XIII, et Coloss. III. — *V.* Contenson, *Theol. cordis*, Dissert. VI, *Append.* Commendatio et elogia charitatis.

[2] I, Joann. III. Quamvis charitas a gratia non valeat separari, vult tamen Sylvius, unam realiter distingui ab alia; quia charitate diligimus Deum, gratia diligimur a Deo. Hoc negat Estius contendens diversitatem esse tantum virtualem, nempe ratione diversorum officiorum

[3] L. I *de Doct.*, c. 29.

[4] Matth. XXII. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 22.

[5] L. I, *Confess.*, c. 5. — *V.* Liguori, *Riflessioni divote sopra diversi punti di spirito a pro delle anime che desiderano d'avanzarsi nel divino amore.*

suæ mortalis. Sane id, quod est finis, per se debet eligi et amari; habet enim rationem boni per se: atqui talis est charitas.

963. Modus autem diligendi Deum, ait s. Thomas ex s. Augustino, est eum diligere quantum potest; cum sit infinite diligibilis. De indole igitur veræ charitatis erit, ut ea sit supernaturalis, interna, appretiative summa, efficax et universalis.

1) *Supernaturalis*, id est a divina gratia proficiscente, secus virtus theologica non esset. — 2) *Interna*, alioquin fictitia esset: hinc illa verba præcepto adjuncta: *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente.* — 3) *Appretiative summa*, ita ut majoris faciamus Deum, quam nos ac cetera omnia, ei nempe super omnia ita adhærendo, ut *neque mors, neque vita, neque creatura alia possit nos separare a charitate Dei* [1]. Et sane cum amabilitas sit mensura amoris, Deus qui summe amabilis est, est super omnia amandus. — 4) *Efficax*, id est nos efficaciter movens ad ea, quæ Deo placent; secus labiorum est amor, non cordis. Hinc illud Christi: *si diligitis me, mandata mea servate*. — 5) *Universalis*, ut nempe Deum semper in omnibus præferamus, cum sit infinite præferibilis.

Quæ omnia verbis continentur: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua* [3]. Deum nempe diligimus *ex toto corde*, quando nostra intentio tota fertur in Deum: *ex tota anima*, cum motus sensuum et passiones ad Dei beneplacitum dirigimus: *ex tota mente*, cum in omnibus rationes æternas consulimus: *ex tota virtute*, cum ob Dei amorem difficultates occurrentes superamus [4].

964. *Nostra charitas in Deum nonne* (dices) *debet etiam esse intensive summa, ut Deus omnimode diligatur?*

R. Negando; ad substantiam charitatis pertinet quidem, ut Deum diligamus amore appretiative summo, quomodo ipsum diligebat Paulus, quem nulla adversa a Deo separare poterant: non autem amore intensive summo, quomodo matres diligunt infantulos suos. Hic licet sit exoptandus, non tamen est in præcepto, tum quia non est semper in nostra potestate; tum quia intensio est quidem charitatis perfectio, sed solum accidentalis; cum tota sita sit in quadam vehementia, et in conatu affectus. Ex quo exurgit *zelus*, vehemens nempe ille motus, quo homo pro viribus suis repellit quidquid repugnat bono Dei, et amplectitur fortiter et alacriter quidquid ad eum ducit.

Utinam omnes divinus zelus accenderet et non esset modus in modo diligendi Deum; at dolendum, ut dum alios impellimus ad amorem intensionis, in nobis adhuc forsan desideretur amor appretiativus. Cor nostrum potest nonnunquam mensæ rotundæ comparari, in qua non

[1] Rom. VIII. [2] Marc. XII. [3] 1, Jo. IV.
[4] Angelicus, 2, 2, q. 44, a. 5. — *V.* Liguori, *Dell'amor divino o mezzo per acquistarlo; Pratica di amar Gesù Cristo; Saette di fuoco.* — Sales, *Trattato dell'amor di Dio.*

est primus accubitus, sed omnes sedent in honore pares; nulla nulli datur præferentia, neque ipsi Deo.

965. Q. 2. *Quandonam obligat præceptum charitatis in Deum?*

R. Charitas obligat aliquando per se, aliquando per accidens.

Obligat *per accidens*: — 1) si adest periculum labendi in mortale nisi actus charitatis eliciatur, vel aliter superari nequeat tentatio gravis; qui tenetur ad finem, obligatur etiam ad media necessaria; — 2) cum urget præceptum contritionis, ut si necesse sit celebrare sacerdoti, qui sibi conscius est peccati gravis nec adsit confessarius; nam in actu perfectæ contritionis includitur charitas.

Obligat vero *per se* : — 1) quando homo adeptus est sufficientem cognitionem Dei infinite boni, a quo omnia bona sua habet et cui omnia debet; ratio quia cum teneatur Deo ex filiali amore tota vita servire, id non videtur posse fieri nisi eliciat actum amoris; — 2) in mortis articulo, cum urgeat tempus, quo se homo Deo unire debet, et recta ad illum via eligenda sit; — 3) sæpius in vita: id enim vel ipsa divina bonitas exigit; id ipse Deus præcepit, ut nempe mandatum hoc omnes nos habeamus *in corde, ac omni loco meditemur* [1]. Hac de re notanda est duplex hæc propositio sub nn. 6 et 7 ab Innocentio XI damnata: 1ª *probabile est ne singulis quidem rigore quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum;* 2ª *tunc solum obligat quando tenemur justificari et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.* Verum *quoties in vita elicienda charitas*, non una est sententia: alii censent cum Salmanticensibus sub gravi eliciendam semel in anno; alii semel in hebdomada seu in festo, cum Gabrile.

Nobis tamen magis arridet sententia Cardenas, qui docet a mortali eum excusari difficulter posse, qui actum charitatis differt ultra mensem: quam sententiam uti valde salutarem omnino putamus suadendam; cum revera difficulter possit homo diu christiane vivere, divina mandata servando, nisi dilectionem erga Deum foveat frequenter et nutriat; nutrire autem et fovere non poterit, nisi per actus charitatis. Notat tamen Croix esse veros actus amoris omnia opera meritoria exercita ad finem placendi Deo, uti est eleemosyna. Item sufficere, si tales actus in ordine ad alia implenda præcepta eliciantur, ut ad confitendum; cum exercite impleatur præceptum, etsi ad illud non advertatur [2]. Imo quoties in Dominica Oratione ex corde illa proferuntur verba *sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua*, actus perfectæ charitatis satis eliciuntur. Ideo fide-

1 Deut. VI. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 23.
2 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 8; et *Homo Apost.*, tract. IV, n. 13.

les timorati anxii esse nullimode debent quoad hujus præcep satisfactionem.

Aliter est, si sola attritio emitteretur in Pœnitentiæ susceptione, quia attritio non fit principaliter ex amore Dei, sed sui; et proinde in ea deest motivum principale charitatis.

Art II. — *De charitate erga seipsum et proximum, ac de inimicorum dilectione.*

966. Q. 1. *An homo seipsum charitate diligere debeat?*

R. Homo debet se diligere ex charitate, adeo ut peccet contra charitatem erga se ipsum qui salutem suam spiritualem vel etiam temporalem, sine causa, negligit [1]. Et sane amor charitatis fundatur in communicatione beatitudinis: unde illi sunt charitate diligendi, quibus beatitudinem volumus, atqui homo necessario debet velle sibi beatitudinem: ergo necessario debet se amore charitatis diligere [2]. Qui amor, quo quis se diligit, est fortior amore, quo diligit proximum; quia amor sui non importat tantummodo unionem, sed ipsam unitatem. Qui tamen ut rectus sit, debet esse secundum naturam rationalem, qua homo sibi velit ea bona quæ pertinent ad perfectionem rationis; non vero secundum naturam sensibilem et corruptam, quo quidem amore se prosequi, non proprie amor est, sed odium juxta illud Psalmistæ: *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* [3].

Homo debet etiam ex charitate diligere corpus suum; est enim sui pars: et licet corpus nostrum non sit capax æternæ beatitudinis Deum cognoscendo et amando; est tamen capax beatitudinis participatæ, quæ ex anima gloriosa in ipsum redundat. *Perfezionare la mente e la volontà è ciò che sommamente importa; ma l'uomo non è puro spirito; l'essere suo è un essere composto, epperò la perfezione dell'essere è la perfezione del composto: conservarlo, giacchè può perire, ordinarlo, abilitarlo alla esecuzione di ciò che dalla mente, dalla volontà fu disposto, ecco due punti di non poca importanza* [5]. Unde quando Sancti dicuntur odisse corpus suum, id non accipiendum secundum naturam, quæ bona est; sed secundum corruptionem ejus, quæ aggravat animam, et infectionem concupiscentiæ, quæ inclinat ad peccatum. Hinc laudandi qui corpus suum prudenter affligunt ac macerant.

967. Q. 2. *An sit contra charitatem sibi mortem optare?*

R. Negative, si fiat ex desiderio æterne felicitatis; tunc charitas

[1] Ejusmodi tamen peccata vix accusare in Confessione solent, cum jam satis declarentur per ipsam culpam, quæ patratur; sic qui se inebriando saluti corporali nocet, satis est si peccatum ebrietatis aperiat. *Ballerini.*

[2] Matth. xx. D. Thomas, 2, 2, q. 25, a. 3.

[3] Ps. x. [4] Taparelli, *Saggio teoretico* ecc., n. 265.

est ordinata, cum sit *mori lucrum*. Hinc Apostolus desiderium habebat *dissolvi et esse cum Christo* [1].

Si vero id fiat ad vitandam vitam nimis duram ob infirmitatem, viri sævitiem, paupertatis, etc. negat Navarrus id licere; quia pusillanimitas est et deordinatio. Sed non improbabiliter affirmant Sanchez, Sotus et alii; et hoc recte admittit Viva, si quis vitam experiatur morte amariorem ex illo Scripturæ: *Melior est mors quam vita amara:* sic Elias *petivit animæ suæ, ut moreretur*, ad vitandas Jezabelis insidias [2]. Unde Trullenchus excusat fœminam, quæ sibi vel alicui mortem optat ad vitandam gravem infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam, etc., vel alia similia mala, v. g., a marito infligenda. Non ideo tamen liceret super his votum emittere, ut esset si quæ mater voveret aliquid, si filius ejus continuo ægrotus moriatur; non enim res est de bono meliori, et forsan neque de re bona. Mulierculas tamen ob minimas molestias mortem optantes Diana mortalis damnat; nisi, ut plerunque fit, illas excuset defectus advertentiæ et deliberationis: quod quidem non est improbabile, cum Potestate *(N)*.

968. Q. 3. *An adsit præceptum diligendi proximum?*

R. 1: Nomine *proximi* hic intelliguntur illi omnes, qui sunt capaces beatitudinis supernaturalis, vel ea jam fruuntur. Unde veniunt angeli, beati, animæ purgantes et maxime homines viatores sive justi sint sive non, sive fideles sive infideles, sive amici sive inimici. Isti enim omnes non solum sunt creaturæ Dei, quas propter ipsum amare debemus; sed speciali benevolentiæ amore a Deo vocantur sicut et nos, *in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri* [3]: ideo amandi sunt amore benevolentiæ tendentis ad unionem, quæ intercedere debet inter fratres et cohæredes. Diximus: *qui sunt capaces beatitudinis supernaturalis:* hinc damnatos hoc amore diligere non possumus; esset enim contra Dei justitiam, qui cum illis benevolus in æternum non erit.

R. 2: Quod sit speciale ac grave præceptum proximum diligendi, constat ex ss. Literis: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum; mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicuti dilexi vos* [4]. Unde alios amare debemus tum interno tum externo benevolentiæ amore; nemo enim est, qui hoc ipso amore non se diligat. Attamen illud *sicut* non pro omnimoda æqualitate sumendum est, sed pro sola similitudine; etenim norma est, non identitas.

[1] Philip. I.
[2] Eccl. XX; III, Reg. XIX. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 30; l. V, n. 22.
[3] I, Corinth. I.
[4] Matth. XXII; et Joann. XIII. Peccatores autem et inimici non diliguntur qua peccatores, qua inimici, sed qua homines.

Ac 1) *amore interno;* secus non esset amor, sed fictio amoris. Hinc d. Petrus: *ex corde invicem diligite* [1], Item constat ex propositionibus, quas Innocentius XI sub nn. 10 et 11 damnavit: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali; præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* — 2) *Amore externo;* nam genuinum amorem opera probant: hinc illud: *filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate* [2].

Qui tamen christiane vivit, ille sufficienter satisfacit huic præcepto; etenim generatim ad id satis est oratio, quæ pro omnibus fit recitando Dominicam Orationem, in qua et internum et externum actum habes. Diximus *generatim* [3]; nam aliquando requiritur actus specialis ac determinatus, uti v. g., si odium in proximum nequeat repelli, quin actus specialis eliciatur amoris; qui enim tenetur ad finem, obligatur etiam ad media. Item est, si proximus sit in gravi constitutus necessitate hic et nunc; tunc ipsi determinate succurrendum est.

969. Q. 4. *Quidnam requiritur ut nostra charitas erga proximum legitima sit?*

R. Ut charitas nostra erga proximum sit legitima oportet: .

1. Ut sit *sancta* tum ex suo fine, tum ex suo motivo; proximus enim diligendus est propter Deum: quod est ipsum amare in ordine ad Deum, vel quia proximus jam est in Deo, vel ut sit in Deo et cum Deo: *Si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet,* inquit Gregorius M. [4].

2. Ut sit *justa* ex suo objecto; scilicet oportet ut nemo *condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis,* ait d. Thomas; secus esset potius illum odisse.

3. Ut sit *vera* ex suo principio, nempe ut nemo *diligat proximum propter propriam utilitatem vel delectationem*, v. g., quia sibi benevolus, affabilis, lepidus, consanguineus, sympatichus; nam tunc esset amare et quærere seipsum, non proximum; cum tamen charitas vera non quærat quæ sua sunt. Sed *ea ratione* (ex Angelico amare debet), *quod velit proximo bonum sicut vult bonum sibi ipsi* [5].

Est autem generalis hujus præcepti regula pro parte affirmativa, ut faciamus aliis quæ nobis fieri volumus: pro parte negativa, ut nemini faciamus quæ nolumus fieri nobis.

970. Q. 5. *An adsit præceptum diligendi inimicos?*

R. Certum est, gravem adesse obligationem inimicos, id est eos qui nos vel nostros oderunt, vel aliqua injuria afficerunt, vero af-

[1] 1, Petr. 1. [2] 1, Joann. III.
[3] D. Tomas, 2, 2, q. 25, a. 8. [4] Hom. XXXVIII. [5] 2, 2, q. 44, a. 7.

fectu diligendi. Legitur enim in Evangelio: *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* [1]. Hinc Augustinus: *Dominus in Evangelio ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, sed præceptum.* Et sane: inimici sunt adhuc proximi nostri et beatitudinis æternæ capaces: ergo sunt diligendi. Hac de re tria habemus: *præceptum* in citatis verbis; *exemplum* quod nobis dedit Christus; *remunerationem*, si enim proximo remittimus, et Deus remittet nobis [2].

Quod præceptum quatenus negativum obligat semper et pro semper, ita ut nunquam liceat odio prosequi inimicum. Quatenus affirmativum obligat ad positivam benevolentiam et externam beneficentiam pro ratione necessitatis, in qua versatur inimicus. Hæc omnia importat divinum præceptum: *diligite, benefacite, orate.*

971. Q. 6. *Qui ordo servandus in reconciliatione inimicorum?*

R. Si ex una tantum parte interfuerunt offensiones, tunc qui alterum signo, verbo vel facto exterius offendit, tenetur remissionem offensæ exterius petere per se vel per alium, et resarcire damna inde secuta; nam quo modo charitas destructa est, eodem reparari debet. Excipe nisi legitime excusetur, ut si offensio non fuit gravis, vel offensor longe superior sit, vel offensus veniæ petitionem non curet, vel alia ratione censeatur satisfactus. — Si vero injuriæ ex utraque parte fuerint moraliter æquales et simultaneæ, uterque inimicus tenetur, data occasione, reconciliationem inchoare per salutationem, colloquium, invitationem, etc. Unde ait Ferraris: *Generaliter loquendo inter æquales is debet prius salutare et alloqui, qui coram alio stante vel sedente transit, vel de novo accedit* [3]. Si tandem inter duos offensores, unus alio gravior vel prior offendit, ipse tenetur priora reconciliationis signa alteri exhibere, quin tamen alter dispensetur a communia signa dando. Ceterum hac de re circumstantiæ spectandæ sunt.

972. Q. 7. *Quænam dilectionis signa, inimicis debentur?*

R. Signa dilectionis alia sunt communia et alia specialia. *Communia*, quæ communiter omnibus ejusdem conditionis ad invicem exhibentur, seu quæ christiano a quovis christiano, concivi a concive, parenti a parente, pauperi a divite, superiori a subdito et vicissim præstari solent, uti sunt communes orationes, eleemosynæ communes, etc. *Specialia*, quæ exhibentur particulariter aliquibus personis ratione cujusdam conditionis seu amicitiæ aut familiari-

[1] Matth. v. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, nn. 28 et seqq. [2] Matth. VI.
[3] *Bibliotheca canonica* etc. V. *Virtus*, n. 2. — *Ma più volte non riesce che per la mediazione d'alcuni amici, che molto possono sul loro animo.* Gousset.

tatis, quæ quidem non est ad omnes ejusdem alioquin conditionis: tale est ad amicorum convivium invitare, conversationis causa hospitio recipere, si ægroti sint, eos visitare, si mesti sint, consolari, etc. Hoc posito:

Dicimus 1: *Communia* dilectionis signa inimicis nostris præbere debemus ex præcepto; ista enim negare esset vindicare injuriam, quod privato nunquam licet. Hinc peccaret qui inimicum excluderet a responsione, si interroget, a communi oratione, a communi eleemosyna, ab expositarum mercium venditione, etc.; nisi rationabilis causa aliud suadeat. Esset: *a)* quando agitur de justa punitione et correctione filii vel subditi, qui gravem patri vel superiori suo injuriam tulerit, ut fecit David respectu Absalom, cui etiam, remissa offensa, non concessit videre faciem suam[1]; *b)* quando inimicus signis illis, etsi communibus, certo abusurus sit ad novam injuriam; *c)* quando ex denegatione talium signorum speretur aliquo modo emendatio inimici. Item pater et mater aspectum occisoris proprii filii vitare possunt, non ex odio; sed ne illius præsentia nimium excitet horrorem: caveant tamen, ne id fiat ex passione.

Dicimus 2: Signa *specialia* dilectionis non debentur inimicis generatim; quia eorum omissio non est signum neque odii, neque vindictæ, cum nec alios ita specialiter diligere debeamus. Diximus *generatim;* nam excipe 1) si eorum omissio esset scandalosa, ut si inimici essent superiores, vel jam prius ipsis talia signa exhiberentur; 2) si per aliquod dilectionis signum posses sine tuo gravi incommodo inimicos et Deo reconciliare et tibi. Ad hoc namque impelleret charitas secundum illud: *noli vinci a malo, sed vince in bono malum*[2].

973. Q. 8. *An teneamur illum, qui nos offendit, primi salutare, si coram ipso transeamus? et si veniam petat, statim veniam dare?*

R. Ad 1: Regulariter non tenemur primi inimicum salutare; quia hæc omissio non est signum odii; neque enim solemus salutare omnes. Excipe: 1) si revera eum jam salutare in more habebamus, ut patet; 2) si aliter agendo scandalum sit oriturum, ut siquis complures sibi occurrentes salutet, excepto inimico, qui est in eorum societate: hæc circumstantia satis dat intelligere illius animum; 3) si offensor sit superior, cui ex sua qualitate talis honor jam suapte debetur; 4) si sine magno incommodo possimus cum tali salutatione ab odio eum revocare; id suaderet charitas.

Tenemur tamen inimico, qui nos salutat primo, salutationem restituere; hæc omissio clare ostenderet nos illum contemnere, et

[1] II, Reg. XIV. [2] Rom. XII.

velle in hostilitate perseverare. Excipe Prælatum, Patrem, Judicem et Superiores ejusmodi, qui salutationem inferiori minime restituentes non videntur peccare, modo id non agant ex affectione odii aut vindictæ; sed ut gravitas illatæ injuriæ percipiatur.

R. Ad 2: Tenemur inimico veniam petenti elargiri; nam hæc omisio esset aperta declaratio vindictæ et occasio scandali: et *si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* [1]. Verum, modo longa non trahatur mora (dicente Apostolo [2]: *sol non occidat super iracundiam vestram)*, docent communiter, nos ad id non teneri statim, nempe illo temporis puncto, quo injuria illata est; quia id videtur res violenta et supra fragilitatem humanam. Unde poterit expectari tempus opportunum, et interea deponatur odium [3].

974. Q. 9. *An liceat de inimico vindictam suscipere?*

R. Si sermo est de vindicta privata, quæ fit auctoritate privata, eam nunquam licet suscipere de iniquo, dicente Domino: *mihi vindicta, et ergo retribuam.* Et Apostolus: *videte ne quis malum pro malo alicui reddat* [4]. Si vero sermo est de vindicta publica ac gravi, an eam quis sine livore vindictæ possit suo inimico optare et urgere, ut ipse a judice puniatur, affirmant Salmanticenses; refertur enim ad bonum commune, ut justitia habeat locum. *Verum*, ait s. Alphonsus, *in praxi ego nunquam ausus sum absolvere aliquem istorum* [5]; nam utrum isti sint omnis vindictæ labe defæcati, non satis video; facillimum est, enim ut eorum erga justitiam amor sit coloratus prætextus ad tegendam propriæ vindictæ cupiditatem. Excipe nisi manifesto id conduceret ad emendationem peccantis, ad illum cohibendum in futurum, aut ad exemplum aliorum hujus furfuris.

Item recte dicunt bene posse absolvi offensum, qui paratus est quidem non accusare offensorem, jus suum prosequendo apud judicem; sed juste prætenderet prius sibi satisfieri de damnis passis, modo offensor non esset impar satisfaciendo. Vel sub conditione, ut offensor in longinquam regionem proficisceretur, aut quia habet fratres vel filios, qui facile iracundia abripiuntur, aut quia offensor est ita ad rixas proclivus, ut juste timeret suam expertus imbecillitatem, ne perlaturus esset ejus insolentias *(O)*.

[1] Matth. VI. [2] Eph. IV.

[3] Hoc sensu Augustinus *(Serm. de verb. Dei)* explicat etiam illud Christi (Matth. V): *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo.* Id nempe præstandum est juxta naturam præcepti affirmativi, quando scilicet ratio prudentiæ, locus et tempus id permittunt; alioquin animi præparatione et cordis affectu hæc præstare sufficit. Ceterum adverte hic agi de eo, quem tu offendisti; nam si ipse te offendit, jam non frater tuus habet aliquid adversum te, sed tu adversum illum, sicque non teneris veniam postulare, sed tantum vere dimittere.

[4] Rom. XII; et I, Tess. V.

[5] *V. Homo Apost.*, tract. IV, n. 17; *Op. Mor.*, l. II, n. 29.

975. Q. 10. *An liceat optare inimico malum?*

R. Licet aliquando optare inimico malum aliquod temporaneum, quatenus illi bonum est, vel ob bonum alterius spirituale, vel ob bonum commune Regni aut Ecclesiæ. Sic licet mortem optare hæresiarchæ vel publicæ pacis perturbatori juxta illud : *utinam abscindantur qui nos conturbant* [1] ! Item licet tristari quod dignitates conferantur indignis; item ægestatem, morbum aut mortem alicujus desiderare, ut cesset a peccatis, a vexationibus, etc. Id enim nihil aliud est, quam bonum spirituale præferre temporali, et bonum commune bono privato. Salmanticenses admittunt etiam licitum esse patri optare mortem filii, si timeat ex ejus flagitiis familiam dehonestandam; nam ait Angelicus in re simili, *malum optatur non in quantum est malum illius, sed in quantum est impeditivum malorum alterius* [2]; quæ porro mala hic præponderare contendunt.

Quidquid sit, non licere (ut contra Azorium recte docet Roncaglia) matri optare mortem filiæ, si ob inopiam vel deformitatem nequit nubere, vel si inde mater a viro male tractetur; quia malum matris non præponderat malo filiæ optato. Ceterum (addit Ballerini) etiam ad proprias graves molestias vitandas matri profecto licebit, sin minus morte aut mariti aut filiæ optare, saltem desiderare et a Deo quoque petere, ut quomodocunque ei placeat, semet ab illis angustiis eripiat.

Præstat hic tres propositiones referre ab Innocentio XI, sub nn. 13, 14 et 15 damnatas: 1ª *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* — 2ª *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* — 3ª *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ab hæreditate consecutas.* Quæ propositiones merito proscriptæ sunt, quia vitæ proximi indiscriminatim nostrum temporale bonum præferunt; quod est contra ordinem charitatis. Non tamen damnandus qui gauderet de effectu, v. g. de hæreditate obtenta ex morte alterius, modo non gaudeat de causa seu de morte ipsa; licet materia sit periculosa [3].

Art. III. — *De charitatis officiis in proximum.*

976. Q. *Quid de charitatis officiis in proximum?*

R. Ipsa lege charitatis tenemur non solum optare, ut proximus bene sit, sed etiam curare quantum in nobis est, ut semper bene

[1] Gal. v. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 30.
[2] In 3 sent. d. 3, q. 1. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 30; et l. V, n. 21.
[3] *V.* Lib. I quæ disputavimus n. 752. — Liguori, *Opus Mor.*, l. V, n. 21.

se habeat: cum enim diligere eum teneamur uti nos ipsos, non sufficit eum amare affectu, sed effectu insuper amandus est, ut sic *diligamus opere et veritate* [1]: unde tot erunt charitatis officia in proximum, quot erunt ejusdem indigentiæ. Ex his *misericordia* enascitur, virtus nempe, quæ nos ex compassione inclinat ad alienæ miseriæ subveniendum: cui quidem per excessum opponitur *cordis mollities*, per defectum vero *durities (P)*.

Opera Misericordiæ magis vulgata, ad quæ cetera reducuntur, sunt septem spiritualia et septem corporalia. *Corporalia* sunt: visitare infirmos, potare sitientes, pascere esurientes, redimere captivos, vestire nudos, colligere hospites et sepelire mortuos. *Spiritualia* sunt: pro nostro posse consolari dubitanti, corrigere peccantem, docere ignorantem, consulere afflictum, remittere offendenti, ferre onerosos et graves, orare pro omnibus. — Hinc versus:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

§ I. — *De eleemosyna.*

977. Q. 1. *Quid est eleemosyna, et an præcepta?*

R. Ad 1: Eleemosyna est actus misericordiæ, quo proximi necessitati subvenimur; eam autem sic definivit Angelicus: *opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum* [2]. Dicitur: 1) opus, quia eleemosyna a nobis hic sumitur non pro ipsa re materiali, quæ datur, bene vero pro ipso actu; 2) *quo datur aliquid indigenti:* quæ enim dantur non indigentibus, pertinent ad liberalitatem; 3) *ex compassione*, quia est actio misericordiæ; 4) *propter Deum:* quod additur, nam si eleemosyna procedit non solum ex commiseratione proximi, sed etiam ex imperio charitatis Dei, meritum habet æternæ vitæ.

R. Ad 2: Speciale ac strictum præceptum dandi eleemosynam habetur in Scripturis: *Ite, maledicti, in ignem æternum; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi et non dedistis mihi bibere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Judicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam* [3].

1 1, Joann. III. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 25.
2 2, 2, q. 32, a. 1. — *V.* Sperelli, *Preziosità dell'elemosina.* — Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 31. — Ferraris; V. *Eleemosyna.* Est autem a græca voce *eleos*, id est miseratio.
3 Matth. XXV; Joann. III; Jac. II. — *V.* Pellico, *Dei doveri degli uomini*, c. XXV. — Scotti, *Teoremi*, p. 3ª, t. VI. — Martinet, *Filosofia del Catechismo cattolico*, l. III, § 5.

Ratio: lex charitatis obligat ad amandum proximum *sicut nos ipsos;* sed hoc nullo pacto evenire potest, si proximo indigenti non opitulamur in eo quo possumus.

978. Eleemosyna si facta sit in statu gratiæ et debitis suffulta conditionibus habet, ut sit satisfactoria, impetratoria et meritoria juxta illud Tobiæ: *eleemosyna... ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam* [1].

Debitæ autem eleemosynæ conditiones sunt, ea sit: 1. Justa, id est ut fiat de rebus propriis: *honora Dominum de tua substantia* [2].

2. Prudens, ut nempe fiat vere pauperi, non otioso ac valido, *quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Unde in Psalmo legitur: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* [3].

3. Velox seu prompta, ut sit opportuna. Hinc illud: *Ne dicas amico tuo, vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare* [4].

4. Secreta et humilis: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt... amen dico vobis, receperunt mercedem suam* [5]. Sed aliquando fiat palam ad aliorum exemplum.

5. Hilaris, id est facta libenter: *Non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus* [6].

6. Ordinata, ut nempe præferat qui præferendi sunt juxta illud: *ordinavit in me charitatem* [7].

7. Generalis, ut se extendat ad omnes, etiam inimicos, infideles, et peccatores juxta illud: *omni petenti te tribue: si esurierit inimicus tuus, ciba illum* [8]. Excipe eos, quibus vitam arripere licet, ut sunt hostes reipublicæ. — Hinc versus:

Justa sit et prudens, veloxque, secreta libensque
Ordine procedens, omnibus auxilians.

979. Q. 2. *Quid de illis, quorum paupertas voluntaria est?*

R. Vel hæc voluntas, qua paupertas contrahitur, rationalis est, et Deo grata, uti contingere solet in religiosis; vel etiam nunc voluntas illa est culpabilis et Deo odiosa, uti contingit in pauperibus otiosis et vagabundis. Si 1, licita, imo laudabilis et apud Deum meritoria est eleemosyna iisdem facta; cum vere sit indigentibus tribuere, nullique peccato cooperari: hæc enim paupertas laudata est ab Ecclesia in religiosis Ordinibus, et habet sectatores Sanctos bene multos, Apostolos, imo ipsum Christum [9]. Idem dicendum, si paupertas fuerit quidem olim irrationabilis, hodie tamen non amplius sit culpabilis, nec aliter quam eleemosyna possit ipsi provideri. Si 2, valet illud Apostoli: *si quis non vult operari, nec manducet;* esset enim pigritiem fovere [10].

1 Cap. III. 2 Prov. III. 3 II, Tess. III; et Ps. XL.
4 Prov. III. 5 Matth. VI. 6 II, Corinth. IX.
7 Cant. II. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 33.
8 Luc. II; Rom. XIII. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. IV, n. 19.
9 De *questua* religiosorum vide Lib. I, n, 667.
10 II, Tim. II. Quoad mendicos et otiosos vide *Cod. pœn.*, 435, 442 et seqq.; et Lex CIV. 20 martii 1865.

980. Q. 3. *Ex quibusnam bonis nostris eleemosyna fieri debet?*

R. Ut quæstio rite solvatur, advertendum est:

1. Necessitatem distingui in *extremam*, et est periculum amittendæ vitæ, nisi ei occurratur; in *gravem*, et est periculum in gravem morbum incidendi, vel incurrendi carcerem, infamiam, etc.; in *communem*, et est illa, qua quis difficulter vivit; vivit tamen, ut pauper ostiatim mendicans. Ad hanc ultimam classem reducuntur pauperes triviales, etsi ex nuditate, morbo, etc. videantur ostendere extremæ necessitatis signa; quia fere ad movendos spectatores ista necessitas exaggeratur.

2. Triplicis generis distingui bona: *a)* alia sunt *necessaria naturæ* seu *vitæ*, sine quibus vita nostra conservari non potest nec aliorum, quorum cura nobis incumbit; *b)* alia sunt *necessaria statui*, sine quibus non potest aliquis decenter vivere secundum conditionem sui status præsentis. Huc referuntur quæ juxta æstimationem prudentum necessaria sunt ad hospites sustentandos, ad moderata cum amicis convivia, ad famulos alendos, et aliis casibus ordinarie occurrendum: qua tamen in re caute procedendum; *nam si inania quæremus, nihil sufficit* [1]. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 12 propositio: *Vix in sæcularibus invenies etiam regibus superfluum statui, et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam; quando tenetur tantum ex superfluo status; c)* alia tandem sunt superflua, quæ scilicet non solum necessaria non sunt ad vitam conservandam, sed neque ad conservationem decentiæ status. Ubi notant cum Diana, Maldero, Navarro et Vasquez, quod moderatus ascensus ad meliorem fortunam, ad convenientiam status revocandus est. Hoc autem posito:

Dicimus 1: Eleemosyna non est facienda ex bonis necessariis naturæ, seu vitæ; nam ex lege ipsa naturali quisque potest, imo ordinarie debet, suam suorumque vitam vitæ alienæ præferre. Excipe nisi pauper sit talis, a quo salus publica pendeat; quia tunc bonum commune esset præferendum bono privato.

2: Ex bonis necessariis decentiæ status nostri tenemur eleemosynam facere, quando proximus est in *indigentia extrema;* charitas enim bene ordinata exigit, ut vitam proximi præferamus decentiæ status nostri, atque ut ad eam servandam patiamur aliquod detrimentum in nostro etiam gradu. Utrum autem teneamur cum gravi ipsius status jactura pauperem levare in extremis, aliqui affirmant, quia semper præponderat vita proximi. Sed alii negant, tum quia

1 S. Augustinus, *In Ps.* CXLVII. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 31.

majus detrimentum videtur divitem excidere a proprio statu, quam unum vel alterum pauperem deficere; tum maxime quia hic adest tantum præceptum charitatis, quæ ex communi non obligat cum gravi incommodo [1]. Si tamen extreme indigens bona alibi habeat vel sit habiturus, dives satisfacit dando mutuum; quia ille tunc non esset absolute pauper.

3: Tenemur eleemosynam facere ex bonis vitæ simul et statui nostro superfluis, quando proximus est in *indigentia gravi*, si non sit qui subveniat. Sane in Scriptura frequenter damnantur homines ob neglecta opera misericordiæ: *esurivi et non dedistis mihi manducare: sitivi et non dedistis mihi bibere* [2]. Ad quid verba tam gravia, si eorum sensus referatur ad solam indigentiam extremam, quæ rara omnino? Revera ss. Patres hoc præceptum semper intellexerunt de indigentia gravi. Appellamus Ambrosium: *Grandis culpa*, inquit, *si sciente te, fidelis egeat; si scias eum sine sumptu esse, famem tolerare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat.... et non adjuves* [3]. Suadet ipsa indoles charitatis, quæ præcipit amare proximum *sicut se ipsum:* nemo vero putat amari proximun *sicut se ipsum* ab illo, qui videns eundem versari in indigentia gravi, subvenire recusat de bonis, quibus sine gravi suo incommodo privari potest, ut sunt superflua vitæ simul et statui.

4: An autem teneamur sub gravi dare eleemosynas ex superfluis status in *indigentia communi*, negant plures cum s. Antonino; cum enim pauperum communis miseria soleat esse levis et tolerabilis, non videtur culpa gravis auxilium eis denegare. Sed communior sententia cui adhæremus, affirmat cum Viva, Cajetano ex d. Thoma [4]; nam præceptum eleemosynæ est in se grave, et præcipue respicit necessitatem communem, cum casus necessitatis raro eveniat. Ceterum pro praxi, etsi in malo statu versetur dives qui mendicos a se inhumaniter expellit; confessarius tamen non facile tali diviti absolutionem negare debet, cum de hac obligatione qualis sit Doctores non consentiant: hæc Layman.

[1] Recte observat Stuardi, statum uniuscujusque non consistere in indivisibili: et vix concipi posse, ut dives debeat e suo statu excedere, ut hominem sublevet in extremis; cum natura paucis contenta sit, et modico indigens sublevetur. Hic etiam notamus, hanc obligationem maxime urgere ecclesiasticos, ac specialiter Parochos, qui sunt patres pauperum, ac patrimonia pauperum possident. Præstat autem ut etiam verbis egenos adjuvent, eos hortando ad patienter sustinendam propriam conditionem meritis plenam.

[2] Matth. xv. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 32; l. III, n. 520.

[3] *De Off.*, l. I, c. 30. Quæ quidem probare videntur etiam cum aliquo status detrimento subveniendum esse pauperi graviter egenti. Nonne charitas bene ordinata præcipit, ut cum parvo nostro incommodo magnum incommodum alterius impediamus?

[4] 2, 2, q. 32, a. 5. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 32.

An (quæres) *dives teneatur omnia superflua in pauperes erogare ?*

R. Negative; sed id morali, et humano modo accipiendum est, ita ut dives teneatur pauperibus subvenire quantum satis sit pro consulendo ordinariis eorum indigentiis, posito quod alii divites idem faciant; hoc enim præceptum non obligat in solidum singulos, sed in communi omnes divites pro sua parte. Hinc communius putant, divites muneri suo satisfacere erogando in pauperes communes partem quinquagesimam suorum redituum, qui supersunt: seu duo in centum, ut multi dicunt cum Mazzotta Roncaglia, Viva, etc.: et si reditus sint pinguiores, admittunt minus quinquagesima parte. Notamus autem cum card. Gousset: *Il precetto della limosina obbliga principalmente nelle calamità pubbliche, allorchè, p. es., la carestia si fa sentire, o che il paese è devastato da inondazioni, dalla guerra o da altri flagelli. Può accadere, che allora siasi obbligato d'impiegare a sollievo dei tapini, non solo i beni superflui al proprio stato, ma anche una parte dei beni necessari per conservarlo intatto.*

An qui præceptum eleemosynæ per longum tempus omisit, summam eleemosynis, quas omisit æquivalentem dare teneatur si possit ?

Certum est hanc compensationem esse salutare remedium contra culpabilem omissionem. Sæpe hæc reparatio videtur necessaria ad tollendum scandalum per talem duritiem erga pauperes illatum. At non videmus quomodo diceretur etiam existere obligationem dandi summam æquivalentem, cum eleemosyna non debeatur ex justitia. Item notandum, non prohiberi, quod quis debito modo ex superfluis possit ad altiorem statum ascendere; id enim exigit ordo providentiæ, ne negligantur artes, industria præfocetur ac commercii prosperitas deficiat. Ne inde tamen luxus promoveatur damnosus.

981. Q. 4. *Quinam tenentur ad eleemosynam ?*

R. Generatim illi possunt et debent eleemosynam tribuere, qui bona possident, et eorum administratione potiuntur; nam de propriis illa facienda est, quia *Dominus odio habet rapinam in holocausto* [1]. Et valet, licet proximus sit in extremis, quo casu omnia bona sunt communia; nam etiam tunc si potuisses rem tuam elargiri, et alienam dedisti, teneris ad restitutionem. Quia præceptum eleemosynæ te obstringebat ad subveniendum proximo indigenti de tuis juxta illud Isaiæ: *frange esurienti panem tuum* [2].

Quid (dices) *de filiisfamilias, uxoribus, tutoribus ac servis?* Possunt filii et uxores erogare eleemosynas statui proportionatas in quibus certe parentum et maritorum consensus rationabiliter adesse præsumitur. Etiam *tutores* possunt facere eleemosynas, quales facere deberent illi, ad quos pertinent bona administrata; cum vices illorum gerant. Hoc tamen non currit de *servis*, quibus nullum competit jus in bona dominorum, si excipiantur modicæ eleemosynæ panis et similium, quas permittit usus ac domini præsumptus consensus.

[1] Is. LVIII. De pauperum cura, plura Lib. IV, *Append.* VII.
[2] Is. LVIII.

§ II. — *De correctione fraterna.*

982. Q. 1. *Quid est correctio fraterna, et an præcepta?*

R. Ad 1: Fraterna correctio seu correptio (quæ etiam dicitur *spiritualis misericordia)* ex d. Thoma definitur: *admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna charitate procedens* [1]. Differt tam a correctione judiciali, quia hæc fit auctoritate publica atque ad bonum commune; quam etiam a correctione paterna, quia hæc fit auctoritate superioris ad bonum privatum simul et publicum. Istæ porro competunt particularibus in suos directos: nostra competit omnibus, cum oriatur ex motivo charitatis, quæ omnes obligat.

R. Ad 2: Datur verum præceptum fraternæ correctionis et quidem sub gravi, si agatur de materia gravi, seu mortali peccato, quo proximus noster reus sit. Adeo ut graviter peccet qui ex futili motivo omittit tunc corripere proximum suum, ubi putat illum esse emendaturum.

Probatur 1: Ex *Jure naturali;* quia lex naturæ est, quæ nos obligat ad subveniendum proximo indigenti.

2. Ex *Jure divino-positivo*, quod legitur in Evangelio: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum* [2]. Dicitur *in te*, id est *contra te:* ubi sub injuriis nobis illatis etiam peccata in alios intelliguntur; alios enim habere debemus sicut nos ipsos. Christus tamen meminit solius peccati contra nos, ut vindictam frænaret, illique charitatem surrogaret, ex eaque correptionem, quasi diceret: si frater tuus quidpiam contra te commisit, noli id ex spiritu iræ publicare et vindicare; sed prius amanter et secrete eum corripe juxta illud etiam: *corripe proximum antequam commineris* [3]. Dicitur *frater tuus*, id est omnis fidelis aut christianus; licet enim etiam quandoque infideles corrigendi sint, cum hoc unicuique mandatum sit; Christus tamen hic meminit tantum fideles, cum in eo loco agat de potestate suæ Ecclesiæ in discolos puniendo; at Ecclesia nonnisi fideles subditos judicat et punit.

[1] In IV, dist. 19, q. 2.

[2] Matth. XVIII. — *V* Liguori, *Homo Apost.*, tract. II, n. 3.

[3] Eccli. X. Quæ obligatio (ut contra Sa et alios merito probabilius tenent Lessius, Suarez, Salmant., Tournely, etc.), urget, etiamsi in fratre non emendato absit periculum relapsus; quia frater in peccato constitutus jam gravem patitur necessitatem, a qua quisque tenetur, si potest, illum erigere.

Qui correctionem omittit, graviter lædit charitatem; non tamen illam virtutem, contra quam peccat frater a nobis non correctus; quia omissio correctionis non est neque causa neque occasio illam lædendi. Ideo sufficit confiteri correctionis omissionem, quin peccatum explicetur, in quo frater correctus non fuit.

3. Ex *humano Jure*, ubi legitur [1] : *Qui alios, cum potest, ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.* Neque sufficit semel facta correptio, sed debet iterari quandiu speretur fructus. Idque currit in sententia merito probabiliori, etsi absit periculum relapsus; nam frater in peccato constitutus jam gravem patitur necessitatem, a quo teneris, si potes illum eripere ex Christi præcepto.

Etiam culpa venialis potest esse materia correctionis fraternæ, cum et ipsa sit verum animæ malum, et quidem grave in se, licet non relate ad mortale. Sed peccata venialia satius est ut corrigantur a superioribus; nam venialia peccata nimis sunt frequentia, et ideo nullus foret correctioni finis, si essent corrigenda, reddereturque correctio nimis molesta, cum periculo pacem et concordiam turbandi. *Il peccato veniale non è materia necessaria della correzione fraterna; salvo che essa non sia una disposizione prossima al peccato mortale, o non tenda ad introdurre la rilassatezza della disciplina in una comunità religiosa, in un monastero o in un seminario.* Gousset.

Imo etiam peccata ignorantiæ sunt sub gravi corrigenda, si ignorantia est vincibilis, graviter culpabilis et speretur fructus, cum proximus sit in culpa. Si vero ignorantia est invincibilis, adhuc correctio fieri debet, sive speretur fructus sive non, si hæc ignorantia sit circa ea quæ sint necessaria necessitate medii, vel sint publici scandali, ne scilicet alii putent id licere quod in talibus non corrigitur. Si tandem invincibilis ignorantia sit circa alia, omittenda est si fructus desperetur ac inde majora timeantur mala; facienda autem est, si fructus speretur: nec tantum a superiore, sed etiam a quolibet privato, quia unicuique mandatum est de proximo suo [2].

983. Q. 2. *Quosnam obligat præceptum correctionis fraternæ?*

R. Præceptum correctionis fraternæ obligat omnes; omnes enim homines commembra sunt, et Deus *mandavit illis unicuique de proximo suo* [3]. Ergo tenentur etiam peccatores; nam correctio vim suam primario repetit ex vi ipsius monitionis. Etiam inferiores, qui tamen non nisi obsecrando corrigant juxta illud: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* [4]. Audiatur Angelicus: *Correctio fraterna quæ est actus charitatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personæ ad quam charitatem debet habere, si in ea aliquid corrigibile in-*

1 C. *qui alios de hær.* — *V.* Liguori, *Opus. Mor.*, l. II, n. 39.

2 Neque tantum si ignorantia sit contra Jus naturale atque divinum, sed probabilius et communius etiamsi sit contra legem humanam; sic enim exigit reverentia legis, quæ in nostro casu (ut supponitur) certe existit; ideoque quoad potest servanda. Hinc si videris comedentem carnes die veneris, ignorantia invincibili, teneris monere si fructum speras. Ceterum si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem putet, se non ita stricte obligatum vel minus idoneum ad corripiendum, videtur non corrigendo tantum peccare venialiter. V. *De Pœnitentia*, lib. III, De confessarii prudentia.

3 Eccli. XVII.

4 I, Tim. V. — *V.* Liguori, *Opus. Mor.*, l. II, nn. 27 et 40.

veniatur; sed quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantiis, ideo in correctione qua subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia et duritia, sed cum mansuetudine et reverentia corrigantur [1]. Neque ideo corripiens fit auctoritate superior, quia non corrigit ex auctoritate, sed ex charitate; charitas autem omnes amplectitur. Hinc filii tenentur, cum modestia tamen et industrie, admonere parentes, si speretur fructus, cum advertunt eos retinere aliena, blasphemias loqui, præcepta Ecclesiæ negligere, curam salutis non gerere, etc.

Quod præceptum strictius obligat superiores, cum isti teneantur subditorum bonum curare ex ipso proprio officio, vel ex stipendio quod exigunt: tales sunt qui curam gerunt aliorum in communitate, vel familia. Et ideo ipsi inquirere debent in vitam et mores subditorum suorum, ut eos corrigant, si delinquentes invenerint [2].

984. Q. 3. *Quandonam obligat et cessat præceptum correctionis?*

R. Ad 1: Correctio non semper statim fieri debet, sed tempore opportuno, ut sit profutura magis: *Actus virtutis*, ait Angelicus, *non quolibet modo fieri debet, sed observatis debitis circumstantiis, quæ requiruntur ad hoc, quod sit actus virtuosus, ut scilicet fiat ubi debet, quando debet et secundum quod debet* [3]. Hinc aliquando permittitur iteratio culpæ, ut delinquens correctus ferventius resipiscat.

R. Ad 2: Cessat generatim loquendo obligare præceptum grave correctionis fraternæ:

1. Si certo non constet de peccato fratris nostri (sed aliquis tantum rumor audiatur de illo), ne scilicet temere agamus, et proximo injuriam irrogemus, eum judicando, sine certo fundamento, criminosum: *charitas non cogitat malum* [4]. Ad solum autem superiorem pertinet inquirere in subditorum defectus.

2. Si timeatur magis exasperandus ille qui corrigendus est. Hinc illud [5]: *noli arguere derisorem*. Hinc etiam generatim requiritur, ut corrector sit immunis a peccato corrigendo; secus correctio derideretur.

3. Si sit alius æque vel magis idoneus, qui certo correcturus existimetur; nam tunc non adest vera et absoluta necessitas.

1 2, 2, q. 33, a. 2.
2 Quoad superiores plura Lib. I *De obligationibus*, nn. 456, 640 et seqq., ubi etiam de modo industrie corrigendi.
3 2, 2, q. 33, a. 4.
4 I, Cor. XIII. Melius tunc erit corripere in communi; vel corrigere his, vel similibus verbis: *Si forte, quod non credo, talem culpam commiseris, scias grave damnum inde obvenire communitati, tertiæ personæ, et etiam tibi ipsi: unde rogo, ut tibi consulas, et omne damnum velis avertere.*
5 Prov. IX. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 39; *Homo Apost.*, tract. IV, n. 21.

4. Si constet, delinquentem se jam emendasse; quia tunc fieret inutiliter correctio. Item est, si prævideatur illum brevi emendatum iri, etiamsi non corrigatur; cum enim ægre feratur a multis correctio, nonnisi in necessitate ipsa tentanda videtur.

5. Si correctio fieri nequeat sine incommodo gravi, ut si ideo timeatur grave damnum in bonis, in honore, etc.; nam cum gravi incommodo charitas non obligat. Excipe nisi quis, vel ratione officii teneatur corrigere, vel nisi proximus sit in extrema et involuntaria necessitate spirituali; ordo enim charitatis vult, ut spirituale alterius bonum nostro temporali bono præferatur.

6. Si non effulgeat spes emendationis; monet enim Sapiensi: *ubi auditus non est, non effundas sermonem* [1]. Quod hodie maxime evenit in tanta morum dissolutione, ac peccantium pertinacia; hinc illud *perversi difficile corriguntur* [2].

7. Item omittenda est in dubio an correctio sit nocitura, uti docent Antoine, Habert et Concina; quia dubius nonnisi imprudenter morali actioni manum admovet [3]. Excipe tamen cum Continuatore Tournely: 1) nisi corrigendus sit in mortis periculo, tunc tentandum si forte possit correptione eripi a damnatione; 2) nisi alii ex omissione in periculo sint perversionis, nempe non corripiendo v. g. hæretice prædicantem qui non credatur emendaturus, periculum sit ne populus seducatur.

985. Q. 4. *Quisnam ordo servandus est in correctione fraterna?*

R. Ille ordo generatim servandus est, quem Christus præscripsit, nempe ut fiat privatim: *corripe eum inter te, et ipsum solum.* Quod si non prosit, fiat coram testibus: *adhibe duos vel tres testes.* Quod si adhuc effectus non obtineatur, peccator denuntietur Ecclesiæ, id est deferatur ad superiorem: *dic Ecclesiæ* [4]. Hic ordo obligat sub gravi; cum agatur de proximi famæ consulendo; neque ab eo potest liberare superior, quia in lege charitatis fundatur. Diximus *generatim;* nam ab hoc ordine excipitur:

1. Si magis præstet prudenti superiori ut patri, quam aliis crimen innotescere, uti longe communius et probabilius dicunt; magis enim obtineretur finis principalis: *et tunc*, ait Angelicus, *non dicit Ecclesiæ, quia non ei sicut Prælato; sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi et emendam* [5].

[1] Eccli. XXXII, 6. [2] Eccle. I, 15.
[3] Si corrigendus credatur tantum pudore afficiendus, aut futurus in posterum minus amicus aut ad tempus exacerbandus, sed postea corrigendus, nec melior occasio expectari possit, corrigi debet; quia bonum speratum prævalet malo timendo. *Billuart.*
[4] Matth. XVIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, nn. 41 et seqq.; et l. IV, n. 242.
[5] Quodl. XI, a. 3. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 244, 245.

2. Si crimen sit publicum: tunc ex Angelico, *non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut melior fiat; sed etiam aliis, in quorum notitiam* (crimen) *devenit, ut non scandalizentur* [1]. Hinc illud: *Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant* [2].

3. Si vergat in damnum communitatis, sine certa spe damnum illud impediendi per correctionem privatam; nam si delinquens revera non emendaretur (quod ut plurimum timendum est), et ideo crimen referas ad Prælatum, reus facile suspicans talem denuntiationem, odium conservabit. Item est si grave damnum esset proximo obventurum ex omissione relationis ad superiorem; nam bonum innocentis bono delinquentis præferendum est.

4. Si proximus cessit juri suo, ut privatim moneatur, sicuti in more est penes quosdam regulares. Ita communius docent: *In arbitrio uniuscujusque est*, ait idem d. Thomas, *pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in damnum aliorum.*

Ex his deducitur, peccare tum qui subditi alicujus crimen jam perfecte emendatum referunt ad superiorem, ubi non adsit relabendi periculum; tum qui sine causa violant ordinem charitatis a Christo præscriptum. Imo et illi peccare videntur, qui ad mediatos superiores crimen deferunt, prætermisso immediato, qui posset per se corrigere; nam, quoad potest, famæ proximi est consulendum.

986. Tandem hæc notanda pro praxi cum Gury, et aliis theologis satis communiter:

1. Privati inter se raro ad correctionem tenentur, saltem sub gravi, nisi sint familiariter inter se conjuncti, quia raro omnes requisitæ conditiones inter illos reperiuntur. Rarius adhuc tenentur erga superiores propter ineptitudinem.

2. Plerumque suadet prudentia ut omittatur correctio erga eos, quorum ingenium est penitus ignotum; ne pejores fiant.

3. Scrupulosi ordinarie excusantur a fraterna correctione facienda: quia aut nimium defatigantur aut inepti sunt; scrupulis enim et anxietatibus perturbati necessaria discretione ad corrigendum carent, et ad causas excusantes attendere non valent.

4. Tenentur ex officio superiores invigilare in subditos et inquirere eorum peccata; non tamen multum de aliquo in particulari, absque dubio positivo, aut ratione speciali. Sed non facile admittere debent spontaneos accusatores, et multo minus fidem statim illis præbere, quia sæpe isti specie boni communis seipsos quærunt.

5. In communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis, etc., caute, atque industrie procedendum in hac re, ad evitandas divisiones, aversiones, discordias [3]. Et si agatur de maxima re (prius a confessario habito consilio, plerumque expedit, ut correctio fiat via denuntiationis ad superiorem uti patrem; nec possunt absolvi sodales

[1] 2, 2, q. 33, a. 7. [2] Tim. v.

[3] Quantæ sit utilitatis correctio pro clericis, et qua industria hæc agenda, eleganter exponit Opus, *Il seminarista diretto nell'adempimento de' suoi doveri della Congreg. dell'Arcang. s. Raffaele;* operetta di Nicolò Barabino. Genova.

aut covinctores denuntiare nolentes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Item de Jure naturali denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel illaturi sunt : ita communiter.

6. Sæpius correctio ideo non prospere succedit, quia deficit in modo, ut si fiat cum ira, asperitate, animi impetu, coram aliis, etc.: quo fit ut frater exacerbetur magis. Hac de re indolem delinquentis, correctionis tempus, modum aptiorem et similia scrutari necesse est: aliquando enim *per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis* [1]. Quidquid sit, correctio fraterna cum vera charitate etiam quoad modum facienda est, et ideo oportet ut sit *reverentialis* erga superiores, *benigna* inter æquales, *paterna* vero erga inferiores.

CAPUT SECUNDUM

DE ORDINE IN CHARITATE SERVANDO, ET VITIIS CHARITATI OPPOSITIS.

987. Q. 1. *An ordo in charitate servandus sit?*

R. Ordinem esse in charitate servandum indicant illa verba: *ordinavit in me charitatem* [2]. Idque docent unanimiter; cum enim objecta, quæ charitas complectitur, non sint æqualia inter se, non esset recta charitas, nisi ordinem in iis servaret. Unde Augustinus: *Ille autem juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator est; ipse autem est qui ordinatam dilectionem habet* [3]. Hic vero ordo totus in eo situs est, ut unicuique subjecto diligibili suum convenientem locum assignemus, habita nempe ratione tum bonorum, tum necessitatis, tum personarum.

1. Habenda est ratio *bonorum;* neque enim bona sunt omnia ejusdem præstantiæ. Hic etenim est eorum ordo, ut 1m locum teneant (et ideo ante omnia procuranda sint) bona spiritualia sive supernaturalia, nempe gloria et beatitudo æterna, gratia, virtutes et merita; in istorum enim comparatione totus mundus est nihil juxta illud: *Quid prodest hoomini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* [4]. 2m Locum teneant bona naturalia intrinseca, ut vita, sanitas, integritas membrorum; in his enim ipsa corporis vita fundatur. 3m Bona naturalia extrinseca, ut fama et honor; quibus ultimo loco addendæ divitiæ utpote inferioris ordinis; ex his enim omnibus maxime pendet vita nostra civilis. Item bonum commune præferendum est bono privato, quia bonum com-

1 Eccli. VII; vide supra n. 742, ubi de detractione impedienda.
2 Cant. I, — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, nn. 25 et seqq.
3 *De char.*, l. I, a 27.
4 Matth. XVI.

mune est bonum totius, et bonum privatum est bonum partis; atqui totum est sua parte majus.

2. Habenda est ratio *necessitatis*, quæ diversa esse potest sive spiritualis sive temporalis sit [1]. Triplex autem distinguitur: alia *extrema*, ut cum quis sine alterius auxilio se nequit liberare a periculo damnationis, vel a morte aut alio malo ferme æquali. *Gravis*, ut cum quis nisi adjuvetur ab alio, omnino difficillime effugere valet periculum animæ vel vitæ corporis, alteriusve gravis mali. *Communis* seu mediocris, in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate: in hac versantur, in ordine spirituali, ordinarii peccatores, qui si vellent aliquem conatum adhibere e pravo statu resurgerent. In ordine vero temporali in ea sunt generatim pauperes mendicantes, quibus vita pro eorum conditione non habetur ut nimis molesta.

3. Habenda est ratio *personarum;* nam diversorum dilectio mensuranda est secundum diversam rationem excellentiæ, dignitatis, necessitatis ac conjunctionis, quam personæ diligendæ præseferunt. Hoc posito:

988. Q. 2. *Quis ordo in charitate servandus est?*

R. Hac de re en regulæ præcipuæ, quæ veniunt pro praxi observandæ ex communi Theologorum doctrina:

Regula 1ª: In dilectione primatum jugiter obtinet Deus, quem magis diligere debemus quam nos et proximos nostros; Deus enim est primum principium et finis ultimus rerum omnium, quo nullum bonum perfectius ac præstantius excogitari potest; et ideo super omnes et super omnia jugiter diligendus. Post Deum, amore complacentiæ illi sunt diligendi, qui propius ad Deum accedunt, quippe proinde de illo magis participant, ac ei viciniores sunt, tum in ordine gratiæ, sic B. Virgo præferenda est omnibus Sanctis; tum in ordine naturæ, sic Angeli præferuntur hominibus; tum in ordine auctoritatis, sic superiores per se sunt præferendi ipsis privatis, et sibi invicem juxta gradum suum.

Regula 2ª: Quisque tenetur absolute loquendo seipsum magis quam proximum diligere quoad bona ejusdem ordinis juxta illud: *charitas bene ordinata incipit a semetipso;* nam nemo magis proximus est, quam ipse sibi; idque clarum est insuper ex omnium inclinatione naturali et invincibili. Atque ideo *primo* tenemur magis diligere animam nostram quam animam proximi; ac propterea nunquam licebit peccare nec graviter nec leviter, imo neque se directe pec-

[1] Ut quæstio, tota qua est, rite solvatur, nonnulla de eleemosyna jam disputata, repetenda esse censemus.

candi periculo exponere ad consulendum fratrum nostrorum saluti spirituali. Hinc sub n. 63 damnata est ab Innocentio XI hæc propositio: *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* Nota illud *directe,* id est voluntarie illud suscipere; indirecte enim licitum est se probabili seu proximo peccandi periculo exponere, si proximus versetur in extrema necessitate spirituali; id est non intendendo peccati occasionem, sed proximi subventionem, debitis tamen adhibitis præsidiis: esset, v. g., si infans certo sit moriturus sine Baptismo, si tu non accedas, licet tamen accedere non possis sine probabili animæ tuæ periculo. Ita contra paucos docent communiter Salmanticenses, Sanchez, Suarez, ex s. Basilio, et d. Thoma; ratio quia periculum hoc, quando adest gravis causa illud subeundi, non judicatur voluntarie suscipi. Quod si potes, et debes; nam ex una parte urget charitas, ex alia adhibita remedia, et necessitas impellens faciunt periculum ex proximo remotum.

Secundo tenemur regulariter vitam nostram præferre vitæ proximi: *Aliter non est jam diligere proximum sicut seipsum,* ait Augustinus, *sed plus quam seipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit* [1]. Diximus *regulariter;* nam privatus tenetur vitam exponere certo periculo pro republica, vel pro servanda vita personæ bono publico omnino necessariæ.

Regula 3ª: Si proximus sit in extrema *necessitate spirituali,* ei succurrendum est etiam cum periculo vitæ nostræ; quia vita æterna proximi bonum est excellentius vita nostra temporali. De hoc ss. Patres intelligunt illa verba: *Quoniam ille* (Christus) *animam suam* (nempe vitam suam) *pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere* [2]. Hoc tamen accipe si spes moraliter certa sit proximum salvandi; si nemo adsit qui possit id præstare; si gravius malum inde non timeatur, ut si vita illius qui illam exponit pro fratre, sit necessaria bono communi. — Si proximi necessitas sit *tem-*

[1] *De mend.*, c. 6. Utrum vero liceat privato vitam suam exponere pro vita alterius privati ex motivo virtutis christianæ, v. g., quia iste aptior est ad promovendam gloriam Dei, alii negant, quia tunc charitas non esset bene ordinata, et adhuc esset proximum diligere plusquam se ipsum in bono ejusdem generis. At affirmant communius cum Joanne Chrysostomo, qui etiam de vita corporali intelligit ea Scripturæ verba: *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Jo. xv); tunc non præfertur præcise vita proximi vitæ nostræ; sed præfertur vitæ nostræ bonum virtutis ex Angelico.

[2] 1, Jo. III. Hinc tu teneris infantem moriturum baptizare etiam cum vitæ tuæ temporalis damno, si alius non adsit, qui hoc faciat. Item si scias aliquem existentem in mortali interficiendum in somno vel nil cogitantem, teneris cum vitæ periculo illi subvenire, modo judices, te illi profuturum. Excipiunt si tali vitæ periculo se exponens, sit in culpa mortali, et dubitet de contritione; sed id non videtur probabile; nam qui voluntarie subit mortem ad alterum liberandum a damnatione æterna, præstat actum charitatis perfectissimæ, quæ certo cum affectu ad peccatum ullo modo consistere nequit. *Antoine.*

poralis, etsi vita proximi excellat omnibus divitiis, attamen notant Viva et Continuator Tournely cum Sylvio, quod neque in extrema necessitate pauperis, teneatur dives magnam pecuniam erogare; cum hæc sint media valde difficilia, et fere moraliter impossibilia.

Regula 4ª: Si proximus sit in *gravi necessitate* sive spirituali sive temperali nemo ei per se tenetur succurrere cum gravi incommodo; nam quando alter absolute potest a periculo se subtrahere, non videtur charitas nos obligare ad illi subveniendum cum tanta difficultate, cum tunc proximus vere dici nequeat in casu necessitatis. Diximus: 1) *per se;* nam teneretur etiam cum periculo vitæ, si quis ad id obligetur vel ratione officii, uti sunt animarum Pastores; vel ratione delicti, uti esset si quis hæresim docuisset; vel si necessitas illa gravis sit publica, quia necessitas gravis publica solet semper esse conjuncta cum extrema aliquorum privatorum [1]. Diximus: 2) *cum gravi incommodo;* nam quisque tenetur proximo, in gravi necessitate constituto, subvenire cum modico detrimento proprii status, ut res ipsa loquitur.

Regula 5ª: Si proximus versetur in *necessitate communi* sive spirituali sive temporali, est utique adjuvandus, quia id amor proximi exigit; sed per se loquendo non potest adesse nisi levis obligatio, nam proximus ipse sat facile a tali necessitate potest se liberare, neque est illi adeo molesta.

Regula 6ª: Si comparatio demum instituatur inter diversas personas, in pari necessitate debemus extraneis præferre consanguineos, aut alia ratione conjunctos; quia, dicente Angelico, *charitas ordinem naturæ non mutat; sed perficit* [2]. Nota: *in pari necessitate;* nam cum obligatio charitatis non sit, nisi ratione necessitatis, patet illam magis obligare, ubi major adest necessitas. — Inter conjunctos autem semper præferendi sunt conjunctiores secundum varios eorum gradus, habita ratione necessitatis et bonorum, quæ debita sunt tali conjunctioni, et in quibus ea fundatur. Hinc in necessitate gravi: 1) est præferenda uxor; quia est una caro cum viro, et liberorum principium; 2) filii, qui sunt conjunctiores, cum de substantia parentum procedant; 3) parentes, qui post dictos ad vitæ societatem et reipublicæ augmentum concurrunt; 4) fratres, sorores, propinqui, domestici, concives atque commilitones.

Diximus: *in necessitate gravi;* nam si necessitas sit extrema, non bonum familiarum sed vitæ attendendum est, ut probabilius docent

[1] Hinc si quis hæresim alicubi spargat, teneris cum periculo vitæ impedire si id efficaciter possis, et nemo alius impediat. Item si in persecutione vel hostili incursione plebs aliqua careret sacerdote, et aliunde esset exposita gravibus periculis peccandi, teneris item cum periculo vitæ illi opitulari. *Antoine.*

[2] *In* III Distinct. 29, a. 7. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 27.

cum Tournely. Unde tunc omnibus sunt præferendi parentes propter principii eminentiam: et quidem pater præferendus est matri, utpote principium nobilius; dein veniunt conjux, filii, etc [1].

989. Q. 3. *Quænam vitia charitati opponuntur?*

R. Omnia peccata mortalia opponuntur charitati Theologicæ, quippe quæ ejusdem habitum in anima prorsus extinguunt. Sed specialiter et directe pugnant adversus eam ex d. Thoma: *odium* Dei et proximi, quod opponitur ipsi dilectioni; *invidia*, quæ opponitur gaudio de bono proximi; *discordia*, quæ opponitur effectui charitatis, qui est pax: *contentio*, quæ opponitur paci quantum ad locutionem; *schisma*, *bellum*, *rixa* et *seditio*, quæ opponuntur paci quantum ad opus; et demum *scandalum*, quod opponitur charitati quantum ad beneficentiam [2].

Odium: Odium generatim sumptum *est actus mentis objectum aliquod aversantis.* — Duplex est: aliud *abominationis*, quo aversamur aliquem ex displicentia ejus qualitatum, quia sunt malæ aut noxiæ aut ingratæ vel in se vel nobis vel aliis. Aliud *inimicitiæ*, quo aversamur aliquem ex displicentia ipsius, eique malum volumus, ut illi malum est. Hac de re dicimus:

1. Odium Dei sive inimicitiæ sive abominationis est semper gravissimum peccatum; quia semper opponitur primo, summo et maximo bono: *Odium Dei*, ait Angelicus, *est pessimum peccatum hominis; inter alia peccata gravius gravissimum peccatum* [3].

2. Odium proximi, si sit abominationis erit culpabile casu, quo sine causa concipiatur, puta si cui displiceat quod coerceantur mali, ne aliis noceant. Erit vero laudabile si procedat ex amore rectitudinis juxta illud, *abominantur justi virum impium* [4]: cavendum tamen ne odium de qualitate evadat odium de persona.

3. Si odium proximi sit inimicitiæ erit mortale ex genere suo, cum directe contrarietur charitati, et suscitet rixas. Hinc illud: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est; odium suscitat rixas* [5]. Potest tamen fieri veniale non tantum ex indeliberatione actus, sed etiam ex levitate materiæ: imo odium abominationis raro est mortale, quia non ita directe ac vivide per illud vulneratur charitas [6].

1 *V.* Angelicus, 2, 2, q. 26, a. 9.

2 2, 2, q. 34 et seqq. De *discordia* et *contentione* vide Lib. I, n. 937; de *seditione* item Lib. I, n. 357; de *invidia*, n. 816.

3 2, 2, q. 34, a. 1. — *V.* Stapf, § 224.

4 Prov. XXIX.

5 I, Jo. III; Prov. X. Triplex nempe est homicidium: primum corporis quod tollit vitam corporalem; secundum famæ, quod tollit vitam civilem; tertium odii, quod tollit vitam affectus, seu amoris.

6 Hæc dicta sint de odio morali ac religioso; non autem de *odio politico*, ut vocant, quod utique legitimum est, si vera adsit causa; hoc enim odium non est aversatio personæ, sed proprii juris vindicatio. Et licet in Christo Jesu nulla sit distinctio in-

Hac de re declaranda est in Confessione tum qualitas personæ, quæ odio habita est, si hæc addat speciem, ut si pater; tum numeros personarum, quia tot malitiæ quot personæ; tum natura mali optati, an sit mutilatio, mors, infernus; nam mali optatio sumit speciem ab ipso damno intento. Excipe satis probabiliter, si diversa mala apprehendantur sub uno genere mali, nempe ut media ruinæ inimici; tunc enim (ut dicunt) sufficit dicere: *exoptavi grave malum proximo* [1].

Schisma: Schisma græca vox est, quæ scissionem significat, et definitur: *voluntaria separatio ab unitate Ecclesiæ.* Ait autem Angelicus: *Ecclesiæ unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem seu communicationem, et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput...; et ideo schismatici dicuntur qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant* [2].

Proprie loquendo schisma differt ab hæresi; nam ut ait Augustinus, *hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant: schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quæ diligit Deum; nec schismatici, quoniam diligit proximum* [3]. Est ergo gravissimum malum. Licet autem schisma ab hæresi discrepet, ordinarie tamen (hisce maxime temporibus) vel ab ea gignitu rvel eam certo brevi gignit.

Pœnæ in schisma purum sunt: 1) excommunicatio, ipso facto: in principales est reservata; 2) privatio jurisdictionis; 3) privatio et inhabilitas ad Beneficia. Si vero schisma sit cum hæresi conjunctum, pœnæ sunt illæ, quæ jam in hæreticos habentur Jure constitutæ [4] *(Q).*

Rixa: *Rixa est contradictio in factis:* est bellum quoddam privatum, in quo rixantes ex ira se percutere nituntur. In aggressore habetur peccatum ex genere suo mortale, quia charitati essentialiter opponitur: et ab Apostolo inter ea, quæ a cœlo excludunt, illud enumeratur [5]. Qui tamen alterum occidit in rixa ad restitutionem non tenetur etsi ipse alium provocaverit, nam hic libere

ter civem et extraneum, civilem et barbarum; hoc tamen non prohibet, quominus una natio alteri nationi pacem deneget, bellum intentet, illamque armis vexet, quousque sua læsa jura vindicet: en odium politicum.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 30.

[2] 2, 2, q. 39, a. 1. [3] *De fide et symb.*, c. X.

[4] Constit. *Apostolatus* Pauli IV, Bulla *Cœnæ:* Can. *Novatianus* VI, c. 7, q. 1; et c. v. *de elect.* Tria autem fuere schismata principaliora, quorum ecclesiastica meminit historia. *Primum* Græcorum sæculo IX a Photio excitatum; modo *russiacum.* « Schisma greco in Russia vuol dire credenza governativa... La vera essenza della credenza russa sta in quelle parole di Pietro il Grande colle quali rispose ai Popi (ecclesiastici) che gli domandavano un Patriarca. Gittata la spada sul tavolo, *Ecco,* disse loro, *il vostro Patriarca.* » (Unità Catt., 1868, n. 96. *Secundum* Occidentis sæculo XIV ortum per incertitudinem veri Pontificis. *Tertium* Anglicanum sæculo XVI opera Henrici VIII. — *V.* Bergier, *Dizionario* ecc. V. *Scisma.* — Ferraris; V. *Schisma.* — Capello, *La caduta di Costantinopoli,* ossia *un castigo.* Torino, 1866.

[5] Gol. v.

acceptando cessit juri suo. Idem probabilius dicendum est cum Alasia, si duobus rixantibus, ultro quis occurrat ad rixam impediendam, si occidatur, quia illius homicidii rixantes non fuerunt efficax causa, sed simplex occasio [1].

Scandalum: *Scandalum*, græcum nomen, quod latine significat *offendiculum*, ab Angelico definitur: *dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis* [2]. Vocabulo *dicti* vel *facti* venit etiam omissio, quia *affirmatio et negatio ad idem genus referuntur*. Dicitur *dicti*, ut sunt impudica verba, impudici libri, etc. *Facti*, uti gestus obscœni, nuditas licentiosa, etc. Verbo autem *minus rectum* intelligitur quod vel in se malum est, ut si loquaris turpia cum adolescente; vel si mali speciem habet, ut si. v. g., justa de causa, sed coram eam ignorantibus, carnes comedas die vetito. Additur *præbens alteri occasionem*, non causam efficacem; quia scandalum non est proprie dicta causa peccati, sed illius vera causa est ipsa voluntas peccantis.

Scandalum est duplex: *activum* seu datum; *passivum* seu acceptum, quod diceretur potius effectus scandali.

Articulus I. — *De scandalo activo.*

990. Q. 1. *Quid est et quotuplex scandalum activum?*

R. Scandalum activum est ipsum dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem spiritualis ruinæ. Et duplex est, directum et indirectum.

Directum est quando quis dicto suo vel facto minus recto spiritualem alterius ruinam intendit, sive intendat formaliter et per se (quod etiam vocant scandalum *diabolicum)*, ut si male habeat quod, v. g., Titius sit in gratia et ideo eum sollicitet, ut illam amittat; sive materialiter et per accidens, cum nempe primario non quæritur nisi delectatio, vel utilitas a peccato sperata, ut si volens suæ malæ cupidini satisfacere, alium ad fornicandum inducat.

Indirectum est quando quis non intendens ruinam proximi aliquid dicit, vel facit in proprium commodum, quod est alteri occasio peccati. Id est quando nonnisi indirecte et interpretative causatur alterius peccatum, quatenus nempe prævidetur, vel prævideri potest ac debet ex illa actione scandalum in proximo secuturum: ut si die vetito carnes comedas coram aliis, non dicendo quod habeas

1 *V.* Liguori, *Opus. Mor.*, l. III, n. 630

2 2, 2, q. 43, a. 1.

veniam, vel si domi tuæ alas mulierem populo suspectam, esto absit in te peccandi periculum [1]. — Ubi notandum, ad peccatum scandali non necessario requiri, ut de facto scandalum accipiatur; sed satis est, quod occasio data sit, ex qua natura sua sequi posse probabiliter existimemus; nam tunc quod non sequatur, per dantem non stat. Hoc autem colligitur non tantum ex circumstantiis personæ accipientis, sed etiam scandalum dantis. Quo sensu explicatur illud d. Bernardi : *nugæ nugæ sunt in ore sæcularium, in ore sacerdotum blasphemiæ;* eo quod ab istis plus quam ab aliis requirant fideles ratione excellentiæ status.

Scandalum activum etiam indirectum est ex genere suo mortale; cum charitatem lædat. Hinc Christus ait: *væ homini illi, per quem scandalum venit* [2]. D. Chrysostomus scandali reos merito vocat *advocatos diaboli;* et illos inimicos homines zizaniam superseminantes. « Debbonsi (audiatur *Gousset)* riguardare come grandemente colpevoli di scandalo: 1) quelli che hanno l'abito di bestemmiare; 2) quelli che pubblicano opere contrarie alla Religione, alla fede cattolica o ai costumi; e quelli che vendono o fanno leggere queste sorta d'opere ad ogni maniera di persone; 3) quelli che compongono, spargono o cantano canzoni scostumate; 4) quelli che scrivono, recitano o approvano composizioni teatrali, commedie, in cui non si rispettano nè le pratiche della Religione, nè la santità dei matrimoni nè la virtù; 5) gli artisti, i pittori, gli scultori, le cui opere offendono le leggi della decenza e della modestia; 6) le modiste, le crestaje, che espongono agli occhi dei passeggieri certi modelli, nei quali non si può fermare lo sguardo (quibus nempe repræsentantur mulieres, immoderate nudatis uberibus); 7) palam festo die laborantes, nulla interveniente vera necessitate ac licentia, etc. [4]. »

Quomodo intelligitur illud Matthæi: necesse est ut veniant scandala [3]? R. Cum s. Thoma : 1) illa verba intelligi non de necessitate absoluta, sed conditionali; quia necesse est, præscita vel prænuntiata a Deo, evenire; 2) dicitur necesse est necessitate finis, eo quod utilia sint scandala ad hoc ut qui probati sunt, manifesti fiant; 3) id dicitur,

[1] Non est semper scandalum quando peccas coram aliis, sed quando attentis circumstantiis tam personæ agentis quam eorum, coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui alias peccaturi non essent. Hinc blasphemia prolata coram viris religiosis et piis non habet rationem scandali, sed horroris et abominationis. Item non est scandalum peccare coram vilibus et infamibus, qui jam aliunde sunt peccaturi: ut si quis fornicetur coram aliis, qui jam sunt parati idem facere, nec ejus exemplo moveantur, et sint ejusdem furfuris. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 43.

[2] Matth. XVIII. — *V.* Ferraris; V. *Scandalum.*

[3] Potest scandalum esse veniale vel ratione parvitatis materiæ, ut si quis nonnisi ad peccandum venialiter excitetur; vel defectu advertentiæ, vel quia levis est influxus in grave alterius peccatum.

[4] Matth. XVIII.

quia attenta hominum malitia, fieri nequit quin scandala eveniant aliquando; quæ ultima interpretatio ceteris videtur præferenda [1].

991. Q. 2. *An scandalum sit peccatum contra charitatem et simul contra virtutem, adversus quam inducitur proximus ad peccandum?*

R. « Tres adsunt sententiæ (audiatur Alphonsus noster). *Prima* dicit quod, cum directe intenditur ruina spiritualis proximi (quod proprie est scandalum dæmoniacum), tunc peccatur etiam contra charitatem. Alias tantummodo peccatur adversus illam virtutem, quæ læditur a proximo in scandalum inducto.

» *Secunda* ait, quod quando peccatur cum scandalo directo, id est cum inducitur positive proximus ad peccandum, tunc peccatur tum contra charitatem, tum contra virtutem. Sed si peccatur tantum scandalo indirecto, prævidendo tantummodo proximi peccatum, quin ad peccatum inducatur, peccatur solum contra charitatem.

» *Tertia* sententia, quam nos tuemur cum Suaresio, Soto, Lugo, Salmanticensibus, Roncaglia, Tamburini et aliis, quamque expresse tenet s. Thomas [2], dicit quod tam scandalo directo, quam indirecto peccatur, et contra charitatem et etiam contra aliam virtutem. Contra charitatem quidem, quia si nos ex charitate tenemur, cum possimus, impedire proximi peccatum, multo magis tenemur non esse proximo occasionem illud patrandi. Contra virtutem vero, quia quælibet virtus cuivis prohibet, ne sit sive directe sive indirecte causa, aut occasio aliis eam lædendi? » Hinc qui alium ad peccandum induxit sive directe sive indirecte, declarare debet in Confessione non solum peccatum scandali, quo charitatem læsit; sed etiam genus peccati, ad quod proximum induxit, vel induci ipse potuit illo exemplo, an nempe sit contra castitatem, vel religionem vel justitiam [3]; aut aliam virtutem.

992. Q. 3. *An sit peccatum scandali petere aliquid ab eo, qui illud quidem daturus est, sed nonnisi cum peccato?*

R. Vel res quæ petitur, est mala ex se, et fieri non potest sine peccato, v. g., si quæratur a meretrice actus impudicitiæ. Vel res illa non est ex se mala, et præstari potest etiam sine peccato, ut si quæratur mutuum ab usurario, juramentum a falsum juraturo, Sacramentum a sacerdote peccatore, etc.

1 2, 2, q. 43, a. 2.
2 2, 2, q. 43. V. *Homo Apost.*, tract. IV, n. 25; et *Op. Mor.*, l. II, n. 45.
3 Puta si quis suo exemplo alios induxit ad furandum: eo tamen in casu non teneretur restituere, quia non esset causa influxiva, sed simplex occasio damni. — Item numerum eorum, quibus scandalum datum est; quia quot sunt personæ, tot sunt jura læsa. — Item conditionem eorum, qui fuerunt scandalizati, si eorum qualitas addat novam speciem, ut si sint tui parochiani vel filii, quia tunc adest etiam peccatum contra proprium officium in scandalum dante.

Si 1, etiamsi multi graves Doctores dicant non esse peccatum scandali; attamen nos non auderemus recedere a sententia contraria, quam tenent Bonacina, Cajetanus, Filliucius, Navarrus, Sanchez, Sporer aliique, docentes non posse rem illam peti aut suaderi sine scandalo, etiamsi persona, a qua petitur, jam parata sit ad peccandum. Quamvis enim ipsa jam sit in actuali voluntate peccandi, certe infert sibi majorem ruinam spiritualem opere complendo rem illam intrinsece malam, quæ ab ea expostulatur. Ideo qui a Titio petit actum impudicitiæ, ad quem jam est paratus, peccabit non solum contra castitatem, sed etiam contra charitatem; quia nulla ratione potest illi cooperari [1].

Si 2, quando adest justa causa petendi, petens excusatur; quia id non est cooperari malæ alterius actioni, cum neque in se ipsa neque petenti ea sit mala; sed potius est illam permittere, idque, justa extante causa, fas est, ut docent communiter cum d. Thoma [2]. Si tamen justa deest causa, dicimus petentem peccare non solum contra virtutem tali peccato contrariam, sed etiam contra charitatem; ipse enim hoc in casu non vitat proximi culpam gravem, prout ex charitate obligatur, quoties potest sine gravi incommodo [3].

993. Q. 4. *Quid de mulieribus, quæ vel utuntur veste virili, vel ornatu vano aut nimis exculto, vel corporis nuditatibus?*

R. Ad 1: Quod mulier utatur veste virili (aut e converso), est vitiosum; tum quia cultus debet competere conditioni personæ; tum maxime quia hoc potest esse causa lasciviæ, vel alterius scandali: quo sensu mortale est. Hinc illud: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea; abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc* [4]. Secluso tamen illo periculo erit veniale, si nempe ex levitate; vel etiam nullum peccatum, sit ex necessitate fiat [5].

R. Ad 2: Si mulier vultum fuco pingat, aut ornet se secundum decentiam status et morem patriæ, vel ut placeat viro suo, vel ut inveniat virum, non peccat; quia ornatus satis cohonestatur a suo fine: et tunc si alii ruunt, erit potius occasio accepta, quam data. Si vero

[1] Attamen, ut probabiliter docet Lugo cum aliis, non est opus in his peccatis, quæ habent complicem, explicare quisnam fuerit primus ad tentandum; quia tam inducens quam consentiens in peccato operis semper graviter peccant contra charitatem. Itaque nihil est aliud quam circumstantia aggravans in eadem specie, quæ juxta probabiliorem sententiam, cum s. Thoma per se non est de necessitate Confessionis explicandâ. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. IV, n. 26.

[2] 2, 2, q. 78, a. 4. — Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 47.

[3] *Epimenides sollicitat ac provocat Corinnam ad secum peccandum, sed non ex animo revera peccandi, sed ad experiendum, an illa sit constans et casta; an graviter peccet?* Affirma; ad hoc enim ut petitio actus sit illicita, non est necesse quod petens habeat animum ponendi petitum; sed satis est quod actus saltem quoad apparentiam serio petitus, sit malus. Sic enim verificatur quod ipsa petitio sit inductiva ad culpam, utpote ex se inductiva ad actum malum.

Similiter non est immunis a gravi vir, qui petit a muliere, ut secum dormire velit, si ex modo loquendi non indicet, se id dicere ex joco manifesto (quod tamen adhuc reprobandum). *Cajetanus, Navarrus, Alphonsus de Leone*, etc.

[4] Deut. XXII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 52; et l. III, n. 425.

[5] D. Thomas, 2, 2, q. 169, a. 2.

superflue et cum nimio luxu se ornent mulieres, ut provocent ad concupiscendum, peccant mortaliter; quia hoc est dare incentivum peccati. *Si autem*, ait Angelicus, *ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quandam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale... Possent aliquæ a peccato excusari, quando hoc non fieret ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem, quamvis talis consuetudo non sit laudabilis.*

R. Ad 3: Mulieres nudatis brachiis, scapulis et pectore incedentes graviter peccarent, si primæ hunc morem alicubi introducerent; cum sine multorum peccatorum occasione esse nequeat. Peccarent item gravi scandalo, si tam immoderata esset denudatio, ut valde lasciviam provocaret. Ubi notandum nihil facessere quædam vela transparentia ad excusandum; cum hæc non minus, ne dicam fortius, passionem acuant. Præsertim per hanc petulantiam severissimum Dei judicium sibi consciscunt, si taliter ornatæ in publicis conventibus, vel in ipsa Ecclesia semet speciandas offerunt: quot scandala in tanta hominum infirmitate!

Quod si nuditas tam immoderata non sit, et jam extaret alicubi consuetudo sic incedendi, putamus cum s. Antonino esse exprobrandas, sed non illico damnandas de mortali tales mulieres; assuefactio enim, uti docet experientia, efficit ut viri ex tali visu minus moveantur ad concupiscentiam, cum minus phantasiam excitet. Non jam quod consuetudo jus constituat contra Jus naturale; sed tantum quia concupiscentiæ vim imminuit. Quanquam, notat Stapf, in hominibus præsertim junioribus per frequentes aspectus stimulus venereus non hebetatur.

Discrete ergo prudens confessarius sententia benigna utatur, ne indulgeat nimiæ mulierum licentiæ, quæ libidinem involvit; cum fœminæ piæ et religiosæ hoc modo incedere minime soleant. Et maxime, quia tales mulieres nuditatibus illis quærunt viros pravis sibi amoribus captivare: et principium nostrum est, in periculo peccati formalis, rigidiores opiniones esse tenendas. Neque impudica nuditas mulieri permittenda est in ipsa sua domo; nam iis qui in ea sunt et qui eam ingrediuntur, incentivum peccandi præbet: *Oro te*, ait Tertullianus [1], *sive mater, sive soror, sive filia virgo... vela caput; si mater propter filios; si soror propter fratres; si filia propter patrem: omnes in te ætates periclitantur (R).*

Art. II. — *De scandalo passivo et cooperatione ad aliorum peccata.*

994. Q. 1. *Quid de scandalo passivo?*

R. Scandalum passivum seu acceptum est ipsa ruina spiritualis seu peccatum, in quod proximus labitur ex facto nostro. Si factum nostrum sit de se aptum ad offendiculum proximo præbendum, scandalum dicitur *datum et acceptum*. Si vero non sit de se aptum, sed tamen proximus labatur, scandalum dicitur *non datum, sed acceptum*: et tunc si proximi lapsus eveniat ex ejus infirmitate vel ignorantia, dicitur *scandalum pusillorum* seu *infirmorum;* si vero

1 *De viduis velandis*, c. LXVI.

proveniat ex mera peccantis malitia, vocatur scandalum *pharisaicum* ex insigni pharisæorum malitia, qui ex sanctissimis Christi dictis et factis occasionem peccandi inique sane sumebant.

Scandalum passivum non est in se speciale peccatum; neque enim gravius peccare censetur qui, viso alterius furto, et ipse furatur. Attamen generatim tenemur curare, ne quis scandalum hoc patiatur: idque lege ipsa charitatis, qua quisque tenetur impedire peccata proximi, si commode potest illa impedire. Hinc per se loquendo non licet petere ab usurario mutuum.

995. Q. 2. *An teneamur omittere opera nostra, si ex illis proximus sit scandalum passurus?*

R. Opera quæ facere intendimus, alia sunt indifferentia; alia in se bona, sed nulla lege præscripta; alia quæ naturali, divina vel humana lege præcepta sunt. Hoc posito, dicimus:

1. Ad vitandum scandalum sive pusillorum sive pharisaicum opera indifferentia omittenda sunt, si possunt absque gravi difficultate; nam ex charitate tenemur peccatum proximi impedire, quando id possumus absque gravi incommodo. Hinc mulier si sciat aliquem ex ea occasionem sumere peccandi, tenetur si posset commode, ad ejus visum effugiendum aliam Ecclesiam adire, per aliam viam progredi, a fenestra abstinere et similia. Hoc tamen non intelligendum ad longum tempus, sed una vel altera vice, donec alter advertere possit, se fugi ab illa.

2. Opera per se bona nullamque mali speciem præseferentia, etsi sint puri consilii, regulariter non tenemur omittere nec differre ob scandalum pharisaicum; alioquin iniquis daretur locus impediendi opera perfectionis, cum vellent. Unde cum Apostoli Christo dixissent: *Scis, quia pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?* respondit Christus: *sinite illos, cæci sunt*, id est nullam habeatis rationem hujus scandali, quia oritur ex malitia eos excæcante [1].

Diximus *regulariter;* nam si non adsit rationabilis causa illa opera statim faciendi, differenda sunt; etenim vera charitas abhorret a peccato etiam ex alterius malitia orituro et Deum offensuro. Item omitti debent, si malum quod timetur, sit longe majus bono, quod obtinebitur ea opera faciendo: sic ex Augustino punitio peccatoris erit omittenda, si schisma timeatur [2]. Ceterum neque ob scan-

[1] Matth. xv. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 48.; et d. Thomas, *in* IV, d. 38, q. 2, a. 4.

[2] L. III *contra Parm.*, c. 2. Loquitur de casu, quo contagio peccandi multitudinem invaderit, adeo ut punitio plus videatur perturbare infirmos bonos, quam corrigere animosos malos; tunc Ecclesia prudenter aliquando dissimulat, quin tamen errores approbet. Hoc tamen judicare, non est privatorum; sed ipsius Ecclesiæ, cujus est sapientia atque consilium.

dalum pusillorum actus virtutis, etsi minime præscriptus, est omittendus, si publicam utilitatem respiciat: sic tempore Missionum etiam noctu protrahitur prædicatio, licet aliqui inde offensionem sumant. Item neque omittendus, si notabilis sit utilitas privata, modo exponatur ratio sic agendi: quia *si post redditam rationem, scandalum duret, jam videtur ex malitia esse* [1]; et scandalum fit pharisaicum, ideo contemnendum. Hinc quamvis quis debeat differre ingredi Religionem ob scandalum propinquorum, si illorum consensus brevi speretur; si tamen pergant resistere, potest ingredi; non enim charitas obligat cum adeo gravi detrimento.

3. Opera præcepta ob scandalum pharisaicum omitti non debent; quia secus daretur occasio bona aliorum malitia impediendi. Item neque ob scandalum pusillorum sunt omittenda opera, quæ vel sunt præcepta de necessitate salutis, vel in nullo casu sine peccato omitti nequeunt; tum quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; tum quia quisque magis se, quam alium diligere debet in ordine ad salutem æternam [2].

Opera vero humana lege præcepta, an ad vitandum scandalum pusillorum sint omittenda, alii negant cum Navarro, Vasquez, etc., quia leges humanæ non cessant obligare ob aliorum peccata. At probabilius affirmant Antoine, Billuart, Collet, Layman, Suarez, Tournely aliique; quia præceptum de vitando scandalo, cum sit naturale præferendum est præcepto mere positivo. Sic mulier debet semel et iterum se abstinere a Sacro, licet de præcepto, si sciat sui se conspectu daturam esse alicui in particulari occasionem, adeo ut scandalum ex illius infirmitate patiatur [3].

Diximus *semel et iterum;* ajunt enim valde probabiliter, ad id amplius non teneri; nimis enim grave est frequenter ad hoc obligari, cum scandalum omnino accidat ex alterius malitia. Ex qua ratione, Elbel, aliique plures censent, posse quidem illam mulierem semel aut iterum omittere Sacrum; sed præcise non teneri.

996. Q. 3. *Ad vitandum scandalum eruntne dimittenda, seu non curanda bona temporalia?*

R. Propter scandalum *pharisaicum* non sunt dimittenda bona temporalia; secus occasio malis daretur bona illa rapiendi, si nempe ea ideo nos repetere non possemus: quod etiam noceret bono com-

[1] D. Thomas, 2, 2, q. 43, a. 7. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 50.

[2] Hujusmodi sunt præcepta fidei et Sacramentorum quæ sunt necessaria ad salutem, ut docet d. Thomas. Item omnia præcepta naturalia; et quamvis aliqui dicant aliquando posse omitti præcepta naturalia affirmativa, puta corrigendi peccatores vel puniendi delinquentes quando majus timetur damnum, quam speretur fructus; tamen melius dicit Palaus tunc verius in iis casibus ipsa præcepta cessare et non obligare.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 53.

muni, ut ait Angelicus. Propter scandalum vero *pusillorum* d. Thomas distinguit: si bona sint aliorum, quorum nos sumus administratores, ea dimittere non possumus; cum nostra non sint [1]. Quod si bona nostra sint, tunc vel totaliter dimittenda; cum melius sit anima quam divitiæ multæ: vel potius per instructionem proximi, eum monendo, quod nobis licet bona nostra tueri etiam in judicio, scandalum tollendum est. Facta monitione scandalum evadit pharisaicum, de quo non est curandum.

Sunt tamen qui absolute negant bona nostra esse negligenda, si sint magni momenti; quia charitas non obligat cum gravi incommodo. Hinc non teneris solvere plus æquo operario vel rhedario, licet prævideas illum secus esse blasphematurum. Incommodum enim illud etsi leve in se, sæpius occurrere potest, et ideo fit grave in complexu. Imo id ad blasphemandum incitamentum esset; cum tales sciant pretium augeri, quando blasphemant, ut scilicet blasphemare desinant.

997. Q. 4. *An liceat suadere minus malum ad majus vitandum?*

R. Alii absolute negant id licere; nam semper malum est malum consulere. Alii id permittunt, casu quo aliquo modo minus malum contineatur in majori, ut si suadeatur percussio loco occisionis. Verum sententia probabilior cum Cajetano, Molina, Navarro, Salmanticentibus, Sanchez, Soto, Sylvio aliisque pluribus docet, licitum esse generatim minus malum suadere casu, quo proximus noster jam certo sit determinatus ad majus malum perpetrandum; tunc enim qui suadet vel permittit, non quærit malum, sed bonum, scilicet electionem mali minoris: sic homini jam determinato ad occidendum potero suadere, ut potius furetur. Id confirmatur ex Augustino et Angelico. Primus ait: *Si facturus est quod non licet, jam faciat adulterium et non faciat homicidium* [2]. Secundus habet: *Licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona, quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur* [3]. Ita s. Monica filium suum Augustinum, dum illum dolens ad omnem libidinem præcipitem videbat, enixe hortabatur, ut si semet continere per omnia nollet, saltem a violatione tori alieni abstineret, illum utique non inducendo ad scortationem; sed quia hanc impedire non potuit, saltem dehortabatur ab adulterio [4].

[1] 2, 2, q. 43, a. 8. — Observant tamen graves auctores, s. Antoninus, Paludanus, Cajetanus et alii, quoad bona Ecclesiæ, quod si ex eorum defensione ingravesceret scandalum in populo, nec, reddita ratione, sedari posset, Prælatus melius faceret, si consensum Ecclesiæ procuret, ut debitum condonetur, quam si exigat. *Billuart.*

[2] *Relatus*, c. *si quod.* XXXIII, q. 2. — Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 57; l. III, n. 565; l. V, n. 77,

[3] 2, 2, q. 78, a. 4.

[4] 1, *Confess.*, II. — *V.* Stapf, § 379.

Diximus *generatim ;* non enim liceret suadere volenti facere malum Titio, ut faciat Sempronio, licet minus; tunc enim suadens esset determinata, directa, sola et tota causa damni illius tertii. Excipe nisi hic aliter ex charitate teneatur hoc minus malum pati in se ad damnum alterius gravissimum impediendum.

Q. 5. *An liceat aliquando occasionem peccandi proximo permittere, seu non auferre?*

R. Sententia affirmans cum Antoine, Continuatore Tournely et aliis cum d. Thoma [1], videtur satis communis, si adsit causa; permissio enim per se non est inductio: sic potest herus non auferre occasionem furandi filiis aut famulis, cum eos ad furtum novit propensos, ut deprehensi puniantur et resipiscant; tunc rationabiliter permittitur furtum unum, ut evitentur plura. Ita licite custodes agrorum, vinearum, sylvarum se abscondunt, ut damnificantes capiant, et puniendo avertant ab aliis damnis. Ita vir uxorem suspectam habens potest ei insidiari, et deprehendere in crimine, ut provideat.

Sed (dices) *anne fas etiam erit hanc occasionem ultro filiis ac servis ponere et objicere, v. g., collocare monetam supra tabulam vel supra pavimentum, ad probandam eorum fidelitatem?*

R. Id negant Bonacina, Sa, Sanchez, etc.; quia non esset peccati periculum permittere, sed potius illud directe creare. Attamen satis adhuc probabilis videtur sententia Collet, Elbel, Layman, Navarri, etc., qui affirmant, quando causa existat, dicentes, tunc non esse veram inductionem alterius ad peccandum, quod est intrinsece malum, sed meram peccati permissionem factam ex causa, scilicet ut quis se servet indemnem a periculo damni obventuri: supponitur enim, quod non adsint alia media. Quod quidem non est per se malum; alioquin nunquam liceret juramentum petere ab infideli, vel mutuum ab usurario, quod tamen est contra commune [2].

998. Q. 6. *Quid cooperatio, quotuplex et an licita?*

R. Cooperatio in genere est concursus cum alio principaliter agente; prout autem charitati adversatur, communiter definitur: *participatio quædam ad actionem pravam alterius.* Dividitur cooperatio mala in formalem et materialem.

Formalis cooperatio evenit, cum directe cooperatur in actu criminoso, ut est in eo, qui alterum adjuvat ad furtum, ad homicidium patrandum. Vel cum influit in pravam voluntatem proximi volentis peccare, ut esset servare terga latroni aut sicario, ut securius furetur aut occidat; scribere literas amatorias vice concubinarii amasiæ. Hæc cooperatio est intrinsece mala, quia dat ansam proximo ad peccatum exequendum, aut saltem istius pravam volun-

1 Suppl. 3, p. q. 62, a. 3. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 58.

2 Id confirmari potest exemplo Judith, quæ cum videret libidinem in Holopherne futuram esse impeditionem malorum complurium pro toto populo Israelitico, ultro objecit ei occasionem, nempe ornatum suum; et tamen in hoc communiter censent ipsam non peccasse.

tatem fovet: ideo nulla ex causa, ne mortis quidem, excusari potest a mortali peccato hæc cooperatio in re gravi.

Cooperatio vero materialis evenit, cum actio est indifferens, et proximus potest etiam ea uti sine peccato, sed sua malitia abutitur ad peccandum, ut esset dare claves iis, qui eis utuntur ad furandum. Hæc cooperatio potest esse licita: 1) si actio sit per se bona, vel saltem indifferens; 2) si non tenearis ex officio peccatum impedire; 3) si simul adsit causa justa et proportionata; nam eo in casu proximi peccatum non provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia illius, qui abutitur tuo opere ad peccandum. Itaque tunc non est actio tua, quæ conjungitur pravæ voluntati proximi; verum ille conjungit suam pravam voluntatem tuæ actioni: unde fit, quod actio tua non est causa illius peccati, sed est tantum occasio, quam tu non teneris auferre, si habes justam causam eam ponendi. Sic licitum est cauponi dare vinum ebriaturo, item ministrare carnes die vetito, si timeat rixas aut blasphemias, vel grave sui damnum ex deviatione emptorum.

Diximus: *si simul adsit causa justa et proportionata;* quia quanto proximior est tua actio proximi peccato, eo major debet esse causa quæ te excuset. Ad quod judicandum ante omnia pro regula sit observare sensus Doctorum; quia cum totum hoc ferme pendeat a prudentum æstimatione, sententia illa erit probabilior, quæ communior. Est autem prudentum æstimatio, eo graviorem requiri causam ad cooperandum, vel quo gravius est peccatum, cujus occasio datur; vel quo probabilius est, te non cooperante, alterum haud peccaturum; vel quo propius cooperatio peccatum attingit; vel quo minus habes juris ad tale opus; vel maxime quo magis peccatum cum justitia pugnat. Ex his generalibus principiis satis colligi potest quid sentiendum sit de cooperatoribus particularibus, præcipue de famulis, operariis ac mercatoribus.

1. Quoad *famulos*. Contra plures nobis probabilius videtur licere famulo, sed tantum metu mortis (alii addunt etiam metu alterius gravissimi damni, nempe infamiæ; non tamen sola ratione famulatus, cum sit propior cooperatio) dominum comitari ad lupanar, scalam deferre, vi aperire januam, humeros hero subjicere, ut ascendat ad fornicandum, etc. etc.; quia non ponit actionem intrinsece malam, cum hæc possit esse per se bona vel mala; attamen famulus tenetur postea domini sui domum deserere, si aliud simile timeat. — Nullimode autem licet (in nostra sententia) famulo domini dona meretrici deferre; cum hæc de se turpem amorem foveant. At sunt qui censent hoc licere ex gravissima causa, cum

non credant id esse intrinsece malum. Quod de famulis, idem plerunque valet de aliis inferioribus, de uxore, filiis, etc.

2. Quoad *operarios*. Licet fabriferrariis indiscriminatim vendere arma, etsi cognoscant aliquos (in genere) ex tot emptoribus iis abusuros esse; quia secus commercium prorsus rueret. Item operariis falsa idola conficere, si hæc adhibeantur ad ornamentum platearum, ædificiorum, etc.; nullimode vero, si ad falsum cultum, atque ideo pagano sint tradenda; tunc enim censerentur addicti servitio idolorum. — Non licet pulsare organa, vel canere in Ecclesia infidelium, si id sit in honorem idoli; quia sic idolo præstaretur obsequium. Idem est si id fieret in synagogis hebræorum, functionum tempore; esset enim vere et formaliter concurrere et participare in falso cultu, illum quasi alternatim usurpando una simul cum judæis: talis enim pulsatio est pars psalmodiæ, quæ ex sono et cantu conflatur, ut dicunt cum Gotti et Fedeli. Item nefas est pulsare campanam ad annunciandam concionem hæreticorum, quum sit invitationis instar. Hæc tamen cum causa, remoto scandalo, alii permittunt.

Licet autem theatra ædificare, ornare, etc., si ornamenta in se honesta sint; quia cooperatio videtur adeo remota, ut non sit peccaminosa. Quod valet etiam de sartoribus qui vestes conficiunt, lacertis apertis, et nudato pectore, etc. Item licet hæreticorum templa et synagogas judæorum ædificare, legitimo magistratu permittente, præsertim si æque fierent sine ipsis. Non tamen ullo modo licet hæreticorum pravis libris edendis immediate cooperari, v. g., typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere, illos libros vendere, etc.; quia isti nati sunt multos subvertere.

3. Quoad *mercatores*. Licet vendere aleas, gladios, fucos, vestes et ornamenta ad personatum incedendum *(maschere)*, etc., etsi iis plurimi sint abusuri; quia hæc de se non ordinantur ad peccatum, nec malum præsumendum est. Si tamen de abusu alicujus certo constaret, et non vendendo mercator impediret peccatum, tunc causa gravis, seu periculum notabilis damni requiritur ad res illas vendendas: ex qua ratione licet judæo vendere ornatum, vel agnum, qui eo abusurus est ad suum pascha. Non licet tamen vendere venenum, nisi moraliter constet, emptorem illo bene usurum, v. g., ab confectionem colorum, occisionem murum, etc.; quia maxima sequeretur humani generis pernicies, si id omnibus promiscue liceret *(S)*.

Quid (quæres) *de iis, qui usurariis, aut meretricibus domus locant; vel vehunt scienter meretricem ad amasium?*

R. Ad 1: in civitatibus, in quibus ad vitandum majus malum permittitur ut habitent usurarii et meretrices, licet ipsis domum locare, maxime si alii conductores desint: nisi meretrices graviter nocerent vicinis honestis; vel ob situm ansam majorem darent peccatis.

Ad 2: non licet aurigis aut nautis vehere meretricem ad amasium pro sola mercede lucranda: ita recte Sanchez, Roncaglia contra Sporer et alios. Tantum excusarentur, si ipsi hoc agerent ad grave damnum vitandum: imo Angles putat, id nunquam licere, utpote intrinsece malum [1].

Scholium. — *De notis seu censuris theologicis* [2].

999. Virtutes theologicæ (maxime fides) multis modis lædi possunt: porro sententia, qua notatur læsio, *censura theologica* appellari consuevit. Quæ duplex distinguitur, doctrinalis et judicialis: *censura doctrinalis*, est quæ a viris doctis quidem, sed nullam habentibus auctoritatem divinitus sibi concessam judicandi, fertur: tales sunt censuræ a nonnullis Facultatibus latæ, quæ licet non de fide, sunt tamen maximi ponderis. *Censura judicialis* ab iis fertur, qui divinam habent auctoritatem de fide judicandi: nempe tum a Pontifice totam Ecclesiam docente, vel a Concilio generali; tum ab Episcopis sive in Diœcesi, sive in particularibus Conciliis. Sed non potest ferri a laicis, nec a simplicibus sacerdotibus, vel Parochis.

Judicium, quo censura alicui doctrinæ inuritur, est dogmatica sententia, non lex disciplinæ; nam iste actus verum est judicium, quo de veritate aut falsitate, bonitate aut perversitate illius pronuntiatur. Et cum innumeræ confici possint propositiones plus vel minus sanæ doctrinæ oppositæ; ideo innumeræ esse possunt censuræ in eas latæ. Item una propositio potest plures censuras mereri. Sit de aliquibus.

Hæretica propositio illa est, quæ dogmati revelato, et ab Ecclesia proposito directe opponitur, ut ista: *Verbum non est caro factum.*

Erronea propositio est quæ certo ac directe conclusioni Theologicæ adversatur, at non attingit gradum certitudinis fidei, quia non est immediate revelata: ut puta *Christus non est risibilis*, quæ a diametro adversatur huic Theologicæ conclusioni: *Christus est risibilis*, cum omnis homo sit risibilis: quæ quidem conclusio deducitur ex illa fidei veritate *Christus est homo.*

Hæresi proxima est quæ omnes conditiones habet, ut ab Ecclesia hæretica declaretur, cum certo veritati catholicæ opponatur.

Suspecta de hæresi est quæ ex terminorum ambiguitate, vel ex circumstantiis temporis sive personæ loquentis adhibetur ad hæresim occulte disseminandam: *In tal modo al tempo degli Ariani chi, nel professare la divinità del Figliuolo di Dio, ricusava chiamarlo* consustanziale *al Padre, era sospetto di arianismo* (Gousset, *Teol. Dogm.).*

Hæresim, vel *errorem sapiens*, est quæ de hæresi vel de errore suspecta est, ac nonnisi futili evasione vindicari potest.

Impia est quæ pietatis opera deprimit ac Religionis christianæ: uti

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 59; it. *Homo Apost.*, tract. IV, n. 31. — Bouvier, *De restitut.*, ubi *de participante;* et *de actibus humanis*, c. 1. — Gury, *De virtutibus*, ubi *de cooperatione.* — Pavone, *La luce fra le tenebre*, dissert. XI. — Ferraris; V. *Famuli.* — Item Sporer, Croix, Navarrus, etc.

[2] *V.* Tournely, *Append. ad loca theol.* — Canapa, *De dogmate, doctrinis theologicis erroneis harumque censuris.* — Alasia, vol. VIII, *Appendix de damnatis ab Ecclesia propositionibus.* — Ferraris; V. *Propositiones.* — *Analecta Juris pontificii*, an. 1853. — Montagnus, *De Censuris seu notis theologicis.* — Suarez, *De virtute theologica*, disp. XIX. — Sed eminet Antonius, Panormitanus nuncupatus, in opere, *Scrutinium doctrinarum*; qualificandis *assertionibus, thesibus atque libris conducentium.* Romæ, 1709.

est illa quæ Deo et Sanctis cultum impetit, vel debitum parentibus ac superioribus honorem et obedientiam negat.

Periculosa est quæ licet speculative sit vera, ob varias circumstantias dat locum timendi, ne in praxi hæresim, errorem aut peccatum foveat: vel si frequenter infaustos hujusmodi exitus habeat.

Seductiva est illa quæ fideles incautos sub specie pietatis a sana doctrina de facili retrahere conatur.

Seditiosa est illa quæ inducit divisionem in populo, seu concitat tumultum contra superiores; et retrahit ab obedientia. Hæc dicitur etiam *rebellionifera.*

Insana, fabulosa, mendosa est illa, quæ nec ratione nec auctoritate constat; neque aliqua verisimilitudine nititur.

Judaica, quæ de Christo sentit cum judæis, asserens nempe Messiam nondum advenisse.

Pagana, illa quæ cum paganis plures Deos admittit.

Athea, quæ cum atheis Deum esse negat.

Blasphema, quæ continet injuriam in Deum, Virginem vel Sanctos.

Apocrypha, cujus auctor verus incognitus aut incertus est; vel de qua non constat quod sit canonica vel divina.

Injuriosa, quæ alicui, vel integro Statui aut Ecclesiæ injuriam, irrogat.

Piarum aurium offensiva est quæ, etsi a doctis in bono sensu accipiatur, ab aliis ob ignorantiam, vel timoratam conscientiam, in sensu parum Religioni congruente intelligitur; et tristantur de illa. *Di questo genere sarebbero le proposizioni seguenti:* « S. Pietro, che avete rinnegato Gesù Cristo, pregate per noi; s. Paolo che avete perseguitata la Chiesa, pregate per noi; s. Agostino, che avete vissuto molti anni nella dissolutezza, pregate per noi. » *Gousset.*

Damnosa vel *perniciosa* est quæ in fidelibus minuit sensum fidei, peccati horrorem, erga leges Ecclesiæ observantiam. *Si deve riguardare come dannosa la proposizione, per la quale si afferma che la Chiesa ha torto di non permettere ad ogni fedele indistintamente di leggere la sacra Scrittura in lingua volgare, o di proibire l'uso dei cibi grassi in certi giorni: ogni proposizione dannosa è necessariamente scandalosa*, quia inducit ad peccandum. *Gousset.*

Scandalosa, si præbeat occasionem ruinæ spiritualis, vel inclinando ad peccata, vel avertendo a virtutum exercitio.

Male sonans est quæ, licet verum sensum pati possit, ex propria tamen verborum significatione pravum videtur habere.

Captiosa est quæ sub specie veritatis in errorem potest inducere. *Le opere dei Giansenisti tanto sul dogma che sulla morale sono piene di frasi equivoche e di proposizioni capziose. Per tal maniera ne è dannosa la lettura anche agli ecclesiastici, i quali non hanno una cognizione esatta dei decreti della santa Sede sulle materie della grazia e degli scritti di s. Agostino, dei quali i partigiani di Giansenio e di Quesnello hanno fatto sì grande abuso.* Gousset.

Temeraria seu *audax* est quæ omni destituitur fundamento: talis est quæ pugnat cum communi Ecclesiæ praxi, aut communi Patrum et Theologorum sententia. Provenit ex novitatis pruritu, et proprii judicii inordinato amore.

Schismatica est quæ paci et unitati Ecclesiæ adversatur, fideles retrahendo ab obedientia et reverentia superioribus ecclesiasticis debita, et præcipue *Romano Pontifici*, qui est totius unitatis ecclesiasticæ centrum et caput.

Antiquata est quæ antiquitus admittebatur uti probabilis, quia nondum erat cognitum principium certum; sed nunc (etsi non expresse damnata) est incompossibilis cum novo Decreto Ecclesiæ *(T).*

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM OCTAVUM.

(A) Pag. 605.

1000. Fidem quolibet peccato mortali ita extingui, ut nulla amplius in peccatoribus admittenda sit neque viva neque mortua, et si quæ adhuc remanere videatur, ea non sit fides vera, nempe divina, sed mere humana, docuit Calvinus, Quesnellus, aliique de Schola Jansenistarum. Sed veritas catholica est, fidem *veram*, nempe divinam, esse posse etiam sine charitate, ac proinde fidem *informem* sive mortuam esse admittendam uti veram ac divinam fidem.

Probatur: 1. Ex Scripturis: *Si habuero omnem fidem*, ait Apostolus, *ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum* (I, Cor. XIII). Sed fides, quæ montes transfert, est fides vera et divina; ergo hæc a charitate sejuncta potest in natura sua esse. *Quid proderit, fratres mei*, inquit s. Jacobus, *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum* (cap. II)? Hic pariter sermo est de fide non humana, sed divina ideoque vera: atqui hæc dicitur subsistere posse etiam per se et sine charitate.

2. Ex Patribus: pro omnibus unus sit Augustinus, *qui de fide et operibus* totus in eo est, ut ostendat neminem debere salutem æternam sperare, si fidem habeat sine charitatis operibus.

3. Ex Tridentino: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia* (eu charitatis mortem), *simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse christianum, anathema sit* (sess. VI, can. 28).

4. Ex Pontificum Oraculis: Alexander VII hanc sub n. 12 propositionem damnavit: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est fides divina.* Clemens XI aliam similem in Quesnello Jansenismi professore valde insigni confixit. Dicendum ergo, charitatem quidem esse non posse sine vera fide, quia fides vera est ejus fundamentum: sed veram fidem esse posse sine charitate; nam stat fundamentum sine ædificio.

Sed si fides (inquies) *in statu peccati mortalis, sive sejuncta a charitate, est fides mortua; ergo amplius non existit, sicuti cessat existere homo actu quo moritur; vel saltem fides quæ remanet, non erit amplius fides vera, nempe divina.*

Resp. neg. *conseq.* et *paritatem:* fides sine charitate dicitur *mortua*, sed non quasi cesset existere, quemadmodum mori dicitur homo; bene vero quia operationem in christiano cessat habere in ordine ad vitam æternam, eo modo quo corpus dicitur *mortuum*, quod existit quidem, sed vita destitutum: hanc comparationem suppeditat s. Jacobus: *Sicut... corpus sine spiritu mortuum est; ita et fides sine operibus mortua est* (c. II). Atqui corpus hominis, etiamsi mortuum, quia sine anima, adhuc remanet verum corpus humanum; a pari fides, etiamsi mortua quia sine charitate, adhuc remanet vera fides, nempe divina. In quo enim sita est fidei divinæ natura? profecto in hoc quod faciat nos assentiri rebus a Deo revelatis ob divinam auctoritatem; atqui assensus iste etiam sine charitate haberi potest.

Imo si sermo sit de merito, quod Theologi vocant *de congruo*, ipsa fides mortua meritoria est apud Deum; opera enim meritoria *de congruo* præcedunt justificationem: *Nec ipsa remissio peccatorum*, inquit Augustinus, *sine merito est, si fides hanc impetret* (ep. XCVI, c. 5). Si res ita non esset, quis amplius peccatores hortaretur, ut se vehementer commendent Dei misericordiæ et Beatæ Virgini, quæ est *refugium peccatorum*, ut in Christi gratiam reverti possint? Quapropter qui absolute et sine ulla restrictione pronuntiat *fidem sine charitate non esse meritoriam*, nobis videtur cum Quesnello sentire, cujus erat hæc thesis damnata sub n. 56: *Deus non remunerat, nisi charitatem.* — *V.* Dubois, *Pratica del Cristianesimo, ossia necessità di praticare ciò che si crede*; it. *Il santo Prete*, §§ 37 et seqq.

(B) Pag. 609.

1001. Contendunt protestantes, in rebus fidei, nos committere circulum vitiosum; *nam credimus sacram Scripturam propter auctoritatem Ecclesiæ, et credimus auctoritatem Ecclesiæ propter Scripturam.*

R. Hoc falsum omnino est; nos credimus primario auctoritatem Ecclesiæ non propter Scripturas, sed propter notas ipsius Ecclesiæ ac motiva credibilitatis: sane nascente Ecclesia, nondum erant Scripturæ, et tamen jam certa erat veracitas Ecclesiæ. Quod autem secundario ejus veracitas firmetur etiam per Scripturam, non est circulus vitiosus; nam est sub diversa ratione, jam firmata Ecclesiæ infallibilitate. Nempe de veracitate et infallibilitate Ecclesiæ nobis jam constat aliunde: nam *primo* ex motivis credibilitatis probamus, Ecclesiam Romano-Catholicam esse veram Christi Ecclesiam, ac proinde omnia dogmata illius esse vera; *secundo* ex hoc principio ulterius inferimus sacram Scripturam esse Verbum Dei, quia nempe Ecclesia vera infallibiliter hæc docet; *tertio* ex Scriptura divina sic certo jam cognita, ipsa Ecclesiæ infallibilitas, quæ jam prius aliunde erat a nobis probata, ulterius et quasi secundo confirmatur sine ullo vitioso circulo.

Exemplum habemus in humanis: sit nuntius, qui deferat literas Regis; quando non est certa nuntii veracitas, inquiruntur indicia credibilitatis, et ubi de illa constat, acceptantur literæ Regis propter veracitatem nuntii. Verum contentis in literis Regis creditur non propter veracitatem nuntii, sed Regis; et si in iis Regis literis asseratur veritas nuntii, ea firmatur et magis creditur propter veracitatem Regis. Neque ideo est circulus vitiosus; nam eadem creduntur, sed sub ratione diversa. Ad rem Moehler, *Dell' unità della Chiesa*, c. II: « La Chiesa cattolica non si move circolarmente, quando non crede ai Vangeli, se non perchè ella dà loro la testimonianza della credibilità. Ella crede a sè stessa, e sa il perchè: dovrebbe credere più agli eretici che non a sè stessa? Come la Chiesa riguarda sè medesima e la sua Tradizione, per cui il Vangelo scritto ci è stato trasmesso, come divino; così ella considera anche questo come divino. La Chiesa, il Vangelo e la Tradizione cadono e restano sempre ritti insieme. » — *V.* Billuart, *Cursus Theol.*, *De regulis fidei.* — Veith, *Scriptura sacra contra incredulos propugnata*, p. VII, sect. 1,ª nn. 8 et 9. — Sardagna, *Theol. Dogmatico-polemica*, tract. III. — Mayer, *Tractatus prævii de vera Relig.*, p. II. — Carbonius, *Theol. revelata.* — Scheffmacher, *Lettere*, Lettera II. — Gerdil, *Saggio d'istruzione teologica;* cap. *La Chiesa.* — Cercià, *De Ecclesia*, lect. IV

Hinc illud celebre Augustini: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas*, sic evidentissime exponit doctus p. Mozzoni, *Tavole cronologiche, critiche della storia della Chiesa universale*, secolo I: « Si premetta come per comune sentenza dei dotti, tra l'ottavo ed il decimo anno dell'ascensione di Gesù Cristo si accinse s. Matteo a scrivere il suo Vangelo pregatone, come narra Eusebio *(Historia eccles.*, l. III, c. 24, pag. 103, A-B), da' giudei testè convertiti. Il dotto p. Patrizi prova in fatti non essersi quello pubblicato avanti l'anno 37 *(De Evangeliis*, lib. I, c. 1), avvegnacchè non manchi cui piaccia differirne l'epoca agli anni susseguenti, appoggiati specialmente all'autorità di s. Ireneo, che dice scritto il Vangelo di s. Matteo, *quando Pietro e Paolo evangelizzavano Roma e vi fondavano quella Chiesa (Hæres.*, l. III, c. 1, t. I, p. 174), il che certo avvenne molto tempo dopo. Ma che che sia di ciò, ne invitano qui i Teologi ad un'importante riflessione storica e insieme dommatica *(V.* Perrone, *Prælect. Theol.*, ubi *De vera Relig.*, p. II, n. 33). Or bene innanzi che s. Matteo traesse fuori colla prima scrittura del nuovo Testamento, teneva ella la Chiesa o non teneva la sua divina missione, il suo regime, la sua infallibilità e autorità sua? E se già la teneva, da chi l'aveva ella ricevuta? Ecco due importantissimi quesiti, intorno a' quali, mirabile a dirsi, lo stesso Lessing non esitò di scrivere: *Non solo la storia di Gesù Cristo conoscevasi pria che nei Vangeli la si divulgasse*; *ma* L'UNIVERSA RELIGION CRISTIANA già era *abbracciata ed osservata prima ancora che fosse stato scritto alcun Vangelo. Recitavasi il* PATER NOSTER *quando non ancora leggevasi nel Vangelo di s. Matteo.* Già si usava nel battezzare le parole proferite da Gesù Cristo prima ancora che gli Apostoli le registrassero nelle Scritture (Sammaltiche Werke, *Theologie*, *Dritter Theil*, *Theses aus der Kirchengeschicte*, §§ 4-5-6, tr. XXVI, pag. 37). — *V.* Perrone, *De locis Theologicis*, pars I, c. 29, propositio: *Ecclesia a Christo instituta anterior est quavis Scriptura.*

» Quindi anch'esso il primato di Pietro era già forte di tutto quel vigore, onde il divin suo Fondatore lo volle informato, e gli altri Apostoli già vi eran soggetti pria che gli Evangeli fossero pubblicati. In somma già la Chiesa teneva da Gesù Cristo istesso la sua divina missione, il suo governo, l'autorità sua infallibile e indeficiente. E con questa stessa autorità ammise ella ed approvò prima il Vangelo di s. Matteo, e appresso le altre Scritture tutte del nuovo Testamento, come altrettanti solenni strumenti, ne' quali riconobbe gli atti autentici di sua possessione, o sia fedelmente registrate le prerogative di che il suo divin Fondatore la volle rivestita; delle quali prerogative, notate bene, gia ella usava anzi che vi si registrassero e con solenne approvazione si pubblicassero. — Dopo queste premesse, le tante volte objettata petizion di principio o sia circolo vizioso, di che, secondo il dir dei protestanti, la Chiesa deriverebbe la sua autorità dalla Scrittura, e la Scrittura dalla Chiesa, non solo ci si oppone a torto; ma dalla natura istessa della cosa è appien disciolta, e in faccia ai medesimi fatti improntati del più solenne carattere di verità storica totalmente si dilegua e svanisce. Or ecco storicamente spiegato il celeberrimo dettato del grande Agostino: NON CREDEREI ALL'EVANGELIO SE NON MI COMMOVESSE L'AUTORITÀ DELLA CHIESA (lib. *contra epist. fundamenti*, c. V, n. 6, tom. VIII, pag. 154, A). Crede dunque il s. Dottore forte della sola autorità della Chiesa; e non solo crede nel Vangelo, ma per lo stesso motivo crede pure nelle altre sante Scritture; perocchè parlando appresso degli Atti Apostolici: *al qual libro*, dice, *m'è pur forza di credere, se credo nel Vangelo, posciacchè e l'una e l'al-*

tra Scrittura dalla cattolica autorità vienmi proposta. Ecco regola veramente aurea, e la sola veramente sicura; per lo cui abbandono, anzi per lo sprezzo in che l'ebbero i protestanti, venner tratti essi medesimi nel vizioso circolo della petizion di principio. Conciossiachè, secondo i costoro dettami, *le Scritture sono divinamente inspirate, perchè le Scritture* che essi pigliano come divinamente inspirate, *lo attestano.* » Hactenus *Mozzoni.*

Clarius: si res est cum infidelibus qui Scripturas non admittunt uti Verbum Dei, nos probamus primario Ecclesiæ nostræ auctoritatem aliunde, seu ex motivis credibilitatis; quod si etiam id ex Scripturis ulterius probamus, non illas sumimus ut Verbum Dei, sed ut sunt monumenta historica e synchronis (contemporalibus) scriptoribus exarata, in quibus iccirco non attenditur nisi authentia, et veracitas eorum qui scripserunt. Si vero res est cum protestantibus qui Scripturam admittunt, ex Scriptura contra ipsos Ecclesiam nostram probamus, genuinum ejus sensum aperiendo. *Cercià* et *Scheffmacher.* — *V.* Perrone, *L' idea cristiana della Chiesa distrutta nel Protestantismo;* item, *L'idea cristiana della Chiesa avverata nel Cattolicismo.* — Gatti, *Institutiones apologetico-polemicæ de veritate ac divinitate Religionis et Ecclesiæ catholicæ*, vol. III. Romæ, 1868.

1002. Q. *Quid requiritur, ut propositio ad fidem divinam pertineat?* R. Ecclesiæ propositio est via, qua revelatio divina nobis infallibiliter innotescit; sicuti revelatio divina est via, qua nobis innotescit Verbum Dei. Porro propositiones sunt:

1. Aliæ *explicite* revelatæ, quas nullum est dubium, ad fidem catholicam pertinere: explicite enim revelata propositio est, quæ immediate seu propriis aut synonimis verbis in deposito divinæ Revelationis continetur. Hujusmodi sunt quæ in Scripturis de Christi ortu, vitæ genere, morte, resurrectione et ascensione exhibentur: item veritates quæ totius Religionis nostræ sunt fundamentum, ut Trinitas Personarum in Deo, Christi divinitas, ab eoque facta hominum Redemptio. Hinc etiam antequam de iis definitio ab Ecclesia edita esset, merito ut hæretici habiti sunt et condemnati, qui eas negabant; Ecclesia enim definiendo Libros sacros Verbum Dei continere, has veritates sufficienter proposuerat uti revelatas ac fide catholica credendas.

2. Aliæ propositiones seu veritates sunt *implicite* tantum revelatæ, et illæ sunt, quæ nonnisi mediante aliqua illatione vel ratiocinio ab explicite revelatis deducuntur, et solent etiam *conclusiones theologicæ* nuncupari. Cujusmodi est quæ docet humanam in Christo voluntatem a divina distinctam inesse; quæ adstruit absolutam Baptismi necessitatem quoad infantes etiam a fidelibus parentibus ortos; quæ tradit, valere Baptismum etiam ab infideli homine administratum, etc. Quæ tunc tantum constituerunt catholicæ fidei dogma, cum definitum fuit ab Ecclesia christianæ doctrinæ custode, interprete et magistra.

Alii diversam rationem assignant: ajunt, inquirendum esse a quibus præmissis deducatur nostra conclusio. Nam potest deduci tum a duobus præmissis revelatis, v. g.: *omnes Apostoli repleti sunt Spiritu Sancto; atqui Matthæus erat Apostolus; ergo Matthæus repletus est Spiritu Sancto.* Tum ex majori generali revelata, et minori non revelata; v. g., *vera Christi Ecclesia debet esse una, sancta, catholica, apostolica: atqui Ecclesia Romana est una, sancta, catholica, apostolica; ergo est vera Christi Ecclesia.* Tum ex majori generali omnino certa, sed non revelata, et ex minori revelata: v. g., *omnis homo est risibilis; atqui Christus verus est homo; ergo Christus est risibilis.* His positis, dicimus: 1. propositiones ex duabus præmissis revelatis legitime deductæ, ad fidem

divinam pertinent; nam in ipsa propositione revelata formaliter continentur. In hoc quippe natura syllogismi sita est, ut prima præmissarum conclusionem in se contineat, et altera vero eam esse contentam manifestet.

2. Idem dicendum, si propositiones ex majori generali revelata et minori non revelata deductæ sint; nam adhuc in propositione revelata formaliter continentur: in propositione enim generali continentur, et minor non revelata declarat esse contenta. Sed omnino requiritur, ut *minor* sit absolute certa, uti est in supra laudato exemplo de Romana Ecclesia: alioquin firmissimus præberi non posset assensus ad fidem requisitus. Unde si minor esset tantum moraliter certa, conclusio ad objectum fidei non pertineret, et propositio ei adversa non esset hæretica, sed erronea. Hinc in hoc exemplo: *infans legitime baptizatus et ante usum rationis moriens, est sanctus; atqui Petrus ante usum rationis mortuus, legitime fuit baptizatus, ergo Petrus est sanctus;* hæc conclusio ad fidem non pertinet; quia moraliter tantum certum est Petrum fuisse legitime baptizatum, nisi ad summum respectu baptizantis, aut nisi tot fuerint testes, ut absolute certum sit nihil essentiale fuisse omissum.

3. Si vero conclusio deducatur ex majori universali omnino certa, sed non revelata et ex minori revelata, utrum ad divinam fidem pertineat, disputant. Alii cum Antoine, Cano, Vasquez, etc., affirmant; nam talis conclusio necessariam habet connexionem cum propositione revelata: ergo eam vi testimonii divini credere debemus. Sed Lugo, Suarez, Lherminier aliique probabiliter contendunt, conclusionem illam veram quidem esse veritate theologica; non autem veritate revelata. Sane illa propositio non est vera veritate revelata, ideo neque de fide divina credenda, quæ directe non creditur vi divini testimonii, sed vi illationis theologicæ; atqui talis est hæc nostra (de qua hic agimus) conclusio. Adde: illa assertio non est de ipsa fide divina, cujus major (ideo et conclusio) sine errore in fide negari potest; atqui id evenit in casu nostro. Qui sane negaret hominem esse risibilem, errorem diceret, non hæresim; nam proprie iste non negaret aliquid revelatum.

Si tamen accederet definitio Ecclesiæ, tunc nullum amplius dubium est, conclusionem illam esse de fide catholica tenendam; Ecclesiæ enim est de veritate doctrinæ infallibiliter judicare.

1003. Q. 2. *Quænam sunt criteria, indicia et argumenta, quibus dignoscit Ecclesia, an aliquid revera in divina Revelatione contineatur?*

R. Sunt Patrum scripta, libri liturgici, dies festi, acta Martyrum, perpetuus fidelium sensus, et ipsorum hæreticorum testimonia; item monumenta archeologica; denique inter omnia eminet primumque sibi locum vindicat juge ac vivum Ecclesiæ magisterium.

Q. 3. *Quotupliciter potest catholica veritas definiri?*

R. Multipliciter potest veritas catholica definiri: — 1) *directe*, et est cum veritas ab Ecclesia expresse, seu conceptis verbis credenda proponitur, ut ordinarie fit; — 2) *indirecte*, cum *in obliquo* veritas tenenda proponitur; *in recto* autem infallibilitas Ecclesiæ, quæ ita statuit, uti est illud: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, anathema sit* (Tridentinum, sess. XXIV, can. 7); — 3) *tacite*, cum ab Ecclesia factum, quod a jure pendet et in eo fundatur, sancitur uti est illud: *Si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia*

pietatis, anathema sit. Hujus canonis objectum per se meram attingit disciplinam; attamen canon dogmaticus est, eo quod jus involvat seu potestatem Ecclesiæ in tali disciplina sancienda (Tridentinum, sess. XXII, can. 7). *V.* Perrone, *Disputatio Theologica de immaculato B. M. V. Conceptu.*

NOTA: Propositio, quæ annuntiat rem sicuti est, sed in deposito Revelationis non immediate contentam, dicitur *certa*, uti est propositio quæ docet dari actus in specie sua et in abstracto indifferentes. Si vero gravibus, sed non inconcussis nitatur momentis, tantum *probabilis* dicitur, ut sunt Theologorum opiniones; si enim adhuc opiniones sunt, de probabilitatis finibus non exeunt. At si propositio in deposito divinæ Revelationis sit contenta, adeo ut nihil amplius desit, ut sit fide catholica credenda, nisi Ecclesiæ definitio, dicitur *proxima fidei.*

(C) Pag. 611.

1004. Quod pertinet ad privatum illum cui speciatim fit revelatio, sunt qui cum Gotti docent, hanc credi ab ipso debere fide theologica: et consequenter quæcunque ipsi revelantur a Deo, esse objectum materiale fidei divinæ; cum prima Veritas sit ratio propria et proxima assentiendi omnibus quæ revelantur quibuscunque revelentur. Sed negant alii ipsum posse privatæ Revelationi credere ex fide catholica, qua christianus est; cum hæc revelatio non contineatur in ambitu objecti formalis catholicæ fidei, sed ex alio speciali lumine superno eruatur. — *V.* Benedictus XIV, *De Beatificat.*, l. III, c. ult. — Liguori, *Homo Apost.*, append. 1ª, n. 19, ubi etiam agitur de locutionibus et visionibus.

Q. 1 *Quid agere debet confessarius cum pœnitente, qui sibi a Deo factas revelationes affirmat?*

R. Confessarius admodum caute procedat, maxime cum mulieribus, ita ut non sit nimis credulus, sed neque omnino incredulus: *Præmonendus lector est*, inquit doctissimus Blosius, *ne perversum quorundam hominum judicium sequatur, qui revelationes et visiones ceu vanissima somnia contemnendo se parum spirituales esse ostentant.* Hac de re:

1. Jubeat pœnitenti, ut sibi referat omnia, quæ videt et audit sive vera sive falsa: ipsa tamen neque de iis cognoscendis desiderium ostendat, nec, quæ sibi manifestantur, aliis aperiat.

2. Caveat, ne peculiarem existimationem animæ illius manifestet; multo minus alios ad illam mittat, ut ejus precibus se commendent. Imo ostendat se illam non facere majoris quam ceteras, sicque in humilitate et timore eandem contineat.

3. Si percipiat ipsam in perfectione proficere, adjuvet, et animosiorem faciat, uti Historia ecclesiastica nos docet fecisse s. Franciscum Borgia, et b. d'Alcantara cum s. Theresia, quam tutam fecerunt supernaturalia dona, quibus effulgebat, vere esse a Deo.

4. Eam hortetur, ut initio orationis uti præludium præ oculis sibi ponat aliquod vitæ et passionis Christi Domini nostri caput.

5. Sciat quod privatæ revelationes, sicut et visiones quædam et locutiones supernaturales, esse possunt etiam a dæmone, qui est pater mendacii; ideo prudentia maxima opus habet confessarius. Certo essent a Patre mendacii, si essent contra ritus Ecclesiæ, contra Ecclesiæ morem, contra communes Doctorum et Asceticorum regulas. Et hujusce allucinationis exempla neque nostris temporibus desunt: vide Ber-

gier, *Dizionario* etc. V. *Cuenca*. Et Gregorius XVI, Brevi 8 nov. 1843, damnavit novam sectam gallicani Petri Vintras, qui arcana Angelorum aliorumque Cœlituum et ipsius Christi alloquia, visiones, miracula in vulgus spargere audebat ipsi catholicæ veritati contraria (vide *Il Cattolico*, vol. XXII et XXIII). Et Pius IX mense maji 1850 aliam similem anathematizavit; Deus enim falsa et Ecclesiæ suæ magisterio contraria revelare non potest, quin se ipsum totum neget. En quo ducit superbia et vesana libido! (*V.* Perrone, *Il Protestantismo e la Regola di fede*, parte 1ª).

6. Ad probandos *spiritus, si ex Deo sint* (I, Jo. IV), confessarius potest adire plura scripta; v. g. *Vita et Opera s. Theresiæ*. — Castelvetere, *Direttorio mistico*, l. II, p. 2ª. — Scaramelli, *Direttorio mistico*. — Liguori, *Praxis*, nn. 139 et seqq. — Bona, *De discretione spirituum*. — Benedictus XIV, *De Canonizatione Sanctorum*, l. III, c ult., ubi media suppeditantur ad discernenda vera a falsis. — Balmes, *Il Protestantismo* ecc., c. VIII. — *Analecta Juris pontificii*, anno 1854: *Révélations privées; leur auctorité et leur usage.*

Q. 2. *An liceat decipere mulierem ei porrigendo Hostiam non consecratam pro consecrata quam petit, ad experiendum num a Deo sint extases quas patitur, et mira quæ loquitur?*

R. Negandum cum Suarez, quia sic agere est communicantem inducere in idololatriam; quod ideo agere non licet neque ad indispositum, qui velit communicare, decipiendum (vide dicenda Lib. III, n. 30). Sunt tamen qui cum Diana id licere affirmant, si agatur de re magni momenti et si actis omnibus aliis experimentis ambigua adhuc res sit, et habito consilio majorum; periculum enim idololatriæ non est nisi materiale, quod porro cum gravi causa potest indirecte permitti. Idque variis probant exemplis, præsertim illo quod totam Romam testem habuit sæculo XVI, quod brevi perstringit Calend. Diœces. Mediol. *in resolut. ad quæsita s. Liturgiæ anno* 1868.

« Ursula Benincosa virgo Deo sacrata nata Neapoli 1547, divina charitate succensa, inter ceteras supernaturales gratias miris extasibus donabatur, in quibus tanto pondere Spiritus Sanctus eam figebat, ut immobilis permaneret, imo brachia ejus aliquando in raptu extensa gravissima pondera sustentarent. Anno 1582, sic Deo jubente, Romam venit ad Gregorium XIII, cui, post plures extases in ejus conspectu habitas, reverenter exposuit Deum ob totius Christianitatis peccata nimis esse offensum ac flagella versare paratum, nisi sincera agatur pœnitentia. Volens Papa certificari an virgo vere a Deo extases haberet vel a dæmone deciperetur, selectis piis et doctis viris, inter quos s. Philippus Nerius tunc Romæ vivens, præcepit ut ipsi ejusdem Ursulæ spiritum diverso probarent. Humiliationum, mortificationum, jejuniorum aliorumque pœnalium operum præstantissimi viri rigida ei injunxerunt exercitia, quæ omnia patienter et lætanter famula Dei est perpessa, quin extasis donum imminueretur. Unde deventum fuit ad hoc ultimum: videlicet cum longa inedia cœlestis convivii Ursulam defatigassent, ac ipsa eucharistico Pane recreari enixe postularet, eidem intimarunt, ut pro die crastina se præpararet ad sacram Communionem, cujus loco secretissime paratam ei detulerunt particulam non consecratam; at illa divinitus id agnoscens, ait: *Non est hic Dominus meus Jesus Christus.* Quo audito, s. Philippus in lacrymas cum aliis erupit, et omnes concluserunt Ursulam esse Deo caram et divino Spiritu vere repletam, eique statim sacram Eucharistiam præbuerunt ».

1005. *Quid* (quæres) *de illis revelationibus privatis quidem, sed*

communi suffragio religiose acceptis, quæ tamen secum pugnare videntur? v. g. raptus s. Claræ et s. Birgittæ vere supernaturales ac divini in substantia fuere. Attamen s. Clara vidit Christum tribus clavibus, s. Birgitta quatuor clavibus fuisse in cruce confixum?

R. Ideo hoc evenit, quia Sancti generatim in extasi et vident et dicunt et faciunt secundum species naturaliter jam ab ipsis præhabitas in factis historicis. Cur autem Deus nolit eas corrigere, ideo est quia id ad spiritualem fructum nihil confert; hi enim raptus sunt ad fovendam devotionem ac divinum amorem, non ad historicas quæstiones resolvendas et hominum curiositati serviendum. Sic profertur quædam Oratio s. Catharinæ senensis contra fidem Immaculatæ Conceptionis; quæ tamen nihil facit contra veritatem: non enim quæ in orationibus Sanctorum habentur, ipsis factas revelationes indicant, sed ea quæ vel ipsæ credunt, vel existimant ita esse. Unde si illa oratio fuit revera s. Catharinæ, dicimus id eam dixisse, non Deo revelante, sed ex proprio spiritu et sensu, tanquam quæ fuit filia spiritualis Patrum Dominicanorum, a quibus hanc sententiam edocta fuerat. — V. *Dissertatio* hac de re in *Actis Sanctorum Bolland. die* 5 *maji in vita s. Mariæ Magdal. de Pazzis.* — Dens, *De Virtute fidei.* — Et maxime Papebrochius, *In suis responsionibus*, art. 20.

Quoad privatas prophetias ac prædictiones, quæ hodie maxime circumferuntur, vide Lib. IV, *Appendix* 36.

(D) Pag. 612.

1006. Q. 1. *An assensus fidei sit certior naturali cognitione?*

R. Utique assensus fidei est certior ipsa cognitione naturali; nam fides innititur veritati divinæ, cognitio vero naturalis rationi humanæ; ergo concludit Angelicus: *Multo magis homo certior est de eo, quod audit a Deo qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione quæ falli potest* (2, 2, q. 4, a. 8). Unde d. Petrus: *habemus firmiorem propheticum sermonem* (Ep. II, c. 1). Sed hoc intelligendum de certitudine fidei secundum *appretiationem*, non secundum *intensionem*. Nam sæpe contingit, ut scientia clarius percipiatur ab intellectu, atque ut connexio scientiæ cum veritate magis appareat, quam connexio fidei cum eadem; cognitiones enim naturales utpote captui nostro accomodatæ, ex hac parte magis animum quietant ac satiant.

Q. 2. *An fides in natura sua ac principio formali spectata essentialiter a scientia distinguatur?*

R. Affirmative; differt nempe: 1) ex diversitate *principii*, fides enim gignitur a gratia superveniente naturæ, planeque gratuita; scientia vero a natura intelligente profluit; 2) ex diversitate *objecti*, quod in fide constituitur ex omnibus et solis veritatibus a Deo revelatis supernaturali modo; objectum vere scientiæ constituitur ex veritatibus naturalis ordinis, quas homo vi intelligentiæ suæ per se acquirere potest; 3) ex diversitate *motivi formalis*, quod aliud esse nequit in veritatibus fidei, nisi auctoritas Dei revelantis: veritates porro ordinis naturalis homo admittit vi evidentiæ aut demostrationis; 4) ex diversitate *finis*, siquidem fides una cum virtutibus reliquis quæ eam comitare debent, hominem disponit ac præparat ad ipsam intuitivam Dei visionem ac fruitionem; e contra vero per rationem ac scientiam homo non attingit, nisi cognitionem Dei abstractivam ac amorem naturalem. Ita Perrone, *De Locis Theol.*, p. 3ª, c. II.

Q. 3. *An fides major vel minor esse possit in uno, quam in alio?*

R. Cum Contensonio: non ideo fides potest dici major vel minor, quasi ipsa possit aliquem articulum repudiare; tunc enim fides foret infidelis, quod absurdum est. Neque dicitur major vel minor ex parte objecti formalis, cum hoc sit unum et simplex, nempe prima veritas. Quare ex parte solius objecti materialis potest dici fides major vel minor, quatenus nempe unus præ alio habere potest majorem vel minorem fidei explicationem et plurium vel paucarum veritatum notitiam. Vel etiam secundum majorem vel minorem subjecti participationem, tum ex parte intellectus ob majorem vel minorem mentis adhæsionem; tum ex parte voluntatis, propter majorem vel minorem promptitudinem, devotionem et pietatem. Hinc recte usurpatur precatio illa: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (Marci, XIV).

1007. Q. 4. *An obsequium fidei debitum pugnet cum hominis dignitate ac libertate?*

R. Minime; si humana fides homines non dedecorat, tanto minus divina: « In verità (scribit Orsini, *I fiori del cielo*, c. IV), noi siamo esseri molto strani ed impazienti. Dio si rivela a noi unicamente per salvarci, Egli ci fa delle promesse talmente gloriose, che sorpassano quanto potremmo meritare coll'accumulare tutte le virtù di migliaja di secoli; e rifiutiamo di fargli credito di alcuni giorni, forse di alcune ore per compierle. Ma che avverrebbe operando noi di questa maniera nelle transazioni usuali della vita? Quando la diffidenza stessa si sarebbe incarnata, forza le sarebbe di fidarsi continuamente quaggiù alla fede altrui. Tutte le grandi istituzioni riposano sopra la Fede: il patto sociale, la giustizia, l'eredità non hanno altra base. Il vostro blasone non è che una celia, nobiltà europea, se non avete fede nella virtù dei vostri avi. Le vostre costituzioni non sono che menzogne, popolo di Francia, d'Inghilterra, se non avete fede nella testimonianza scritta degli uomini politici che le hanno compilate. Senza la Fede, annientate le scoperte successive della scienza ed i progressi dell'industria, che prendono le mosse dai limiti posti da uomini che non sono più. Senza la Fede riducete ad una pagina bianca la lunga storia delle nazioni; l'esperienza dei saggi di tutti i secoli, come pure i grandi esempi del passato, sono perduti per voi. Voi non possedete, non dominate, non sapete che per mezzo della fede umana; e respingete la fede divina come cosa che ripugna alla vostra natura? Vi fidate giornalmente alla parola dell'uomo che si pasce *del pane della menzogna, che beve l'iniquità come l'acqua*, e vi lagnate di non avere che la parola di Dio, la di cui essenza è la verità per garanzia dei beni che vi sono promessi dalla Fede? non è questo il colmo della demenza? »

Audiatur etiam auctor Operis, *Quattro anni di esperienza della Religione cattolica*, c. I: « Io devo pregar qui il lettore protestante di osservare che mentre dico che il Cattolicismo lascia il giudizio libero in *tutte le materie che non sono di fede*, io sono lungi, lungi le mille miglia dall'ammettere che sia neppur l'ombra di servitù nelle materie di fede, vale a dire ne' punti finiti e dati come dommi dalla Chiesa medesima. Questa Chiesa mi comanda di credere tutto ciò che essa propone alla mia Fede; il suo comandamento è assoluto, non patisce momento di esitazione, e tuttavia io nego arditamente che ella eserciti sopra di me signoria la meno irrazionale del mondo. I decreti della Chiesa sono quelli di un giudice molto più competente di me, io ne sono convinto, in materia religiosa; di un giudice guidato, io ne ho prove certe, da un'influenza divina, dinanzi a cui sono un bel

nulla i miei mezzi personali e i miei ragionamenti individuali; ora sottoponendomi ai decreti di questo giudice, io opero con una conformità la più rigorosa alle semplici leggi della ragione.

» Non v'ha servitù a credere la deposizione di un testimonio competente; per lo contrario sarebbe più in là che follia a dubitarne. Non v'ha servitù per un agricoltore, ignorante di matematiche, a credere senza dubitarne che la terra gira intorno al sole: certamente, dietro quello ch'egli vede da sè medesimo, il sole pare a lui girare intorno alla terra; ma egli si affida ai sapienti, i quali gli hanno detto che le apparenze lo ingannavano. Non era servitù agli Ebrei ed a'Gentili, il credere alla parola del nostro divin Salvatore; perocchè vedevano i miracoli ch'Egli operava. E medesimamente io non sono uno schiavo, allora che non dubito punto delle dottrine cattoliche; poichè il più semplice raziocinio mi sforza a risguardar la Chiesa cattolica siccome infallibile. Io non posso tenermi dal credere che i tre angoli di un triangolo equivalgono a due angoli retti. Un uomo che non è uscito di senno e che non vuole per tale esser tenuto, mi potrà egli dire ch'egli amerebbe di poter credere che due e due non fanno quattro, che la terra è quadrata e non isferica? si troverà egli impacciato studiando le dimostrazioni degli *Elementi* di Euclide, o desidererà egli che gli sia consentito di negare la loro forza? Che direbbe egli, se qualche ignorante gli esprimesse una profonda pietà pel suo stato di servaggio, e se gli domandasse il perchè non inventa, secondo i diritti inalienabili della ragione, una nuova algebra o una nuova astronomia per suo proprio uso e piacer particolare? — *V.* etiam Lacordaire, *Lettere ad un giovine sulla vita cristiana*, Lett. 3.ª — Martinet, *Istitutiones Theologicæ*, vol. III, l. I, art. 2. — Ferraris; V. *Religio naturalis et revelata.* — Comba, *La Religione dimostrata all'intelligenza del popolo.* Milano, 1868.

1008. Q. 5. *Si tot validis argumentis innititur nostræ fidei credibilitas, quomodo ipsa potest dici virtus divinitus infusa?*

R. Etsi argumentis a ratione petitis ad catholicam Religionem adducamur; tanta tamen est imbecillitas intellectus humani, ut nemo divina fide credere actu valeat, nisi lumine etiam supernaturali ejus mens illustretur. Nam cum credibilitatis motiva extrinseca sint et ab hæreticis impugnata, non penitus tollunt rei credendæ obscuritatem: neque ideo tantum pariunt evidentiam, ut intellectus illico ac necessario rapiatur ad assentiendum. Quare requiritur illustratio intellectus ex motivo voluntatis, et quidem ex gratiæ auxilio juxta illud quod de Lydiæ conversione legitur: *Dominus aperuit cor* (Lydiæ) *intendere his, quæ dicebantur a Paulo* (Act. XVI).

Divina nempe illustratio mentem roborat ad divinam revelationem attentius considerandam et cognoscendam. Motio autem divina pium excitat in voluntate credulitatis affectum erga revelationem cognitam; quæ adjuta voluntas imperat menti, ut actum fidei eliceat. Sane mens nostra nunquam ad assensum determinatur, nisi vel ab ipsa veritate per suam evidentiam, vel a voluntate per liberam sui motionem. Atqui in rebus fidei non potest mens nostra determinari ad assensum per veritatis evidentiam, cum res fidei non sint apparentes; ergo determinatur per liberam ac piam voluntatis motionem; ideo fides est meritoria apud Deum. Hinc Pius XI in *Syllabo* damnavit hanc n. 9, propositionem: *Omnia indiscriminatim dogmata Religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam*

pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint. — *V.* Nicolas, *Arte di credere*, ossia *Preparazione filosofica alle Fede cristiana*. Parma, 1868.

(E) Pag. 620.

1009. Quoad catholicorum numerum notat ad rem cl. Alimonda in Opere, *Il dogma dell' Immacolata*, rag. 6°, n. 3: « Bell'opera ha fatto il signor Laurentie, il quale, rispondendo a coloro che con singhiottosi pianti annunziano di continuo alla società il decadimento del Cristianesimo, diede fuori una *Tavola*, approvata da non pochi scrittori fra i protestanti medesimi, per cui è chiarito che il Cristianesimo, dotato di un corso progressivo, conta oggidì seguaci (ciò che mai non fu per avanti) 260 milioni. Dai quali se ne togli 53 appartenenti alle chiese greche, ed un poco più di altrettanto che le chiese protestanti domandano per sè, ti rimane ancora (e sempre con l'autorità de' suoi avversari e de' signori geografi) di cattolici tanto, che alla cifra di 200 milioni non va a ferir troppo lontano.... Io sto qui coll'illustre abbate Martinet *(La Filosofia del catech.*, l. I, c. 6), a cui pare a ragione che niun meglio del Capo della Chiesa valga a conoscere indigrosso il numero de' cattolici, senza l'ordinamento del quale nessun Vescovo può tôrre il governo delle cristiane plebi, ed al quale ogni Vescovo dee mandare il conto esatto e studiato de' suoi fedeli. Or come i geografi ecclesiastici di Roma battono d'accordo sul numero di 190 in 200 milioni, sembrami giusto che vi tenga. »

» Tavola di Laurentie:

Secolo	*Cristiani*	*Secolo*	*Cristiani*
I	500,000	XI	70,000,000
II	2,000,000	XII	80,000,000
III	5,000,000	XIII	85,000,000
IV	10,000,000	XIV	90,000,000
V	15,000,000	XV	100,000,000
VI	20,000,000	XVI	125,000,000
VII	25,000,000	XVII	185,000,000
VIII	30,000,000	XVIII	250,000,000
IX	40,000,000	XIX	260,000,000
X	50,000,000		

« In Diario *Civiltà Catt.*, ser. 6ª, t. II, anno 1865: *Notizie statistiche;* accurata investigatione, hodie catholicorum numerus sic recensetur:

« Popolazione cattolica in Europa	147,194,000
» » in Asia ed Oceania	9,666,000
» » in Affrica	4,071,000
» » in America	46,970,000
» Popolazione cattolica nelle quattro parti del mondo	207,901,000

» Noi siamo giunti a poco meno di dugento e otto milioni di cattolici: e abbiam fiducia che questo numero non sia esagerato. Quand'anche però alcuno non volesse accettare alcune cifre, ei non potrà certamente co' suoi dubbi diminutivi giungere a diffalcare dalla no-

stra somma totale al di là di otto milioni.... Ora indicheremo in una semplice tavola, come si possano dividere gli abitanti della terra secondo le diverse religioni che professano.

» Il Cristianesimo		344,000,000
Chiesa cattolica	208,000,000	
Chiese orientali, scismatiche o eretiche	70,000.000	
Protestantismo	66,000,000	
	344,000,000	
» Il Giudaismo		4,000,000
» L'Islamismo		100,000,000
» Il Bramanismo		60,000,000
» Il Buddismo		180,000,000
» Culto di *Confucio*, di *Sinto*, degli *Spiriti*, ecc. .		152,000,000
» Totale degli abitanti della terra.		840,000,000

(F) Pag. 624.

1010. Fides in Deum: diximus necessario esse credendum *actu explicito et supernaturali* Deum existere, et in vita futura esse remuneraturum opera hominum; nam de existentia Dei ut auctoris naturæ, plures nequeunt habere fidem ; cum ratio naturalis evidenter eam jam demonstret. Hinc Deum esse, non dicitur articulus fidei ; sed præsupponitur ad articulos: seu est fidei præambulum, ut ait Angelicus (1 p. q. 11, a. 2), sive conditio, sine qua fides non existeret. Vel rectius, fundamentum est totius Religionis revelatæ, et supponitur in omnibus fidei professionibus; nam prius credimus Deum existere, quam revelasse. *Thomistæ.*

Quanquam nihil obstat, quominus circa idem objectum scientia et fides existant, nempe fides rationi accedat, ut naturæ gratia. Sane quidquid est in Libris canonicis ab auctoribus inspiratis narratum ad fidei objectum pertinet; et tamen in iis plura narrantur, quæ ad scientiam spectant, et viis naturalibus cognosci possunt : v. g., miracula Moysis, Christi, Apostolorum a testibus oculatis evidentia sensuum cognoscebantur. Adde: dicere unusquisque tenetur: *Credo in Deum.... omnipotentem, creatorem cœli et terræ*, quæ tamen per vias naturales optime cognoscuntur. Adde: non repugnat, quod firmus præbeatur assensus Deo revelanti sive objectum sit clarum, sive obscurum. Et tunc duplex distingui potest actus adhæsionis, unus evidentia innixus, et pertinet ad scientiam naturalem; alter revelatione fundatus, qui ideo est actus fidei. — *V.* Bouvier, *De Fide.* — Benedictus XIV, *De Ss. Canonizatione*, l. III, c. 19, n. 10. — Perrone, *De locis Theol.*, part. 3ª.

Ad rem cel. Pianciani in eruditissimo Opere , *Cosmogonia naturale comparata col Genesi*, p. 2ª, § 1: « La conclusione precipua che si trae dalle prime parole del sacro Testo, cioè il mondo essere stato creato dal nulla e non essere eterno, da tutti i cattolici si ammette. Tutti ammetteranno ancora che sia questo un *articolo di fede;* ma se con tal frase si vuole intendere che tal verità noi teniamo soltanto per fede che non può dimostrativamente provarsi, ci siamo fatto lecito diversamente opinare. Non troviamo ripugnante che un articolo

di fede possa dimostrativamente provarsi. Benchè la fede sia *speandarum substantia rerum, argumentum non apparentium;* tuttavia Iddio può rivelare all'uomo qualche verità dimostrabile con filosofici argomenti, la quale tostochè è rivelata diviene articolo di fede. Chi ignora o non intende la dimostrazione, ha per sufficiente e saldo argomento la sola fede; chi conosce e comprende la dimostrazione, dev'essere coll'animo disposto a credere quella verità eziandio, se niuna umana ragione la confermasse. »

Credere autem necesse est nonnisi unum esse Deum; hæc unitas præcipue inculcatur in Scripturis, et tantopere, ut fides judæorum illam pro primo veluti articulo contineret. Oportet item ut vox *Deus* intelligatur saltem eatenus, ut credatur Deus a creaturis distinctus vel uti mundi creator et rector, vel omnipotens, summum bonum, etc.; etsi forte circa ejusdem attributa cum aliquo errore.

1011. Fides in Trinitatem: circa Trinitatem explicite necessitate medii credi debet, quod in divinis sint tres personæ in una eademque natura divina, scilicet Pater, et Filius et Spiritus Sanctus: quæ quidem singulæ sunt Deus, non tamen tres Dii, sed unus Deus. Quæ Trinitatis revelatio fuit judæorum vulgo utique denegata; attamen Patriarchis et Prophetis notificata fuit, licet non ita clare: imo Trinitatis vestigium vel apud ipsos gentiles inveniunt eruditi. — *V.* Châteaubriand, *Genio del Cristianesimo*, l. I, c. 3; — Bergier, *Dizionario;* V. *Trinità.* — Feller, *Catechismo filosofico*, art. *Trinità.* — D. Nazianzenus, Orat. XXXVII. — D. Chrysostomus, Homil. *De incomp. Dei natura;* — S. Isidorus Pelusiota, Epist. II.

1012. Fides in Christum: Theologi tres distinguunt gradus fidei implicitæ in Christum: 1) gradus, si credatur Deum homines salvaturum esse per media sibi nota; 2) si credatur futurum esse Redemptorem seu Mediatorem inter Deum et homines; 3) si credatur hunc Mediatorem futurum esse Deum, licet ignorentur media quibus operanda sit Redemptio. Fatentur tertium gradum necessarium non esse; quidam volunt secundum gradum requiri. Sed communius dicunt primum gradum sufficere; tum quia hic gradus videtur proportionatus imbecillitati hominum lumine Revelationis positivæ destitutorum; tum quia durius esset dicere homines Judæos Messiam temporalem tantum expectantes et aliunde recte viventes vel ad Deum sincere redeuntes, salutem æternam consequi non potuisse.

1013. Quomodo credendum: hæc notamus: 1) si quis adeo sit rudis, ut fidei mysteria percipere nequeat, excusatur ratione impotentiæ, et comparatur infantibus ac fatuis: unde bene absolvi potest in necessitate sub conditione. 2) Aliud est credere, aliud memoriter scire mysteria, nempe rationem de eis reddere, seu respondere. Unde censent, omnes adultos teneri necessitate medii aliquando hujusmodi mysteria credere; necessitate vero præcepti ea scire (a quo scientiæ præcepto excusant mente obtusos). Et concludunt cum Gabriele: *Sufficere eis* (scilicet rudibus), *quod singulos articulos explicite credant, dum eis proponuntur;* neque necesse est, ut ad particulares casus articulos illos noscant applicare. 3) Ut illa mysteria explicite credantur, non requiritur perfecta eorum notitia quoad circumstantias, v. g., personas proprietatibus relativis constitui, humanitatem Christi propria carere subsistentia. Sed sufficit, inquit Sylvius, *quod rudiores credant Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unum Deum, etiamsi distincte non sciant quod sit una essentia in tribus personis; et similiter quod credant Filium Dei, verum Deum et hominem, esse passum et mortuum pro nobis; etiamsi non noverint distinguere, quod sint duæ naturæ et una tantum persona.*

Ceterum pro praxi confessariorum notamus cum Gousset: « In un paese cattolico dove pubblicamente si esercita il culto, dove si fa continuamente il segno della croce in nome della Ss. Trinità, dove il segno augusto del nostro Redentore si trova in Chiesa, nelle case, nei campi, spesso coll'immagine di Gesù Cristo confitta in croce, in uno stato proprio a risvegliare l'attenzione; dove ogni anno si celebra la memoria della natività, della morte e della risurrezione del Salvatore; dove l'immagine di Maria che tiene Gesù fra le sue braccia, ed altre immagini che rappresentano diverse circostanze della sua vita, sono ad ogni momento sotto gli occhi, egli è difficile che si possano ignorare i grandi misteri della Ss Trinità e dell'Incarnazione in modo che le assoluzioni ricevute sieno nulle. Si può certamente conoscerli e crederli senza essere in grado di enunciarli. »

1014. Doctrina fidei tradenda: ex Benedicto XIV, *Notificatione* LXXII, sub gravi tenentur Parochi, confessarii, parentes sibi subjectos actus fidei sicuti et spei ac charitatis edocere. Idem Pontifex hac de re iterum atque iterum urget Episcopos Encyclica *Cum religiosi* 26 junii 1754; et Rescripto 11 dec. 1754, illos actus recitantibus Indulgentias uberrimas concedit. Ubi notamus ex Decreto S. Congregationis Indulgent. 28 jan. 1756, ad lucrandas Indulgentias actus prædictarum virtutum vocibus exprimendos esse; ad satisfaciendum vero divino præcepto actus internos, positivos et sinceros sufficere. — *V.* disputata Lib. I *de obligat. Parochorum*, nn. 451, 634; et Lib. IV, *Append.* 1ª: *Catechisti*.

Valde autem utile est, ut certis verborum formulis illi actus jugiter fiant: « Quem enim latet (ait *Stapf*, § 155) hoc modo exercitium virtutum Theologicarum plurimum promoveri ac facilius reddi, præsertim quoad eos, qui vel generatim, vel saltem in doctrina Religionis minus perspicaces sunt? ne tamen usus talium formularum in merum mechanismum degeneret, ad officia Pastoris spectat, ut populum circa has nobilissimas virtutes sedulo instruat, et ipsas quoque formulas, quæ publice recitari solent, iterato explanare conetur. Insuper plurimum interest, qua ratione ejusmodi formulæ publice recitentur. Si sacerdos ipse hujus generis preces absque omni sensu pietatis, imo frigide et quasi tumultuarie deblateret, quid mirum, si etiam communiter Deum nonnisi labiis veneretur? Absit quidem in præeundis publicis precibus omnis affectatio, et quidquid declamatorium videtur; attamen distincte semper, et ita recitari debent, ut sacerdos sinceram pietatem spiret. Hoc modo tales formulæ fient juxta quod Ecclesia intendit, nempe vasa ad conservandum Religionis spiritum adaptata, et idonea vehicula, quibus corda hominum sursum elevantur, etc. »

Ceterum pro praxi quoad virtutes theologales recte iterum Gousset: « Per prevenire le inquietudini delle anime timorate, relativamente all'obbligo di fare atti di fede e delle altre virtù teologali, è bene l'avvertire che non è necessario recitare le formole che contengono atti di fede, di speranza e di carità. Chi fa il segno della croce, chi ascolta la santa Messa, chi adora Gesù Cristo nell'Eucaristia, fa con essi atti di fede. La recita del *Credo* in ispecial modo è certamente un atto, una professione di fede più o meno esplicita di tutte le verità della Religione che più particolarmente si è obbligato di credere di necessità di mezzo, o di necessità di precetto. Chi ricorre a Dio, sia mediante la preghiera, sia mediante i Sacramenti, fa un atto di speranza: esso non invoca il Signore se non perchè spera in Lui; se non isperasse, non pregherebbe. Similmente, recitare nell'Orazione Domenicale: *Sia santificato il vostro nome; sia fatta la vostra volontà*

così in cielo come in terra, è fare un atto di amor di Dio. Per fare un atto di fede, di speranza e di carità, non è necessario d'enunciarne il motivo. » Hac de re plura docet Synodus Novariensis, pag. 54.

Justus ex fide vivit: hac de re iterum piissimus Stapf, § 644: *Nostram fidem non verbis tantum, sed vel maxime actibus et operibus exerceamus:* justus autem meus ex fide vivit *(Hebr.* x). *Prout ergo pisces in aquis, volucres in aere, ita et nos semper in elemento fidei versari oportet. Quare dum oras, oculo fidei Deum tibi præsentem intuere; dum confiteris, in sacerdote non hominem sed ipsum Christum cogita; dum tentationes pulsant, denuo oculos ad divinum tuum regem et ducem subleva; dum quæ tui muneris sunt, exequeris,* sicuti oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi tui sint ad Dominum Deum tuum; *dum egenti subvenis, reminiscere:* quod uni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis, etc. *Presertim instandum est ut animæ piæ tempore magnæ ariditatis anchoram fidei firmiter constrictam teneant: etiamsi omni superno solatio destitutæ et atris tenebris obvolutæ sint, per nudam tamen et siccam fidem iter suum prosequantur,* habentes firmiorem propheticum sermonem, *cui attendamus* quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus nostris (II, *Petri*, I).

(G) Pag. 628.

1015. Fidei simulatio: illicita est. Opponunt tamen: 1) *nonne* (IV Reg. X) *laudatur zelus Jehu, qui ut cultores Baal de medio tolleret, simulavit se quoque velle fieri illius cultorem?* 2) *Ipsi Apostoli judaicos ritus jam abrogatos, simulatione quadam permiserunt neophytis, imo et ipsi observabant, scribente Paulo:* et simulationi ejus (Cephæ) consenserunt ceteri judæi, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem (I, Gal. II). 3) *Item s. Julianus martyr simulavit idololatriam ad idola destruenda; et s. Eusebius vercellensis simulavit se arianum fieri velle, ut nomen s. Dionysii episcopi e catalogo arianorum expungeret,* etc.

R. Ad 1: d. Thomas: *Simulationem Jehu non est necesse excusari a peccato vel mendacio, quia malus fuit utpote ab idololatriæ Hieroboami non recedens; commendatur autem et temporaliter remuneratur a Deo, non pro simulatione, sed pro zelo quo destruxit cultum Baal* (2, 2, q. 3).

Ad 2: Apostoli mosaicas cæremonias permiserunt neophytis et ipsimet observabant, utpote tunc temporis adhuc licitas et indifferentes, nondum vero mortiferas, ideoque fuit concessio, non simulatio; et factum merito fuit, ut facilius neophyti ex judaismo allicerentur ad fidem. Paulus vero vocat Cephæ agendi rationem simulationem, non eo sensu quod Cephas ficto animo ita se gesserit, sed quod facto suo tacito timeri posset ex ethnicismo conversi ne crederent, adhuc necessarios illos ritus fuisse, ut patet ex contextu (V. *A-Lapide).*

Ad 3: Aliud est simulatio ad decipiendum composita quæ nunquam licet; aliud talis agendi solertia quæ veritatem quidem contineat, non ita tamen obviam ut minus oculatis pateat, quæ si prudenter adhibeatur est laudabilis. Sic illusorie egit s. Julianus dum se velle sacrificare finxit in eum finem, ut templum et idola destrueret, prout intelligere poterant idololatræ ex loquendi modo, ex præcedenti constantia et miraculorum multitudine.

Ad 4: Quod attinet ad factum s. Eusebii qui mœrens erat de subscriptione s. Dionysii incaute decepti ab arianis, ironice et se subscripturum promisit adversus Athanasium, dummodo nomen Dionysii deleretur, et ipse primus, pater ante filium, subscriberet: quod cum libenter ariani fecissent, tunc illos increpans et irridens omnimodam subscritionem negavit. Poterant ex omnibus rerum adjunctis cognoscere Eusebium haud vere simulasse se arianum esse aut fieri velle.

1016. Fidei occultatio: practicæ resolutiones:

1. Rogatus de fide in odium Religionis ab auctoritate publica vel privata, nequit utendo restrictione mentali aut verbis ambiguis ita respondere, ut præsentibus videatur fidem negasse; multo minus dicere se esse hæreticum, calvinistam, vel non catholicum. *Azor*, *Filliucius*, etc.

2. Qui rogatus a privata seu publica auctoritate tacet vel respondet obscure, vel ait se nolle respondere, se jure non rogari, non teneri, non velle aliis dicere quod ipse credat, ac simili modo tergiversatur, non videtur negare fidem, sed nolle prodere. Unde si hoc modo potest molesta inquisitione liberari, licet, ut habet Coninchius; generatim enim verum non est quod interrogatus ab auctoritate publica teneatur positive fidem profiteri, nisi quando id necessarium est, ne præsentibus videatur fidem negasse. Ceterum si hoc speculative admitti potest, non ita est in praxi; cum vix ac ne vix quidem contingat, ut quando quis a publica auctoritate publice interrogatur de fide, ejus tergiversatio vel taciturnitas non cedat in fidei contemptum et in grave scandalum. Hinc proscripta est sub n. 18 ab Innocentio XI hæc propositio: *Si a potestate publica quis interrogatur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno.* Vide Viva in hanc ipsam propositionem.

3. Si in aliquo casu tacere esset negare, tunc id non liceret, v. g., si aliis rogatis, an fidem negare vellent, iisque respondentibus quod non, tu taceres. *Bonacina*, *Layman*, *Toletus*.

4. Si princeps generali lege jubeat, ut fideles se prodant, gestato tali signo vel aliter, ad id fideles non tenentur; cum nemo teneatur verum dicere, nisi specialiter rogatus. Excipe nisi tales sint circumstantiæ, ut hoc ipso quod se non prodant, videantur fidem negasse, uti v. g., si quidam antea noti essent, et tunc ex hoc putarentur a fide defecisse. *Sanchez*, *Becanus*, *Reginaldus*, *Billuart*, *Collet*.

5. Cum non rogaris de fide, non solum licet, sed sæpe melius est ad Dei honorem et utilitatem proximi fidem tegere quam fateri. Uti si latens inter hæreticos plus boni facias; vel si ex confessione plus mali sequeretur, v. g., turbatio, neces, exacerbatio tyranni, pericula defectionis, etc.: unde temerarium plerunque est offerre se ultro. *D. Thomas*, *Sanchez*, *Layman*, etc.

6. Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, licet; imo sæpe virtus discretionis est vitam ad Dei gloriam servare fidem tegendo modis licitis. At modus licitus non est uti signis infidelium, si alium usum non haberent quam quod sint signa professiva falsæ religionis, uti essent vestes, quarum usus est tantum pro sacrificiis; incensio thuris aut genuflectio coram idolo ut idolo; sumptio cœnæ hæreticæ pure religiosæ. *Sanchez*, *Filliucius* cum communi.

7. Licitum est (quando subest causa, v. g.; ad evitandum grave periculum, ad obtinendam victoriam, ad eludendos hostes) uti vestibus et signis infidelium, quæ aliquem alium usum habent quam profitendæ religionis, quales sunt vestes talis nationis (non religionis), quibus illa natio utitur, quibus adhuc uteretur conversa ad fidem, uti

sunt vestes nationis turcicæ. Quod verum est etsi sint vestes ipsorum religiosorum, modo non habeant peculiare signum profitendi erroris, sed sint tantum indicium nitidioris cultus, uti toga Prædicantium in Germania, vel signa eminentioris vitæ inter suos uti togæ bonziorum in Japonia. Idem dic de signis quibus alicubi judæi distinguuntur; quia hæc sunt signa mere politica et distinctiva unius generis hominum ab alio, et non proprie professiva fidei. Ita probabiliter Layman, Becanus et alii contra alios. — *V.* Benedictus XIV, Constitutionibus, *Omnium sollicitudinum, Inter omnigenas, Provinciale Concilium*, etc.

8. Qui interrogatur, an sit sacerdos, religiosus, episcopus, non tenetur confiteri, uti communiter docent contra Pauwels; quia tales tituli sunt quædam accidentia religionis, ideo illos tacendo non censetur fidem negare. Imo qui negaret, se esse sacerdotem, cum talis sit, nonnisi mendacium officiosum per se committeret. Aliud esset si se Papistam negaret in locis (dicunt in Hollandia), ubi communi usu per papistam intelligunt catholicum. *Dens.*

9. Si princeps mandet omnibus sub pœna conciones hæreticorum audire, non licet obtemperare, uti constat ex rescripto Pauli V ad Anglos: *Non licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus ac vestræ salutis.* Quod valet, etsi princeps protestetur se hac in re nihil aliud exigere, quam obedientiam civilem; nam hæc de se apta est ad catholicos paullatim pervertendos, atque ad injuriam fidei et auctoritatem hæresi conciliandam.

10. *Quæsitum fuit a summo Pontifice:* « N. exponit quod in civitate M... existat hospitium, cujus ipse rector et capellanus est, et in quo infirmorum curam gerunt moniales. Cum autem in hoc hospitio subinde recipiantur acatholicæ religionis sectatores, ac iidem ministrum hæreticum a quo religionis auxilia et solatia recipiant, identidem petant: quæritur utrum præfatis monialibus falsæ religionis ministrum advocare licitum sit? insuper utrum eadem danda sit solutio, ubi hæreticus infirmus in domo privata cujusdam catholici degit; utrum scilicet tunc catholicus ministrum hæreticum advocare licite possit? S. Officii Congregatio die 15 martii 1848 respondit: *non licere; sed passive se habeant.* »

1017. Q. 1. *An liceat catholico in hæreticorum locis manducare carnes diebus ab Ecclesia prohibitis?*

R. Si grave periculum immineret vitæ vel bonorum, licet ad fidem tegendam vesci carnibus diebus prohibitis; quia cum abstinentia a carnibus non sit instituta ad professionem Religionis, iisdem vesci die prohibito non est fidem negare. Nonne id faciunt etiam catholici mali et helluones? nec tamen dixeris, eos sic fidem negare. Nec obstaret, si cibi essent idolo consecrati; ea enim consecratio illos non facit immundos. Hinc Apostolus eos comedere non prohibet, nisi in casu scandali aliorum, vel erroneitatis propriæ conscientiæ (1, Cor. VIII et X). Diximus: *si grave periculum immineret vitæ vel bonorum;* agitur enim de re per se gravi: ideo non est attendenda simplex derisio vel levis vexatio. Attamen si per accidens esus evaderet signum professivum fidei, uti si in odium Ecclesiæ catholicæ inter convivas statueretur, ut qui hostis est Romanæ Sedis comedat carnes tali die, peccaret utique contra fidem qui eas comederet sine contraria protestatione; nam esset fidem facto negare. Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 12.

Q. 2. *Peccatne in fidem catholicus qui contrahit matrimonium coram magistratu civili, vel coram ministro hæretico?*

R. Licet catholico matrimonium contrahere coram magistratu civili, modo ante vel post contrahat ritu catholico; nam talis actio est in-

stituta ad finem mere politicum, ut nempe coram lege civili tam conjuges quam eorum filii censeantur legitimi. At non licet contrahere coram ministro hæretico, qui assistat ut *minister Religionis*, etsi ante vel post contrahatur ritu catholico; contrahentes enim testarentur, tali cærimonia, se cognoscere hæreticum ut veræ fidei ministrum, quod est intrinsece malum et hæresim sapiens.

Diximus ut *minister Religionis;* nam si ille assisteret ut minister politicus (prout in Anglia usque ad annum 1837 observatum est), qui coram politico regimine testimonium faciat de contractu matrimonio, nihil refert, si etiam coram ipso catholici conjuges exhibeant consensum. Nec obstat, ait Perrone, ab hujusmodi ministro interdum adhortationes fieri ad conjuges etiam catholicos, ut servent conjugalem fidem, prolem bene instituant, etc.; hæc ad religionem sectæ non pertinent. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. VI, c. 7; et Literæ Apost. ejusdem, *Redditæ nobis* 17 sept. 1746. — Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 16. — Perrone, *De Matrimonio cristiano*, l. II, sec. 1ª, c. 6, a. 5. — Et dicenda Lib. IV, *De matrimoniis mixtis*, Append 70.

Q. 3. *Quid de communicatione cum schismaticis et intrusis?*

R. Communicatio cum schismaticis in Divinis eis regulis vetatur ac communicatio cum hæreticis: vide Benedictus XIV, Const. *Eo quam vis*. Hinc Pius VI, postquam Brevi *Charitas* 3 apr. 1791, condemnasset schismaticam *Constitutionem civilem cleri gallicani* et qui ei adhærebant, præscriptum civicum juramentum ideo emittendo (ex ea nimirum Constitutione politicus hominum cœtus proprio jure sumpserat immutare universalem Ecclesiæ disciplinam, et ordinem hierarchicum evertere nova ratione inducta pro electione et institutione Ecclesiæ ministrorum): Instructione data 28 maji 1793 pro recto fidelium regimine hæc statuit: — 1) licitum non esse adire presbyterum juratum pro sacramento Baptismatis, nisi in casu extremæ necessitatis, in quo non sit alius valens baptizare; — 2) non posse fideles adire Parochum intrusum pro contrahendo matrimonio: unde si non suppetat medium habendi presbyterum catholicum facultatibus opportunis ad hoc instructum, fideles debent contrahere sine præsentia proprii Pastoris; — 3) fideles posse in articulo vel periculo mortis, Sacramentum Pœnitentiæ recipere a sacerdotibus juratis et etiam a Parochis intrusis, deficiente quovis alio sacerdote catholico; — 4) fidelibus vetitum esse assistere, diebus etiam dominicis et festivis, sacrificio Missæ aliisque officiis celebratis a præsbytero sen Parocho jurato; neque aliis ejus functionibus interesse vel ab eo officia ministerii petere; neque officio patrini fungi, si casu intrusus Baptismum ministret; — 5) licet sacerdoti catholico non jejuno Hostias consecratas a sacerdotibus catholicis consummare, ne scilicet in manus veniant intrusi, si aliter reverenter conservari nequeant.

Item quæstio proposita fuit: num liceret fidelibus genua flectere coram Hostiis consecratis ab intrusis? Responsum fuit affirmative, his vero additis: *ne hujusmodi cultu præstando immiscere se videantur catholici cum schismaticis, curabunt iidem catholici occasiones declinare occursus schismaticorum, cum Sacramentum deferunt.*

Schismatici resipiscentes non excipiuntur nisi publice, id est coram Pastore legitimo et debitis testibus, schisma ejurent, quando publice adhæserunt sectæ schismaticæ ab Ecclesia anathemizatæ. Si vero non fuerint publici sectatores schismatis proscripti (nec ideo principales), sufficit ut confessarium adeant (pro reconciliatione), veram contritionem profiteantur vitæ anteactæ, ac se obsecuturos auctoritati summi Pontificis et sui Episcopi spondeant. V. *Prælectiones Juris canonici ha-*

bitæ in Seminario S. Sulpitii annis 1857-58-59, par. IV, a. 2, § 1. — Cappelletti, *Storia del Cristianesimo dal* 1720 *al* 1846 ; lib. 95.

Q. 4. *Quid si in decessu alicujus acatholici, publicum funus petatur pro tota familia catholica?*

R. In opere *Analecta Juris pontificii anno* 1860, pag. 2390 legitur: « Ayant été consultée pour savoir s'il serait permis, le jour anniversaire de la mort d'une princesse protestante, de célébrer un service funèbre avec la Messe pour le repos des âmes de défuncts de la famille royale, la S. C. a répondu le 23 mars 1859: *non licere, et detur exemplum epistolæ in forma Brevis Gregorii XVI 9 julii* 1842 *ad Rupert. Feiss præsidem monachorum de Scheyern.* »

En Breve:... *Literas accepimus, quibus.... significas, carissimum in Christo filium nostrum Bavariæ regem in restituendo vobis cœnobio eam apposuisse conditionem, ut monachi in sua Ecclesia funus celebrare tenerentur pro rege ipso cum morietur, et in anniversariis porro diebus in perpetuum; itemque pro regina conjuge ac pro futuris deinde seu regibus seu reginis tum in cujuscunque obitu, tum in diebus anniversariis qui usque ad subsequentis mortem intercedent. Addis autem, te quidem, dilecte fili, jam tum præsensisse difficultatem ex eo facile obventuram quod serenissima regis uxor a catholicis sacris aliena est; sed nihilominus ex cujusdam prudentis, ut putabas, viri consilio induxisse animum, ut conditionem illam acciperes ea mente, ut si deinceps eadem regina extra communionem catholicam moriatur, sacrificium Missæ in ipsius funere et anniversariis diebus offeratur pro regia catholica familia universim. Verum cum nuper in morte acatholicæ item mulieris serenissimæ reginæ viduæ non leves circa ejus funus toto regno dissensiones extiterint, tuum esse duxisti referre ad nos de conditione illa ac de ratione a te monachisque tuis eo in casu tenenda, sententiam nostram exposcere. Nos igitur sanctisssimæ insistentes Ecclesiæ regulis respondemus, intentionem illam offerendi divinum Sacrificium seu alias preces pro defunctis e catholica regia familia universis, haudquaquam satis esse ad cohonestandum, publici funeris causa, quod pro acatholica persona nominatim postulatum est, et in ejus obitus aut annua die celebratur. Atque hinc nos ipsi etsi te, dilecte fili, tuosque monachos paterna charitate, prosequamur, ea tamen quæ ad cœnobium istud ejusque res pertinent, non antea probaturi et confirmaturi erimus, quam conditio illa, incaute a vobis suscepta, ad sola catholicorum principum funera restringatur. Nec enim permittere possumus, ut ullo modo fraus fiat prohibitioni illi quæ in catholica ipsa doctrina innititur, de sacro funere pro defunctis acatholicis non celebrando. Age itaque, dilecte fili, impende tuam omnem industriam atque operam quo serenissimus rex pro pietate sua id omnino annuat... Interea si ante quam rem cum sua majestate compositam contingat, quod Deus avertat, reginam serenissimam extra veram catholicam fidem supremum diem obire ; multa tibi monachisque tuis firmitate animi prudentiaque opus est, ut vos quidem gravissimum illud Ecclesiæ sanctæ interdictum minime violetis, et pius rex intelligat haudquaquam fieri posse, salvis religionis officiis, ut eidem ea in re morem geratis....*

Q. 5. *An catholici Missionarii ac presbyteri a schismaticis rogati, in horum Ecclesiis prædicare possint?*

R. S. Congregatio de Propaganda fide anno 1674 ad Ægypti Missionarios respondit: « Vel invitantur ad effectum ut ibi prædicetur veritas catholica indefinite et etiam contra errores eorundem schismaticorum, et tunc affirmative. Vel tantum ut sermo fiat de virtutibus et vitiis, quæ communiter tam a catholicis quam a schismaticis amplecti ac vitari debent, et negative. »

Q. 6. *An catholicis liceat pecuniam pro ædificando templo hæretico contribuere?*

R. S. Pœnitentiaria anno 1822 respondit: « Affirmative, sed tantum ad se suaque templa ab incommoda illa ac scandalosa cum protestantibus simultaneitate liberando. »

Q. 7. *An Parochus hæreticum, schismaticum ac excommunicatum esse fidei sponsorem sinere aliquando queat?*

R. Certum est prohiberi Parocho a sacris canonibus, ut hæretici et etiam de hæresi suspecti tanquam fidei sponsores adsciscantur. Verum, urgente necessitate, præsertim ubi ex Parochi oppositione, scandala et alia mala prævideantur, id licitum esse plures arbitrantur — *V.* Layman, *Op. Mor.*, l. v, tr. 2, c. 9; et Barbosa, *De officio et potestate Episcopi*, alleg. 30, etc.

Q. 8. *An in regionibus ubi hæretici jus politicum, cultusque libertas conceditur, catholici qui ex officio templis extruendis solvendisque denariis pro cultus exercitio ac ministrorum sustentatione addicti sunt, ærarii publici pecuniam dare licite possint, ut templa protestantium ædificentur ac conserventur, eorumque ministri alantur ac sustententur?*

R. Auctor Operis, *Prælectiones Juris can. habitæ in Seminario S. Sulpitii*, affirmat; tum quia ii, qui ex officio concurrunt ad templorum ædificationem et ad partitionem denariorum publicorum quæ attribuuntur pseudoministris, non habentur uti complices hæresis; tum quia ii qui remote tantum et mediate ad actum cultus hæretici concurrunt, necessitatis causa, illum eo ipso approbare non censentur; sed semper et in omni casu scandalum amovendum est. *V.* Vecchiotti, *Instit. canonicæ*, l. iv, c. 2, § 12. — Aichner, *Compendium Juris canon.*, § 47. — Perrone, *De Virtute Religionis;* item *de fide.*

1018. Fuga in persecutione: fuga aliquando est *præcepta*, aliquando *prohibita*, aliquando *libera.*

1. Est *præcepta*, quando quis, conscius suæ imbecillitatis, timet ne propter tormenta in confessione fidei deficiat; item cum persona necessaria est vel summopere utilis bono communi, aut si prævidetur tyrannum magis in Ecclesiam incitandum; 2) est *prohibita*, quando per fugam subtraheretur honor Deo debitus aut proximo utilitas impendenda: quod maxime currit de Pastoribus; 3) extra dictos casus fuga erit tantum *consilii;* ut si quis in Domino confidit se posse fidei confessionem sustinere, et tamen etiam absque scandalo potest se subducere, et quin Dei honor vel proximo utilitas pessumdetur. Hoc prudentis est judicare et coram Domino.

Dices: *Apostoli nonne culpantur, quia relicto Christo, omnes fugerunt?* Sed respondemus, quod Apostoli non peccarunt præcise fugiendo ferociam judæorum; sed quia magistrum suum videbantur deserere cum quadam ignominia et diffidentia, quasi jam actum esset de iis, quæ Christus illis promiserat. *Dens.*

Quæres: *An liceat Pontifici Maximo tempore persecutionis fugam arripere, etiam relicta Roma?*

R. Quod neque majoribus nostris, neque clarioribus nostrorum temporum Theologis et Canonistis hactenus in mentem venit, neotericus quidam italus presbyter (in Lib. Ernesto Filalete. *Sull'obbligo del Vescovo romano e Pontefice massimo di risiedere in Roma;* Firenze, 1861), impudentissime ausus est negare, Romano Pontifici tempore persecutionis (etiam Roma ipsa sive nondum sive jam capta ab inimicis) fugam arripere et alio se transferre fas esse. Quid consilii secum animo gereret auctor cum in tantam devenit absurditatem, num ut Pontificem sic traderet inimicis, ipse viderit. Quatuor nos tutissime propu-

gnamus: 1) Christum Dominum non excepisse suum in terris Vicarium, quando dixit Apostolis: *cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam;* 2) neminem sanæ mentis negare posse Romano Pontifici jus illud, quo ob Ecclesiæ bonum usus est apostolus Paulus cum *se fuga eripuit a Præposito Damasci;* 3) sæviente in Sedem Apostolicam impiorum persecutione, ad ipsum Pontificem, non ad Ernestum Filaletem neque ad inconsultos ejusdem asseclas spectare judicium circa id, quod Ecclesiæ universalis regimen et utilitas a suo Capite exigat, moram an potius fugam; 4) plenam esse exemplorum historiam Pontificum qui tempore persecutionis e manibus inimicorum evaserunt, Roma ipsa relicta; et illorum complures inter Sanctos totus veneratur Orbis. Quis porro erit Filaletes in mundo, qui eo audaciæ procedat, ut ipsos accuset quasi officio suo defuerint?

« Sapete voi (sic Filaletem aggreditur doctissimus Nardi), sapete voi quanti Papi in otto secoli, dal IV al XII, da s. Innocenzo I a Clemente III lasciarono volontariamente Roma per esercitare altrove più liberamente il Pontificato? Nientemeno di 23; de' quali sei Santi: uno è quel s. Leone IX che lottò così fortemente contro la tirannia imperiale su' Papi; altro è il sommo Gregorio VII che la distrusse; altro quell'Alessandro III nel cui nome gli Italiani vinsero a Legnano, fondando le prime libertà civili al di qua delle Alpi: s. Leone e Alessandro vissero fuori di Roma quasi tutto il loro Pontificato. » Addit non vetus exemplum Pii Pp. VII, sic inquiens: « Guardate, lo stesso Pio VII nel 1815 quando Murat tentò l'impresa (occupandi Romam); appena il primo soldato Napoletano passò la frontiera, Pio VII, benchè reduce appena da un lungo esilio, co' suoi gloriosi compagni di sventura, i Cardinali, lasciò Roma e lo Stato, rifugiandosi nella fedele Liguria. » (*V.* Opusc. *Ad Ernesto Filalete sull' obbligo* ecc. *Risposta* di monsignor Franc. Nardi, prelato domestico di Sua Santità, uditore di S. Rota; Roma. Item *Civ. Catt.*, ser 4ª, t. XII, p. 340.

(H) Pag. 642.

1019. Hæretici et Apostatæ Jurisdictio: Ecclesiastici qui post adeptum officium in hæresim incidunt vel apostasiam, debent omni jurisdictione, suoque officio privari. Lateranense sub Innocentio III ait: *si clericus fuerit, deponatur ab omni officio et Beneficio.* An vero ipso jure, ante judicis declaratoriam criminis sententiam clericus officio privetur, amittatque simul jurisdictionem, non conveniunt. Bellarminus propugnat hæreticum manifestum, antequam denuntietur expresse et nominatim, amittere Jure divino et ratione hæresis omnem penitus jurisdictionem, et suam sententiam dicit sententiam omnium *(De R. Pontifice*, l. II, c. 30). Ratio quia hæreticus separatur ipso facto a corpore Ecclesiæ; ideo nullam amplius in ea jus habere potest.

Sed alii duce Suarez *(De fide*, sec. V, disp. 21) docent non Jure divino, sed ecclesiastico amittere jurisdictionem, nec ab Ecclesia privari, nisi judicis sententia intercesserit, aut hæreticus officio suo publice renuntiaverit. Fides enim non est fundamentum omnino necessarium jurisdictionis; hæc enim potestas fundatur in charactere Baptismi et in ministerio ecclesiastico; atqui hæresis etiam externa et manifestata non tollit characterem baptismalem. Adde si jure di-

vino amitteretur jurisdictio ratione hæresis, hæreticus occultus ea privaretur non secus ac manifestus; non est enim discrimen Jure divino inter utrumque. Quam autem damnosa consectaria ex illa privatione in Episcopo, in Parocho, etc., si in hæresim occulte laberentur, nemo non videt. Demum Ecclesia olim hæreticos Episcopos suam hæresim retractantes, in suis muneribus recipiebat, sine nova Episcopatus concessione. Hinc ad rem card. Soglia: *Quoties igitur hæreticus manifestus neque potestati suæ nuntium miserit, neque ab Ecclesia privatus extiterit, jurisdictionem retinet; et saltem hoc ipso ad externum Ecclesiæ corpus aliqua ratione pertinet, ratione scilicet ipsius ecclesiastici ministerii quod adhuc possidet* (Instit. Juris privati ecclesiast., § 234). — *V.* Vecchiotti, *Inst. Canon.*, l. IV, c. 2, § 11.

1020. Apostasia virtualis: Diarium *Civ. Catt.*, ser. 4.ª, v. III, commendans opus p. Perrone, *Prælect. Theol., de Virtutibus fidei, spei et charitatis*, hæc scite notat quoad apostatas: « Un articolo che noi reputiamo importantissimo per la pratica si è il 3° del c. IX: si tratta in esso dell'*apostasia* in modo che, toccato della *formale* quel tanto che è mestieri, si discorre largamente in tre paragrafi della *virtuale* od *interpretativa*. E ciò con somma saviezza; perocchè se pochissimi sono quelli che a' nostri dì insozzano l'anima per la prima, il che si fa rinnegando Cristo e la sua Religione per rendersi pagano, maomettano o seguace del giudaismo; s'incontrano in gran numero coloro che si bruttano della seconda, e ciò accade negando Cristo e la sua Religione in opere ed in principii: *de hac (apostasia virtuali) propterea*, conchiude il ch. autore, *mihi peculiari ratione agendam esse existimavi ut tantum malum quantum in me est, a christiana republica avertam.* A tal uopo nel primo dei tre paragrafi egli partisce in vari ordini cotali apostati; nel secondo determina il grado di malizia a cui giungono; nel terzo, detto brevemente del gravissimo peccato che tutti commettono, scende al particolare, annoverandoli secondo le varie maniere, in cui vi cadono. E siccome questa enumerazione è cosa utile a sapere per ogni ordine di persone, crediamo opportuno di metterla qui in compendio. Sono dunque rei di apostasia virtuale od interpretativa fra i cattolici odierni:

» 1. Quelli che con deliberata malignità fanno plauso alle ingiurie e villanie, con che gli increduli e gli eretici mordono e lacerano la Chiesa affine di renderla dispetta, e per tale motivo non curano, o peggio calpestano i suoi precetti.

» 2. Quelli che non per leggerezza d'animo, ma pensatamente insultano al Papa, ai Vescovi, ai preti, ai religiosi, in quanto sono ministri della Chiesa da loro odiata, e li calunniano, vilipendono, deridono, perseguitano.

» 3. Quelli che dentro ai teatri mettono in iscena le cose sacre ed i sacri ministri, facendoli segno allo scherno ed al comune disprezzo per istaccare gli animi dalla Religione. Nella quale scelleratezza partecipa cogli attori chi per obbligo del suo offizio dovrebbe impedire cotanto scandalo, e quella turba pazza che applaude a coteste rappresentazioni.

» 4. Quelli che propongono leggi avverse al bene della Religione e rovesciatrici dei dommi, della disciplina e dei diritti della Chiesa: e gli altri che si sforzano di far tacere i banditori della verità cattolica a sè disaggradevoli, in quella che, a sovvertimento de' popoli, porgono ogni maniera di favori ad alcuni presbiteri, ribellatisi indegnamente ai loro superiori.

» 5. Quelli che a far palese il proprio disprezzo verso le leggi ec-

clesiastiche se ne mostrano con ostentazione violatori, ne sparlano, in pubblico, e con sensi impliciti negano alla Chiesa l'autorità di farle. Vanno con questi coloro i quali revocano al proprio sindacato le costituzioni e gli atti solenni del Pontefice e gli esaminano e ne pronunziano sentenze, non altrimenti che se eglino fossero i giudici supremi. Il che è da intendere non solo delle costituzioni dommatiche e dottrinali, ma eziandio di quelle che spettano alla disciplina ed ai costumi. *Benchè* (soggiunge a questa enumerazione il ch. autore) *non tutti costoro siano per avventura allacciati dalle censure ecclesiastiche, siccome gli eretici e gli apostati formali; contuttociò davanti a Dio, anzi io dico, e davanti agli uomini, ai quali porgono sì grave scandalo, sono da reputarsi tali.* » — V. Opus, *I liberi pensatori*, *dialoghi*. — Modena. Nova impiorum secta, qui ex professo omni religioni valedicunt. — *Civ. Catt.*, ser. 6ª, t. II, III, VI, et passim. — Grosselini, *I liberi pensatori in contraddizione*. Milano, 1866.

1021. Hæretici denuntiatio: s. Alphonsus (l. III, n. 27 distinguit inter hæreticos formales et solum suspectos de hæresi: illos docet denuntiandos esse semper, et a quolibet etiam consanguineo ob rationem boni communis (quod etiam dicendum est de *carbonariis* ex declaratione S. Pœnitentiariæ et dicendis, Lib. IV, *Append.* 25; istos generatim consentit non esse denuntiandos cum gravi incommodo, quia generatim supponitur in hac facti specie abesse communitatis damnum. Igitur eo in casu satis probabiliter non solum filii, non solum conjuges a denuntiatione excusantur, sed etiam sanguine conjuncti usque ad quartum gradum inclusive; denuntiare enim proprios conjunctos idem est ac grave incommodum subire. — Ex Synodis tamen Diœcesanis (uti ex Novariensi) denuntiantur uti suspecti de hæresi Episcopo vel Vicario: 1) qui Ecclesiæ potestatem, ritus, leges et præcepta aspernantur; 2) qui Sacramenta et eorum usum, orationes, indulgentias et suffragia mortuorum irrident et calumniantur; 3) qui blasphemias in Deum, in Beatam Virginem, atque in Sanctos ex habitu et pacato animo eructant; 4) qui ut alios ad turpia et inhonesta pertrahant, dicunt impudicitiam vel non esse malum vel prorsus leve; 5) qui fidei et morum rudimenta, ætate adulta, discere negligunt: ac moribus tam dissolutis vivunt ut fidem exterius interiusque amisisse videantur (*pag.* 24). Quod tamen cum limitationibus in textu explicari oportet.

1022. Grande Fidei tutamen: hic præterire non possumus factum constans, quo mire validatur temporalis Romanæ Ecclesiæ Principatus apud omnes, qui catholicam fidem cordi habent. Quod ita exponit cl. Muzzarelli, *Il buon uso della Logica* ecc., t. IV, opusc. 17: « Nella sovranità del Papa io trovo un grande ostacolo alla propagazione dell'eresia. Dovrebbe cagionar qualche maraviglia nel leggere il catalogo degli eretici e delle eresie che ci hanno lasciati i santi Ireneo, Epifanio ed Agostino; il vedere come a que' tempi gli eretici sono stati tanto più numerosi, che non nei secoli posteriori. Ma dacchè i Papi hanno esteso il loro temporale dominio, e specialmente nei tempi in cui essi sono stati più liberi e più assoluti e più pacifici sovrani, si osserverà che le eresie e gli eretici sono stati meno frequenti. Ed ecco il perchè: nel tempo che i papi non erano sovrani, un eretico cominciava a disseminare la sua dottrina in una Diocesi troppo impunemente. Imperocchè per reprimerlo vi era bisogno o del Vescovo o di Concilio o del Papa. Se il Vescovo poteva reprimere costui nella sua Diocesi (e non sempre il poteva), non poteva però impedire che l'eretico non passasse ad altre Diocesi, e che

per mezzo de' suoi settari non disseminasse l'errore per ogni dove; tanto più che i Vescovi particolari non avevano nè anche un'autorità definitiva per far riconoscere con sicurezza l'errore per errore. Il Concilio non poteva adunarsi che con molta fatica e con molto tempo, e intanto l'errore seguitava a dilatarsi impunemente. Il Papa medesimo non potea essere consultato così facilmente: egli talvolta era sepolto in carcere, altra volta in esiglio; e guadagnato l'imperatore nei cui Stati vivea il Papa, si potea facilmente rendere inaccessibile o frustranea la sua autorità, senza lasciargli un angolo in cui esercitarla con sicurezza. Ma dacchè i Papi divennero sovrani, la loro persona si rese più rispettabile ai principi stessi, i quali considerarono nel Papa non solo un maestro nella fede, ma anche un eguale nella sovranità, e che in conseguenza potea loro nuocere o favorirli anche nei temporali affari.

» Quindi i principi restarono sempre più attaccati ai Papi, e gli eretici tanto più disperarono di trovare nel principe un protettore: e i Vescovi tanto più facilmente trovarono accesso al Papa contro i nascenti errori, e i Papi medesimi divennero più coraggiosi nell'opporsi agli eretici e nell'implorare l'ajuto de' monarchi. Se un principe si ribellò al Papa, ve n'ebbe un altro che lo sostenne, non solo per titolo di Religione, ma anche per gelosia del suo eguale; e il papa così sostenuto e difeso, potè più agevolmente convocare un Concilio, abbattere l'errore, e procurare l'accettazione dei sinodali decreti negli Stati e nei regni cristiani. Sempre poi rimane al Papa il suo Stato, in cui poter eseguire senza ostacolo le proprie leggi; in conseguenza rimase sempre uno Stato immune da tutte le eresie, e che potesse nelle controversie di fede servire di specchio e d'originale ai Principi, ai Vescovi, ai popoli. Tanto è innegabile questo fatto, quanto è certissimo che gli eretici più rabbiosi e più forti hanno sempre attaccato con le loro invettive il dominio temporale del Papa, come, per esempio, i wicleffisti gli albigesi, i luterani; e al dì d'oggi tutti gli increduli e i libertini, ben conoscendo che la pontificia sovranità era ed è un ostacolo all'urto dell'empia e diabolica loro ribellione » It. vide *La sovranità temporale dei Papi; raccolta di opuscoli diversi* ecc. Roma, tipografia Aureli e C., 1860.

(I) Pag 646.

1023. Disputatio de fide inter laicos: ad rem in Opusc. *Allocuzione di un Parroco vicino a morte:* « Astenetevi da ogni disputa o discussion religiosa cogli eretici e loro fautori; la Chiesa vel proibisce sotto gravissime pene; vel proibisce s. Paolo (ad Rom. XVI, v. 17; ad tit. III, v. 10), e l'Apostolo s. Giovanni (epist. II, 10). Le pecore debbono fuggire i lupi, non fare loro resistenza: ciò spetta ai Pastori; sicchè quando, vogliosi di attaccar briga con voi, cominciano a raccontarvi storielle a disonore de' preti, e segnatamente dei sommi Pontefici (loro vezzo ordinario), voi avete a diffidare dei loro racconti, perchè costoro leggono soltanto scrittori anticattolici; storici imparziali non ne hanno neppure nelle loro biblioteche, ed abborriscono persino i giornali se sono scritti da mano cattolica. Onde allontanatevi se potete; e se nol potete troncate loro il discorso mandandoli da noi, e dicendo che il Vangelo e la Chiesa vi proibiscono di disputare con essi sopra materie religiose. E quando vostro malgrado vi

troverete in loro compagnia, come in viaggio o in qualche albergo, voi senza mover labbro, in silenzio, raccomandatevi al Signore con una giaculatoria come fareste all'incontro d'un malandrino, d'un orso; poichè, credetemi, voi in simili casi vi trovate in grande pericolo. » Imo disputatio circa fidem neque inter catholicos de facili est permittenda, nisi agatur de clericis qui studio vacant; cum id fieri nequeat sine periculo. — Neque dicas, quod ex contentione veritas illucescit: *lasciate cozzare gli ingegni, ne schizzeranno scintille di verità.*

R. Cum Taparelli: *Se pur fosse vero questo aforismo, sarebbe qui fuor di luogo: chi riverisce come divino un qualche oracolo, qual bisogno ha da chiarire il vero, che ei già conosce infallibilmente senza avventurarlo alla disputa? Ma il peggio si è che l'aforismo stesso è* falso, pericoloso, funesto. Falso, *perchè in materie metafisiche e morali le dispute di sola ragione crescono i dubbi e gli errori, non chiariscono la verità.* Pericoloso, *perchè molte volte l'ingegno del difensore può essere inferiore a quello di chi impugna la verità, e tradire con mala difesa una causa santissima.* Funesto, *perchè mentre si sta disputando, si dubita, e in questo dubbio la società, che non può arrestarsi, non ha come guidarsi. Cozzino pur dunque sulle varie opinioni fisici, chimici, astronomi.... i cui dubbi non cangiano di corso la natura. Ma il* libero *operar dell'uomo guardiamolo, potendo, da errori e dubbi, cause certisasime di traviamento e di letargo in chi* è vera causa *del proprio operare* (Saggio teoretico ecc., n. 902). — *V.* Perrone, *De locis Theol.*, p. 3: *De methodologia.*

1024. Disputatio inter Clericos: de hac disputatione quæ fit ad exercitium, audiendus cel. Gerdil, *Saggio d'istruzione teologica:* « Gioverà che i professori trattengano gli scolari nell'esercizio dell'argomentazione tanto utile per far sì, che le cose s'imprimano e profondamente e ordinariamente. Ma è d'uopo in ciò di una particolare cautela e avvertenza per impedire che la disputa non degeneri in contesa sofistica. Bisognerà pertanto addestrare i giovani a promuovere gradatamente una difficoltà sinchè sia sciolta; ma sciolta che sia con soda risposta, si dee loro mostrare ad appagarsi della ragione, e a non volere offuscarla con fallacie per la puerile gloria di non cedere.... Esausta pertanto una difficoltà, si passi senza scrupolo ad un'altra; nulla essendovi più contrario ad una buona istituzione, che il nutrire ne' giovani lo spirito puntiglioso, contrariante e sofistico. » Dogmaticæ autem studiosos, qui in rebus fidei eorum firmam convictionem collocare videntur in aciem et vim propriæ ratiocinationis, præclara monita docet Opus *Sul criterio dei popoli e sul giansenismo;* par. III. Milano, 1867.

« Avvenne a me (ed è spontanea la supposizione che così sia avvenuto anche ad altri) di trovare talvolta negli studi della Teologia dommatica occasioni di disturbo. Chiamato ad esaminare le prove scritturali e tradizionali in ciascuna delle verità, non sempre parevami di veder sicure e limpide interpretazioni, ed argomentazioni robuste e concludenti. Pur troppo qualche volta lo spirito rimaneva sconcertato, la coscienza ne' dubbi impaurita, sospesa; e però conveniva che in buon'ora facessi le mie confidenze coll'uom di Dio incaricato della direzione spirituale del Seminario. Egli rispondevami ch'io non doveva pretendere dimostrazioni a piena soddisfazione del mio intelletto in ogni singolo articolo; ma che mi doveva bastare l'argomento generale: *Così la Chiesa, e la Chiesa non erra.*

» Era questa forse un'evasiva, un palliativo delle difficoltà? una parola che avesse significazione soltanto sulla bocca del direttore spiri-

tuale, non un principio che potesse essere proclamato con piena confidenza sull'alto della cattedra? Anzi appunto era il principio fondamentale della dottrina cattolica.... Quello che mi era detto per mio spirituale conforto, equivaleva precisamente a quel doppio canone su cui si basa l'essenza del Cattolicismo: che *l'esame privato delle Scritture e della Tradizione, non è la regola di fede disposta da Dio nell'economia della rivelazione;* » che *la regola vera, prossima, universale della fede è l'autorità della Chiesa.* Difatti, dov'è ch'io trovava i dubbi e le oscurità? In quell'apparato di citazioni e di ragionamenti, con cui veniva presentata l'autorità della Scrittura e della Tradizione a prova degli articoli di fede. *Questo è lavoro di esame privato*, mi diceva a suo modo il confessore, *e da questo non dovete pretendere sempre un egual risultato di evidenza e di convinzione; sì dall'oracolo della Chiesa; in esso è Dio che parla.....*

» La scrittura dei trattati dommatici ognuno se la ricorda; il domma è posto come tesi, indi vengon recate le prove, prove di Scrittura, prove di Tradizioni..., ragionamento teologico; e da tutto il complesso di queste allegazioni la tesi assunta ad argomento esce fuori come conclusione. Questo è vero lavoro di esame privato. Si chiami per altro la distinzione tra esame *scientifico* ed il *libero* esame dei protestanti: questo è illecito ed assurdo; quello, inteso in senso affatto diverso dal *libero* esame, è lecito, utile, necessario. Il libero esame dei protestanti, autorizza a interpretare secondo il genio e le private loro opinioni il Vangelo, ed a rigettare qualunque vincolo e freno di autorità viva insegnante; invece il *privato* esame, che può essere assunto da ogni cattolico conscienziosamente, è uno studio ch'egli fa sui documenti originali della rivelazione, non già per sostituire alla interpretazione divinamente infallibile della Chiesa i propri concetti, ma per gustare ed ammirare la felice armonia dei concetti d'una ragione sincera ed illuminata con quelli della Chiesa.

» E l'*esame teologico* e il *libero esame* prescindono dall'autorità della Chiesa vivente; ma il *teologico* prescindendo solo a tempo per poi incontrarsi con essa e riconoscerla con più intensa divozione; invece il *libero esame* ne prescinde per dispetto e per ispirito d'insubordinazione. L'*esame teologico* si adopera per rilevare quanto sien ragionevoli i dommi proposti dalla fede cattolica; invece il *libero esame* si sforza ordinariamente di mostrarli assurdi ed inammissibili. Insomma l'uno e l'altro esame sono in un medesimo campo; ma uno vi si mette per difendere, l'altro per oppugnare o almeno disposto anche ad oppugnare la verità. Uno è apologista della fede, l'altro ne è avversario.

» Ricordata così la differenza che vi è tra il scientifico o teologico, e il libero esame della fede, è facile il rilevare come sia non solo lecito, ma anche utile e necessario che negli studi di Teologia vi sia largo campo agli esercizi dell'esame scientifico. Le convinzioni che ne risultano ad uno spirito che lo intraprende spassionatamente non sono la fede, ma rendono più forte la fede; ai protestanti che ci combattono colle Scritture è colpo mortale, quando arriviamo a dimostrare che appunto le Scritture stanno contro di loro.

» Ma affinchè questi studi di esame confermativo siano fatti in senso di apologia utile e doverosa, non ci pieghino lo spirito alla libertà protestante, e non generino ombre e disturbi alla fede, convien che sia segnalata ai giovani alunni di Teologia la loro indole, il loro scopo, la loro circoscrizione: 1) deve dirsi, sono apologia, non determinativo della fede; 2) deve essere posta in considerazione l'avvertenza, che sebben gli studi apologetici per lo più rechino a conclusioni evidenti

e luminose; pure talvolta potrebbero lasciarci insoddisfatti; 3) convien pure solennemente inculcare che cioè, o soddisfatti o non soddisfatti, il risultato delle private considerazioni nei documenti originali della rivelazione, la fede ha base inconcussa, e ci obbliga e prima e dopo l'esame di essi documenti egualmente. »

Quod vel ab ipsis œcumenicis Conciliis fieri videmus: « I Concili (ait cit. auctor, *par.* II) fanno inquisizione conveniente e uso di umane industrie, ma poi pronunziano per lume sopranaturale infallibile: *visum est nobis* (inquisizione umana) *et Spiritui Sancto* (sopranaturale illustrazione). *Quamvis* (dice il Panormitano) *in definitionibus Ecclesiæ præcedant theologici discursus et disputationes diligentissimæ quæ per consequentias et illationes fiunt; sicut Apostoli Actorum* XVI *ad definiendum legalia non esse observanda*, magnam inquisitionem *fecerunt. Cum tamen venitur ad definiendum discursus ipse et disputatio* more humano *habita non sunt ratio definiendi et credendi, nec ponuntur in decreto definitionis; sed* quia visum est Spiritui Sancto, *qui illam veritatem* primo *dixit, et* postea *aperuit immediate contineri in Scriptura vel Traditione, non per novam revelationem, sed per* novam *manifestationem immediatæ revelationis* antea *factæ*, *et* dein *Ecclesiæ ipsi*, *ut toti dominico gregi infallibiliter proponeret communicatæ.* »

1025. Methodus disputandi: methodus validior in docendo fideles est methodus *positiva*, quæ volens erudire simul et suadere utitur dicendi ratione oratoria magis quam dialectica, quasdam tantum veritates seligendo: hæc in concionando est optima methodus. Sed in scholares docendo, et in disputando aptior est methodus *scholastica*, cum sophismata invincibiliter et lucide dissolvat: qua quidem argumentatione sæpe utebatur ipse Christus ad pharisæos et scribas confundendos. Et sane scholastica, amputatis verborum luxu et flosculis, materias disponit ordine quodam geometrico, ut aliæ ab aliis profluentes mutuam sibi vim et lucem afferant, possintque ea utentes per syntheticum processum a capite ad calcem, et per analyticum regressum a calce ad caput, pleniorem singularium partium et totius cognitionem assequi. Quod si ea nonnulli abusi sunt quæstionibus otiosis et inanibus locum dando, hoc vitium hominis est, non ipsius rei, ut monebat Pius VI Bulla *Auctorem fidei*, prop. 76, ubi Theologiam scholasticam vindicat a criminationibus Pseudosynodi pistoriensis: vix enim dici potest quanti ipsa profuerit ad catholicas veritates vindicandas, tuendas. Et Pius IX in *Syllabo* damnavit hanc n. 13 propositionem: *Methodus et principia quibus antiqui doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.* — *V.* Martinet, *Instit. Theol.*, vol. I. — P. Ventura, *La vera e falsa filosofia.* — Balmes, *Il criterio.* — Gerdil, *Saggio d' istruzione teologica* ecc. — Liebermann, *Instit. Theol.*, Prolegomena. — Rohrbacher, *Storia ecclesiastica*, l. LXIX: *La scolastica.* — Muzzarelli, *Il buon uso della logica*, opusc. 1, t. I. — Margotti, *Roma e Londra*, c. XVI.

(J) Pag. 650.

1026. *An* (quæres) *liceat hæreticum dicere aliquem, eo quod doctrinam hæreticam tenaciter verbo tradat aut scripsit, etiamsi nondum ab Ecclesia uti talis fuerit decretorie denuntiatus?*

R. Quamvis regula generalis sit, ut malæ insectentur doctrinæ par-

cendo personis secundum illud Augustini: *interficite errores, diligite homines;* attamen Melchior Canus ex d. Thoma habet ad rem : *si error fidei contrarius circa ea sit, quæ nullo modo est probabile ab errantibus ignorari, quin ad fidem catholicam certo pertineant*, tuto potest de hæresi pronuntiari. Quod si hæretica potest dici doctrina illa, poterit etiam hæreticus dici qui eam scienter docet, maxime si ille bene audiatur a publico, ut sic a laqueo caveant fideles; nam fideles auctoritate vivunt et auctoritati credunt: proinde hæretica docentium auctoritas labefactanda est. Ad rem Salesius suam Philoteam monet par. 3ª, c. xxix: « Vuolsi sopra tutto osservare, biasimando il vizio, di risparmiare più che si può la persona. È vero che de' peccatori infami, pubblici e manifesti si può parlare liberamente, purchè ciò sia con ispirito di carità e compassione: non punto con arroganza, con presunzione o per compiacersi dell'altrui male, chè sarebbe atto di cuor vile ed abjetto. Io però, fra tutti, eccettuo i nemici dichiarati di Dio e della sua Chiesa; poichè questi tali fa mestieri di pubblicarli più che si può, come sono le sêtte degli eretici e scismatici, e i capi di quelle: è carità gridare al lupo quando è tra le pecore, anzi in qualunque luogo egli sia. » Item vide *Civ. Catt.*, ser. 5ª, t. 1: *Un po' di carità, ossia i liberali mendicanti.* Quod tamen non ita intelligendum, quasi licitum ideo sit etiam privatam illorum vitam scrutari et domestica vitia propalare; sic enim incurri potest in pœnas latas a civili lege, nempe in *Cod. pœn.*, art. 570 et seqq.

« Vi sono (taluni) che non vorrebbero, che si dèsse ad alcuno.... il nome di *eretico*, se prima non precede il giudizio ecclesiastico. A questo vanissimo scrupolo rispondo, che la Chiesa con giudizio infallibile ha dichiarato eretica la dottrina di Giansenio. Subito adunque che mi consta, che (Tizio) adotta con pertinacia questa dottrina, quantunque condannata, posso, anzi debbo chiamarlo *eretico:* e se facessi altrimenti, mostrerei di dubitare delle decisioni della Chiesa. Io dimando a questi scrupolosi, se avrebbero difficoltà di trattare da ladro e cacciarsi da casa un loro domestico che còlto avessero col furto in mano, benchè non fosse preceduta sentenza di giudice, che lo avesse condannato qual ladro? E in materia di fede discorreremo poi così stortamente? Guai alle città cattoliche, se per fuggire gli eretici e trattarli come tali, fosse necessario che ognuno in particolare fosse dichiarato tale per sentenza della Chiesa! Quale scempio farebbe mai l'eresia? » Carolus Brignole, *Confutazione di un libello*, intit. *Avviso al pubblico. — Civiltà Cattolica*, ser. 3ª, vol. 1: *La calma nei giudizi.*

Hic tria adhuc observanda: — 1) in rebus religiosis observandum sub *novitatis* vocabulo venire etiam renovationem errorum veterum: sic quamvis Lutherus plurimos errores suos a Waldensibus, Wiclephitis, aliisque obsoletis hæreticis hausisset; *novi* tamen habiti sunt in Ecclesia, quasi novam ad vitam impie revocati. Sic qui vellet ætate nostra quinque Jansenii propositiones jamdiu proscriptas vel in toto vel in parte, licet diverso indutas habitu, in lucem prodere, *novitatis* hæreticæ maculam non effugeret apud Theologos vere catholicos (Nicolai, *Il buon Rettore del Seminario*, cap. ix; Marietti, Torino, 1863). — 2) Quoad tesseram hæreticos pravosque dignoscendi, ad rem Mamachius: « L'arte de' Novatori è stata sempre ed è tuttavia di occultare ora tacendo, or equivocamente parlando, or affermando chiaramente ed ora anche negando ciò che cale principalmente loro di insegnare. Amano essi piuttosto di apparire talvolta oscuri e di essere anche presi in contraddizione, che di tralasciare di spargere la rea dottrina, quando se ne dia loro opportuna l'occasione; vogliono per

altro aver sempre in pronto una qualche espressione da essoloro in qualche luogo usata, per cui qualora venga loro rimproverato l'errore possano apparentemente scusarsi e uscirne come per la gretola, e liberarsi, se vien loro fatto, dalla censura. » Lett. 2ª *sul Sinodo di Pistoja* (vide Bossuet, *Storia delle variazioni* ecc., l. XI). — 3) Neque refert quod ille, qui novitates damnosas spargit, vulgo habeatur ut fidei catholicæ addictus, et morum etiam integritate præditus; tunc enim exclamandum cum d. Bernardo: *Quantum laudanda est ejus vita, tantum abominanda est ejus doctrina.* Quanquam quæ probitas, quæ vera pietas in illo, qui superbus viam a veritate alienam calcare prætendit!

1027. *Quid agere debet Parochus, si in sua Paræcia protestantes cathedram pestilentiæ elevent, vel templum aperiant?*

R. « Innanzi tutto (ad rem cl. Miotti in adnotationibus ad Op. Dieulin) metterà studio ad acquistare un'idea esatta delle differenze esistenti tra l'insegnamento cattolico e l'eresia locale, e sarà di studiar bene addentro la verità della Religione cattolica, così che possa rispondere in modo franco e trionfale a' dubbi, che gli venissero proposti da' propri parrocchiani; 2) seguendo fedele le dottrine de' Padri e de' Concili, vedrà modo di compendiare le verità cattoliche in alcune formole ben chiare che non superino l'intelligenza de' propri parrocchiani, e farà d'imprimerle nel loro animo così che possano ripeterle francamente ad ogni assalto nemico; 3) nel catechismo sulla cattedra, nelle conversazioni familiari, apprenderà a' suoi parrocchiani la differenza che v'ha fra loro ed i settari, e le ragioni per cui debbono perseverare nella cattolica Religione; 4) trattando di siffatti argomenti eviti qualsivoglia espressione ingiuriosa contro gli eretici, e qualunque attacco contro i loro ministri... (prout tamen supra dictum est)...; 5) si adoperi a tutt'uomo a cessare la diffusione de' libri, che venisse tentata fra' suoi dagli eretici; ed egli diffonda buoni libri, che valgano d'antidoto contro gli errori che per avventura mettessero radice nella propria Parrocchia. » Item urgeat sæculi potestates ut prædicantes pro bono pacis expellant, Episcopum adeat ut ejus consilium exquirat, extraordinarias exercitationes habeat, quibus in fide populum confirmet; et cetera de quibus nn. 942 et seqq. — V. *Allocuzione di un Parroco vicino a morte per preservare i suoi parrocchiani dall'eresia e dall'incredulità.* Torino, Marietti, 1868. — Martinengo, *Il Pievano cattolico ossia la falsità del protestantesimo dimostrata al buon popolo italiano*, ecc., ecc.

(K) Pag. 659.

1028. De libris prohibitis plura disputamus Libro IV, *Append.* 27, prohibitionis justitiam et opportunitatem tuentes, varios prohibitionis modos referentes, regulas *Indicis* et ejus Decreta præcipue notantes et alia hujusmodi. Hic tamen erit de nonnullis, quæ ad praxim maxime spectant.

Q. 1. *Cum ex Bulla* Cœnæ *excommunicentur et legentes libros hæreticorum et illorum retentores, eos imprimentes et defendentes, quinam sub hac denominatione veniunt?*

R. *Retentores* sunt qui libros vetitos habent, nomine proprio vel alieno; sive retineant ad confutandum sive ad ornatum in bibliotheca. Item est si quis antequam liber prohiberetur, redegit in compendium; si partem libri retinet; si eum retinet ad involvendas merces aut si-

milia, vel ad eum ligandum et consuendum, nisi id fiat pro iis, qui licentiam habent. Excusatur famulus, auriga, qui tales libros gestant jussu domini habentis licentiam; vel ex gravi damno.

Legentes sunt qui non solum verbis, sed etiam oculis librum percurrunt, modo intelligatur sufficienter idioma; secus non legerent nisi materialiter. Excusatur tamen ordinarie qui gravi metu ad legendum esset coactus. Non autem excusatur corrector libri prohibiti qui imprimitur; nam ipse revera eum legit.

Imprimentes sunt non tantum typographi aut patroni officinæ, sed qui humectant seu præparant chartam, imponunt atramentum, typos ordinant, torcular premunt; item transcriptores. Non tamen qui remote tantum concurrunt, ut vendentes chartam, typos, atramentum, etc.

Defendentes sunt omnes, qui quocunque prætextu vel causa librum quatenus hæretici opus est, laudant, exaltant, probant quæ in eo sunt, abscondunt, vel impediunt, ne tradatur superiori. Aliter esset, si quis laudaret tantum ingenium auctoris, stylum vel eruditionem. — *V.* Ferraris; V. *Libri prohibiti;* — Sperone, *Theol. Moralis.*

Q. 2. *Quid si error in libro fuerit abrasus?*

R. Alii censent cum Croix librum legi posse; quia non amplius hæresim continet: sed multi alii cum Suarez negant; quia illa particularis abrasio non tollit communem prohibitionem libri. Verum mihi non displicet distinctio Sporer: si liber ex professo de Religione tractet, non obstante abrasione, remanet prohibitus juxta Bullam, quæ prohibet omnes libros hæreticorum de Religione tractantes. Secus vero, si liber ageret de indifferentibus, ut de philosophia, historia; sed excipe illam Centuriatorum aut hujusmodi, quæ in substantia agit etiam de Religione. Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 283.

Q. 3. *Quid si legatur tantummodo hæretici concio, vel epistola seorsim edita, vel folia libri errantia?*

R. Negant plerique censuram incurri; quia concio vel epistola non potest dici *liber*, et hac in re interpretatio stricta facienda. Sed nos cum Salmanticensibus observamus in expurgatione Romæ editio jussu Tridentini expresse prohiberi sub excommunicatione (non tamen reservata) omnes scripturas ab hæreticis compositas, etiamsi breves et hæresim non continentes, donec approbentur. Et S. Concilii Congregatio apud Ferraris in causa simili interrogata, quid comprehenderetur nomine *libri*, respondit comprehendi conciones, lectiones, disputationes et similes parvas scripturas licet transcriptas. Ubi autem opus hæretici in plura volumina distribuitur, quorum alterum errores contineat, alterum non, si hæc sint de diversa materia non censentur comprehensa sub prohibitione; secus si de eodem argumento tractetur cum connexione inter se. *Suarez* cum communi.

Q. 4. *Quid de hæreticorum manuscriptis?*

R. Sunt qui tenent censuram non incurri ob talem lectionem; quia nomine librorum manuscripta non intelliguntur, nisi improprie. Probabilis fortasse erit sententia ista; sed magis adhæremus sententiæ contrariæ et communiori cum Croix, Holzman, Sanchez, Suarez, etc. Quia usu vulgari manuscripta sæpe *librorum* nomine insigniri solent; sic appellabantur omnia scripta, antequam typographia esset inventa; sic in *Rituali R.* libri appellantur manuscripta, ubi adnotantur baptismata, matrimonia et funera fidelium. Hinc Benedictus XIV quotquot prohibuit libros, etiam manuscripta comprehendit.

1029. Q. 5. *Quid de libris damnatis ob transgressionem violati silentii. De Galilæi condemnatione, ac de libro prohibito, sed in aliam linguam verso?*

R. Ad 1: Si quando quæstio aliqua ad bonum minime conducens nimia animorum contentione inter catholicos scriptores exagitatur, solet Ecclesia hinc inde silentium imponere: quod si violetur, librum ideo editum prohibet sub clausula *ob transgressionem impositi silentii*, nihil tamen decernendo de doctrina ipsa. Hoc fecit condemnando 17 martii 1734 *Apologie pour les Religieux Benedectins*, etc. Hoc porro adhuc est fidem et mores et pietatem tueri, cum inutiles quæstiones scandala excitent, animos dividant, schisma foveant.

R. Ad 2: Evenit aliquando, ut liber qui primum in *Indicem* erat relatus, postea ab ipso expungatur, etsi nulla facta correctione (ut evenit de Operibus Galilæi, quem tamen semper humaniter etiam in ejus libri damnatione fuisse exceptum, historia genuina testatur). Hoc porro contingit, si liber ille, etsi adhuc reprobanda contineat, attamen vel cessante animorum exagitatione, vel mutatis rerum et personarum adjunctis, non ita amplius publico nocere possit. Adsit tamen, ut ideo enervemus vim prohibitionis ecclesiasticæ quoad alios vetitos libros; casus enim expunctionis rarissimus est; neque privatæ est auctoritatis librum de *Indice* subtrahere; sed quousque in illo libri notati sunt, ut prohibiti, proscripti et damnati sunt habendi. — *V.* Perrone, *De Locis Theol.*, parte 3ª, sec. I, cap. 2, art. 2, propositione 2ª; et alii passim. Signanter quoad Galilæum, quem iniquiter vexatum adversarii sine fine prædicant a Romana Inquisitione, vide Tiraboschi, *Storia della letteratura italiana dall'anno* 1600 *al* 1700, t. II, c. 11. — Venturi, *Memorie e lettere inedite finora o disperse* di Galileo Galilei. Modena, 1818. — Marino Marini, *Memorie storico-critiche su Galileo e la Inquisizione.* — Arrighi, *Annali delle scienze religiose.* Roma, vol. X. — *Dissertazione* del protestante Mallet Du Pau, pubblicata nel 1784 nella *Rivista letteraria di Ginevra contro Voltaire e gli Enciclopedisti.* — Bergier, *Dizionario;* art. *Scienze.* — Frayssinous, *Difesa del Cristianesimo.* — Franco, *Risposte popolari.* — *Civiltà Catt.*, ser. 5ª, t. IX, pagina 722. — Caruso, *La verità sopra Galileo Galilei.* Napoli, 1865. — Opusc. *Allocuzione d'un Parroco vicino a morte per preservare i suoi parrocchiani dall'eresia e dall'incredulità;* ubi post multa (pag. 62) concludit: « Galileo (avvertasi bene) non fu già perseguitato perchè astronomo; ma come cattivo teologo, avendo voluto prendersi cura di spiegar la Bibbia. Insino a che si appagò di filosofia fu impareggiabile; la sbagliò quando volle eziandio rendersi espositore della Scrittura. »

R. Ad 3: Observandum quod libri semel damnati, *in quamcunque postea vertantur linguam, censeantur ubique gentium, sub iisdem pœnis interdicti et damnati.* Ita Clemens VIII, *Instr. de libris prohibitis.* Si tamen libri perversi antequam damnentur jam in aliam linguam versi sunt, vel de facili verti suspicantur, tunc ad majorem fidelium cautelam in prohibitionis Decreto addi quandoque solet: *quocumque idiomate.*

Si liber exclusive contineat sententias et judicia auctoris prohibiti, et non sit ad confutandum, sed ferme simpliciter ad referendum, liber ille (etsi proprio nomine non sit relatus in *Indicem)* habendus est uti proscriptus; nam est forma diversa, sed eadem res et substantia.

1030. Q. 6. *Quid de Diariis* (Gazzette, Periodici)?

R. Maxime sane sunt improbandi qui Diaria irreligiositate plena ex solatio legunt: impossibile est, ut sensim sine sensu illorum non induant spiritum in male judicando, in auctoritate parvipendenda, etc.; lugenda exempla non desunt. Adde scandalum, quod dant ceteris tali lectioni vacando: idque fortius de ecclesiasticis valet. Væ illis, qui tales ephemerides detractionibus, impietatibus et turpitudinibus redundantes vel coram ipsis sæcularibus legunt; imo vel in ipsis publicis

officinis; et quod lacrymis dignum est, risu excipiunt. Deus, Religio, ejusque Pastores a nemine frustrà irridentur. Adde incitamentum, quod sic præbent malis scriptoribus: probrosum sane, ut ipsi nos pecunia nostra concurramus ad sustinenda impia illa diaria, quæ omnia nostra ac religiosa quæque subvertunt!

Aliter tamen dicendum est de viris doctis, ideo deputatis, qui eas caute ac prudenter legunt, ut confutent, aut suas oves ab illis avertant; Dei enim gratia iis occurrit quidem, qui officii necessitate compulsi perniciosa suscipiunt, non vero iis qui inani curiositate ducti periculis se exponunt. Audiatur Ségur, *La rivoluzione*, c. XXIII: « Andiamo guardinghi nelle letture; i libri buoni sono pochissimi, libri veramente puri in fatto di principii, specialmente di politici e sociali; quasi tutti disconoscono interamente la missione sociale della Chiesa, o la rigettano o non si degnano di pur parlarne... Non vi fidate sopra tutto dei libri di storia: dopo alcuni anni solamente un felice cambiamento d'idee, dovuto alla buona fede ed agli studi più conscienziosi, ci procurò alcune opere preziose, che bastano presso a poco a dissipare i pregiudizi e gli errori... Quel che diciam dei libri, a mag. gior ragione vuolsi applicare ai *Giornali*, questa pubblica pestilenza che ammorba il mondo intero. Essi sono quasi tutti i campioni dichiarati o secreti della rivoluzione. Nulla è tanto pericoloso come un giornale non cattolico: questa lettura, ripetuta ogni giorno, s'insinua prontamente e profondamente nelle menti più sode, e finisce col falsarne il giudizio. Ve ne supplico: non associatevi a siffatti fogli, e molto meno a quelli che coprono le loro pessime dottrine colla maschera dell'onestà, e si danno il vanto di conservatori: *non v'è peggior acqua di quella che dorme*, ecc. » Hic vide *Civiltà Cattolica*, ser. 5ª, t. VII: *Invito ai zelanti cattolici per la istituzione e propagazione di una società preservatrice dalla corruzione dei cattivi libri e giornali.*

Nota 1: Quoad Novariensem Diœcesim vide Literas ab Episcopo Novariensi datas 14 junii 1852, ubi ab hac contagione omni studio oves suas avertere curat. Quod ut assequatur magis, nonnullas pagellas et ephemerides expresse damnat; adeo ut nullus ex suis Diœcesanis, quicumque sit, illas sive editas sive edendas amplius legere valeat sine peccato gravi vel levi pro levitate vel gravitate materiæ, nisi a legitima auctoritate licentia munitus sit (sunt l'*Opinione*, la *Gazzetta del Popolo*, il *Fischietto* e la *Maga*). Hodie quot adhuc pestilentissima Diaria essent damnanda! impossibile tamen est, ut omnia notentur; cum fere quotidie et nascantur et cadant. Quisque moratus ea de facili noscere potest suorum Pastorum consilium exquirendo; præterquam quod istæ pagellæ a longe purulentum fœtorem spirant.

Nota 2: Quoad Diaria prohibita, legendi eaque retinendi facultas a S. Sede Episcopis regni Sardiniæ tributa est, ut patet ex sequenti:

« Beatissimo Padre: Il Vescovo di Mondovì, trovandosi *ad Limina*, implora umilmente da V. S. per sè, e per i suoi veneratissimi Colleghi nell'Episcopato del Regno di Sardegna, la facoltà di accordare ai fedeli delle rispettive Diocesi che saranno loro benevisi, la licenza di leggere e ritenere giornali proibiti *a jure* ed ab *homine* per tutto il tempo che durerà in Piemonte la libertà di Stampa, o per quell'altro che a V. Beatitudine sembrerà più conveniente. »

« Preces remittimus prudentiæ et conscientiæ Episcoporum in toto Regno supradicto, cum facultatibus necessariis et opportunis. *Die* 19 *julii* 1856. *Pius Pp. IX.* »

1031. Q. 7. *An libri prohibiti omnino sint Episcopis consignandi; vel satis sit eos comburere?*

R. « Se i Vescovi (ait Frassinetti, nota 14) vogliono venire in cognizione dei cattivi libri, non hanno bisogno che alcun fedele li porti alla Curia; perciò il fine della legge è assolutamente cessato.... Quando alcuno si determina a togliersi di casa i cattivi libri, sente talora difficoltà a presentarsi al Vescovo per consegnarli (sed illos potest per Parochum, per confessarios vel alios mittere ad Episcopum); e può talvolta mutarsi di volontà, ecc. Se invece sono dati una volta al fuoco, non v' ha dubbio che non possono fare più alcun male in eterno. Non si vuol disapprovare la legge, ma l'applicazione che se ne fece in qualche luogo della Spagna, dove si conservavano tanti libri cattivi, che erano consegnati alla S. Inquisizione e se ne avevano magazzini pieni. Venuta la rivoluzione, furono invasi dai così detti liberali, e di nuovo messi in commercio. Conosciuti i libri, qual necessità vi potea essere di conservare quel tesoro d'iniquità? (hodie tamen ab Episcopis non conservantur). Pertanto i confessori quanto ai libri proibiti ne raccomandino semplicemente la distruzione. »

Episcopi Provinciæ Taurinensis Encyclica ad Clerum et pupulum sub die 29 junii 1849 habent: *Bruciate come i primi fedeli tutti gli scritti ed i libri cattivi* (Act. XVIV: contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus, etc.), *e quei fogli periodici, dove il santo tremendo Nome di Dio è profanato, il Sacerdozio vilipeso, la pietà derisa, l'onestà lacerata, la fama del prossimo calunniata*. Attamen in prohibitionum Decretis juge repetitum habetur præceptum libros superioribus consignandi. Hisce sic stantibus pro praxi concludendum videtur cum doctis a nobis consultis, nempe si libri prohibiti tales sint ut evulgentur passim, qui ideo ab Episcopis bene dignoscuntur, poterunt etiam flammis tradi. At si libri de novo lucem videant, vel rari, vel non ita cogniti existimentur, tunc sunt consignandi, ut ita Episcopi veneno opportunum antidhotum præbere possint. Item est si de facili obtineri nequeat librorum consignatio; ex benigna interpretatione legis, illi possunt comburi. At quod omnino, semper et ubique, ipsa lege continuo reclamante, lex cesset, non facile a nobis admitti potest.

1032. Q. 8. *Quid semel cognita librorum prohibitione?*

R. Statim ac per fide dignos, vel per publicas ac probatas ephemerides ad nos pervenit certa notitia prohibitionis librorum, obligat; et satis est, quod Decretum Romæ publicetur, ut dictum est Tract. *De legibus*. Et sane nova decreta librorum prohibitorum novum jus non faciunt, sed jam recepti juris, scilicet Regularum Indicis, applicationem continent. Præstaret tamen, ut Episcopi in Calendario, vel alia arrepta occasione, tum Decreta prohibitionis librorum, tum aliarum Congregationum decisiones ad praxim spectantes publicarent.

Nostrum non est rationem prohibitionis proprio marte divinando ejus vim enervare, sed eam venerari atque ex corde nos illi submittere. Et qui reperit suum librum in *Indicem* relatum, ne studeat emendicare prætextus, sed palam opus reprobare ne pigeat, ut quo modo ruina posita est, eo modo removeatur; et sciant fideles eum qui noxia scripsit, eadem retractasse. Qua in re commendandus Jacobus Lecoffre librarius Parisiensis, qui cum accepisset opera omnia Vincentii Gioberti Decreto S. Officii 14 januarii 1852, vetita fuisse, omnia exemplaria illico suppressit, malens damnum temporale sustinere, quam s. Matris Ecclesiæ renuere mandatis. Item celebris Muratorius laudandus, qui cum intellexisset nonnulla esse reprehensione digna in suis *Italiæ Annalibus*, prout notaverat Benedictus XIV, Sanctitatem Suam enixe rogabat, ut sibi forma præscriberetur, qua perperam dicta corrigeret, libenter facturus. Sed cum morte præventus id perficere non

potuisset, Josephus Catalani, qui diu fuerat cum auctore familiaritate conjunctus, extitit fidelis defuncti voluntatis executor, ejusque opus notis munivit, in quibus jura Apostolicæ Sedis lœdi novit; ut patet ex Editione romana 1752. *Primum est* (ait Cassianus, *De Incarn.*, l. I, c. 4) *errorem penitus non incurrere; secundum bene repudiare:* nota illud *bene.* — V. *Lettera parenetica scritta da un Diacono Romano a Scipione De-Ricci.* Vercelli, 1795. — *Epistola* Benedicti XIV *ad supremum Hispaniæ Inquisitorem*, 31 julii 1748.

Turpiter errat qui negat se submittere, vel libros vetitos respuere, quia Congregationis prohibitio non est certa de fide et error intervenire potest, ut in aliis judiciis. Absit ut Ecclesiæ tantum sit parendum, quando aliquid uti fide tenendum præcipit, vel est infallibilis in suis decisionibus: tunc cui superiori parendum? ad obedientiam non quæritur infallibilitas, sed auctoritas legitima. Ceterum hac de re quam sit rationabile obsequium nostrum, patet ex rigoroso examine adhibito antequam liber prohibeatur. Unde si non fidem, obedientiam certe lædunt sub gravi qui renuunt se prohibitioni submittere. Imo et fidem lædunt si prohibitio per s. Pontificem *ex cathedra*, seu decretorie lata sit: recte enim docent Doctores cum Tournely, quod Ecclesiæ circa libros censura est infallibilis. Ecclesiæ enim (addit Natalis Alexander, *Hist.*, sæc. VI, diss. 5ª) sanam doctrinam ab hæretica discernere datum est a Christo. *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. I, n. 347. — *Civiltà Catt.*, ser. 2ª, vol. VI: *L'autorità sociale.*

1933. Monita ad patres et magistros: patresfamilias, magistri scholarum, heri et omnes qui curam aliorum habent, inferiores a lectione librorum romanensium quantum possunt avertant, eosque piis, sanctis ac gravibus studiis assuefaciant. Hac enim sola via formantur viri eruditi, sensati, virtutibus præditi, Religionis ac societatis defensores, ad regendam propriam familiam idonei et nulli negotio impares. Sane non desunt ætate nostra optimi libri, qui oblectant animum, quin vitium insinuent: imo in eo toti sunt, ut virtutem extollant, ad eamque alliciant: quos porro præstat præ manibus adolescentium ponere, ut v. g. Smith, *Racconti;* — Wiseman, *La Fabiola;* — Newman, *La Callista.* — It. opera omnia clariss. Bresciani; — *Letture cattoliche, Letture amene*, ecc.

Ad rem orator David in quadam Conferentia: « Pigliate un romanzo moderno, analizzatelo, che ne uscirà egli? Ciò che vi ho detto: il dispregio dei santi costumi; la consacrazione dell'adulterio; la virtù posta in ridicolo. Ecco le idee con cui si alimentano fra noi il giovane, la sposa, la madre, il fanciullo medesimo. La logica, quest'inflessibile divinità, non indietreggia: la corruzione passerà dal libro nel cuore. Un ulcere schifoso si formerà, si dilaterà in seno alla società, il male giganteggerà ogni dì più, e la prima volta che una mano coraggiosa leverà questo velo, voi andrete spaventati alla veduta di questa incancrenita piaga. » Talis inter plures alios est liber hodie expresse damnatus inscriptus *Pastor fidus:* talis est, imo et perniciosior liber *Novellarum* Joannis Boccacci (etiam qui dicitur expurgatus); hic enim nostra quidem sententia, plus juvenibus nocere potest, quam opera Lutheri et Calvini: quem quidem ipsemet auctor reprobavit in quadam sua Epistola ad Mainardum, ut refert cl. De-Luca, *Annali religiosi*, t, XI. — *V.* Tassoni, *Pensieri*, l. VII. — Roberti, *Del leggere libri di divertimento.* — Opus, *La loro bocca è un sepolcro aperto.* Parigi, 1841. — Turchi, *Omelia sulla lettura dei libri:* ubi contra illos maxime insurgit qui ideo legunt, quia opus prohibitum est. — Stapf, § 310. — Pellicani, *I Libri rei.*

Inter plurima unum sit exemplum quod refert p. Bresciani in vita p. Michaeli Szczytt: « Narrava (p. Michael) i forti pericoli che ebbe tante volte dalle sètte dei filosofi, deplorando il gran male che fanno in Polonia ed in Russia i liberi muratori, e quanti danni spargono coi libri de'romanzi che girano in quei regni come per tutto, con ogni licenza. E qui piangeva il più caro de'suoi amici, strappatogli crudelmente dal fianco senza che lo avesse più potuto ricuperare. Era questi un barone Curlando, giovane di sì modesto costume, d'anima così bella e di così soave innocenza che la candidezza trasparendogli pel cuore negli occhi e nella faccia, era chiamato da tutti l'*Angelo della Curlandia*. Ebbe le scuole dai Padri della Compagnia di Gesù in Poloczk, e già non v'era chi non tenesse per certo, che un fiore di sì dilicata natura non avrebbe patito più a lungo l'aere funesto del libero cielo; ma sarebbesi raccolto o trapiantato lungo i puri fonti di qualche chiuso giardino. Ahi un quarto d'ora l'ha rapito a così belle speranze! Visitava egli alcuna volta una nobile donna che aveva voce di onesta, e un dì entrato a lei e trovatala per non so che faccenda impedita, pregato ad attendere un poco finchè la sbrigasse, sedette nel suo gabinetto aspettandola. E girando l'occhio e veduti alcuni libri, mise la mano sopra uno e lesse. Ell'era una romanza scozzese che in una Torre di un lago di Edimburgo descriveva una prigione sotterra, e incatenata in quelle tenebre, da un feroce, una fanciulla che piangeva languidamente e diceva parole di un affetto così acceso che il giovane Barone, non guardandosene punto, bebbe il primo sorso della sua morte. I libri di quella gentildonna erano tutti di questo veleno; ebbegli in prestito ad uno ad uno, e colla *Novella Eloisa* del Rousseau finì d'innebriarsi la mente e di perdere tutta quella santa purezza che abbelliva il suo cuore. Si tolse all'amico Michele, si diè in mano a perversi, incalli nell'errore e nel vizio, e lo portava sfacciato in quella fronte che poco prima era specchio di verginale innocenza. Non è da descrivere come questo infelice di città in città errante si fosse fatto reo d'ogni pravo costume, e venuto de'capitani della sètta degli Illuminati avesse avuto ardimento di tentare Michele stesso a disgiurare la sacra fede di Gesù. — Mi disse il Conte, e innorridiva a narrarlo, che in un castello vicino al mare della Finlandia, trovandosi questo empio a una festa che facevano gli Illuminati in memoria del loro Istitutore, entrati dopo desinare nel parco e ridendo e motteggiando, vennero a trarre al bersaglio. Il Barone vide all'uscio de'servi della villa appesa una Madonna di carta, corse, staccolla, e imbrocatala al pedale d'un albero: *Guardate*, disse, *amici; voglio mostrarvi il mio valore nella pistola.* Venne con un altro alla scommessa di venti rubli ch'ei l'avrebbe ferita negli occhi. Montò il cane, tirò, ma non s'accese il focone. Benchè empi, innorridirono tutti e gridarono: *Sta, basta.* Ma egli ghignando trasse, e colpì nel petto Maria. Pagò la scommessa; ma l'altro gittate le monete in terra, le maledì. » *(Opere* del P. Bresciani, Roma 1865, vol. I: *Memorie intorno la vita del p. Michele Szczytt).*

Casus: Paterfamilias graviter suspicatus, librum quendam prohibitum lectitari a filio suo, capta occasione, librum surripit ac legit; quousque offendens in propositiones prorsus impias eum projicit ac damnat. Attamen postea ex hujusce libri evolutione graves patitur tentationes et dubia circa fidem. Quid?

R. Cum pater iste tentationum ac dubiorum circa fidem periculo se exposuerit librum evolvendo, etiamsi graviter suspicaretur inustam hærere ecclesiasticam censuram; laudanda quidem paterna sollicitudo

et præstitum filio charitatis pietatisque officium. At pro eodem tempore videtur non omnino excusandus in hoc quod defectui, ut supponimus, debitæ licentiæ quoad libros prohibitos legendos, et propriæ infirmitati prudentius non consuluerit librum ipsum subjiciendo docti piique sacerdotis judicio. *Resol. casuum pro Diœcesi Mediolan.* 1862.

1034. Monita ad Ecclesiasticos: « Importa assai che il Parroco promuova buone letture, e ciò non soltanto pel bene che per sè stesse producono, ma eziandio per impedire i danni gravissimi che derivano dalle cattive. Egli è un fatto che oggigiorno ciascuno vuol leggere, che la brama d'istruirsi è tanto generale ed estesa, che mai non fu pel passato.... Invece di deplorare inutilmente, e in tanta parte ingiustamente, l'ardore che v'ha nelle popolazioni di leggere molto ed istruirsi, sarebbe da attendere a generalizzare e facilitare le buone ed edificanti letture, dalle quali derivasse al popolo vera e santa istruzione, le quali (frattanto almeno in parte) farebbero cessare le cattive; posciachè chi si dà a leggere buoni libri, i cattivi abbandona. » Frassinetti, *Manuale pratico del Parroco novello*, n. 305. « Sacrorum librorum lectio, ut ait Kempis, docet ignaros, arguit otiosos, torpentes excitat, corrigit errantes, terret ridentes, consolatur lugentes, mitigat turbatos, confortat debiles, justificat pios, etc. » — *V.* Giovio, *Il manuale cristiano.*

Rem laudabilem agerent ecclesiastici, si libros suos propriæ Ecclesiæ in commodum Cleri relinquerent exemplo s. Prosperi episcopi. En particula ejus testamenti conditi anno 475: *Ecclesiæ meæ do, lego omnes libros meos, præter Evangeliorum librum quem scripsit Hilarius, quondam pictaviensis sacerdos, quem tibi Eufronio fratri et consacerdoti dilectissimo... do, lego, volo, statuo: memor esto mei. Amen.* In quæ verba ait *Amico cattol.*, vol. v, p. 89: » I libri ed i manoscritti ecclesiastici sono una specie di eredità sacra che dovrebbero sempre essere lasciati ad ecclesiastici, come, per esempio, ai successori Parrochi per tempo, a' Seminari di chierici, ai Capitoli di Canonici; che gli eredi secolari d'ordinario non ne traggono profitto nè per l'anima, nè per la borsa. Che belle biblioteche ecclesiastiche in breve si metterebbero insieme! esse non lascerebbero sentire molto la distruzione di tante preziose biblioteche dei frati. » Ut tamen legatum sustineri queat, in foro etiam externo, ipsum curetur componi cum legibus civilibus loci. — *V.* Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX*: t. I: *Biblioteca di un ecclesiastico.*

1035. Monita ad omnes: si libri omnes perniciosi Jure tum divino tum ecclesiastico tum naturali sunt prorsus amandandi, id multo magis dicendum est de illis qui sunt contra fidem aut aliquod fidei dogma; qui neque a firmis in fide neque a licentiam habentibus ad curiositatem, ad solatium, ad nudam instructionem, vel alia ratione non omnino necessaria, legendi forent. Fides enim est fundamentum totius Religionis; ideo præstat, ut neque materialiter labefactetur, aut oculos nostros conspurcemus tot malorum blasphemiis, ac mente repetamus tot in fidem nostram contumelias. Qui indignatur de aliquo, illud prorsus abjicit. « Vi sono (ad rem in Opusc. *Allocuzione d' un Parroco vicino a morte)* fattorini con ottanta franchi al mese di stipendio incaricati di diffondere e procurare la lettura di questi stampati. Sono bellissimi per caratteri e per forma, e (come il diavolo è ben servito!) detti fattorini percorrono con zelo non solo le città, ma eziandio i piccoli villaggi d'Italia. S'introducono persino nelle case de' privati; offrono tai libri a buon mercato ed anche gratuitamente sotto il nome di limosina spirituale. Alcuni di questi libri portano in fronte

un titolo specioso che spira pietà e zelo di religione; sicchè, amati parrocchiani, lungi dall'acquistare o ricevere *gratis* questi libercoli, mandateli al diavolo chè sono opera sua. » In tanta igitur pestilentissimorum librorum, ac diariorum multitudine nulla cautela satis: hinc merito Episcopi Provinciæ Taurinensis inter cetera hæc suis præscripserunt, 2 oct. 1852:

1.° « Nel dubbio che qualche libro o foglio possa essere o no proibito, dovranno i Nostri Diocesani astenersi dal leggerlo, ricorrendo intanto a Noi per le opportune direzioni, od almeno a' loro rispettivi Parrochi od a persone dotte e pie. E coloro che, avendo cognizione di queste Nostre prescrizioni, ricusassero di sottomettervisi, o volessero senza consultarsi leggere indistintamente libri e giornali sospetti, e mettersi in conseguenza in evidente pericolo di operare contro le leggi della Chiesa e di peccare gravemente, non saranno capaci d'assoluzione, fintantochè non cangeranno proposito.

2.° » Dovendo gli ecclesiastici secolari e regolari, precedere i laici nell'esercizio d'ogni cristiana virtù ed in ispecie nell'obbedienza alle prescrizioni della Chiesa, come già loro ricordammo *(Pastorale latina)* dichiariamo, che sono essi obbligati a sottoporre qualunque loro produzione, sia in nome proprio che in nome altrui, alla preventiva revisione del proprio Ordinario, od almeno di quello del luogo, ove s'intende stampare la produzione stessa, e che operando altrimenti incorreranno nelle pene canoniche *(Reg.* x dell'*Indice*, ed il *disposto del Concilio Lateranese)*. » Hoc secundum urget etiam Conventus Episcoporum Provinciæ Vercellensis, Vercellis habitus 18 nov. 1849, § 1.

(L) Pag. 674.

1036. Causa primaria spei: docet Angelicus (2, 2, q. 17, a. 4) quod in solo Deo sperandum est, uti in primaria causa nostræ beatitudinis: quo sensu explicatur illud *maledictus qui confidit in homine* (Hier. xvii). Addit tamen licitum esse etiam in homine vel in alia creatura sperare tanquam in causa secundaria et instrumentali. Sic merito speramus in Sanctos; et etiam in merita nostra; hinc Tridentinum (sess vi, can. 26) damnavit qui dicunt *justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerunt facta, expectare et sperare æternam retributionem a Deo.*

1037. Numerus electorum: plures tenent nonnisi paucos esse æternam salutem consecuturos; hoc probant ex Scriptura per ea verba: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. xix et xx). *Contendite intrare per angustam portam, arcta via est quæ ducit ad vitam* (Luc. xiii et Matth. vii). *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium* (i, Corinth. ix); et ita porro.

Verum testimonia objecta juxta alios non satis probant. Non 1) illud *multi sunt vocati, pauci vero electi.* Ut hoc testimonium aliquid evinceret, oporteret ostendere nomine *electorum* non venire, nisi qui salutem æternam consequuntur; atqui hoc incertum est. Prætermissis innumeris interpretationibus, unam proferimus celeberrimi Cornelii A-Lapide, qui dicit multos vocatos ad gratiam ordinariam relate ad observantiam legis divinæ; paucos electos ad gratiam extraordinariam relate ad observantiam consiliorum Evangelii: qua in re profert interpretes multos: et videtur textui conformius. 2) Non illud: *Conten-*

dite intrare, arcta via est; nam unus post alium omnes et per angustam viam intrare possunt domum: « Dall'essere la via stretta, non ne vien di conseguenza che vi passi il picciol numero. Le Termopoli non erano che un sentiero tortuoso ed aspro nelle montagne; e nondimeno lo sterminato esercito di Serse le valicò: « Lacordaire infra citandus. Non 3) illud: *omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium;* audiatur s. Anselmus: *Currunt ethnici, hæretici, reprobi, sed unus christianorum et electorum populus accipit bravium.* Ergo si Apostolus intelligendus est de toto christianorum populo, ejus verba potius nobis favent, quam obsint. Et sane, si acciperetur literaliter de una tantum persona, concludendum, solam Beatam Virginem esse salvam: tunc irrisorie Apostolus omnes ad cursum capessendum ibidem excitasset dicens: *sic currite, ut comprehendatis.*

Ut tamen status quæstionis plenius dignoscatur, quatuor præcipuæ hypotheses hic conficiendæ sunt: — 1) si quæstio est de omnibus omnino hominibus, qui sunt, fuerunt ac futuri sunt, est certum, multo plures damnari; quotenim sunt ethnici, judæi, mahumetani, hæretici, indifferentistæ, theistæ, peccatores! Quo sensu habemus illud Christi (Matth. xvii): *arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam;* 2) si sermo est de omnibus christianis sive catholici sint sive non, et tam adultis quam pueris, vel etiam de solis catholicis, iterum tam adultis quam pueris: videtur certa sententia quæ docet multo plures salvari; nam exploratum est, adultos et infantes numero fere æquali e vita decedere. Unde infantibus baptizatis, qui salvantur, sunt addendi adulti qui in justitia moriuntur; — 3) si quæritur de solis adultis christianis sive catholicis sive acatholicis, dicunt probabilius plures esse, qui damnantur; nam hæreticis, apostatis ac schismaticis, mali catholici adjugendi sunt; — 4) tandem si quæstio est de solis adultis catholicis, duæ sententiæ. Prima docet ex adultis catholicis plures damnari, nam pauci servant tota vita innocentiam, paucique post peccatum agunt dignam pœnitentiam; quæ autem fit in morte admodum dubia est: pro hac sententia non immerito citantur Gregorius M., Augustinus, Chrysostomus, etc. Sed aliis magis arridet sententia eximii Suarez, qui tenet multo plures salvari: hoc quippe Dei clementiæ, Christi meritorum, virtuti ac Sacramentorum efficacitati consentaneum est. Et congruit magis verbis Apocalypsis (c. vii): *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Et licet major pars adultorum sæpius mortaliter peccet, tamen sæpius resurgit; et in fine vitæ pauci sunt, qui per Sacramenta non præparentur ad mortem. — V. *Scriptura sacra contra incredulos propugnata*, par. ix, sess. 2ª, in Apoc., c. iii, quæst. 10, auct. Veit, cujus Opera multum commendabat Pius VI. — Bergier, *Trattato della vera Religione*, tract. x: item *Dizionario;* V. *Eletti.* — Auctor libri, *Quattro anni di esperienza* ecc., c. 3. — Segur, *Risposte brevi e familiari alle objezioni più diffuse contro la Religione*, § 19. — *Tesori di confidenza in Dio* ecc.

Audiendus Lacordaire, *Conferenza:* Dei risultati del governo divino: « Fra gli scrittori che onorarono la Chiesa nel secolo scorso, ve n'ha uno d'una riputazione modesta e grave al tempo istesso, il cui sapere non è alcuno che lo contrasti, e meno poi la sua ortodossia, e così dicendo vi ho nominato Bergier. Ora, trattando egli codesta questione, così si esprime: *Uno spirito sodo e a sufficienza istrutto non si lascia scuotere da un'opinione problematica, sulla quale la Chiesa non ha per anco sentenziato, come è quella del grande e piccolo numero degli eletti.* Dizionar. Teol. V. *Eletti.* E altrove, dopo esposto il disaccordo dei Padri della Chiesa e dei commentatori della Scrittura

sopra tale argomento, soggiunge: *Se le parole del Vangelo possono giovar di prova, si dee più presto conchiudere il gran numero che non il picciol degli uomini salvati. Gesù Crîsto paragona la separazione dei buoni da' cattivi, nel giudizio ultimo, a quella che si fa del buon grano dal loglio; ora in un campo coltivato con cura il loglio non fu mai più copioso del buon grano. Egli la paragona alla separazione dei cattivi pesci dai buoni; ma a qual pescatore avvenne mai di prendere minor numero di buoni pesci che di cattivi? Delle dieci vergini chiamate alle nozze, cinque sono accolte alla società dello sposo. Nella parabola dei talenti, due servi sono ricompensati, uno solo è punito. In quello del banchetto, uno solo de' convitati è scacciato.* Essendo stata chiaramente fatta la questione a Gesù Cristo, non ha voluto scioglierla; ma volle tenerla in sospeso. Un dì gli fu chiesto: *Signore, sono pochi quelli che si salvano?* Non vi era domanda più chiara; ma che rispose egli? *Procurate*, soggiunse, di entrare per la porta stretta, perchè vi saranno molti *che vorranno entrare e che non entreranno* (Luc. XIII). Era un consiglio utile, il quale non distruggeva il mistero utile anch'esso.... G. C. non ha risposto, perchè come Dio che era, avrebbe fatto di ciò un domma. »

1038. Spei impedimenta amovenda: « sæpe (ad rem *Stapf*, § 191) complures ideo tantum vacillant, quia solida circa spei officium instructione destituuntur; et præsertim in magnis rerum angustiis homines perraro sui sat compotes esse solent. Sæpe vel tetrica corporis dispositione vel repentinis casibus status moralis plene intercipitur, vel etiamsi id non fiat, ea tamen quæ in tanta sensuum tempestate fiunt, frequenter in culpam gravem haud imputanda videntur; quis, e. g., Petrum dum ad conspectum tumultuantis maris trepidare cœpit (Matth. XIV), de reatu læthali accusabit? Equidem reprehensibilis fuit, ita tamen ut infirmus potius, quam improbus dici mereretur. Verum etiamsi hæc animi abjectio ex perturbato statu morali sæpe culpam mortalem haud involvat, conditio tamen talis hominis est multum deploranda. Quid enim de illo timendum non est, qui identidem diffidentiæ fluctibus jactatur, vel omnino vortice desperationis submergitur? Quare ad præcipua Pastoris officia pertinet, ut gregem sibi commissum de hac nobilissima virtute solide instruere, atque inter quæcunque rerum discrimina animos suorum in spem erectos servare studeat. » *Tolle spem* (ait s. Zeno), *torpet humanitas tota; tolle spem, artes virtutesque cessabunt; tolle spem, et interrempta sunt omnia.*

1039. Q. 1. *An sit pejor desperatio, vel præsumptio?*

R. Quæstionem jam videtur dissolvisse s. Bonaventura cum ait: *Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem; prima sæpe salvat damnandum, secunda damnat salvandum* (Compendium Theol. verit.). Quibus patet opinionem Doctoris Seraphici fuisse, quod sit longe pejus præsumptione desperatio; cum dicat in illa *sæpe* salvari damnandum, in ista e contrario damnari salvandum. Suffragatur ratio; nam *præsumptio* adhuc in homine relinquit animi robur ad operandum, adhuc in eo conservat rerum spiritualium æstimationem, et usum aliquem mediorum ad salutem æternam, uti est Confessio sacramentalis. *Desperatio* ex adverso hæc omnia uno quasi ictu extinguit, Sacramenta contemnit, Religionis præcepta non amplius curat, animam pro nihilo habet, Deum ipsum uno verbo odit, et sic magis ab ejus amore removetur. Adde: desperatio magis Dei benignitati adversatur; *quoniam magis proprium est Deo misereri et parcere, quam punire*, ait Angelicus (2, 2, q. 1, a. 2). — V. *Sacerdote santificato;* Lett. I. — Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 21.

1039. Q. 2. *Quid de eo, qui vult in peccato perseverare usque ad mortem sperans fore, ut se illo temporis puncto pæniteat?*

R. Licet hic difficulter excusari possit a peccato gravi contra charitatem erga seipsum, cum se exponat evidenti periculo damnationis, imo et contra Deum, cujus amicitiam floccifacit; non peccat tamen contra spem ex d. Thoma: *Peccare autem sub spe veniæ*, ait, *quandoque percipiendæ cum proposito abstinendi a peccato et pœnitendi de peccato, hoc non est præsumptionis, sed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum* (2, 2, q. 21, a. 2). Sed intellige, si spes remissionis se habeat solum concomitanter ad peccatum; secus enim erit si spes esset motivum influens in peccatum ipsum.

1040. Q 3. *Est grave contra spem cupere perpetuo in mundo vivere?*

R. Affirmative; quia est sistere in vita temporali, ut in ultimo fine. Non est tamen per se contra spem ex tædio mortem exoptare; quia non est recedere ab ultimo fine: hoc generatim non excedit veniale, nisi adsit rebellio expressa contra ordinem Providentiæ.

(M) Pag. 679.

1041. Virtutem omnium præstantissima est charitas. Audi Augustinum illius peculiarem præconem: *Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris; in tentatione tutissima; in hospitalitate lætissima; inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata, in Noë per diluvium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter injurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima. In tribus Pueris blandos ignes innocenter expectat, in Machabæis sævos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum.* Serm. CCCL.

Q. 1. *An dentur signa charitatis Dei in anima immanentis?*

R. Affirmative, uti omnes fatentur cum s. Laurentio Justiniani, qui tria indicat: 1) *libenter pro Deo dare;* qui enim aliquem diligit, illius frequenter reminiscitur; 2) *libenter pro Deo dare;* amor enim nescit esse vacuus; 3) *libenter pro Deo pati; fortis ut mors dilectio.*

Q. 2. *An desiderium fruendi Deo sit actus charitatis?*

R. Affirmative, si desiderium tendat ad Dei fruitionem ob gloriam ipsius Dei. Imo est actus perfectissimæ charitatis; quia fruitio est charitas consummata: unde charitatem definit Augustinus: *motum animi ad fruendum Deo propter se.* Item actus charitatis est diligere bonitatem divinam uti nobis convenientem, quatenus nos adjuvat ad illius voluntatem exequendam ac ultimum finem assequendum; semper enim Deum suspiceret. Idem est, si diligatur Deus ob beneficia, quæ contulit nobis, sed ea respiciendo uti Dei bonitatis communicationem: esset enim tunc diligere bonitatem dispensantis.

1042. Q. 3. *An charitas possit augeri, minui ac destrui?*

R. Ad 1: Charitas in mundo potest augeri sine termino: definitum est in Concilio generali Viennensi anno 1311 contra Beguardos et Beguinos. Hinc Apostolus hortatur: *In charitate crescamus* (Eph. IV). Et d. Augustinus de charitate habet: *Ut perficiatur, nascitur; cum fuerit*

nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? mihi vivere Christus est, et mori lucrum (Tract. v *in ep.* i *Joann.).* Sane de ratione viatorum est, ut magis ac magis ad terminum appropinquent, sed terminus est Deus; ergo possumus magis ac magis illi appropinquare: hoc autem facit charitas. At charitas non augetur *extensive;* nam vel minima completa est in sua specie, et se extendit ad omnia charitate diligenda. Sed *intensive*, non per additionem charitatis ad charitatem, quod esset charitatem multiplicari; sed per majorem radicationem, sive per majorem actuationem in subjecto. *Billuart.*

R. Ad 2: Non est quæstio de charitate actuali: certum enim est, actus charitatis esse modo intensiores, modo remissiores. Sed de habitu charitatis, quem commune est posse indirecte minui per venialia, quatenus ejus fervor minuitur. At non directe; nam vel minima charitas attingit omnia charitate diligenda (d. Thomas, 2, 2, q. 24, a. 10).

R. Ad 3: Utique charitas potest amitti: est contra Jovinianum; item contra Beguardos et Beguinos damnatos in Concilio Viennensi; item contra Calvinum damnatum in Tridentino his verbis: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum, anathema sit* (sess. vi, can. 23). Et sane: per mortale homo fit dignus morte æterna juxta illud: *stipendia peccati mors* (Rom. vi). At e contrario quilibet habens charitatem, est dignus vita æterna; ergo qui mortale commisit gratiam necessario debuit amisisse.

(N) Pag. 683.

1043. Moriendi desiderium aliquando peccaminosum, aliquando licitum, aliquando etiam generosum esse potest. *Stapf.*

« 1) *Peccaminosum* erit si vel ex indigno motivo nascatur, dum, e. g., avarus aut ambitiosus, etc., ob spes suas frustratas tædium vitæ concipit; vel si quis ex hoc ipso vivendi tædio justa sui conservationis media omittat; 2) e contrario hoc moriendi desiderium *licitum* censeri debet, si quis dolores ac angores suos equidem morte propinqua finiri optat, ita tamen ut mens se totam divinæ voluntati resignet, nec quidquam eorum detrectet, quæ ad sua officia spectant; 3) tale moriendi desiderium *generosum* dico, si non tantum cum plena erga Deum resignatione et perduratione officiorum studio jungatur, sed etiam ex motivo vere generoso descendat, e. g., ut Deo plene perfrui possimus, vel ut ex tantis eruamur peccandi periculis, etc. Hinc quis non miratur Apostolum, dum secum quasi deliberans ait: *Mihi vivere Christus est et mori lucrum. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam, ignoro. Coarctor autem a duobus: desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne necessarium propter vos* (Philipp. i). »

1044. Quid (quæres) de desiderio non quidem mortis, sed desiderio damnationem incurrendi ob salutem proximi juxta illud Moysis: *aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti* (Exod. xxxii). Et illud Apostoli Pauli: *optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* (Rom. ix)?

R. Quantum ad Moysis verba: 1) intelligi possunt hyperbolice, ad significandum perardens suum desiderium de salute populi; 2) accipi possunt dicta de libro viventium hic in terra, ut sensus sit: *si non*

parcis populo, me una cum ipso interfice; 3) si intelligantur de libro prædestinatorum, erit sensus: *aut dele me de libro tuo, aut dimitte eis hanc noxam;* certus enim erat quod Deus non esset illum deleturus; ergo restabat ut Deus populi peccatum dimitteret. Unde verba illa ex summa fiducia de Dei erga ipsum amore procedebant. Quo fere sensu explicantur verba s. Ignatii, « qui si optio daretur (aliquando dicebat), mallet se beatitudinis incertum vivere et interim Deo servire et proximorum saluti, quam certum ejusdem gloriæ statim mori. »

Quod attinet ad verba Apostoli, in primis etiam accipi possunt hyperbolice. Vel juxta alios Apostolus optat pro fratrum salute anathematizari, id est ad instar victimæ expiationis gravissima quæque ac mortem acerbissimam pati: sic in Scriptura quandoque accipitur vox *anathema.* Vel sensus esse potest, ut Paulus non jam optaverit, sed optasset in æternum separatum esse a Christo, si id sine peccato fieri posset, potiusquam videre quod Deus a judæis infidelibus blasphemetur: sicque amorem et gloriam Domini prætulit sibi ipsi. *Dens.*

(O) Pag. 687.

1045. *Dilectio amicorum, secundum se considerata, est ferventior et melior, quam dilectio inimicorum* (Angelicus, 2, 2. q. 27, a. 7). Ratio: illa dilectio est absolute melior et meritoria, cujus objectum est melius; atqui amicus est melior, Deo et nobis magis conjunctus, quam inimicus: ita communius et probabilius. Nec obstat, quod inimici dilectio sit difficilior: plus facit ad rationem meriti bonum quam difficile, aliis præclusis: sane dilectio Dei melior est dilectione proximi; dilectio tamen proximi est certo difficilior.

Amor inimicorum est de lege naturali, unde nulla positiva lege tolli potest. Nec obstat illud Matth. v: *Audistis, quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum? ego autem dico vobis,* etc. Respondet Angelicus: *Quod dicitur, odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumptum, quia nusquam hoc in litera invenitur; sed est additum ex prava interpretatione Judæorum, qui ex eo quod præcipiebatur dilectio proximi, concludebant, quod inimici erant odiendi.* In 3, dis. 31, q. 1, ad 2. Sane in Levitico (c. XIX) habetur: *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum;* et Prov. XXV: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum,* etc. Hinc notant pro praxi: — 1) non sunt absolvendi, saltem ordinarie, qui quamvis dicant se condonare, recusant tamen inimicum alloqui, licet facile possint et debeant. Item neque qui dicit, se libenter condonaturum, sed non posse promittere; qui revera vult, potest, Dei gratia adjutus, promittere ex animo. A fortiori qui asserunt se nunquam verbum illi dicturos esse; quia tales malam animi dispositionem in corde retinent. *Gury.* — 2) Si nolis cum inimico conversari, quia non aliud quam malum ab eo expectare possis; vel si prudenter timeas ex eo pejus evenire, tunc abstinendum ab amicitiæ signis, modo interius diligas, et apud alios scandalum reparares. *Continuator Tournely.*

At (inquies) *quomodo diligi potest homo iniquissimus, crudelis inimicus, qui nos quovis modo perdere nititur; cum voluntas nostra amore ferri non possit, nisi in bonum?*

R. Diligi potest, quomodo diligimus membrum vitiatum, quod acutis doloribus die noctuque nos cruciat; nempe distinguimus substantiam inter et vitium doloris causam: substantia est nobis chara ac pretiosa

utpote pars nostri, quam sanam peroptamus; ideoque contra vitium eam infestans pugnamus, illudque qua arte, qua industria propellere nitimur! Ad rem Augustinus (l. XIX cont. Faust. c. 24): *Hæc regula est, qua et oderimus inimicum propter id quod in eo malum est, id est iniquitatem; et diligamus inimicum propter id quod in eo bonum est, id est socialem rationalemque creaturam.*

1046. Q. *Quomodo se gerere debet confessarius cum pœnitente, quem detegit odiis, et inimicitiis implicatum et anxium?*

R. Vel agitur de odio quod tale creditur, nec est; vel de vero odio.

Si 1, confessarius pœnitentem instruat, ne ex conscientia erronea peccet: doceat verum odium non esse nisi in eo, qui inimico deliberate vellet inferre malum, et de malis ipsi illatis ex animo gaudet, de bonis tristatur: quod ubi desit, motus illi erunt defectus naturæ, non peccata contra charitatem. Unde ipsum confortet, ut personæ illi communia charitatis officia et signa præstet, nihil sollicitus de contrariis motibus; pro illo oret; defectus excuset; bene loquatur; ejus consortium quærat, data opportunitate; et tuto speret Deo dante, fore ut aversio illa pedetentim evanescat. Hæc si agat, amovet periculum, ne indolis aversio ad personam paulatim sese extendat. Etenim sunt aliqui, rudes præsertim, qui de odio se accusant, quin illud malum odium sit: esset si quando de aliqua persona occurrit sermo, ipsi experiuntur quandam displicentiam et aversionem licet involuntariam, et sanguinem sibi sentiunt contra illam ebullire: isti igitur instruendi sunt, ne erronee peccent.

Si 2, maxima nostra cura esse debet in hoc odio extirpando; nihil enim difficilius est in praxi, quam perfectam inimicorum obtinere reconciliationem. Quot sunt qui grave hoc præceptum ignorant, deturpant, postponunt se ipsos turpiter decipientes! Confessarius igitur pœnitenti ostendat quanta sit vis et meritum præcepti charitatis, eumque perducat ad vindictæ spiritum deponendum, ad ignoscendum ex corde exemplo Christi et Sanctorum, atque ad communia charitatis signa præstanda. Sæpe etiam est remedium efficax pro pœnitentia injungere pro inimicis orare. — *V.* Pinamonti, *Il Direttore.* — Salvatori, *Istruzione pratica pe' novelli confessori,* § XI.

1047. CASUS 1: *Duo ante inimicitiam, puta duo juvenes collegialiter viventes, duo religiosi in monasterio, se salutabant et passim colloquebantur; post rixam nec se salutant nec colloquuntur. Peccantne?*

R. Si inde sequatur scandalum tam inter ipsos, quam in communitate, prout ordinarie accidit, peccant mortaliter vel venialiter pro quantitate scandali. Si tamen antea erant specialiter amici et amica colloquia miscebant, literas mutuo scribebant, non tenentur redintegrare specialem amicitiam et amica colloquia et epistolas; quia ex hac omissione non potest colligi odium, modo se habeant ad invicem, sicut ad ceteros confratres. *Billuart.*

CASUS 2: *Egeria honestibus parentibus nata, ipsis invitis, contraxit matrimonium cum Jugurtha satellite; quare parentes recusant tum ejus colloquium, tum ejus aspectum, etiam jam petita venia. An peccent?*

R. Vel parentes, quos rusticos suppono, colloquium filiæ et ejus aspectum ad longum tempus recusant et in perpetuum recusare parati sunt; vel ad breve tempus. Si 1, peccant graviter nec possunt absolvi, quia permanent in odio ac vindicta excedente delictum filiæ plebejæ post petitam veniam. Si 2, non peccant; quia id honeste potest fieri in emendationem filiæ et in sui criminis pœnam, aliarumque filiarum exemplum. Licet enim filia non teneatur obedire parentibus quoad status electionem; tenetur tamen statum illis non indecorum eligere;

et indecorum eligendo, ut in casu cum infamia propria et parentum, sane delictum committit ea punitione dignum, ut ad breve tempus ejus aspectum et colloquium parentes recusent. *Giribaldus*, *Diana*, *Layman*.

Casus 3: *Plautillus pluribus occurrens, omnes salutat præter inimicum qui est cum illis; an peccet graviter?*

Ita quidam existimant; sed juxta Sylvium respici debet intentio personæ et magnitudo scandali: si enim vel nullum ex adjunctis vel parum omnino sit scandalum, et persona non ex odio, sed vel in significatione injuriæ quam recenter recepit, ut scilicet alter in posterum magis caveat ab offensionibus, vel alia justa causa sic agit, non videtur peccare saltem mortaliter. *Dens*.

(P) Pag. 689.

1048. Quoad officia generalia charitatis notamus pro praxi:

De redemptione captivorum. Hic satis erit referre quod scripsit S. Congregatio Episcoporum et Regularium 21 martii 1855 ad Generalem Ordinis Ss. Trinitatis, qui dein, habita facultate, hanc dedit epistolam ad omnes Episcopos: « *Illme et Rme Domine.* P. F. Antonius a Matre Dei, major ac generalis Minister Ordinis Excalceatorum Ss. Trinitatis Redemptionis captivorum humiliter exponit, quomodo a sæculis ex quo ortum habuit Ordo prædictus, peculiari affectu a Ss. Pontificibus semper prosecutus fuerit; quare nunquam destiterunt gratias et privilegia elargiri ejusdem Ordinis professoribus, qui semetipsos dedicabant redemptioni christianorum captivorum et fidelibus qui pro suis viribus eandem redemptionem coadjuvabant.

» Veruntamen cum ope misericordiæ Dei christianorum captivitas fere sit extincta, Patres excalceati dicti Ordinis desiderium summi Pontificis feliciter regnantis, tametsi ignorarent, mirabiliter compleverunt, cum unanimi deliberatione in proximo celebrato generali Capitulo redemptionem Maurorum puerorum a d. Nicolao Oliviero genuensi presbytero approbatione universali inchoatam, ab ejusdem Ordinis religiosis prosequi decreverunt. Hinc ab eodem summo Pontifice Pio IX, per S. Congregationem Episcoporum et Regularium, literas obtinuit supradictus p. Generalis minister sub die 21 martii vertentis anni (1855), quibus omnia privilegia, et gratiæ olim a Ss. Pontificibus Ordini suo concessæ, denuo confirmantur, et insuper ad redemptionem puerorum Maurorum extenduntur. Quare dominationem tuam humiliter exorat, ut hoc opus Deo omnipotenti admodum acceptum et humanitati proficuum apud fideles Diœcesis tuæ promovere digneris, tum hasce literas executioni demandando; aut si ibi reperiuntur pia sodalitia Redemptionis captivorum, illa admonendo, ut juxta uniuscujusque vires, huic operi auxilium ferant. » V. *Analecta Juris pontificii*, anno 1861; — *Civiltà Cattolica*, ser. 6ª, t. VI: *La tratta dei Negri*, ecc.

1049. Hospitalitas: « Etiam *hospitalitatis* meminisse juvat, qua erga peregrinos et itinerantes charitas exercetur. Officium istud antiquitus ubique gentium tanta cum religione observatum fuit, ut ejusdem neglectus passim notam insignis dedecoris et quasi infamiæ inureret. Etiam sacræ utriusque Testamenti tabulæ illud enixe urgent. Hodie dum tamen, cum in regionibus saltem cultioribus ubique publicæ tabernæ extent, hospitalitas prout de necessitate, ita de vigore quoque suo multum amisit. Attamen officium adeo commendatum etiam

nunc suas sibi partes vindicat, dum nempe vel peregrinantis inopia vel angustiæ loci, vel qucæunquæ aliæ circumstantiæ illud expetunt. Divinus Redemptor hæc quoque obsequia sibimet ipsi præstari asserit: *hospes eram, et collegistis me* (Matth. xxv). Et quamvis nulla forte necessitas adsit peregrinos hospitio excipiendi; charitas tamen fraterna sæpe expetit, ut eos nostro vel consilio vel favore adjuvemus.

» Eo pejus agunt, qui itinerantes divexare, lacessere, dolo vel fraude circumvenire, vel omnino ad turpia, et nefanda pertrahere haud reformidant. E contrario simplices ruricolæ non raro per excessum impingunt, dum nempe homines periculosos, circumforaneos, vel publice proscriptos fovent et occultant, iisque opportunitatem præbent leges publicas eludendi. » Hactenus *Stapf*, § 354.

1050. Il non-intervento. Novum hoc ac perexitiosum revolutionis inventum pugnat evidentissime cum genuinæ charitatis regulis, quibuscunque tandem speciosis verbis honestari velit; si enim tenemur privatorum necessitatibus intervenire et subvenire, quanto magis necessitatibus publicis totiusque societatis? Unde modernorum Diariorum princeps: « Una società, come un individuo, è ente finito, limitato da imperfezioni, impedito da debolezze, le quali possono rendere necessario l'ajuto d'altri popoli: *adjutorium simile sibi.* La Provvidenza dunque che formò i popoli bisognosi di taie ajuto, per conseguenza della loro stessa natura, ordinò cotesto ajuto scambievole, soprattutto quando sono a contatto l'uno coll'altro...

» Risponde il NON-INTERVENTO alla moderna : *ogni popolo dev' essere libero a farsi da sè i fatti propri.* Quasi che tra questi *fatti propri* non vi sia anche quello di procurarsi ajuto nel caso di bisogno, onde che onestamente può aversi. Strana sentenza in verità e spietatezza selvaggia, la quale inchiude la distruzione della società fra le genti, come il sussidio interdetto fra i cittadini distruggerebbe la società civile. Giacchè, secondo il detto di poc'anzi, che altro è società civile se non mutuo sussidio? Vietare al povero di ricevere il soccorso del ricco è una spietatezza, sia il povero una persona, una famiglia, un comune, una gente, una nazione. Coloro, che vietano al mendico il ricorrere alla mano benefica che può dargli il soccorso, oh, costoro sì, sono rigorosamente logici, allorchè vietano al popolo debole l'ottenere da un popolo forte un ajuto che gli assicuri la tranquillità e l'ordine.

» Ma chiunque comprese la legge fondamentale della società *(adjutorium simile sibi)* dee concedere ad ogni popolo il diritto di ricevere ajuto dal vicino benevolo, e ad ogni sovrano di riceverlo dal sovrano amico. Interporsi ad arrestare la mano benefica che corre all'amico in ajuto, è il colmo della spietatezza, non meno che dell'iniquità. *Colmo dell'iniquità*, perchè si vieta all'ajutatore l'uso libero delle proprie forze, le quali egli vorrebbe adoperare in pro di chi ne abbisogna. *Colmo di spietatezza*, non solo perchè si toglie al necessitoso quel bene che spontaneamente gli verrebbe largito da mano benefica inviata dalla Provvidenza; ma anche perchè il bene interdetto è il bene di giustizia e di ordine supremo tra i beni naturali; e la violenza! o toglie non ad una persona isolata, ad una famiglia, a poche centinaja di un Comune, ma ad una intera nazione, a parecchi milioni d'uomini che vengono condannati in tal guisa a palpitare perpetuamente fra l'incertezza d'una società agitata, e il turpe e disperato letargo d'una società incatenata e schiava d'un partito, che prevale forse più per l'ajuto dei tradimenti stranieri, che per la possanza degli indigeni oppressori. » *Civiltà Catt.*, ser. 4ª, t. v: *Il non-intervento.* — Franco, *Risposte popo-*

lari ecc. tit.: *Non-intervento.* — Della-Margherita, *L'uomo di Stato*, l. VI, c. 4: *Intervenzione;* it. *Avvedimenti politici*, c. 18: Relazioni d'uno Stato cogli altri.

Et Kolb Bernard egregie sane ajebat: « Io non cercherò di apprezzare il senso, e il vero spirito del principio del NON-INTERVENTO, seppur esso è un principio, e non piuttosto una di quelle negazioni sociali di cui il genio rivoluzionario de'nostri tempi sa così abilmente trovare la formola ed applicar l'uso. Io non mi fermerò ad esaminare quale sia l'indole logica e legittima di questo sistema, la cui origine inglese mi dà legittimamente a sospettare, dove può cominciare, dove deve finire. Se gli è dato di prevalere sul diritto, sulla giustizia, sui doveri internazionali, sulle condizioni di rispetto reciproco, e di solidarietà morale che porta tra i diversi Stati, una società organata come fu fin qui la società europea, io potrei chiedere, se il principio assoluto del NON-INTERVENTO, come il principio assoluto della nazionalità non sia il *lasciate fare* e il *lasciate passare* delle rivoluzioni. » *Tornata dell'11 marzo* 1861 al Corpo legislativo francese.

Sed infandum, quem tenebrosæ conventiculæ ediderunt partum ad societatis perniciem solemniter proscripsit Pius Papa IX Allocutione 28 sept. 1860, *Novos et ante hunc diem inauditos ausus*, ubi teterrima inde consectaria et ingentia societatis mala aperiens, omnibus potestatibus gravia verba facit, ne contingat ut qui hodie aliorum incendium placide intuetur, cras proprium lugere debeat, nemine succurrente: rebellio nulli parcit; sed omnibus blanditur suaviter, ut omnes alios post alios perdat securius. *Abstinere non possumus* (habet Pontifex summus), *quin præter alia deploremus funestum ac perniciosum principium quod vocant de* Non-intervento, *a quibusdam guberniis haud ita pridem, ceteris tolerantibus, proclamatum et adhibitum etiam cum de injusta alicujus gubernii contra aliud aggressione agatur; ita ut quædam veluti impunitas ac licentia impetendi et diripiendi aliena jura, proprietates, et ditiones ipsas contra divinas humanasque leges sanciri videatur; quemadmodum luctuosa hac tempestate cernimus evenire. Et mirandum profecto quod uni subalpino gubernio impune liceat ejusmodi principium despicere ac violare, cum videamus ipsum hostilibus suis copiis, universa Europa inspectante, in alienas ditiones irrumpere, legitimosque ex illis Principes exturbare: ex quo perniciosa consequitur absurditas, alienum nempe interventum dumtaxat admitti ad rebellionem suscitandam atque fovendam.*

Hinc autem opportuna Nobis oritur occasio excitandi omnes Europæ Principes, ut, pro spectata ipsorum consilii gravitate et sapientia, serio perpendant quæ quantaque mala in detestabili quem lamentamur eventu cumulentur. Agitur enim de immani violatione, quæ contra universale gentium Jus nequiter est patrata, quæque nisi omnino coerceatur, nulla deinceps legitimi cujusque juris firmitas ac securitas poterit consistere. Agitur de rebellionis principio, cui subalpinum gubernium, turpiter inservit, et ex quo pronum est intelligere, quantum cuique gubernio discrimen in dies comparetur, et quanta in universam civilem societatem redundet pernicies, cum ita fatali communismo aditus aperiatur. Agitur de violatis solemnibus Conventionibus, quæ uti aliorum in Europa principatuum, ita etiam civilis Pontificiæ Ditionis integritatem sertam tectamque servari omnino postulant. Agitur de violenta direptione illius principatus, qui singulari divinæ Providentiæ consilio Romano Pontifici datus est ad Apostolicum suum Ministerium in universam Ecclesiam plenissima libertate exercendum.... Itaque omnibus supremis Principibus persuasum esse debet Nostram cum Ipsorum causa plane esse conjunctam,

eosque suum Nobis auxilium afferentes Nostrorum æque ac Suorum jurium incolumitati esse prospecturos. (Et nunc, reges, intelligite.) It. vide *Syllabus*, propositione LXII.

1051. *Sed* (ajunt) *hæc omnia definire politicorum est, non ecclesiasticorum; ecclesiastici in politica sese immiscere non debent, nec de illa loqui, scribere vel disputare; cum illis divina tantum credita sint.*

Resp.: « Finchè la politica rimaneva chiusa nelle aule dei governanti, il clero si sarebbe guardato di parlarne in pubblico, pago di far sentire la sua voce autorevole quando si credeva opportuno di chiamarloci. Ma supposto che la politica, non certo per opera del clero, sia stata recata in piazza e fatta pascolo delle ignare e volubili moltitudini; supposto che uomini scredenti ed iniqui si facciano della politica poderoso stromento a pervertire le menti, a corrompere i cuori, soprattutto della gioventù inesperta, traboccando la società in peccati enormi con inestimabile ruina di anime; supposto che la politica invada le appartenenze religiose, professando spietatamente di volere spogliata la Chiesa, annullato il suo poter temporale, scristianeggiata la società, e cangiato il Cattolicismo in un non sappiamo che *umanismo* ghiribizzato da cervelli malati, e careggiato da cuori corrotti; supposto, diciamo, tutte queste cose, staremo a vedere che al clero sia disdetto di dire o di stampare: *questo è lecito, questo no,* e siagli disdetto solo, perchè la materia di quegli atti morali è politica. Ma se il clero entra a giudicare dei contratti, dei giudizi, del diritto di guerra, delle relazioni domestiche in tutte le attinenze che quegli svariati oggetti hanno colla morale cristiana; perchè non potrà fare altrettanto nella politica, la quale in sostanza, nella parte sua più sublime, e diciam così razionale, appena è altro che la morale applicata alla vita pubblica ed internazionale dei popoli? » *Civiltà Cattolica*, serie 4ª, t. v: *Il silenzio del Clero in Italia nel* 1859.

(Q) Pag. 704.

1052. Triplex distingui potest schisma: aliud *speciale*, ut cum quis a propria Ecclesia suoque Episcopo cum S. Sede communionem habente se injuste separat: qui si clericus deponitur, si laicus extra Ecclesiam projicitur. Aliud *particulare*, si nempe particulares Ecclesiæ inter se dissociantur; quod si fiat salva unitate fidei et communionis cum R. Pontifice, non est proprie schisma, sed dissidium opinionum ac voluntatum. Tandem *universale*, dum aliqua Ecclesia, Episcopus vel fidelis subjectionem et obedientiam R. Pontifici, *uti tali* denegat.

Diximus *uti tali;* nam non omnis separatio a Papa est schisma, sed solum recessus ab ipso tanquam a Vicario Christi in terris et capite totius Ecclesiæ. Sic schisma fit et est cum aliquis principatus seu regnum, negans obedientiam Romano Pontifici uti caput universalis Ecclesiæ, constituit sibi proprium Patriarcham aut Episcopum, eique in spirituali obedit, non attentis Papæ mandatis; licet de cetero omnes fidei articulos credat, ipsius etiam papatus necessitatem. At schismaticus non est qui Romanum Pontificem tanquam Vicarium Christi in terris recognoscit eique qua Pontifici obedientiam præstat; sed non vult illum recognoscere uti temporalem dominum alicujus provinciæ, eique obedientiam denegat, dum jubet ut arma deponat, ut suis politicis legibus obtemperet, etc. Est iste etiam coram Deo re-

bellis, contumax, sacrilegus, gravi pœna mulctandus, et schismati forte proximus; at nondum præcise ob id de schismate culpandus.

Duobus ad summum Pontificatum electis, si ignoretur quis ex eis legitime electus sit, et aliquis adhæreat ei quem putat legitimum Pontificem, sed cujus postmodum electio nulla judicata est ab habente potestatem, non est vere schismaticus; schismaticus esset, si cognita veritate adhuc persisteret in sua obedientia et adhæsione. Et ideo quandiu res incerta est, possunt esse sancti ex utraque parte; quod non semel evenit. *V.* Benedictus XIV, *De Canonizatione* etc., l. III, c. 20.

1053. Ait Billuart: non esset utique schismaticus qui renueret subesse Pontifici, ut est homo privatus, ex odio v. g., vel propter aliquam ipsius personæ qualitatem, aut nollet illi obedire in aliquo præcepto, puta jejunii vel restitutionis ob ejus difficultatem. His enim non obstantibus, potest illum agnoscere ut Christi Vicarium, et illi subesse quantum ad definitionem fidei et morum. Sic quot sunt inobedientes suis superioribus, sed vere adhuc eos agnoscunt pro superioribus. Verum periculosus est hic abstrahendi modus; experientia enim edocti sumus eos, qui in summi Pontificis veneratione atque obedientia nimium amant distinctionibus uti, eo tandem devenire, ut omnem submissionem ei proterve denegent, etiam prout est Christi Vicarius.

Hic mire faciunt hæc cl. Della Margherita in suo celebri *Memorandum stor. pol.*, c. x: « Ristorate le antiche Monarchie nel 1815, si ritornò da tutti i Gabinetti agli stessi errori, e ministri e magistrati mostrarono assai più zelo nel resistere alla santa Sede, che ai nemici interni ed esterni della pubblica quiete. Così hanno preparato nuove calamità all'Europa; nè sorgerà mai èra migliore, o sorgendo non durerà a lungo, se i Principi e ministri cattolici non si faranno una gloria di stringersi come membri della gran famiglia cristiana al supremo Pastore. Costantino, Teodosio, Carlomagno furono grandi in tutta l'estensione del termine fra i Monarchi, le cui geste narra la storia: foglia non vi fu degli allori di loro corone appassita, per la sommissione ai sommi Pontefici. I giovani che si dedicano a maneggiar col tempo gli affari di Stato studiino la storia di tutti i Regni, e imparino che non portò nè rovina, nè danno ad alcuno mai la sommessione alla Chiesa, chè nulla toglie alla regia maestà la riverenza per le Somme Chiavi; che innumerevoli sono gli esempi di Principi e di Stati percossi da ogni genere di sventure e di umiliazioni per aver questi principii disprezzati. Potrei terminare con molte citazioni, ma sarebbero di autori troppo religiosi per carattere e per carriera, onde di buon grado gli ammettano coloro che già sono tocchi dai pregiudizi nelle scuole insegnati, e praticati nelle Cancellerie e nelle Curie forensi. Citerò invece un diplomatico spagnuolo di gran senno d. Diego Saavedra: costui fu impiegato in negozi importantissimi dal Re cattolico, assistette in Roma a due Conclavi, in Ratisbona all'elezione dell'imperatore, e nella Svizzera ad otto Diete, studiò sopra una grande scala gli affari del mondo, fu quindi Consigliere del supremo consiglio delle Indie, e lasciò un libro di cento Imprese politiche per ammaestramento di Principi. Ecco come si esprime all'Impresa XXIV: « Distinti sono fra loro i poteri spirituale e temporale: questo si adorna » con l'autorità di quello, e quello si mantiene col potere di questo. » Eroica obbedienza quella che si osserva verso il Vicario di Colui » che dà e toglie gli scettri. Si gloriino i Re di non sottomettersi a » giurisdizioni e leggi straniere, ma non mai alla forza dei Decreti Apostolici. » — It. *Avvedimenti politici* ejusdem cl. auctoris, c. XIX, n. 3. — Vide item *Cattolico di Lugano*, vol. V.

(R) Pag. 709.

1054. Q. 1. *Ad quid corporis tegumenta?*

R. Corporis tegumenta (ait *Stapf*, § 296) fuerunt adhibita: 1) ut illæ corporis partes oculis subducerentur, in quibus prava concupiscentia præcipue ferocire, et ex quarum intuitu libido etiam in aliis excitari solet; — 2) ut perniciosus influxus aeris aliarumque casuum magis arceretur et mitigaretur; — 3) ad distinctionem utriusque sexus, id quod honestas ipsa et natura urgere videtur, et in veteri Testamento Deuter. xxii. Quanquam d. Thomas (2, 2, q. 169, a. 2), ait id in Deuteronomio ideo fuisse specialiter graviterque prohibitum, *quia gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriæ superstitionem:* et tale præceptum utpote cæremoniale cessasse, tanto magis quia et periculum idololatriæ cessavit. Ideo hoc dijudicandum est ex circumstantiis quæ talem usum comitantur. Sub quo respectu, etsi per se non videatur graviter increpandus mos, quo nempe mulieres (idem de viris) larvatæ incedunt cum veste etiam virili ad choreas ducendas (vulgo *ballo-maschere);* non ita tamen res innocens est in praxi: nam præterquam quod de facili tactus habeantur impudici (ad invicem) ad sexus diversitatem dignoscendam, si prudens confessarius interroget, aperte dignoscet, eas mortaliter deliquisse, et non tantum ob malas cogitationes quibus consensum dedere, et inhonesta verba prolata; sed etiam ob id. quod sine scrupulo festa violaverint, laborando nempe, ut vestes pro dictis choreis pararent: et debita contraxerint supra vires, quæ solvere est impossibile. Quare hæc omnia removenda sunt, ut id valeat tolerari. — *V.* Franco, *Delle veglie ed amoreggiamenti nelle campagne.* Modena, 1862.

Accedit distinctio status et conditionis externæ, quam unusquisque in humana societate tenet. Hinc Angelicus (2, 2, q. 169, a. 1): *Illi qui in dignitate constituuntur vel etiam ministri altaris, pretiosioribus vestibus quam ceteri induuntur; non propter sui gloriam, sed ad significandam excellentiam sui ministerii vel cultus divini: et ideo in eis non est vitiosum.* Quod valet, data proportione, de ceteris. Adde: hic etiam decor et pulcritudo corporis intendi potest, in quantum talem placendi studium rectæ rationi haud adversatur. « Si permettono alle fanciulle più ornamenti, affinchè possano desiderare lecitamente di piacere a molti, benchè ciò sia per guadagnarne un solo a un legittimo matrimonio. » Sales, *Filotea*, l. iii, c. 25.

1055. Q. 2. *Quid observandum in condemnandis ornamentis ac novis moribus in christianis?*

R. « Nel condannare gli ornamenti e le mode indecenti un Parroco, un Predicatore, un Confessore debbe evitare di comprendere nella sua censura, e riprensioni le mode che non hanno nulla di contrario colla modestia; ma hanno solo l'inconveniente di essere nuove. È questo uno scoglio, contro cui i preti ancor giovani o poco istruiti non si guardano sempre sufficientemente. » *Gousset.*

« Una donna mondana venne a consultare monsignor La-Motte, sull'uso del rosso *(belletto)* esponendogli quante inquietudini eccitassero nella sua anima le diverse decisioni de' casisti. *Io v'intendo, madama,* dissele monsignore: *gli uni ve lo interdicono assolutamente, ed eglino il credo, sembrano molto severi; gli altri ve lo permettono, e voi, come è giusto, li trovate molto rilassati. Per me che amo si conservi il giu-*

sto mezzo, vi consento di usarlo da una parte sola del volto. » (Opuscolo: *La divozione riconciliata collo spirito*, t. II, c 4.)

1056. Q. 3. *Quid de luxu maxime ætatis nostræ?*

R. Quoad luxum ad rem faciunt hæc verba Stapf (§ 298): « Ætas nostra de insano vestimentorum luxu et splendore justissime reprehenditur. Vesana æmulatio, qua homines tum ejusdem, tum diversæ conditionis vestimentorum ornatu semet mutuo assequi aut antecellere conantur, adeo omnium animos corripuit, ut tota fere Europa motu celerrimo et cum communi omnium vertigine circa eundem semper vanitatis axem rotetur. Et quod pessimum, hoc vanitatis studium parvulis jam cum ipso lacte nutricis instillari solet. Effectus hujus inordinati luxus, sub omni consideratione, perquam dolendi sunt; nam, ut paucos tantum commemorem, animus taliter fascinatus officia altiora, et ipsum denique vitæ præsentis finem negligit; cumque media honeste ad tot expensas haud sufficiant, tum virginalis pudicitia, tum ipsa fides conjugalis venales fiunt omnique flagitiorum generi latissima porta aperitur. Denuo ad experientiam Pastorum provoco, an non una cum ingravescente luxu vestium etiam luxuria et luctuosa morum corruptio ingravescere soleant! » — V. *Pensieri di una dama sopra il moderno vestire;* — Cesari, *Orazioni sul vestire disonesto;* — Roberti, *Sul lusso;* — Muzzarelli, *Della vanità e del lusso del vestir moderno;* — Felix, *Conferenze;* Conf 6ª, anno 1857; — *La moda, appello alle giovini donne cristiane*, di Maria Di Gentleles. Roma, 1868

Taparelli, *Saggio di diritto* ecc., n. 754, luxum definit: *l'eccessivo dispendio fatto per ostentazione nei mezzi di decente conservazione.* Et n. 757: « Il Say (nel III volume della sua *Economia politica* ai capi 4 e 5) fa delle belle osservazioni parlando delle spese utili e delle inutili; e stabilisce quattro canoni economici che ben possono entrare, parlandosi di economia, in un trattato di morale. Le spese meglio intese, dic' egli, sono:

« 1) *Quelle che soddisfanno bisogni reali*, ch' egli riduce alla sussistenza, sanità, beneficenza. Perciò più comodi e meno splendore, più biancheria e meno trine, più cibo e meno salse, più abiti e meno ricami, ospizi più vasti e meno pomposi, strade buone e non lussureggianti, pochi palazzi, ma case pulite, ecc.; 2) *le spese durevoli ed in merci di buona qualità.* I pranzi, i fuochi, i giuochi sprecano in un momento dei capitali da cui potrebbe trarsi stabile utilità; le merci cattive esigono per molti capi le stesse spese che le migliori; 3) *le spese fatte in comune;* di qui l'economia delle comunità religiose, civili, militari: un solo cuoco e un sol fuoco può preparar i cibi per venti persone come per quattro o sei; 4) *finalmente, le spese fatte sotto le norme della probità, della morale:* le contrarie finiscono ordinariamente colla rovina così dei popoli come dei privati. » — V. Gerdil, *Sul lusso;* — Martinet, *Soluzione di gran problemi* Probl. III, c. 40; — *Civiltà Catt.*, ser. 3ª, t. II: *Le due economie, eterodossa e cristiana.*

1057. Novum scandali genus: « In segno di vittoria Satana ha ricollocato le sue statue ne' giardini, ne' passeggi, sulle piazze delle grandi città, per tutta Europa; e ficcatosi fin ne' domestici penetrali delle famiglie, ne ha bandite le immagini del Verbo incarnato e sostituite le sue. *Non v'è Cristo in casa* (esclamava un eloquente predicatore, Felix); *non v'è più Cristo pendente dalle pareti; non v'è più Cristo manifestantesi nei costumi. E che! voi avete sottocchi i ritratti de' vostri grandi uomini; le vostre case s'adornano di statue e quadri profani! Che dico: voi tenete esposti alla vista dei vostri figliuoli e all'ammirazione della gente di casa gli Amori del paganesimo, le Ve-*

neri del paganesimo, gli Apollini del paganesimo; sì, tutti i vituperii del paganesimo trovano posto nella casa de'cristiani; e sotto quel tetto, che accoglie tanti umani eroi e pagane divinità, non v'ha più un cantuccio per l'immagine di Gesù Cristo, che lo stesso Tiberio non ricusava di ammettere coi suoi dèi nel Panteon di Roma? » Gaume, *Origine ed errori dello spiritismo.*

Huc facit quod habet idem Felix: « Leibniz ha detto in qualche luogo delle sue opere: *Un Europeo scellerato è più scellerato di un selvaggio, poichè si perfeziona nel male.* E noi possiamo aggiungere: *ed è anche più formidabile*, conciossiacchè moltiplica col suo genio la sua potenza di nuocere, ed arma la sua barbarie di tutte le forze della civilizzazione. »

(S) Pag. 715.

1058. Cooperatio: dubia quoad cooperationem quotidie sunt ad manus, sed explicatu. dificillima. Quoad plura habentur declarationes S. Sedis a nobis refertas Lib. I, nn. 343 et 613, et præcipue Lib. IV *Append.* ubi agitur de regnorum usurpatione. Tunc nulla difficultas; sed alia non pauca adhuc tradita sunt disputationi Theologorum. Nostrum sensum aperient in adeo salebrosa quæstione et quotidianæ praxis, sequentia, præter jam disputata, in textu.

1059. Consilium petendum: nempe quoties agatur de re gravi et publica, præstat ut nemo nedum hac de re marte suo expediat, si largitur tempus; sed fideles adeant sacerdotes, qui sunt magistri in Israel; sacerdotes suam a Parochis mutuent vocem; Parochi ab Episcopis quid agendum sit, exquirent. Episcopi autem omnes id ipsum sentientes normam tempestive præscribant, oraculum etiam Pontificium exquirentes, si opus; tunc regulam habebimus uniformem, subitam, opportunam, firmam ac tutam. Quod ideo magis præstat observare, quia nec semper nec de facili doctrinam generatim traditam ad casus particulares applicare valemus; et nonnunquam res tot circumstantiis vestita est, ut ipsa nequeat licite in praxim deduci, etsi speculative loquendo non videatur posse damnari; quia nempe vel non satis scandalum, quod timetur, reparatur, vel de publico Ecclesiæ bono agitur, cui aliter provideri nequit, et ita porro.

1060. Regulæ generales: ut absque culpa alicui iniquiter agenti cooperemus; necesse est:

1. Ut nostra cooperatio non sit ad rem intrinsece malam, uti esset malum intrinsecum idolis sacrificare, blasphemare, veram pietatem irridere (quod neque ad vitandam mortem agere liceret). Sed ut sit ad rem in se indifferentem, adeo ut ipsa actio valeat etiam ad bonum finem referri.

2. Ut rem istam indifferentem non ponamus intentione mala; sed tantum quia externa vi, ac gravi respective necessitate coacti: uti esset armarii claves dare expoliatori, qui alioquin vult portas exscindere; chartas, documenta et similia tradere ei, qui nobis fortior ea per apertam vim capere contendit; vel si non tradere expresse, dicere (ut ait Gobbat) *claves pendent seu jacent in tali loco; si vultis rapere, ipsi videte; non ego resistam, quia non possum.* Item solvere injustum tributum, et taxam, cum publicanus paratus est illam violenter exigere: tunc enim hæc cedimus, non ideo ut gravi peccato furis cooperemus, sed ut ipsi nos ab ejus injusta vexatione liberemus: ideo coope-

ratio nostra non esset nisi materialis; neque enim peccat viator, qui latroni marsupium tribuit gravi metu compulsus.

3. Ut materialis nostra cooperatio non sit aliis scandalo, quasi nempe putent nos ex animo ad actionem illam concurrere. Quousque scandalum non amovetur, cooperatio est graviter prohibita; amovetur autem, v. g., contra coactionem iniquam protestando, illam ægre exterius ferendo, ei quoad potest resistendo, et alia similia plus minus externe agendo pro circumstiantiarum aut personarum varietate. Neque ideo sumus a nobis ipsis dissentientes, postea dando quod prius negavimus: negamus ac resistimus primo, ne videamur iniquiter agentibus lubenti animo connivere, et ita scandalum a fidelibus amovetur; damus ultimo, quia non possumus ullo modo retinere, atque ad majora damna evitanda. Hinc etsi velimus ab omni culpa absolvere, v. g., qui externa lætitiæ signa præbent pro aliquo reprobato opere faces noctu incendendo; vexilla pandendo; domum ornando; campanas aut instrumenta musica pulsando; adhortationes hac de re ab operariis prælo subjiciendo vel vulgando vel affigendo, gestando signa peculiaria ac mali operis distinctiva, etc., etc.; ideo quia secus mali multa eis revera graviter minantur; non sunt certo excusandi qui talia præstant subito, non repugnantes, nulloque periculo imminenti, neque remoto scandalo: quod scandalum esset certe majoris damni, si illud tribuerent ecclesiastici viri.

4. Ut possimus cooperari damno proximi, requiritur, ut damnum quod timemus nobis, sit ordinis superioris: v. g., cum fur minatur tibi auferre bona tua, nisi coopereris ut ille surripiat bona alterius, non potes furto cooperari. Secus esset si illi non cooperando ad surripienda illa bona, tu subiturus esses vitæ aut famæ dispendium; quia tunc cum in extrema sis constitutus necessitate, tenetur proximus ad permittendam tibi illam cooperationem in suorum bonorum jacturam, utpote ordinis inferioris, ne tu vita aut fama pericliteris. Liguori, *Ho. Apost.*, tract. IV, n. 32.

Sporer, *Tract.* V *in quintum præceptum Decalogi* plura disputat ad praxim nostram: « Ipsa ratio (habet) famulatus seu servitii est sufficiens causa, ut excusentur famuli et ancillæ; item filiifamilias et uno verbo subditi, si jussu dominorum aut Prælatorum faciant opera ex se indifferentia et remote tantum ad peccatum se habentia (non item propinque et proxime ad peccatum ordinata). Ut esset: 1) si famulus jussu heri usurarii pecuniam ad usuram dandam numeret, deferat ac recipiat tantummodo, in librum referendo: absque alia mala intentione vel complacentia ad peccatum; 2) si famuli et ancillæ, seu coqui et coquæ dominis jejunium violaturis cœnam et carnes coquant vel ministrent; quia hæc actio natura sua non ordinatur ad peccatum, sed solum ad substantiam actus commestionis spectantis ad nutrimentum dominorum, quod famuli et ancillæ impedire non tenentur, sed funguntur suo officio sicut aliis diebus; 3) si famulus jussu domini, quem scit ire ad adulterandum, sternat equum, ipsum mere comitetur mereque expectet, more solito ante fores servitii causa (id est non ut custodiat, securum vel animosiorem ad peccatum reddat; tunc enim peccaret). Item si fœmina cum qua dominus peccaturus est, in domum admittat, facem præferat, lectum sternat, cibum vel potum ministret. Item si ancilla heram suam meretricem ornet et similia. »

1061. Quæstiones practicæ: pro modo exempli:

Q. 1. *Quid si quis a Capitulo absens mihi mandet, ut ejus nomine suffragium feram pro Titio certe indigno?*

R. Non possum mandatum acceptare et votum ad ejus mentem tri-

buere; esset enim illius peccato cooperare. Aliter est si indignitas non ita certa sit, sed agatur de majori vel minori dignitate in aliorum concursu; cum hæc ab omnibus non uno modo apprehendatur. Et ideo tunc mandans supponitur habere justas rationes in judicio suo ferendo.

Q. 2. *Mævius alioquin juvenis pius, vocatus ad sonos edendos in domo Livii, ubi inhonestæ instituuntur choreæ, quærit a Pancratio suo confessario, an id possit tuta conscientia?*

R. Si Mævius sine gravi damno potest a sono in tali domo abstinere, debet abstinere; quia etsi (ex quo sit vir pius) ejus sonus supponatur non esse per se directivus chorearum inhonestarum, et ipsum in earum aspectu haud turpiter delectari; adhuc tamen (cum quilibet ex lege charitatis teneatur, quantum in se est, malum proximi avertere) vi ejusdem legis tenetur se a prædicta domo retrahere, ne per sonos a se editos aliorum impudicitiis cooperetur. Si vero prudenter timeat grave damnum sibi imminere, v. g., si gravem inde injuriam aut vitæ læsionem timeret (quod tamen raro contingit), in hoc singulari prorsus casu, ille potest tuta conscientia sonos in dicta Livii domo edere; cum ex una parte choreæ ex aliorum tantum malitia turpes evadant, ex altera nemo teneatur in magno proprii damni periculo aliorum peccata ex charitate impedire. *Suarez, Palaus, Giribaldus.* Sunt tamen qui id nullimode permittunt, quia sonus nimium influit, et intimius incendit ad choreas inhonestas.

Q. 3. *An christiani vel catholici apud turcas vel hæreticos bellantes contra christianos vel catholicos, licite remigent, fodiant, sarcinam et arma devehant, propugnacula ædificent, etc.?*

R. Affermative, quia ex una parte magna necessitas et gravissimus metus verberum et mortis eos cogit: ex altera parte cooperatio non adeo propinqua est, sine qua nihilominus damnum inferendum est: ita probabiliter Sanchez, Suarez, Layman contra aliquos, qui negant, quia non licet opem ferre iis qui alios injuste occidere nituntur. Quod si captivi talia auxilia negantes, illos magno periculo eripere possent vel victoriam ipsis causare, omnino ex charitate videntur obligari ad bonum commune Reipublicæ christianæ vel Ecclesiæ anteponendum propriæ vitæ. Item excusantur, si inferant damna christianis in rebus externis auferendo, destruendo, comburendo simili metu mortis coacti; quia tunc sunt in extrema necessitate ad tuendam vitam, et domini non debent esse inviti rationabiliter; sed potius ex charitate consentire. At vero minime excusantur mortis etiam metu actu pugnantes, contra insontes christianos vel catholicos, eos occidentes, mutilantes tormenta explodentes, applicantes ignem navibus, etc; quia hæc sunt intrinsece mala, nec illis ullo modo patrocinari potest consensus ipsorum innocentium.

Q. 4. *Quid si rex ob bellum injustum præcipiat publicas preces?*

R. Tenet Lessius, metu gravis damni, licitum esse intendendo orare non pro victoria causæ injustæ, sed pro successu felici justæ causæ. Attamen non ita facile scandalum auferri potest; videtur enim publica deceptio, et abusus apertus Sacrorum. Ceterum cum publicas preces indicere sit supremæ auctoritatis ecclesiasticæ (non sæcularis), privatus nemo neque clericus neque Parochus, eas proprio marte indicere debet, inaniter tergiversando. *V.* Lib. I, n. 613.

1062. Q. 5. *An liceat interesse spectaculis quibus invasiones, usurpationes et similia celebrantur?*

R. Nisi adsit ratio officii vel alterius gravis causæ, et tunc amoto scandalo, id dedecere videtur, maxime quoad ecclesiasticos; nam vi-

detur quasi tacita approbatio mali operis, cujus gratia talia aguntur. Cui Dei honor et Religionis zelus cordi est, tunc plorat in cubiculo, non autem per plateas hilaris discurrit. Bibant alii mortiferas voluptates; sed quisque cordatus illud potius Psalmi LI debet usurpare: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine...; quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.*

Q. 6. *An liceat pecunia, hortationibus, etc., concurrere ad publica monumenta erigenda talibus qui eorum auctoritate et ingenio abusi sunt ad aliorum jura pessumdanda et usurpanda? vel ob sacrilega tentamina et impia opera sunt tantum famosi?*

R. Negative per se; nam quid hoc est aliud, nisi facto nostro publice et palam eorum principiis subscribere, eorumque iniqua molimina probare? Neque dicant se id tantum probare quod boni egerunt; si enim patratum ab illis malum superabundat, et palam ob eorum usurpationes vel impietates maxime extollantur, intentio nostra neque aufert publicum scandalum, neque mutat opus jam publice determinatum. Neque addant, se id etiam intendere, hominis ingenium admirari, non vero facta personalia dijudicare. Si hoc esset admittendum, vel ipsi Lucifero peringens monumentum erigi posset, qui omnes homines doctrina et scientia antecellit. Sed potius magis vituperandi sunt, cum peregrinis fuerint dotibus male usi: « Noi abbominiamo quello stupido feticismo alla gentilesca, il quale adora ciecamente i pregi che vengono all'uomo dalla natura, senza alcun riguardo morale all'uso che quegli seppe farne; quando pure solo da questo può la verace laude umana originarsi. La persona che certo non si foggiò il temperamento dell'animo e la qualità dell'ingegno, non merita di esserne lodata più di quello che meriti la rosa che non dipinse essa le sue foglie, od il giglio che non si profumò esso di tanta soavità il proprio calice L'Autore solo e il Dator supremo di quei doni ne merita laude ed ammirazione; e l'uomo che ne abusò ad opera d'iniquità (come la rosa ed il giglio non possan far dei loro), non può meritarne altro che biasimo, e biasimo tanto maggiore, quanto che furono più pellegrini i pregi, e furono più immani le nequizie, e più universali le calamità, di cui quelli divennero strumenti. » *Civiltà Cattolica*, ser. 4ª, t. II.

(T) Pag. 717.

1063. Quoad propositiones a S. Sede damnatas, notamus:

1. Quamvis omnis propositio damnata *falsa* sit, non tamen semper hæc nota adjicitur expresse, nisi aliqua adsit peculiaris circumstantia. Præsertim cum proprie falsitatis nota usurpari soleat ordinarie ad designandam illam quæ adversatur alicui facto, cujus rei exemplum habemus in propositione 4 Jansenii damnata ab Innocentio X: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem, et in hoc erant hæretici, quod vellent eam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Quæ quidem propositio proscripta est uti falsa et hæretica: nempe *falsa* quoad factum seu partem historicam; *hæretica* quoad jus seu partem doctrinalem.

2. Aliquando propositiones a RR. Pontificibus damnantur *singillatim*, si sua cuique propositioni specialis tribuatur nota; aliquando vero damnantur *in globo*, et est quando singulis propositionibus singularis censura non assignatur; sed omnes generatim reprobantur. Hoc non facit ad substantiam, si unus et alius modus a legitima au-

ctoritate procedat. « Les condamnations générales sont utilement pratiquées dans l'Église, pour donner comme un premier coup aux erreurs naissantes, et souvent même le dernier, suivant l'exigence de cas et le degré d'obstination, qu'on trouve dans les esprits. » Ita Bossuet in Opere *Second écrit sur le livre de Fénelon.*

3. Sunt qui de facili inducuntur ad reprobandas cunctas opiniones, quæ aliquam similitudinem habent cum propositionibus damnatis, inepte putantes eas ita generaliter proscribi, ut nullam patiantur exceptionem vel interpretationem. Quod est contra naturam propositionum damnatarum; juxta enim Doctorum consensum non sunt clausis oculis rejiciendæ omnes opiniones, nisi expresse aut virtualiter in proscriptis contineantur. Ceterum regulariter propositiones damnatæ intelligendæ sunt, ut jacent, et in sensu rigoroso, ab auctoribus illarum intento; præterquamquod quædam opiniones damnatæ sunt, quia nimis generaliter loquebantur, et ideo non sunt extendendæ ad omnes casus particulares, qui propter aliquam momentosam circumstantiam ab illis distinguuntur. (Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 760.)

4. Omnes propositiones a Pontificibus damnatæ, licet non omnes sint hæreticæ, sed aliæ temerariæ, aliæ scandalosæ, etc., tamen accedente Pontificis definitione, tenendum est de fide, quod illæ propositiones vere mereantur illam erroris notam, quam Pontifex inurit; et ideo esset quidem hæreticus, qui easdem tanquam veras et licitas sequeretur, aut propugnaret, ut bene ait Viva in *Quæst. prop. damn.* Non tamen hæreticus esset, si propositiones damnatas in globo sejungeret, contenderetque notam hæresis his aut illis non applicari; cum ideo non vere censuraret Ecclesiæ hac de re judicium; nam fidei catholicæ stricte sumptæ non adversaretur, cum singulæ propositiones non ut hæreticæ sint damnatæ Attamen illius conditio non ideo melior esset; rebellis enim erga Ecclesiam, et reus peccati mortalis semper fieret. (Liguori, *Opus Mor.*, l. I, n. 104.)

Ita Pius Papa IX 80 propositiones damnavit in celeberrimo *Syllabo* edito una cum catholica Encyclica *Quanta cura* 8 dec. 1865 Cum illæ sint quidem singillatim commemoratæ, sed nonnisi in globo reprobatæ, esto quod possit adhuc defendi, sine errore in fide, quod una vel altera propositio non mereatur hanc vel illam specialem censuram; at certum omnino est, quod utique omnes illæ propositiones aliquam merentur notam; adeo ut qui catholico nomine adhuc gloriatur, teneatur illas et omnes et singulas reprobare, proscribere, damnare. *Itaque* (ait Pontifex e cathedra loquens) *omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce literis commemoratas, auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus easque ab omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.* — *V.* Sordi, *Il Sillabo di S. S. Pio Papa IX esposto in forma di catechismo.* — Falconi, *Il Sillabo pontificio, ossia confutazione degli errori in esso condannati.* Roma. — *Pio IX e gli errori moderni*, per Fr. Lodovico di Castelpiano. Velletri, 1865. — Keller, *Encycle du 8 dec. 1864, et les principes des 1789 ou l'Église, l'État et la Liberté.* Paris, 1865. — Lib. IV ad *Append.* 26 plures notantur damnatæ propositiones.

FINIS LIBRI SECUNDI.

INDEX LIBRI SECUNDI

TRACTATUS QUINTUS.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

DISPUTATIO PRÆAMBULA. De virtutibus, ac de Religionis natura et actibus . . . . . *Pag.* 5
DISPUTATIO I. De Religionis actibus . . . . . » 8
CAP. I. De devotione et oratione . . . . . » ib.
Art. unicus. De meditatione, contemplatione et oratione vocali . . . . . » 17
§ *unicus.* De Oratione Dominica et Jaculatoria, et Horis canonicis . . . . . » 19
N. 1. De tempore, loco, ordine, forma et modo recitationis. » 26
N. 2. De causis a recitatione excusantibus. . . . . » 32
CAP. II. De adoratione et voto . . . . . » 34
Art. 1. De voti divisione ac requisitis . . . . . » 37
Art. 2. De voti obligatione et interpretatione . . . . . » 42
Art. 3. De voti extinctione . . . . . » 49
CAP. III. De juramento . . . . . » 56
Art. 1. De definitione, divisione, honestate, necessitate et requisitis . . . . . » ib.
Art. 2. De juramenti obligatione, extinctione, interpretatione et adjuratione . . . . . » 65
CAP. IV. De sanctificatione Festorum . . . . . » 68
Art. 1. De natura et vi hujus præcepti . . . . . » ib.
Art. 2. De operibus quæ diebus festis vetantur, et de causis ob quas illa permittuntur . . . . . » 72
DISPUTATIO II. De vitiis quæ virtuti Religionis adversantur. » 79
CAP. I. De superstitione . . . . . » ib.
Art. 1. De idololatria et divinatione . . . . . » 80
Art. 2. De vana observantia . . . . . » 85
Corollarium. De Magnetismo, uti vocant *animali*, seu Mesmerismo, de Tabulis rotantibus atque Spiritismo . . . » 89
CAP. II. De irreligiositate . . . . . » 93
Art. 1. De tentatione Dei, blasphemia et sacrilegio . . . » id.
Art. 2. De simonia . . . . . » 103
§ 1. De simoniæ natura et divisione . . . . . » ib.
§ 2. De pœnis quibus simonia punitur et causis excusantibus. » 112
Adnotationes ad Tractatum quintum . . . . . » 119

TRACTATUS SEXTUS.

DE VIRTUTE JUSTITIÆ.

QUÆSTIO PRÆAMBULA. De justitia et jure . . . . . » 195
DISPUTATIO I. De dominio . . . . . » 198

Cap. I. De dominii natura . . . . . *Pag.* 198
Scholium. Communismus . . . . . » 199
Corollarium. Radicalismus, Socialismus et Fourierismus seu Systema Phalansterianum . . . . . » 201
Cap. II. De dominii objecto, subjecto, ac modis illud acquirendi et amittendi . . . . . » 202
Art. 1. De dominio infidelium et peccatorum, parvulorum et amentium, Ecclesiæ et ecclesiasticorum . . . . . » 205
Art. 2. De dominio filiorumfamilias, de patria potestate et uxorum bonis. . . . . » 212
Dissertatio I. De occupatione, accessione et traditione. . . » 218
Cap. I. De occupatione. . . . . » ib.
Cap. II. De accessione et traditione . . . . . » 223
Dissertatio II. De hæreditate. . . . . » 228
Cap. I. De hæreditate testamentaria . . . . . » 229
Art. 1. De testamenti forma et hæredis institutione . . . » 230
Art. 2. De testatore, de legitima et hærede . . . . . » 236
Art. 3. De hæreditatis aperitione, renuntiatione, divisione et collatione . . . . . » 243
Corollarium. De legatis, substitutionibus, executore testamentario et testamenti caducitate . . . . . » 248
Cap. II. De hæreditate ab intestato et hæreditate jacente. . » 255
Dissertatio III. De præscriptione . . . . . » 260
Dissertatio IV. De obligationibus et contractibus. . . . . » 269
Cap. I. De obligationibus generatim . . . . . » ib.
Art. 1. De contractibus in genere. . . . . » 270
§ 1. Necessaria ad validitatem contractuum . . . . . » 271
§ 2. De contractuum effectibus et interpretatione . . . . » 276
Art. 2. De quasi-contractu, de delicto ac quasi-delicto . . » 278
Cap. II. De variis obligationum speciebus . . . . . » 279
Art. unicus. De obligationum probatione, effectibus et extinctione . . . . . » 283
Cap. III. De contractibus in specie . . . . . » 289
Art. 1. De emptione et venditione . . . . . » ib.
Corollarium. De venditione ad creditum, crediti, per proxenetas, sub regressu, de contractu mohatra, de monopolio, de venditione sub hasta ac permutatione . . . . . » 301
Art. 2. De locatione et conductione, de censu *(costituzione di rendita)* et vitalitio . . . . . » 309
Art. 3. De emphyteusi, pignore, hypotheca, cambio et transactione . . . . . » 315
Art. 4. De contractu societatis, bonorum communione, et contractu trino . . . . . » 322
Art. 5. De mutuo *(prestito di consumazione)* et usura . . » 327
§ *unicus.* Tituli, vi quorum licet supra sortem exigere . . » 333
Art. 6. De donatione et promissione . . . . . » 337
Art. 7. De deposito, sequestro, fidejussione, commodato, precario et mandato . . . . . » 345
Art. 8. De contractibus aleatoriis . . . . . » 353
DISPUTATIO ALTERA. De servitutibus . . . . . » 358
Cap. I. De servitutibus prædialibus . . . . . » ib.
Cap. II. De servitutibus personalibus, id est de usu, usufructu, habitatione et possessione . . . . . » 361
Scholium. De mercatura seu commercio . . . . . » 368
Adnotationes ad Tractatum sextum . . . . . » 373

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE RESTITUTIONE.

DISPUTATIO I. De restitutione in genere . . . . . *Pag.* 427
Cap. I. De subjecto restitutionis . . . . . » 430
Art. 1. De eo qui ad restitutionem tenetur . . . . . » ib.
§ 1. De eo qui culpabiliter damnum infert immediate . . » 437
Scholium. De fraudatoribus tributorum ac gabellarum . . » 442
§ 2. De eo qui culpabiliter damnum infert mediate . . . » 446
N. 1. De mandante seu jubente et consulente . . . . . » 450
N. 2. De consentiente, palpone, receptatore et participante » 453
N. 3. De muto, non obstante et non manifestante . . . » 458
Art. 2. De eo cui restitutio facienda est, de restitutionis ordine et circumstantiis . . . . . » 459
Cap. II. De causis a restitutionis obligatione excusantibus . » 469
DISPUTATIO II. De restitutione in specie . . . . . » 474
Cap. I. De bonis animæ et corporis . . . . . » ib.
Art. 1. De homicidio et mutilatione membrorum . . . . » 476
§ 1. De bello . . . . . » 482
§ 2. De suicidio, duello et abortu . . . . . » 486
§ 3. De vitæ, pudicitiæ, honoris et bonorum aggressione . » 493
Art. 2. De stupro et adulterio . . . . . » 498
Cap. II. De bonis famæ et honoris . . . . . » 506
Art. 1. De læsione et reparatione famæ . . . . . » 508
Art. 2. De modo quo læditur et reparatur honor . . . . » 521
Scholium. De secreti manifestatione, et libello infamatorio . » 523
Cap. III. De bonis fortunæ . . . . . » 527
Art. unicus. De furto . . . . . » ib.
Monita: Pro confessariis circa furta . . . . . » 539
APPENDIX. De justitiæ filiabus, ac ceteris virtutibus cardinalibus . . . . . » 540
Cap. I. De præcipuis justitiæ filiabus . . . . . » ib.
Art. 1. De pietate, observantia, obedientia et veracitate . » ib.
Art. 2. De gratitudine, benevolentia, amicitia, liberalitate, affabilitate, urbanitate et comitate . . . . . » 546
Cap. II. De ceteris virtutibus cardinalibus . . . . . » 549
Art. unicus. De prudentia, fortitudine et temperantia . . » ib.
§ *unicus.* De modestia, humilitate, studiositate, eutrapelia, ornatu, simplicitate et castitate conjugali, viduali et virginali . . . . . » 553
Adnotationes ad Tractatum septimum . . . . . » 558

TRACTATUS OCTAVUS.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

PRÆAMBULA . . . . . » 601
DISPUTATIO I. De fide . . . . . » 603
Cap. I. De fidei nomine, natura ac divisione . . . . . » ib.

Cap. II. De fidei objecto, regula, analysi ac subjecto . . *Pag* 606
Cap. III. De fidei proprietatibus . . . . . » 612
Art. 1 De fidei certitudine ac credibilitate . . . . . » 613
Art. 2. De fidei necessitate . . . . . » 616
§ 1. De fidei necessitate ratione actus interioris . . . . » 617
§ 2. De fidei necessitate ratione actus exterioris, de symbolis fidei et catechismis . . . . . » 625
Cap. IV. De præcipuis vitiis et peccatis fidei oppositis . . » 631
Art. 1. De infidelitate atque fidelium communicatione cum infidelibus . . . . . » ib.
Art. 2. De hæresi et apostasia . . . . . » 635
§ *unicus.* De catholicorum communicatione et disputatione cum hæreticis in rebus fidei; ac de hæreticis dignoscendis » 642
Art. 3. De lectione librorum prohibitorum . . . . . » 648
Scholium. De fidei impedimentis generatim, ac de peculiari in Italia; de iis eliminandis, ac studio fidei dilatandæ . » 659
DISPUTATIO II. De spe . . . . . » 668
Cap. unic. De spei natura, divisione, objecto, subjecto, proprietate, vitiis oppositis et remediis . . . . . » ib.
DISPUTATIO III. De charitate . . . . . » 675
Cap. I. De charitatis natura, divisione, objecto et proprietate » ib.
Art. 1. De charitatis necessitate relate ad Deum . . . . » 679
Art. 2. De charitate erga se ipsum et proximum, ac de inimicorum dilectione . . . . . » 682
Art. 3. De charitatis officiis in proximum . . . . . » 688
§ 1. De eleemosyna . . . . . » 689
§ 2. De correctione fraterna . . . . . » 694
Cap. II. De ordine in charitate, et vitiis charitati oppositis . » 699
Art. 1. De scandalo activo . . . . . » 705
Art. 2. De scandalo passivo, atque cooperatione ad aliorum peccata . . . . . » 709
Scholium. De notis seu censuris theologicis . . . . . » 718
Adnotationes ad Tractatum octavum . . . . . » 716

259.02
SC 197
2173
SCAVINI, Peter
AUTHOR
Theol Moralis Universa - Vol II
TITLE
Ed.11a
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
FR. DONNELLY
GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709
2173